6
41 M E
44

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III . 12 . g

III
13
C

III
10
C

68.3.10.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI BURMANNI,

S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

SYNOPSIS THEOLOGIÆ,

& ſpeciatim Oeconomiæ FOEDERUM DEI,

ab initio ſæculorum uſque ad conſummationem eorum.

TOMUS PRIOR

Præcipuè complectitur Oeconomiam

VETERIS TESTAMENTI.

Editio ultima Indicibus multò locupletioribus quàm antea exornata.



AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, 1699.

Digitized by Google

M 13 - 5

Digitized by Google

Illuſtribus ac Præpotentibus

PROVINCIÆ ULTRAJECTINÆ ORDINIBUS, PATRIÆ PATRIBUS;

NEC NON

Nobiliſſimis & Ampliſſimis

REIPUBLICÆ ULTRAJECTINÆ CONSULIBUS ET SENATORIBUS, ACADEMIÆ CURATORIBUS,

FR. BURMANNUS

D. D.

NEminem mortalium, qui Deum rite colunt, eſſe cenſeo, qui non ſummi beneficii loco habeat, cœleſte illud depoſitum, Dei verbum, quo, cum nos ad eum accedere non poſſemus, ipſe ad nos deſcendit, priorque nos affari dignatus eſt. Si enim ſermo omnis animi ſit character ac nota, virique ſapientis genius ac dotes in verbo ipſius eluceant; non

Digitized by Google

mirum quoque eſt, divinæ potentiæ, bonitatis & ſapientiæ characteres Dei verbo impreſſos eſſe, ipſiuſque adeo deitatis conſpectum quendam in eo nobis exhiberi. Ut illud merito omnis ſapientiæ ſit tabularium, per quod populus populo intereſt, & mundo Eccleſia. Sine quo mundus deſertum eſt, vita humana latrocinium, regna ipſa non niſi tyrannis, judicia omnia vis mera, & commercia omnia fraudis latibula. Quod vero ſupra ſæculum nos attollimus, quod peccato nos emancipamus, quod non formam ſolum humanam gerimus, ſed & animum Deo dignum formamus, quod non civili tantum honeſtati & externæ diſciplinæ ſtudemus, verum etiam ſublimioribus ſæculoque incognitis operamur virtutibus, & uno verbo, quod vitæ nobis non deſunt præſidia, nec mortis ſolatia, neque cum ſæculo terminantur ſpes noſtræ, totum hoc verbi illius munus eſt. Ut illa demum beata ſit reſpublica, ad quam verbo huic datur aditus & in qua divinæ illius voces ſonant, adeoque ex illius præſcripto omnia inſtituuntur. Annon enim ſecundum verbi hujus normam æque componi poteſt regimen, ac juxta Philoſophi alicujus opiniones, aut Legiſlatoris placita, aut vanorum etiam hominum commenta? Nunquid fide æquè bella poſſunt geri, reſpublica adminiſtrari, jus dici, ſuum cuique tribui, pacis artes coli, temperantia, fortitudo, conſtantia, aliæque virtutes exerceri, & ſuum omnibus rebus pretium ſtatui, quam carnali ſapientia, ambitione & inanis gloriæ ſtudio? Ex adverſo ſtat omnium ſæculorum hiſtoria; quæ fidem facit, nunquam feliciori loco fuiſſe res humanas, quam ubi ad verbi hujus trutinam exactæ ſunt; quod ubi factum, illæ divinis humaniſque benedictionibus affluentes, domi tutæ, foris invictæ & undiquaque florentes fuerunt. Quod ſi remotiorum teſtimoniorum deeſſet copia, ſola veſtra reſpublica locupletiſſimum ejus rei ſuppeditat exemplum. Quæ intra portas re-

Digitized by Google

recepto hoc Palladio, quod cimmeriis tenebris vaſtaque caligine, quibus immerſa erat, ſe evolverit, quod feritatem barbariemque poſuerit, quod ſapientiæ divinæ ac humanæ, virtutumque aliarum non ſolum exempla expreſſerit, ſed & ipſa aliis in exemplum ceſſerit, totum id verbo huic debet. Et ſicut nunquam ſine glorioſo comitatu recipitur Chriſtus, ita quoque animadvertere fuit omni ævo, non ſolum ad æternam lucem contemplandam animæ oculum verbi hujus beneficio attolli, verum etiam diſcuſſis ſemel errorum ignorantiæque nebulis, ad ipſas quoque vitæ actiones poliri mentem, & cœleſtis veritatis ope liberam factam, in aliis quoque ſuo jure reſtitui, humanæque prudentiæ & fortunæ limites longè ſupergredi. Et certe ſublatis ſuperiori ſæculo ad verbi hujus lucem qui religionem defœdaverant abuſibus, neſcio quam non etiam politiæ, commerciorum, aliarumque actionum humanarum inſtaurationem prior illa ſecum traxerit; ut nuſquam quam hîc terrarum ita oculatos deprehendere liceat homines, ita ſolertes rebuſque gerendis idoneos: ex quo factum, ut orientis occidentiſque ſpoliis ſe ditaverint, aureumque illum imbrem ad ſe attraxerint ex univerſo orbe, quem aut armis felicibus, aut pace & fœderibus ac ſocietatibus, commerciis certe ac navigationibus rebuſque ubivis maximis geſtis jam pridem impleverunt. Cum è contrario hominum idololatriæ & ſuperſtitioni deditorum, præjudiciorum labyrinthis implexorum, aut cæcæ implicitæque fidei tanquam ſaxo adhærentium, ſæpe non magis oculatæ liberæque deprehendantur actiones, ac rectæ ſunt illorum circa divina cogitationes; ut vel hinc quoque deteri ac peſſum dari videamus illorum fortunam, cum Diis ſuis, quos colunt quoſque adorant, ſimiles reddantur, & ſtatuis affixi in ſtatuas convertantur.

Quemadmodum vero aqua, ſive ex cœleſti rore deſcendens,

dens,

Digitized by Google

dens, ſive ex fontibus ſcaturiens, facile diſpergitur, niſi colligatur in receptacula, in quibus ſe ſuſtentare & fovere poſſit: ſimiliter pretioſiſſimus ille ſapientiæ liquor, ſive à divina inſpiratione deſtillet, ſive è mente humana exiliat, mox periret omnis & evaneſceret, niſi conſervaretur in libris, traditionibus, colloquiis, & præcipue in locis certis huic rei deſtinatis, quales ſunt Scholæ, Cœtus, Academiæ, in quibus & permanentes habeat ſedes & creſcendi inſuper & ſe congregandi copiam & facultatem.

Tale bonæ mentis domicilium cum, ſub veſtris auſpiciis, à Nobiliſſimo Graviſſimoque hujus Urbis Senatu hic pridem exſtructum, adſcitiſque undique ornamentis decoratum ſit, mihique, ſic gubernante Deo, ejuſd. Nobiliſſ. Senatus auctoritate, nihil tale opinanti, in eo honeſta aſſignata fuerit ſtatio, quam ultra octennium ſuſtineo; prima cura fuit; ut cœleſtis illius philoſophiæ latices, quantum per meam tenuitatem id licuit, quam puriſſimi à me conſervarentur & quam copioſiſſimi ad plures deducerentur. Quod dum ago, ante annos aliquot intra privatas ſcholas natum eſt opus hoc, in quo religionis doctrinæque noſtræ μόρφωσιν ac deformationem aliquam ſtudioſæ juventuti, non exiguo labore & cura, exhibere conatus ſum. In arcto fateor, eſt & inglorius hic labor. E denſiori enim ſylva tantummodo paululam ſtruem huc congeſſimus, & per puncta duntaxat hic notavimus, quæ per lineas alibi, ſi Deus dederit, extendemus. Iter tamen prope immenſum multorumque ſæculorum ſpatium ingreſſi, dum omnes Fœderum Dei cum hominibus initorum formas contemplamur, varioſque eorum vultus nobis objicimus, dum doctrinæ noſtræ latifundia percurrimus, imò dum ſæculis non concluſi, ea quæ ſapientiæ noſtræ ante ſæcula, quin & ipſis ſæculis, initium dederunt, quæque evaneſcentibus ſæculis

de

de ea perſeverabunt, pro modulo noſtro rimamur; non mirum eſt, ſi à tanta rerum copia oppreſſi, earumque amplitudine circumfuſi, nec ab omni ceſpitationis metu tuti, vix dimidium iter emenſi, ſcribendo jam laſſi, ſtrigare malimus, quam pro telo ducere.

Licet autem non is ſim, qui tantis nominibus haud indignum eſſe hoc munus exiſtimem, audeo tamen, Viri Summates, qualecunque hoc opus veſtrum facere, vobiſque illud dare, dicare ac dedicare; cum illud ipſo jure veſtrum ſit: ſolo enim ſuperſtructum ædificium ſoli ipſius domino cedit. Cumque olim agricolæ ſolerent primitias frugum Dis agrorum conſecrare, ego omnia mea, quantulacunque ſunt, Deo ter optimo accepta ferens, ipſum in vobis honorare debui, per quos ipſe dedit & honeſtiſſimæ occupationis opportunitatem & liberale hoc otium, quod in florentiſſima veſtra provincia & civitate per tot annos mihi feciſtis. Quod ſane cum in præcipua vitæ meæ felicitate ducam, debui haſce ingenii laborumq; meorum Academicorum primitias vobis, qui hæc agricolationis noſtræ novalia jure meritoque vobis vindicatis, conſecrare; ut hac lege veſtro gaudeant patrocinio, ſi ſuum ipſis non denegabit veritas. Contra procaces enim linguas fruſtra præſidium conquirerem, cum nemo tantæ ſit potentiæ, ut me ab earum ſpiculis tueri poſſit, neque ego tam abjecti timidique ſim animi, ut calumniantium judicium rumoreſque multum reformidem. Licet autem doni vilitas me percellat, gnarus tamen thuſcula quoq; ſacra fieri Diis, imo & mola ſalſa bene litare, qui thura non habet, non dubitavi hoc qualecunque de ſchedis meis offerre. Nec vile vobis haberi ſcio, quod doctrinam cœleſtem, qua nihil eſt excelſius neque vobis pretioſius, licet craſſo penicillo, adumbrat: quam vel eo ipſo quod breviori gyro hic conſtringatur, gravioribus ve-

ſtris curis negotiiſque magis accommodam fore ſpero. Ego ſaltem nihil aliud nunc quod offerrem habui; nec ſi maxima haberem, digna vobis veſtriſque in Patriam, addo & me, meritis dari poterant. Vos enim ex quo in veſtram conceſſi clientelam, ſemper mihi benigne feciſtis, & non uno honoris genere mactum voluiſtis. Quod obligatoria hac tabula ex animo teſtari debui; ut illa, ſi poſt me ætatem ferat, extet publicum gratæ meæ voluntatis, quicquid de me fiat, monumentum. Quantum cæteroquin vobis debeam, Viri Illuſtres & Nobiliſſimi, reticere hic malo; ut pote quod animo alte inſidens non tam ambitioſius obiter eſt effundendum, quam obſervantia atque veneratione æterna agnoſcendum. Deus Opt. Max. vos, pro publica ſalute invigilantes, dudum pios, fortes, felices ſupereſſe ſinat, meque, ſi ita è re veſtra meaque ſit, in clementiſſimi veſtri patrocinii & favoris ulnis conſeneſcere.

Ultraject. A. D. XIII. *Cal. Ianuar.* CIƆ IƆ C LXXI.

LE-

Digitized by Google



FRANCISCUS BURMANNUS,

S.S. THEOLOGIÆ DOCTOR EJUSDEMQ, IN ACADEMIA ULTRAJECTINA PROFESSOR, ET IN ECCLESIA PASTOR.

BURMANNI Hæc facies, magni Doctoris imago,
Ultrajectenſis gloria prima Scholæ.
Quem ſtupet attonitus non tantum Belgicus orbis,
Et non eſſe ſuum quisquis ubiq, dolet.

Hic lucet Belgis dextrâ ſine tegmine MOSES,
Fœderaq, æternum non temeranda Dei.
Suſpice Belga Virum et tantæ conamina Chartæ.
Hic quod mireris, quodq, imiteris, Habes.

A. Pars.

J. Bynneman fec.

LECTORI MEO

FRANCISCUS BURMANNUS S.

Miraberis procul dubio, Lector, quid me, hominem, nec ab ingenio, nec ab eruditione inſtructum, impulerit, ut hiſce meis ſchedis remp. literariam gravem; quæ ut in multis aliis, ita hic quoque laborat mole ſua, dum quotidianus libellorum proventus eſt, eorumque ſæpe talium, ex quibus hauſtum gallinacei lactis exſpectare poſſes: ut Plinius ait, quique vix alius ſunt uſus, niſi ut antiquiores melioreſque ſtudioſæ juventutis manibus excutiant; præcipuè cum eo vivamus ſæculo, in quo auctoritas plerumque antevertit veritati, & non ex ſcripto judicatur ſcriptor, ſed ex ſcriptore pretium ſtatuitur ſcripto; ubi denique vilis admodum annona eſt omne genus Ariſtarchorum, qui nihil aliud ſolent quam minuta aliorum errata ventilare, & quicquid ignorant, hoc errorem vocare: inter quos illi, qui non ſcribunt, quia nec forſitan poſſunt, longe acriores & ſeveriores ſe alienorum operum cenſores ſolent oſtendere, quam qui ſcriptorum ſuorum publicatione eidem examini ſe ſubjiciunt, quod in alios ſibi ſumpſerint. At ſcias velim, non captatam hanc fuiſſe ſcribendi occaſionem, ſed oblatam; imo ſatis diu evitatam & protelatam, identidem tamen recurriſſe, tandemque obtruſam fuiſſe. Novennium labitur, ex quo functioni Academicæ, ad quam ne ſomnio quidem per omnem vitam me compoſueram, ita volente rerum noſtrarum diribitore Deo, admotus ſum. Requirebat igitur ſuperiorum juſſus muneriſque proprii conſcientia, ut ſpartam quam nactus eram redderem quam ornatiſſimam. Ex eo tempore inter alios labores nati ſunt quoque illi, licet moleſtiſſimi, utiliſſimi tamen, quibus non fugiente duntaxat docui voce, ſed ad calamum dictavi in privatis ſcholis, ut ea chartis conſignarentur, quæ memoriæ hærere è re auditorum putabam. Hinc

Digitized by Google

inter varia opuſcula nata eſt quoque hæc Theologia, & ſpeciatim Oeconomiæ Fœderum Dei, Synopſis; quam tantum abeſt ut evulgandi animo communicaverim, ut contra ne id fieret omni modo caverim, & ne fieri poſſet variis lacunis relictis operam dederim, denique ne factum ſit per ſeptennium ferè reſtiterim: donec tandem perpetuo diſcipulorum aliorumque voto & petitioni, aſſidue, nec ſine convitio, hæc à me efflagitantium, annui, non tam perficiendi ſpe, quam recuſandi pudore: oculos quoque conjiciens in eorum profectum, quem ab iiſdem obtentum eo facilius in poſterum ſperare auſus fui. Cum enim non publice duntaxat, ſed & privatim docendum eſſet, cynoſura, quam ſequerer, opus erat: quam videbat commodius de meo penu depromere poſſe; cum aliorum cogitata, ſi ea qualia occurrunt integra relinquas, non ſemper inſtituto tuo utilia ſint; ſin vero ea ad tuum propoſitum parumper accommodes, gratiæ loco interdum odium parias. Et licet plurimi ſint, qui hujus ſcriptionis viam mihi præiverunt, cum quibus me nullo modo componi poſſe ſcio; tantum tamen abeſt, ut illorum laboribus intercedere voluerim, ut vel per hunc meum laborem me ipſum, quique mea utuntur opera, ad perfectiora illorum ſcripta manuducere ſtuduerim. Neque dum tamen materies hæc omnis, ut opinor, exhauſta, ſylvaque omnis hæc exciſa eſt, ſic ut reliqui nihil deinceps ad ſpicilegium poſtfuturis ſuperiorum diligentia vel induſtria fecerit. Placet autem admodum eximia illa beati Auguſtini ſententia: Utile eſt plures libros à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus iiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic. *Equidem à bonis lectoribus tantum ut hæc boni conſulant, non etiam ut laudent, exſpecto: reprehenſorum vero qui me doctiorem non reddent, judicia non pluris facio, quam ipſi veritatem, à nobis, ut ſpero, propoſitam. Et ita opus hoc noſtrum ex umbra in lucem protrahi ſivimus, poſtquam priſtino illi cultus acceſſit. Quæ enim illi ſecundis curis acceſſerint, haud promtum eſt dicere, niſi quod à priore multum demutaverit, pluribus interpolatis, pluribus additis, longe pluri-*

De Trinit. lib. 1.

Digitized by Google

pluribus autem demtis. Ingens enim ſane hinc opus fieri potuiſſet, ſi quæ multorum eſt ambitio, eadem nobis inceſſiſſet. Cum vero domeſticarum duntaxat ſcholarum uſui illud conſecraſſem, inſtituti habenda fuit ratio, & ſingula in præſenti ſignanda magis, quam copioſe tractanda. Hinc innumera omittenda fuerunt, jam etiam prælo parata, quæ res ipſa requirebat & à peritioribus deſiderabuntur. Quin & cum opinione productiora fuerint facta prima capita, in reliquis, quæ tamen, utpote minus obvia, non minorem curam, imò majorem exigere videbantur, brevior eſſe coactus ſum, ne nimia mole inutilis mihi redderetur univerſus liber. In quo ſi quid peccatum ſit, tantum abeſt ut culpam deprecer, ut potius illis ultro mei ipſius accuſator accedam, cui id, quod figulis ſolet, hic uſu venit; quibus dum amphora cœpit inſtitui, currente rota ſæpe urceus exit. Illud autem eo facilius in hoc ſcripti genere excuſatum iri ſpero, quod vivæ vocis conjugio ſociandum deſtinatur, per quam ex parte ſuppleri ſolet quicquid in hiſce deſiderari poſſit, noſque ſponte noſtra præſecuimus. Quæ quoque ratio eſt, cur omni rerum explicatione, operoſa demonſtratione, præclarorum dictorum teſtimoniorumque ſtruicibus, omnique eruditionis alicujus apparatu, quem inſpergere utcunque licuiſſet, purpureum late qui ſplendeat unum & alterum aſſuendo pannum, nos abſtinuerimus; ſed nuda & ſimpliciſſima rerum magnarum ἔκθεσιν, non ornare ſtudentes, ſed docere contenti, uſi ſimus: utpote qui non nobis, ſed juventuti nobis concreditæ ſcripſimus, & qui non inanis gloriæ titillatione, quam certiore ſpe, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, alio ſcribendi modo quærere debueramus, ſed ſerio aliorum profectus urgendi deſiderio ad qualemcunque hunc laborem impulſi ſumus. Unde in levi habuimus famæ ex jejuno hoc ſcribendi genere, quo ipſis rebus injurii ſumus, jacturam, ſperantes illam feliciori inſtituti noſtri conſecutione compenſatum iri. Formam tamen operis ex impreſſis iſtis, licet levioribus, veſtigiis licebit cognoſcere. Aliàs enim quam hic tantum adumbramus, Deo id permittente, lineamentis ſuis omnibus & coloribus perfectam dabimus. Ad quod perficiendum

ſi

ſi Deus Opt. Max. vires vitamque dederit, maximi voti damnas ero. Interea in ipſa hac brevitate conatus ſui pro mea tenuitate Theologiæ noſtræ pomœria extendere, exhibendo non ea duntaxat quæ ex Novo Fœdere ad nos propius ſpectant, ſed inſuper, rem à primis initiis arceſſendo, ſtudui ſpeciatim univerſum Dei conſilium, quale priſtinis ævis illud obtinuit, veteremque œconomiam particulatim repræſentare; cum in iſtis omnibus non ſolum præluſum ſit maximis Dei circa nos operibus, verum etiam intima Novi Fœderis ejuſque myſteriorum, rerum ac verborum intelligentia inde pendeat. Eſt enim vere Vetus inſtrumentum nihil aliud niſi involutum Novum, quemadmodum hoc ipſum viciſſim nihil eſt aliud niſi explicatum Vetus. Mutuo enim allucent facem: atque ita allucent, ut Novum Soli, Vetus Lunæ, quæ à Sole lumen accipit, conferri mereatur. Unde ut Veteri, quam hic tractamus, Oeconomiæ novam quoque proximè comitem demus, adeoque duo hæc auditoribus noſtris præbeamus ubera, ex quibus τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ſugant, curæ erit. Et ne quid in omni inſtitutionis genere à nobis deſiderari poſſit, moliti ſumus ab aliquo tempore & per partes exhibuimus Theologiæ moralis typum, integrum illum daturi, ſimul ac per temporis anguſtias & tot intercurrentia negotia licuerit; ut non ſolum controverſiis doctrinæque umbraticæ videamur innutrire ſtudioſos juvenes, ſed & cathedræ Eccleſiaſticæ pios, doctos, diſertos forteſque demus præcones. Quibus ſi denique, præter alios labores, addere dabitur ipſius Scripturæ Vet. Novique inſtrumenti, quæ ſacerdotii noſtri eſt ſubſtantia, integram pertractationem, quam aliquo uſque dictando in privatis quoque ſcholis deduximus, erit ut votorum noſtrorum portum ſubiiſſe & ipſam metam contigiſſe nobis viſuri ſimus.

Interim non ſpero diſplicituram juſtis rerum æſtimatoribus methodum noſtram, qua ipſam rerum originem, quantum pote, imitari & exprimere ſtuduimus, & præcipuarum controverſiarum capita ſuis locis breviter ſubjungere. Εὐμεθοδευσίας *gratia tamen*

men

men nonnunquam quædam conjunximus, quæ tempore locoque cæteroquin disjuncta erant. Commodius autem nobis videbatur, ubi id requirebat, aut permittebat ſaltem argumenti affinitas, uno intuitu quædam repræſentare, quam, ut minutioribus ſedibus ſingula aſſignarentur, illa divellere & in particulas frangere, imo dilacerati corporis membra quaquaverſum ſpargere. Quo ſi delecteris, facile id per temet ipſum peragere poteris, Lector, quum etiam ſuis locis te illius rei ſubinde moneamus. Fateor tamen, ubi opus hoc meum denuo mihi objicio, illique abſoluto novus ſupervenio judex, non pauca, quæ dum in opere eſſem oculos meos effugerant, ſe ordinanda haud paulò aliter præbere, quam vellem. Verum hæc, ut dies diem docet, ſecundis curis & maturiori conſilio emendari & digeri, ſi Deus volet, poterunt. Quemadmodum, majoris elucidationis ergò, monitum hic volo, ea quæ de imagine Dei in primo homine dicimus, l. II. *c.* I. *§.* 3. *& ſeqq. & de corruptione ejus in homine lapſo, c.* VIII. *§.* 7. *& ſeqq. hoc ſenſu à nobis accipi, ut, cum deprehendamus, ſcripturam imaginem Dei aliquando collocare in rectitudine illa qua ſanctitatem Dei exprimebat homo primus, quæque illam conſequebantur, ut ex citatis iſthic locorum Scripturæ dictis apparet; aliquando vero eam tribuere naturali hominis conſtitutioni, qua Dei naturam & attributa aliquo modo, etiam peccator, refert; quod in naturali & ingenita voluntatis libertate, aliiſque quæ eò ſpectant, ſe exerit, ut videre eſt* Gen. 9: 6. Jac. 3: 9. Act. 17: 28. *ideo diſtinguendum cenſeamus inter imaginem Dei in homine, in quantum ad rectitudinem ejus refertur, aut in quantum ipſa ſua natura Dei naturam aliquo modo refert. Priori reſpectu imago Dei in homine forte non incommode* moralis, *poſteriori* naturalis *dici poſſet. Prior formaliter conſiſtebat in rectitudine illa, poſterior etiam ex ipſa hominis natura exſurgit. Prior denique per peccatum deperdita eſt, poſterior etiam in homine corrupto ſuperſtes manet.*

De cætero cum ſciam quam difficile ſit prurientis hujus ſæculi palato ſatisfacere, rem ita temperare conatus ſum, ne juſtæ querelæ locum darem. Immodicum ſane deprehendimus in multis ſtudium duorum extremorum, antiquitatis & novitatis. Qua in re temporis filiæ male patriſſant: ut enim tempus prolem devorat, ſic hæ ſe invicem; dum antiquitas novis invidet argumentis, & novitas non eſt contenta recentia adjicere, niſi vetera prorſus eliminet & rejiciat. Unde quibuſdam faſtidium eſt antiqua & dudum cognita tradere, qui nihil niſi nova ſectantur; aliis viciſſim ſollemne eſt vetuſtatis ſtudio nova omnia exagitare & nigrum theta iis præfigere. Cum revera, licet huic aut illi novum accidat, quod recens detegitur verum, idem tamen ſit antiquiſſimum, quod veriſſimum. Ut jure meritoque hic exclamet magnum ſæculi decus Verulamius: Antiquitas ſæculi, juventus mundi. *Noſtra profecto ſunt antiqua tempora, cum mundus jam ſenuerit; non ea quæ computantur ordine retrogrado, initium ſumendo à ſæculo noſtro.* (*Augm. Scient. lib. 1.*) *Ne ergo in juſtam alicujus hic cenſuram incurrerem, vetera novis copulare, & utraque è tenui noſtro penu producere ſtudui. Mirandi enim ſunt antiqui, non deſpiciendi novi. Orthodoxias & antiquæ fidei, ſi quiſquam, tenaciſſimus, non vereor tamen è pulcherrimis recentiorum inventis pauperiem noſtram inſtruere, undique conquirens, quæ ſola eſt antiquiſſima, &, ubivis reperiatur, noſtra, veritatem. Litium contentionumque ſupervacuarum hoſtis ſum, ſi ullus. Nimia quoque, cui nec par ſum, non delector ſubtilitate; utpote quæ, dum ſua nimis expolire vult, ſæpe ea frangit & debilitat; cujuſque exiguus Theologo, & præcipue Eccleſiaſtæ, eſt uſus: quem magis juvant ſolida & maſcula, quæ fortius animum ſubeunt, quam quæ decies ad unguem caſtigata nimia curatura reddidit juncea. Quare ut & in hiſce mediocritati ſtuderem operam dedi, an aſſecutus eam ſim, neſcio.*

(*Epiſt. 7.*) *Quod ſupereſt, finiam cum aurea beati Auguſtini gnome.* Ego *(inquit)* fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi aliquid incautius, vel indoctius à me poſitum eſt, quod non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam à me ipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio; nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis perverſe ſeipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat. Quanto enim melius & utilius, ut ubi ipſe erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat? Quod ſi noluerit, ſaltem comites erroris non habeat. (*Epiſt. 111.*) *Et rurſus:* Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum. *Vale.*

Digitized by Google

ΕΥΦΗΜΙΑΙ

IN SYNOPSIN THEOLOGIÆ *VIRI*

Reverendi & Clariſſimi,

FRANCISCI BURMANNI,

S. S. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, h. t. Rectoris Magnifici in Academia Trajectina ad Rhenum.

QUi ſcire vult, ſcirique ſe cupit,
Superbus eſt, ſuæ ſacerdos gloriæ.
Qui ſcire vult, ut nundinetur alteri
Scientiam, venalis ipſe eſt, & Deum
Habere lucri, quæſtus illi maximus.
Ex lite litem qui ſerit, Sophiſtam agit,
Et veritatis caupo adulterat merum,
Præfertque ſcorias metallo argenteo.
Ex ſtercore aurum colligens, ritè ſapit:
At ſtercus ex auro legens, nugas agit.
Ex luce fumum qui dat, oſor lucis eſt:
At poſſe lucem educere ex fumo, ejus eſt,
Quem Veritas reſpexit, atque amat Deus.
Certe illi ineſſe lucem oportet haud levem,
Cui vel tenebræ fomitis præſtant vicem.
Quanta ergo laude dignus, atque encomio
BURMANNUS, omne qui ſcientiæ tulit
Punctum, atque doctos inter ut ſydus micat?
Qui ſic docet, paratus ut ſit diſcere:
Promuſque veri, falſitatis condus eſt.
Emptorque veritatis & ſcientiæ,
Illam haud revendit, in pretium dato Deo,
Contentus accendiſſe de ſuo facem.
Non alta ſapere illi ſcopus, nec ingredi
Quæ ſiparo ſilentii involvit Deus.

Neſcire

Neſcire velle quæ Magiſter optimus
Nos ſcire non vult, eruditam inſcitiam,
Tutamque ducens mentis innocentiam.
Procul hinc Sophiſta, inſanientis inſtitor
Perverſus artis: opprimendus gloriâ,
Quam mentis alis aſſequi incaſſum ſtudet.
Profanus ille, in corde qui ſtercus ſuo
Sibi erigit, ſenſuque turget proprio:
Inque igne, quem circumdedit ſibi, ambulat,
Quo toſtus inſtar fulmine icti corruit.
Non illa mens diæ *Synopſeos* Patri,
Cui major eſt auctoritas Verbi Dei,
Quam perſpicacis ingeni capacitas,
Cui ſola rident prata ſecta rivulis
Sionis, imbribuſque pota cœlicis.
Aut hoc placebit culta veſtitu, ſacra,
Inſtar modeſtæ Virginis, Sapientia:
Aut Babylonis induenda inſignia,
Et quod propinat fece plenum poculum
Nobis bibendum denuò. aut ſi id non lubet,
Fœnum eſſe oportet, aut ſalivam lambere
Quam deſpuit Sophiſta, crux mentis bonæ.

Genero ſuo deſideratiſſimo
L. M. Q. deproperabat

ABRAHAMUS HEIDANUS.

A D

Digitized by Google

AD EUNDEM.

HIc Veritatis enthea ac Sapientiæ
Vides inexpugnabilem arcem, vividis
Candentibuſque latius ſaxis manu,
BURMANNIA aptam ponderoſa; quæ nihil
Molitur unquam male. Vides ut ardua
Tollat ſe ad auras, mole viqueſtet ſua.
Hanc quiſquis oppugnabit, offendet, ſua
Famæ nocivum concitans periculum.

JOHANNES GEORGIUS GRAEVIUS.

Digitized by Google

GRandia Tartareis agitat molimina mundus
  Artibus, & virus fundit ubique ſuum.
Non ſacrum violare timet, Numenque verendum
  Impetit infandis auſibus alma parens
Errorum, damnanda parens, ſtipata phalange
  Hæreſium, quibus, Heu! turba novella favet.
Barbaries immenſa viget. Sordeſcere cœpit
  Relligio, ſtuprum paſſa per omne nefas.
Arius, Arminius, Socinus, Menno, Photinus,
  Pelagius, queis & jungitur atra cohors
Enthuſiaſtarum pariter cum Segrege Turbâ
  Per patrias oras quæ celebrata recens,
Illicio Satanæ, Româ præeunte Magiſtrâ,
  Offuſcant quem nos irradiare juvat
Juſtitiæ Solem, nigrâque obvolvere tentant
  Nocte diem gratus qui fuit uſque piis.
Maſcula magnanimos rapiunt quà non datur ultrà
  Cœpta viros. Partes ut tueare Dei
Corripuit, BURMANNE, tuam vis enthea mentem,
  Inter præcipuos conſtituende duces.
Errorum quæcunque Babel, Synagoga, Senenſe
  Et peperit monſtrum monſtra peremta dabis,
Hoſte triumphato. Conſtat ſua gloria Stoæ
  Prælucente tuo Sidere, magne Pharos.
Pellucent adaperta magis penetralia cœli,
  Clave tuâ clauſum quod reſerante fuit.
Diſpellet mentis tenebras hoc *Fædere* lucens
  Fæderis æterni limpida flamma tuo.
Erranti in pelago certa hic Cynoſura juventæ
  Certa codex Helice, cui mea Muſa canit.
Scripta viri maneant ævo ſacrata perenni.
  Tu FRANCISCE fies Urbis & Orbis amor.
FRANCISCOS creet hæc alios BURMANNIA proles,
  Nomina perpetuo continuanda die.

Venerando Collega in S. S. Miniſterio Collega cecinit
JOHANNES HEIMENBERGH.

Ad

AD EUNDEM.

HIc liber Ætherios ſenſus, hic pignora pandit
Ingenui genii, lecta SYNOPSIS ait.
Si reſerata cupis perpendere; ſingula ſplendent.
Si ſtudium, ſtudio pagina nulla vacat.
Secla tuo gaudent docto, BURMANNE, labore.
Vivere cum ceſſas, non moriere tamen.

PETRUS van BREEN,
Eccl. Ultraject. Paſtor.

Digitized by Google

Ad Clariſſimi, Doctiſſimique

VIRI,

D. FRANCISCI BURMANNI

SYNOPSIN THEOLOGIÆ,

SPECIATIM

Oeconomiæ Fœderum Dei.

ΠΡΑΞΙΤΕΛΗΣ ποίην τινὰ μορφὴν Οὐρανιδάων
Οὐ τεῦξεν Παρίου; οὐδέ γε τὴν ἰδίην.
Πλὴν μάλα τὴν ἰδίην. ὅτι κἂν πολύβουλον Ἀθήνην
Λαξεύων γλαφυρῶς, λάξευε τὴν ἰδίην.
Ὣς καὶ ἐν ἄλλῳ ὁρᾷς περικαλλέα φῶτα, σοφόν τι
ΠΡΑΞΙΤΕΛΗ, μᾶλλον Παλλάδα ΠΡΑΞΙΤΕΛΗ.
Τόνδ' ἀπέφηνε Γνίδος τι κλυτός, καὶ κῦδος ἀνάκτων
Ῥώμη, καὶ σφέτερον Θεσπίαι εὐδάπανοι.
Ἀλλ' ΟΥΤΟΣ, μέγα δεινὸς ἀνὴρ σοφίην τι, νόον τι,
ΠΡΑΞΙΤΕΛΗΣ πλάττει ζῶντα, καὶ ἔντα Θεῖν.
Σύν τε Θεῷ, καὶ πάντα Θεοῦ, Θεῖον τ' ἀπέραντον
Ἠδὲ τόπῳ, πάνθ' ἓν πλήθεται, ἠδὲ χρόνῳ:
Καὶ ποσαχῇ, καὶ μέρχις ὅτου σθένος αὐτοῦ ἄληκτον,
Σμικρὰ διαιτήσας, δεινὰ τὸ καὶ μέγεθος.
Ὃς τ' οὐ διστάζει, οὔτ' ὀψινόῳ μετανοίῃ
Ἄχθεται, ἐσσόμενός τ', ὤν, ὅτι πρόσθεν ἔην.
Καὶ πανεπίσκοπον (οὐ τυχὸν οὔτινι) ὄμμα τιταίνων
Πανταχόσ', εἰς Ἄδου, καὶ σκιόεντα τόπον.
Τὸν τε Ὕδωρ χαλεπὸν, μάλα καὶ ζείδωρος Ἄρουρα,
Καὶ θηλὸς βοάει, ἀστερόεις τε Πόλος.
Καὶ μὴν πᾶν ἐλάχιστον. ἔχων δ' ἔνδον Φάος αὐτὸ
Ἀπρόσιτον, θνητοῖς ἔσαι ἀεὶ κρύφιος.
Ὃς τἀγαθὸν, Πίστις τ' ἀτρεκὴς, πλὴν ἀλλὰ καὶ αὖτις
Ῥεῖα παθῶν Οἶκτος, καὶ Φιλέουσα Χάρις,
Ἤνοιξέν γε τίως ἡμῖν φίλα σπλάγχνα, καὶ αὐτῷ
Πρόξενος ὤν, ἀτυχεῖς συμβιβασεῖν τὸ ἑοῖ.

Καὶ

Καὶ πάνυ ἄσμενος αὐτοῖς σπένδε, καὶ ὅρκια δῶκε
  Τῆς ἔθεν εὐδοκίης, τῆς τε φιλοφροσύνης.
Τοὐντεῦθεν πέποιηκε μέγαν, καὶ ἀγήνορ' Ἰησοῦν,
  Τὸν βροτὸν, ἀψευδῆ, ἀΐδιόν τε Θεόν.
Τόντ' ἀνυπεύθυνον ἄνδρα πέλονθ', ὑπὲρ ἀμπλακιάων
  Ἡμετέρων, θανάτῳ λυτρὸν ἔθηκε κακῷ.
Τῷδε νῦν Ὑψίστοιο Θεοῦ φημ' ἔξοχα γλάπτων
  ΟΥΤΟΣ ΠΡΑΞΙΤΕΛΗΣ, ἄμμιγα γλάφ' ἴδιον.
Σχῆμα μέν ἐστι βροτὸς, πάνυ δὴ νέον αὖτε θεοῦδης,
  Καὶ χάριεσσιν πινυτῆς, ἠδὲ καὶ ἀγλαΐης.
Ἀγχινείης ὦ τῆσδε. πόσοις πύκα θάλλε λογισμοῖς,
  Καὶ μεγαληγορίῃ, ἄφθιτος ἠδὲ σέλας.
Οὔ τι τεταγμένον ὥς. Καὶ μὴ γλαφυρώτερον οὔτι,
  Μήδ' ὡς νυκτιπόνῳ κήδεϊ κιρνάμενον.
Ἀλλ' ἄρα πλησιόχωρος ἐὼν πάλαι αἰπεῖ Βηλῷ,
  Θεῖα φιλεκτεάνῳ ἐνδομυχοῦντα νόῳ
Θαύμαθ' ὅρησε. καὶ ἂν πολιήτης αὐτίκ' ἀγαυὲς
  Εὖ γεγονὼς, αὐτοῦ Ὄργια πάντα κλύε.
Τοῖς δ' οὖν τὴν φρένα μὲν λιπαρὸς, ξενίοισί τε πυκασθεὶς
  Πουλυτελέσσ', ἀνδρῶν πρὸς ζοφόεντα χορὸν
Νέρθεν σταλάμενος, καὶ Ἀμαλθειάδον καταχεῦσας,
  Χειλιάδαις Σοφίης νάματα πάντα ῥέει.
Ἠδὲ Λυκείου ἐρῶσ' αὐδῆς Θεσσίκελος Ἥβη
  Νέκταρ ἀφ' οὗ ἄρδην, Ἀμβροσίας τε φέρει.
Τῇδ' ἀρετῇ μεγαληγορέων, ΚΥΔΙΣΘ' ΙΕΡΗΩΝ,
  Αἰεὶ φραζόμενος τὰς γε θεοπροπίας.
Ἄμμιν ἐὼν Μύστης, καὶ Οἰκονόμος. Μακάρεσσι
  Τὸν ΤΑΜΙΑΝ σε Θεοῦ φῶς πύματόν τε λάοι.

Τέλος.

Quod latino ſermone ſignificat.

QUas non Cœleſtûm Pario de marmore formas
Finxit PRAXITELES? non tamen ipſe ſuam,
Et tamen ipſe ſuam: Pulchrè dum namque Minervæ
Docta manus formam ſignat, & ipſe ſuam.
Sic ſcitum, mirumque alienâ in imagine cernis
PRAXITELEM; Pallas ſic tulit alma ſuum.
Roma ſuum; celebriſque Gnidus; quin Theſpia virgo
RRAXITELEM magno vendicat ære ſuum.
At vivum melior, genioque potentior, alter
Mirâ HIC PRAXITELES exhibet arte Deum.
Cumque Deo, quodcunque Dei eſt: & tempore Numen
Immenſum, & ſpatio; quod tamen omne replet.
Et quo pertingit divina potentia; quæque
Perficit arbitrio magna, minora, ſuo.
Qui nunquam ambiguus; quem nunquam tædia vertunt;
Quique erit, & nunc eſt id, quod & ante fuit.
Cuîque patet totus, nulli peragrabilis orbis;
Qui vel in occultos vertit & ora ſinus.
Quem mare, quem terræ, nec non nitidiſſima monſtrant
Sidera, cum cunctis, quæ minus entis habent,
Qui tamen exiſtens lux intenſiſſima, nunquam
Lumine corporeo conſpiciendus erit.
Qui Bonitaſque, Fideſque, & Amor; quique ipſa recludens
Viſcera, mox miſeros junxit & ipſe ſibi.
Fœdere complacito; noſtro de ſanguine Jeſum
Ingentem, æternum dum facit eſſe Deum.
Dum facit innocuum ſuccurrere ſontibus, & ſic
Expurgare ſuâ crimine noſtra nece.
Hæc dum cœleſtis de Sancto HIC Numine ſignat
PRAXITELES, formam format & ipſe ſuam.
Forma refert hominem; divinis diva refulgens
Muneribus mens eſt, & gerit ora Dei.

O quan-

Digitized by Google

O quantum ingenium, quantum rationis acumen,
Et majeſtatem docta tabella refert!
Quæque polita magis? quæ cultu, atque ordine præſtat?
Demorſos ungues quæ magis ulla ſapit?
Scilicet excelſo dudum vicinus Olympo,
Pertigit ad magni myſtica ſacra Dei.
Et mox concivis, laudes ad Numinis, audit
Infanda Angelicis verba ſonare choris.
Queîs delibutus, mirûmque excultus in orbem
Fertur, & ad cæcos mittitur indè greges.
Hinc ſacra indoctis (ceu pleno Copia cornu)
Chriſtiadis largo flumine cuncta fluunt.
Cuîque patet Chriſti, Pubes cordata, Lycæum
Nectara & Ambroſias illius ore rapit.
Macte eſto virtute tuâ, VENERANDE SACERDOS,
Et pergas Domini juſſa referre tui.
Myſta Dei nobis, diſpenſatorque: beatis
Te PROMUM CONDUM cernat & ima dies.

JOHANNES TEEKMANNUS,

V. D. M.

I N

Digitized by Google

IN SYNOPSIN

THEOLOGIÆ & OECONOMIÆ
FOEDERUM DEI,

Contextam

à Viro ſingulari & undequaque Doctiſſimo

FRANCISCO BURMANNO,

Præceptore meritiſſimo,

ELEGIA.

Qualiter, egregio Schola componenda magiſtro;
  Aut domus eſt patria rite tenenda manu.
Taliter ipſe Deus, numeroſa pube frequentem
  Divinam, docta tradidit arte, Scholam.
Non qualem fecit Gargettius auctor in hortis;
  Sive Academiæ nobilis umbra docet.
Non qualem Samicis Doctor quondam ille ſilentum;
  Seu Labyrinthæis Porticus ampla ſtrophis.
Sola hæc, placato delapſa ancilia cœlo,
  Monſtrant, divina tradita ſcripta manu.
Hic primos videas tantum de matre caducos,
  Curatè placidum tollere numen avos.
Illa Deo propiora, antiqui pignora mundi,
  Sed quoque præ reliquis pignora chara Deo.
Exinde, integræ luctans circum ubera matris,
  Turba datur celebris conſpicienda Patrum;

Quæ

Digitized by Google

Quæ per rura lubens genialia ludere geſtit;
Cum ſæpe eſt tenero ducta chorea pede.
Libera per ſolos ponunt veſtigia campos,
Atque gerunt uni ſubdita colla Deo.
Omnibus emicuit, cœleſtûm Abrâmus amores,
Æqualiſque illo virgo beata viro,
Illa diu ſterilis matre at fœcundior omni;
Ille puer cuncto jam patre major erat;
Auctorem ſalvere ſuum, quem turba fidelis
Et cœlo nimium gens adamata, jubet.
Mox intra anguſtos deſcripta Eccleſia fines,
Colla jugo preſſa eſt, Lex malè dura, tuo.
Continuo rerum vultus tunc panditur alter,
Heu nimium à priſco quam procul alter abit!
Libertas primum ſe juſſa faceſcere, terras
Liquit; at à Domino poſt revocanda novo.
Hactenus inveſtis turba & non puberis ævi,
Duxerat innocuos, læta per arva, choros.
Nunc, ſumpta tandem prætexta, triſtior ibat,
Atque manu ſceva ſceptra tenente gemit.
Non matrum lallus, cantataque nænia, ſilvis
Tunc audita: atro fulmina monte tonant;
Monte ſonant patruæ tonitralia verbera linguæ:
Horrida diſcipulos terret imago novos.
Per crepitus ferulæ, per diræ carmina legis,
Numine ſe mitem diſſimulante Patrem.
Inde ſtatim tetricis gens eſt commiſſa magiſtris,
Queis eſt divinum nomen habere datum.
Addita ſunt ſervis auctoramenta, ſeveri
Mancipii, propria ſigna notata manu.

Temporis extremum ſeſe explicat inde volumen,
Inde orbi tandem priſtina forma redit.
Tempore cum pleno, ſeſe emerſiſſe ſuperne
Lux & libertas aurea, viſa fuit.
Tunc nova lux terris gratum aſpiraſſe decorem,
Et viſus Superis conciliatus honos.
Cum Deus, ut pleno nos cœli proluat alvêo,
Ad noſtram in noſtro corpore viſit humum:
Humanam indutus naturam, dona, Parente
Quæ tribuente tulit grandia, dona dedit:
Viribus haud illis, niſu & majore canenda,
Flamine quæ ſancto, dona, pluente, cadunt.
O quis me dextra nixum ſuper æthera tollat,
Uſurpare oculis tempora terna meis!
Nataleſque libros mundi fideique, quis uno,
Mirifica explicitos arte, tenore dabit?
Ætatum choreas & terna volumina rerum
Clave mihi triplici, quis, referata dabit?
Laus HEIDEGGERI eſt fugientem prendere mundum,
Et fidei cunas reſtituiſſe ſuas.
Poſt ſe, poſtque ſuas Moſes latet uſque figuras
Quamvis ablato tegmine nudus erat;
Quis Moſem in Chriſto, Chriſtumque in Moſe viciſſim,
Exhibeat? laus hæc altera cujus erit?
Cujus erit, niſi BURMANNI, quem ſacra Minerva
Jam puerum molli viſa fovere ſinu?
Ingenium, mentiſque acies, penetrantior omni
Ferro, cui data ſunt; munera larga Dei.
Ille mari Solymæarum bene lautus aquarum,
Doctus Idumæos depopulatur agros:

Auſus

Digitized by Google

Auſus in extremos ſeſe penetrare receſſus,
Unde manu forti multa tropæa refert.
Ille valens animo, clava perfracta trinodi
Viribus Herculeis ſecula plana dabat;
Jamque aperit ſacro tria tempora percitus œſtro;
Ecce tibi præſens hinc modo ſurgit opus,
Quo nihil in noſtro legitur locupletius orbe;
Nec quicquam in noſtro pulcrius orbe datur.
Te cupio COCCEJE, tuamque HEIDANE juventam,
Quis deſiderio præſtet utrumque meo?
Pagina quæ numeros deſidero præſtet utroſque,
Pagina BURMANNI præſtat utrumque mihi.

PHILIPPUS RULAEUS.

cIↃ IↃ C LXXI.

Ipſis Idibus Januarii.

Digitized by Google

AD

Clariſſimum atque Doctiſſimum

VIRUM,

D. FRANCISCUM BURMANNUM,

Nitidiſſimum Synopſeos ſuæ opus edentem.

מה זה נוגה זרח בקרב השמים
כזוהר המאור בעד בצהרים:
הלא האיש הזה גדול ומחוכם
בכל ארץ הגל ופרע מעולם:
שוב יתן לנו טוב יקר מאוד ספר
לא בעל עקשות כי אם רברי שפר:
השליך כל גלולים ואומר פתלתול
הניחם לבני שוא כי ילודי שאול:
כטל ערף לקחו שמעו עם קדושים
שאבתם בששון מנהר צמאים:
זה איש יורה אתכם הדרך הישרה
בפיהו משפטים ותורה כשרה:
מאדם עד היום מפרש סתומות
במקרא ויבין בשכל כתובות:
אם נא מצאנו חן יהוה אלוהינו
לא יקרה לאיש רע וכפרה חיינו:

מכסאך.

Digitized by Google

מכסאך יפיק רצון וחסד רב
תהי נא אל רחום וחנון לו לאב:
תברך מעשיו ותאשר חיו
למען יאריך בשמחה כל ימיו:
כן הדרו לעד כאור בצהרים
כן במותו נפשו עמך בשמים:

HERMANNUS BRUINSTEEN,

Haga-Batavus.

CONSPECTUS

Locorum & Capitum

SYNOPSEOS THEOLOGIÆ,

& ſpeciatim

Oeconomiæ Fœderum Dei.

LIBER PRIMUS.

De Introductione Theologiæ, ejuſque principio, Scriptura S. item de Deo ejuſque decretis & operibus.

CAPUT

I. PROOEMIUM. *De Oeconomia temporum & operis diviſione.* Pag. 1.

II. *De Religione & Theologia.* 3.

Locus I. DE SACRA SCRIPTURA.

III. *De Verbi & Scripturæ divinæ neceſſitate.* 18.

IV. *De ejuſdem divinitate.* 20.

V. *De Scripturæ divinæ auctoritate.* 28.

VI. *De libris Canonicis, Apocryphis ac ſuppoſititiis.* 34.

VII. *De Integritate Scripturæ Sacræ.* 41.

VIII. *De perfectione Sacræ Scripturæ.* 45.

IX. *De Enthuſiaſtis ac Libertinis & Pontificiis Traditionariis.* 50.

X. *De perſpicuitate Sacræ Scripturæ.* 61.

XI. *De Scripturæ Uſu & Lectione.* 67.

XII. *De Scripturæ Interpretatione.* 70.

XIII. *De Scripturæ Verſione.* 87.

Locus II. DE DEO.

XIV. *De Exiſtentia Dei.* 89.

XV. *De Aſeitate, primitate & unitate Dei.* 96.

XVI. *De*

Caput		Pag.
XVI.	*De Nominibus Dei.*	99.
XVII.	*De Spiritualitate & Inviſibilitate Dei.*	104.
XVIII.	*De Infinitate & Perfectione Dei.*	107.
XIX.	*De Atributis Dei in genere.*	108.
XX.	*De Vita Dei.*	112.
XXI.	*De Intellectu & ſcientia Dei.*	113.
XXII.	*De Voluntate Dei.*	120.
XXIII.	*De Attributis divinæ voluntatis, quæ* affectus *vocantur.*	126.
	De admiratione Dei. Amore & odio Dei.	127.
	De Ira Dei.	129.
	De Deſiderio & averſione Dei.	130.
	De ſpe Dei, ejuſque oppoſitis. De gaudio & triſtitia Dei.	131.
	De Irriſione & Miſericordia Dei.	132.
	De Acquieſcentia & Pœnitentia Dei.	133.
	De gloria Dei.	134.
XXIV.	*De Attributis voluntatis divinæ, quæ* Virtutes *vocantur.*	134.
XXV.	*De Omnipotentia Dei.*	143.
XXVI.	*De Omnipræſentia Dei.*	148.
XXVII.	*De Æternitate Dei.*	153.
XXVIII.	*De Simplicitate & immutabilitate Dei.*	157.
XXIX.	*De Gloria & Beatitudine Dei.*	159.

Locus III. De S.S. Trinitate.

XXX.	*De S. S. Trinitate & Perſonarum diſtinctione.*	161.
XXXI.	*De Perſonis divinis in ſpecie.*	167.
XXXII.	*De S. S. Trinitatis demonſtratione.*	180.
XXXIII.	*De Deitate* Filii.	188.
XXXIV.	*De Deitate* Spiritus Sancti.	212.
XXXV.	*De Hæreticorum circa S. S. Trinitatem erroribus.*	217.
XXXVI.	*De Oeconomia trium Perſonarum, illarumque ſecundum eam attributis & operibus.*	227.

Locus IV. De Consilio & Prædestinatione Divinis.

XXXVII.	*De Conſilio & Decreto Dei in genere.*	235.
XXXVIII.	*De divina Prædeſtinatione, & ſpeciatim Electione.*	243.

XXXIX.

Digitized by Google

Caput.		Pag.
XXXIX.	*De divina Reprobatione.*	254.
XL.	*De Erroribus circa prædeſtinationem.*	262.

Locus X. De Creatione.

XLI.	*De Creatione in genere.*	271.
XLII.	*De Operibus Creationis in ſpecie.*	284.
	De Operibus primi diei.	288.
	ſecundi diei.	293.
	tertii diei.	297.
	quarti diei.	298.
	quinti diei.	303.
	ſexti diei.	304.

Locus VI. De Providentia Dei.

XLIII.	*De Providentia Dei in genere.*	318.
XLIV.	*De Providentia Dei in ſpecie.*	326.

Locus VII. De Angelis.

XLV.	*De Angelis in genere.*	350.
XLVI.	*De Angelis in ſpecie.*	362.

LIBER SECUNDUS.

De Oeconomia Fœderis naturæ, ſeu operum, & Fœderis gratiæ in genere.

Locus VIII. De Homine ad Imaginem Dei condito, & Foedere Dei cum ipso.

I.	*De Imagine Dei in homine.*	384.
II.	*De Fœdere Dei cum homine primo.*	389.
III.	*De ſanctione fœderis naturæ per promiſſionem vitæ & comminationem mortis.*	396.
IV.	*De Sacramentis fœderis naturæ, Paradiſo & Arbore vitæ.*	405.
V.	*De Arbore ſcientiæ & præcepto circa eam.*	410.

Locus

Digitized by Google

CAPUT Pag.

Locus IX. De TRANSGRESSIONE FOEDERIS NATURÆ.

VI. *De Lapſu hominis.* 415.
VII. *De Peccato.* 428.

Locus. X. De EFFECTIBUS TRANSGRESSIONIS in homine primo & poſteris.

VIII. *De Effectibus peccati in primo homine.* 433.
IX. *De peccato originali.* 444.
X. *De peccato actuali.* 455.
XI. *De ſervo arbitrio.* 462.
XII. *De Fæderis operum antiquatione.* 471.

Locus XI. De FOEDERIS GRATIÆ CONSTITUTIONE.

XIII. *De Fædere ac Teſtamento gratiæ.* 475.
XIX. *De Mediatore Fæderis gratiæ.* 481.
XV. *De Sponſione Fæderis gratiæ.* 488.

Locus XII. De FOEDERIS GRATIÆ EXECUTIONE.

XVI. *De promulgatione & applicatione Fæderis* GRATIÆ. 497.
XVII. *De ſubjecto Fæderis gratiæ. Ubi de ejus latitudine & gratia univerſali.* 499.

LIBER TERTIUS.
De Oeconomia Fæderis gratiæ ſub PROMISSIONE.

Locus XIII. De PRIMA PROMISSIONE ejuſque propagatione uſque ad MOSEN.

I. DE *prima promiſſione, ejuſque propagatione uſque ad Abrahamum.* 506.
II. *De Vocatione Abrahami, ac fædere Dei cum ipſo inito, & ſpeciali promiſſione ipſi data.* 512.
III. *De Propagatione Promiſſionis ab Abrahamo ad Moſen.* 522.
IV. *De fide Patrum ſub Promiſſione, eorumque juſtitia ac ſpe ſalutis.* 531.

Locus XIV. De VERBO SUB PROMISSIONE.

V. *De Verbo Eccleſiæ ſub Promiſſione, & revelationibus prophe-*

CAPUT Pag.

ticis. 543.

Locus XV. De SACRAMENTIS & CULTU ſub PROMISSIONE.

VI. *De Sacramentis ſub Promiſſione.* 554.
VII. *De Cultu externo Eccleſiæ ſub Promiſſione.* 566.

Locus XVI.

VIII. *De Eccleſia ſub Promiſſione ſtatu ac latitudine.* 571.

LIBER QUARTUS.
De Oeconomia Fœderis Gratiæ ſub LEGE MOSIS.

Locus XVII. De VETERI TESTAMENTO & LEGE.

I. DE *Veteri Teſtamento.* 582.
II. *De Lege Dei in genere & triplici ejus diviſione.* 588.

Locus XVIII. De LEGE MORALI.

III. *De Lege Morali in genere.* 590.
IV. *De Legiſlatione.* 593.
V. *De Decalogo.* 596.
VI. *De Miniſterio Legis ejuſque uſu.* 601.

Locus XIX.

VII. *De Legis Ceremonialis inſtitutione, cauſis & uſu.* 607.

Locus XX. De PERSONIS SACRIS.

VIII. *De Pontifice & Sacerdotibus.* 613.
IX. *De Levitis & Nethinæis.* 623.
X. *De Naziræis & Rechabitis.* 625.

Locus XXI. De ACTIONIBUS SACRIS.

XI. *De Sacrificiis.* 628.

Locus

Digitized by Google

Locus XXII.

XII. *De Rebus ſacris.* 645.

Locus XXIII. De Locis Sacris.

XIII. *De Tabernaculo Moſis.* 649.
XIV. *De Vaſis Tabernaculi.* 653.
XV. *De Templo.* 660.
XVI. *De reliquis locis ſacris.* 666.

Locus XXIV. De Temporibus Sacris.

XVII. *De Temporibus Judæorum, ſpeciatim de Sabbato & Neomenia.* 669.
XVIII. *De tribus Feſtis anniverſariis.* 673.
XIX. *De reliquis feſtis.* 679.

Locus XXV. De Ceremoniis Judæorum privatis & omnium Abrogatione.

XX. *De Judæorum veſtitu.* 684.
XXI. *De diſcrimine ciborum.* 686.
XXII. *De munditie, immunditie & purificationibus legalibus.* 690.
XXIII. *De abrogatione legis ceremonialis.* 656.

Locus XXVI.

XXIV. *De Lege forenſi.* 699.

Locus XXVII. De Oeconomia Legis & Gratiæ ſub V. Test.

XXV. *De Oeconomia legali ejuſque attributis.* 702.
XXVI. *De permanſione promiſſionis & gratiæ ſub V. Teſt.* 708.
XXVII. *De Antiquatione V. Teſt. ejuſque appropinquatione ad abolitionem.* 712.

Locus XXVIII. De Revelatione & Verbo ſub Oeconomia Legali.

XXVIII. *De Moſe, omnique ejus ratione.* 714.

Caput		Pag.
XXIX.	*De revelatione Pontifici factâ per Urim & Thummim, reliquiſque Prophetis.*	718.
XXX.	*De lege ſcripta.*	720.

Locus XXIX. De Sacramentis & Signis Sacramentalibus ſub Lege.

XXXI.	*De Paſchate.*	722.
XXXII.	*De reliquis Sacramentis.*	729.

Locus XXX. De Ecclesia ſub Lege.

XXXIII.	*De latitudine & ſtatu Eccleſiæ ſub Lege, in genere.*	733.
XXXIV.	*De Eccleſia ſub Joſua & Judicibus.*	736.
XXXV.	*De Eccleſia ſub Regibus.*	739.
XXXVI.	*De Eccleſia in Babylone.*	743.
XXXVII.	*De Eccleſia poſt captivitatem Babylonicam, ſub Ducibus & Pontificibus.*	746.
XXXVIII.	*De Eccleſia ſub Principatu & Regno Aſmonæorum.*	754.
XXXIX.	*De Sectis Judæorum.*	758.
XL.	*De Eccleſia ſub Herode, ejuſque ſtatu ſub adventum Chriſti.*	764.

S Y-

Digitized by Google

S Y N O P S I S.

THEOLOGIÆ UNIVERSÆ,

ET SPECIATIM

Oeconomiæ Fœderum Dei.

LIBER I. CAPUT I.

P R O OE M I U M.

De Oeconomia temporum & operis diviſione.

I. VEra & genuina Deum cognoſcendi & colendi ratio, quam è Scriptura docet Theologia, eſt illa, quæ Deum conſiderat in ordine ad hominem, ut glorificantem ſeſe in illo & molientem opus ſalutis illius.

Deus moliens opus ſalutis humana

II. Opus illud ſalutis humanæ Deus ab æterno decrevit, & deinceps variè adminiſtravit, juxta œconomiam temporum. *Notum fecit nobis*, inquit Paulus, *arcanum voluntatis ſua, ad diſpenſationem plenitudinis temporum*. Eph. 1:9. *Dedit ſe ipſum redemtionis pretium pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis*. 1 Tim. 2:6. Ita dicitur *Deus ſpem vita aterna promiſiſſe ante tempora ſacularia; patefeciſſe autem praſtitutis temporibus*. Tit. 1:2. *Ex prateritis atatibus ſiviſſe omnes gentes ſuis viis incedere*. Act. 14:16. *temporibus autem iſtis diſſimulatis denunciare omnibus ut reſipiſcant*. Act. 17:30.

id adminiſtravit juxta OECONOMIAM TEMPORUM.

III. Tempora hæc præcipuè fuerunt in duplici diſcrimine, nempe 1. ἐπαγγελίας, ſeu *pranunciationis*. 2. εὐαγγελίου, ſeu *annunciationis*. *Abrahamo dicta ſunt promiſſiones, & ſemini ejus*. Gal. 3:16. *Segregatus ad Euangelium Dei, quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis*. Rom. 1:2.

Quorum duplex eſt diſcrimen.

IV. Sub illa fuerunt προηλπικότες *ante ſperantes*, Eph. 1: 12. Act. 26: 6, 7. Et erat tum *ſpes*; ſub hac eſt ipſa *fides*. *Concluſi in eam fidem quæ erat revelanda*. Gal. 3: 23.

Unde duplex ſæculum. V. Unde ſæculum duplex: vel *præſens*, reſpectu V. Teſt. vel *futurum*, reſpectu N. T. Hebr. 2: 5. 6: 5. 9: 9. 1 Cor. 2: 6. Eph. 1: 21.

VI. Quod ſæculum Novi Teſt. præceſſit tempus certo decreto & ſtatuto definitum; quod inde dicitur ἡ προθεσμία *ſtatutum tempus*, Gal. 4: 2. מועד *fixum & limitatum tempus*: ſub quo durare neceſſe erat *viſionem*. Hab. 2: 3. Cujus ſtatuti temporis ultima pars dicitur *finis præſtituti temporis*. ibid. Dan. 11: 27. & *extremum dierum horum*, Eſai. 2: 2. Hebr. 1: 1. Quam temporum diverſitatem cum Deus variis ſignis prænunciaverit; ideo hæc σημεῖα τῶν καιρῶν, ſeu *ſigna temporum* bene *diſtinguenda* ſunt. Matth. 16: 3.

Et inde diviſio univerſa œconomia fœderum Dei. VII. Juxta hæc ſigna temporum conſiderabimus univerſam fœderum Dei & ſalutis humanæ œconomiam. 1. In *origine*, ſeu principio & cauſa ejus. 2. In *adminiſtratione*. 3. In *conſummatione* ejus.

VIII. *Origo* ſeu principium & cauſa illius eſt in Deo, & illius æterno decreto & conſilio.

IX. *Adminiſtratio* continetur in œconomia duplicis fœderis. 1. *Naturæ* ſeu *operum*. 2. *Gratiæ* ſeu *fidei*.

X. Fœdus *operum* continet 1. Illius *inſtitutionem*. 2. Illius *violationem*. 3. Illius *antiquationem*.

XI. Fœdus *Gratiæ* conſideratur; vel in *generali* illius natura & inſtitutione; vel in *ſpeciali* illius adminiſtratione: quæ triplex. 1. Sub *Promiſſione*, ante legem. 2. Sub *Lege*, ubi incipit *V. Teſtamentum*. 3. Sub *Euangelio*, ubi incipit *N. Teſtamentum*.

XII. *Conſummatio* ſalutis humanæ eſt in noviſſimis hominis & mundi in ſtatu gloriæ. Ita ut hic habeamus initium, progreſſum & finem, ſive conſummationem univerſæ civitatis Dei, ſeu Eccleſiæ. *Habetis fructum veſtrum in ſanctimoniam: finem autem, vitam æternam.* Rom. 6: 22. *Genus electum, populus, quem ſibi Deus ut proprium vindicat, ut virtutes prædicetis illius, qui vos vocavit è tenebris in admirabilem ſuam lucem.* 1 Petr. 2: 9. Ut appareat, Deum & *facere omnia pulchra in tempore ſuo*, Eccl. 3: 11. & ſapienter ita decreviſſe quemadmodum fecit.

XIII. Initium igitur hic ſumemus à Deo & ejus æternitate, tranſituri per omnia ſæcula, donec iterum deſinamus in æternitatem. *Quia quos prænovit, etiam prædefinivit conformes imagini filii ſui; quos vero præ-*

de-

definivit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, hos & glorificavit. Rom.8:29,30. Sicut & in Symbolo Apoſtolico fides exordium facit à Deo omnipotente, tranſiens per opera creationis & redemptionis, & deſinens in vitam æternam.

XIV. In hiſce ergo continetur univerſa *Theologia* & fides, tam *in qua*
quoad *hiſtoriam*, quam quoad *dogmata*, cum univerſo ejus diſcrimine & *ſynopſis to-*
diverſitate in omni Eccleſiæ ſtatu ſub Veteri & Novo Teſtamentis. *tius Theo-*
logia.

XV. Quibus breviter interponemus ſuis locis, quantum poterimus, hominum errores, & inde natas *controverſias*, prout ſingulas Theologiæ & œconomiæ hujus partes impetunt.

XVI. Ut ita habeamus ſynopſin Theologiæ totius: idque ea methodo, quam Deus ipſe obſervavit in adminiſtratione ejus; quæ omnium maximè naturalis & perſpicua eſt: res enim factæ & natæ optime ut orientes ſpectantur.

XVII. Hiſce autem præmittemus generalem conſiderationem *Religionis* & *Theologiæ*, quæ in hiſce omnibus traditur; ut & *Verbi* ac *Scripturæ* divinæ, tanquam principii, ex quo omnis Theologiæ & ſalutis noſtræ notitia haurienda eſt.

CAPUT II.

De Religione & Theologia.

I. CReatura rationalis, cum à Deo condita ſit ad ipſius glori- *Creatura*
am; ad eum, tanquam ad principium ſuum atque origi- *rationalis*
nem, perpetuo contendit: nec aliter immortale iſtud *ad Deum*
beatitudinis deſiderium, quo agitur, implere ac ſatiare *contendit.*
poteſt, quam ſolo Deo.

II. Hinc illa quoque iis à conditore ſuo inſtructa eſt facultatibus ac ſubſidiis, quibus ad Deum ſuum ſeſe convertere, ipſumque attingere proxime poſſet.

III. Atque hæc *Religionis* eſt origo; quæ homini viam common- *Quò eam*
ſtrat per quam ad Deum ejuſque unionem perveniat. Appellatur ea in *ducit* RE-
ſacris θρησκεία, εὐσέβεια, &c. Jac. 1:26,27. Act. 26:5. Hebræis di- LIGIO.
citur, עבודה *cultus*, ut & *cognitio Dei, amor Dei, timor Dei* &c.

Quæ deſcribitur ſecundum ſuas partes,

IV. Eſt autem religio, recta Deum cognoſcendi & colendi ratio, quâ creatura rationalis debitum Deo, tanquam primo auctori ac domino ſuo, honorem & cultum exhibet, ſub ſpe certâ divinæ remunerationis. Ita eam definit Apoſtolus, quod ſit *agnitio veritatis ejus quæ eſt ſecundum pietatem, ad ſpem vitæ æternæ*, Tit. 1:1,2. Eſt enim nihil aliud, quam rectus de Deo ſenſus, & rectus in Deum affectus, & ſtudium faciendi quod ei gratum eſt. Quò pertinet τὸ εὐαρεστεῖν τῷ θεῷ. Hebr. 11: 6. qui eſt cultus Dei.

actus,

V. *Actus* autem religionis quibus Deum, tanquam ſupremum dominum noſtrum, proſequimur, ſunt vel ſolum *interni*; ut amor, timor, fiducia, & ſimiles: vel ex interno & externo *compoſiti*; ut invocatio, quæ mixti generis eſt, cum animo & ore fiat: vel *externi* ſolum; ut adoratio; tum major illa, qua feſta inſtituuntur, templa eriguntur, ſacrificia offeruntur; tum minor illa, qua ſolum corpus proſternimus; vel partem ejus, puta caput vel genua inclinamus, vel manus ori admovemus.

& originem.

VI. Fluit religio ex ipſa Dei hominiſque natura: cum creaturam rationalem nihil æquè deceat, quam Dei, à quo condita eſt, atque à cujus nutu dependet, excellentiam ſummaſque virtutes venerari ac colere.

Ut detur naturalis religio.

VII. Inde religio neceſſaria & naturalis rationis ſequela eſt: atque adeo datur religio naturalis.

VIII. Quam confirmat naturalis omnium populorm conſenſus: neque ſine eo religionis in omnium hominum animis veluti ſemine, politicorum aſtus in introducendo deorum metu ac cultu quidquam valuiſſet.

IX. Deprimunt ac tollunt naturalem hanc religionem *Athei* ac profani; à quibus hac in re non multum abeunt *Sociniani*, ingenitam Dei notitiam negantes: nimium autem eam extollunt *Pelagiani* veteres ac novi; iidemque rurſus *Sociniani*, communem aliquam religionem dari ſtatuentes, per quam unuſquiſque, naturæ ac rationis ductum ſequens, in quacunque ſecta ſalutem invenire poſſit.

X. Aliter autem docet Scriptura, prædicans, *non aliud nomen (quam nomen Ieſu Chriſti) eſſe ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari.* Act. 4: 12. ac hominem, dum religiones ſibi invenire ac effingere ſtudet, διαλογισμῶν ac cogitationum ſuarum vanitate infatuatum pronuncians. *Cum ſe profiterentur ſapientes, ſtulti facti ſunt: Quamobrem tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum ad impuritatem*, Rom. 1: 22, 24.

XI. Hinc

XI. Hinc nulla religio naturalis ad ſalutem ſufficit. Nam cum omnes peccatores ſimus, natura rationem qua juſtitiæ divinæ ſatisfiat, & modum quo Deus quæri & inveniri poſſit, ac Deus peccatoris fieri, ipſique conciliari velit, nullo modo docet: verum hæc *myſterium* ſunt *voluntatis Dei*. Eph. 1: 9. Imò nec ea ipſa, quæ naturaliter de Deo intelligi poſſunt, à peccatore non ſanctificato digne animadvertuntur; cum ipſi deſit *νόησις*, & ſpiritualis conſideratio, & amor veritatis: quæ ex ſolo fidei amoriſque erga Deum lumine oriuntur, quo peccator caret. *Animalis quippe homo non eſt capax eorum quæ ſunt ſpiritus Dei; ſunt enim ei ſtultitia*, 1. Cor. 2: 14. *Nec idonei ſumus ex nobis ipſis ad cogitandum quicquam boni & ſalutaris*. 2. Cor. 3: 5.

Quæ tamen ad ſalutem non ſufficit.

XII. Cum ergo naturalis religio ad finem ſuum aſſurgere amplius non poſſet, & idololatria, ſuperſtitione, variiſque erroribus decolorata ac propemodum exſtincta eſſet, interceſſit divina revelatio, & verum Dei cultum homini patefecit.

Ut revelata religione opus ſit.

XIII. Atque inde religio vera à ſolo Deo ejuſque revelatione dependet. *Caro & ſanguis hæc non retexit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis*. Matth. 16: 17. *Nobis autem Deus retexit per Spiritum ſuum*. 1. Cor. 2: 10. *In quo differt ab aliis ſcientiis, quæ ſola rationis atque ſenſuum ope ab humano ingenio efformantur: cum religio non ſit rerum ſenſibilium, aut hujus vitæ, ſed eorum, quæ oculus non vidit*, &c. 1. Cor. 2: 9. & humanæ rationis captum longè tranſcendat, nec intra illius cancellos includi debeat: ſed à ſolo Deo revelante pendeat.

XIV. Quam revelationem ſicut ab unâ parte requirit hominis indigentia, & indefinens ſalutis obtinendæ deſiderium: ita ab altera parte non levem ejus ſpem facit Dei bonitas; quam imprimis decet, Deum creaturæ rationali, quæ ad ſeſe tanquam ad finem ſuum condita eſt, quamque ex uno peccatoris ſanguine propagatam tolerat & beneficiis cumulat, & ut ſibi gratias agat, rebus ipſis invitat, ſeipſum communicare, eamque ad ſui communionem perducere. Neque enim temere condidit humanum genus, *neque fruſtra creavit omnes filios hominum*. Pſal. 89: 48.

Cujus revelationis oſtenditur neceſſitas.

XV. Revelatio hæc Dei *variis modis* hominibus facta eſt, Hebr. 1: 1. Duæ tamen illius præcipuæ ſunt diverſitates: aut enim *ἀμέσως immediatè* mentem hominis de voluntate ſuâ inſtruxit; aut *ἐμμέσως mediatè* per homines idem effecit. Per ſeipſum Deus voluntatem ſuam hominibus patefecit, vel loquela: *Iehova Deus inclamabat Adamum*, & di-

diverſitas.

dicebat *ei*, *ubi es?* Gen. 3: 9. *Angelus Iehovæ dixit*, *Abraham!* ibid. 22: 11. ita in legiſlatione *elocutus eſt Deus omnia hæc verba*, *dicendo*, &c. Exod. 20: 1. & Saulus *audiebat vocem ſibi dicentem*, *Saule*, *Saule*, *quid perſequeris me?* &c. Act. 9: 4 aliiſve ſignis homini intelligibilibus. Ex. gr. *vel per viſionem*, *vel per ſomnium*, *vel in os alloquendo eum*, Num. 12: 6. 8. vel etiam ſine iis per ſe excitavit cognitionem ſuæ voluntatis in intellectu hominis. *Per revelationem Ieſu Chriſti*, Gal. 1: 11, 12. quod rurſus variis modis factum concipi poteſt.

partes, quoad religionem peccatoris. XVI. Per hanc ergo revelationem ſupernaturalem omnis peccatorum religio perficitur; idque tribus ferè partibus: quæ ſunt 1. *Promiſſio* gratiæ divinæ, qua conſtat peccatoris ſalus. 2. *Præcepta* divina, promiſſioni adjuncta. 3. *Cultus* externus, in quo religionis eſt profeſſio ejuſque exercitium. Haſce partes in omni peccatorum religione, licet cum graduum accidentiumque variatione, reperire eſt.

XVII. Perperam autem *Sociniani*, & qui cum iis hic faciunt, *Remonſtrantes*, religionem omnem duabus ita circumſcribunt partibus, *mandatis* nimirum divinis, & *promiſſis*, tanquam via à Deo præſcripta ad obtinendam vitam æternam; quibus ſubjungunt noſtram *obedientiam* & *ſpem*, ut excludant iis cognitionem credendorum, & fidem, tanquam promiſſionis & mandati partem: cum *finis denunciationis ſit amor ex puro corde*, *& conſcientiâ bonâ*, *& fide non fucatâ*, 1. Tim. 1: 5. Paulus item *denunciet* ſuo Timotheo *coram Deo*, *ut ſervet præceptum abſque macula*. 1. Tim. 6: 14. *Hoc* enim *eſt* ipſiſſimum *præceptum* Dei, *ut credamus nomini Filii ejus J. Chriſti*. 1. Joh. 3: 23. Sic autem inſtituunt, ut neceſſitate cognitionis veritatis ita exterminatâ, intra generales illas religionis partes quaſcunque ſectas, generalia iſta tenentes, recipere poſſint. Quæ omnia huc collineant, ut fundamentum ponatur, ſalutem obtineri, non fide, ſed obedientiâ. Plane contra promiſſionem Dei: *Indam legem meam menti eorum*, *cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum*, *me condonante iniquitatem eorum*. Jer. 31: 33, 34. & dictum Chriſti: *Hæc eſt vita æterna*, *ut te cognoſcant illum ſolum verum Deum* &c. Joh. 17: 3. & infinita Scripturæ loca: *Quosvis* enim *homines Deus vult ſervari*, *& ad agnitionem veritatis venire*, 1. Tim. 2: 4. *Datum eſt vobis noſſe myſteria regni cœlorum*. Matth. 13: 11. Unde dicimur *venturi in unitatem fidei*, *& agnitionis filii Dei*: cum è contra *gentes mentem habeant obſcuratam & alienatam à vita Dei*, *propter ignorantiam quæ eſt in ipſis*. Eph. 4: 13, 18. & Paulus petit pro fidelibus, *ut impleantur agnitione valun-*

Digitized by Google

luntatis Dei, cum omni ſapientia & intelligentia ſpirituali, creſcentes in agnitione Dei. Col. 1:9, 10. *propter quam notitiæ J. Chriſti eminentiam ipſe omnia damnum eſſe ducebat*, Phil. 3:8. Non enim poteſt pietas eſſe ſine verâ fide; neque hæc ſine vera notitia. Imo ſalus noſtra non tam opere noſtro, quam opere Dei, ejuſque cognitione ac fiducia, conſtat. Iſti autem omne myſterium, omnemque fidei notitiam è religione eliminantes, illam in philoſophiam ſeu diſciplinam duntaxat moralem & Ethicam, quæ omnibus hominibus communis eſſe poſſit, convertunt. Alioquin religionem omnem & verbum Dei totum in ἐντολὴν & ἐπαγγελίαν *mandatum & denunciationem*, reſolvi poſſe ex modo dictis patet.

XVIII. Religionis autem veræ notæ duæ præcipuè ſunt 1. Si doceat verum medium, quo poſſimus in perpetuum uniri cum Deo, & vinculum unionis cum eo ruptum redintegrare. 2. Si tradat rationem veram, qua cultum Deo gratum exhibere, & officium noſtrum erga ipſum ritè præſtare poſſimus. *& notæ.*

XIX. Ex quo ſequitur, ſolam religionem *Chriſtianam*, ad verbum Dei conformatam, veram eſſe religionem. Chriſtianam autem intelligimus non nomine ſolum ac æquivoce, qualis eſt *Socinianorum*, & quatenus tales ſunt, *Pontificiorum*, ac ſimilium religio, verum reipſa talem. *Quæ in ſolam Chriſtianam religionem quadrant.*

XX. Ut autem ſpuriæ falſæque religiones à verâ diſcernantur, notandum eſt primo loco, religioni omni adverſari duo extrema, *Impietatem*, & *Superſtitionem*: quarum illa religioni demit, hæc ſuperaddit: contra præceptum, *Ne addite ad verbum illud, neque detrahite de eo.* Deut. 4:2. *Cujus extrema & oppoſita exhibentur.*

XXI. *Impietas* eſt maxima illa & quaſi univerſalis à religione deflexio, ἀσέβεια ſeu ἀθεότης dicta, quaſi irreligio, quæ in *Atheiſmum* & *Epicureiſmum* ſe diffundit. Quam ſubſequitur *Superſtitio*, idololatriæ & ἐθελοθρησκείας omnis mater & nutrix. *Impietas.*

XXII. Eſt autem *Superſtitio*, hominis Deum non cognoſcentis, & judicium ejus horrentis ob malam conſcientiam, & temporalia bona præcipue ambientis, electio aliquid dicendi, faciendi, patiendi, offerendi, abſtinendive, ut ita vel placet Deum, vel aliquid impetret à Deo, denique ſuper quo cum Deo ipſo, ſi id non habeat acceptum, jurgari poſſit tanquam injuſto & duro domino. Unde tales religioſi, etſi coram mundo admirabiles ſint, juſti tamen vocari non poſſunt, ſed potius, ut benè *Plutarchus*, eandem cum atheis habent προαίρεσιν. *Superſtitio.*

XXIII. Secundo loco graditur *Error*, qui religionem aliquam reti- *Error.*

tinens, eam tamen lædit & oppugnat: ſive ille error ita ſit univerſalis, ut religionem veram planè abneget; qualis error eſt *Infidelitas*. *[Infidelitas.]* Ita *linguæ ſunt ſignum non iis qui credunt, ſed infidelibus; prophetia vero non infidelibus, ſed credentibus*. 1. Cor. 14:22, 23. ſive eam retineat, in fundamentalibus autem oppugnet; qualis eſt *hæreſis*. *[hæreſis.]* *Ut qui noveris hæreticum eſſe perverſum, & peccare; ut qui ſuopte judicio ſit condemnatus*. Tit. 3:10, 11. ſive eam ſimpliciter tantum oppugnet & fidem corrumpat, qualis eſt merus *error*. *[merus error.]* *Ne errate. corrumpunt mores enim bonos colloquia mala*, 1 Cor. 15:33. qui error ubi Eccleſiam ſcindit charitatiſque divortium facit, uti plerumque fit, *ſchiſma* dicitur. *[ſchiſma.]* *Ne ſint inter vos diſſidia; ſed ſitis compacti eadem mente, & eadem ſententia*, 1. Cor. 1:10.

[Apoſtaſia.] XXIV. *Infidelitatem*, ſi in iis ſit qui fidem agnoverant, facit *apoſtaſia*. *Bonâ conſcientiâ expulſa, nonnulli naufragium fidei fecerunt: ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ; ut caſtigati diſcerent non blaſphemare*. 1. Tim. 1:19, 20. Ita *omnes qui erant in Aſiâ à* Paulo *ſe averterant*, 2. Tim. 1:15. *Hæreſin* facit non pertinacia, (poteſt enim hæreticus eſſe docilis; & qui ſimpliciter errat, obſtinatus & *ἰσχυρογνώμων*) ſed materia ipſi ſubſtrata, quando nempe aliquis fidei articulus tollitur, aut negatur. Qui vero articulum fidei non negat, ſed male tantum exponit, aut ei aliquid ſuperaddit, ſimpliciter *errat*: qui error, ſi eccleſiam ſcindat, *ſchiſma* eſt.

[Varia hæreſium errorum diviſio & conjunctio in falſis religionibus.] XXV. Error ergo omnis in *tres* ſcatebras ſeſe dividit: vel enim *aufertur* id quod credendum erat; quo modo peccant maxime *Sociniani*: vel *mutatur* ſiniſtrâ expoſitione; quo in genere notabiles ſunt *Lutheranorum* errores: vel aliquid ei per acceſſum *ſuperadditur*; ſicut ita *Papiſmus* (quamvis nec reliquæ errorum facies illi deſint) *Chriſtianiſmi* pleonaſmus eſt: in quo ſimul eſt & ellipſis, & hyperbole, & concurſus ac *συμπλοκὴ* quædam errorum & hæreſium, & ex illis natum inter Eccleſias Orientis & Occidentis, & inter Reformatas & Romanenſem Eccleſiam, ſchiſma, non niſi cum Antichriſti interitu finiendum.

XXVI. *Infidelitate* adverſus religionem naturalem peccat *Gentiliſmus*, ſive paganiſmus: adverſus Moſaicam, hodiernus *Iudaiſmus*: adverſus Chriſtianam, *Muhammediſmus*. *Gentiliſmi* & *Muhammediſmi* fulcrum unicum in armis eſt. *Iudaiſmus* autem degener factus, veroque Deum placandi eumque colendi medio deſtitutus, vi omni ſua ad Chriſtianiſmum traductâ, dudum emortuis mortiferiſque ritibus, admixtis fundamentalibus erroribus, & veræ fidei abnegatione, hodie con-

Digitized by Google

conſtat, ſolaque obduratione & pertinaciâ ſe tuetur.

XXVII. Errores hæreſesque maximè poſt revelatum Chriſtum & Euangelium ejus, tempore N. T. ceu denſa quædam examina exorta ſunt. Tales autem præcipuè ſunt noſtris temporibus, ne antiquas refodamus, hæreſes *Papiſtarum*, *Socinianorum*, *Enthuſiaſtarum*, *Libertinorum* (ſi aliqua ipſorum religio dicenda ſit, cum omnes religiones indifferentes eſſe velint) & *Anabaptiſtarum*; non eorum, qui in ſimplici anabaptiſmo connexiſque erroribus ſubſiſtunt, ſed qui Pelagianiſmum & Socinianiſmum præterea adſciſcunt. Ad errores ſimplices, ſchiſmate mixtos, referendi ſunt *Lutheranorum*, *Browniſtarum*, *Remonſtrantium* (quatenus in Socini caſtra non tranſeunt) denique & *Græcorum* errores.

Quibus omnibus opponitur religio vera & unica.

XXVIII. Quæ omnia errorum præcipitia cum caveat vera religio, inde illa ſola, ut ſimpliciſſima, ita & facillima eſt: falſæ enim religiones, ut mille habent devotionis ſuæ objecta, & inde mille animi diſtorſiones cruciatuſque, ita vera religio ad unitatem & ſimplicitatem omnia revocat, & in μονοειδὲς quoddam & unum figere obtutum docet. In quo uno vera mentis eſt quies, ſatietas & beatitudo. Sicut illo uno relicto mens noſtra circa multa defatigatur, ſine ſpe acquirendi illud unum, laſſitudinem ipſam pro quiete amplectens.

Cui unice adhærendum.

XXIX. Huic ergo veræ religioni unice adhæreſcendum eſt. Ut ſi vel in falſa aliquâ religione ſalus acquiri poſſet (quamvis difficile ſit ſalutem acquirere in eâ religione, quam falſam agnoſcas) non tamen ideo religio talis ſectanda & retinenda eſſet. Deteſtandus enim Dei contemtus eſt, & inexcuſabilis ingratitudo, permittere ut honor debitus Deo non tribuatur, etiam à nobis ipſis (ſicut illud in omni falſo de Deo ſenſu cultuque fit) modo nobis ſalutis noſtræ ratio conſtet. Qui ſane veritatis honoriſque Dei contemtus, niſi reſipiſcentiâ emendetur, hominem ſalute indignum reddit.

THEOLOGIA

XXX. Doctrina, quæ hanc veram religionem tradit, *Theologia* vocatur; veteribus *Theologice* dicta. Quæ inde deſcribitur: doctrina veræ religionis, à Deo nobis patefactæ, eam dirigens ad ipſius gloriam & noſtram ſalutem.

nomen.

XXXI. Theologiæ nomen in *Scriptura* cognatis quidem vocibus λόγου τοῦ θεοῦ, Heb. 4:12. τῶν λογίων τοῦ θεοῦ, Rom. 3:2. αὐτολεξεὶ vero non exprimitur: ſed apud Ethnicos primo in uſu fuit. Theologi enim ibi dicebantur, qui Deorum natales, conjugia, progeniem, imperia, res geſtas & cultum demonſtrabant; qui primi fuere poetæ, tum philoſophi, præſertim Pythagoræi.

Digitized by Google

XXXII. In ſacris Theologus dicitur Johannes Apoſtolus, in titulo Apocalypſeos : atque ita à veteribus ſpeciali de cauſa appellatur, quia expoſuit λόγον τὸν θεὸν, & divinitatem τοῦ λόγου peculiariter aſſeruit.

XXXIII. Quem uſum vocis imitati patres Græci, Theologiam peculiariter appellarunt doctrinam de S.S. Trinitate, & divinitate Filii ac Spir. S. ſicut illi opponunt Oeconomiam, ſive incarnationem Verbi, & reliqua Dei opera ad extra.

XXXIV. Nobis Theologia eſt cognitio vel ſermo θεολόγου. Theologus autem eſt, qui *Deum, ex Deo, coram Deo, ad gloriam ejus*, dicit. *Num enim homines ſuadeam, an Deum? aut quæram hominibus placere?* Gal. 1:10. *Notum ipſis feci nomen tuum.* Joh. 17:26.

partitio ejus in ſpuriam

XXXV. Gentilibus nomen illud triplicem notabat Theologiam. 1. μυθικὴν, ſeu *fabuloſam* poëtarum. 2. φυσικὴν, ſeu *naturalem* philoſophorum. 3. πολιτικὴν, ſeu *civilem* legiſlatorum & ſacerdotum; quarum prior deorum rationem exponebat in theatris, altera in ſcholis, ultima in templis. vid. Auguſt. de Civ. Dei lib. 6. c. 5. Verum omnis hæc Theologia fabuloſa & inepta eſt : quod etiam apparuit in illo religionis & ſapientiæ, quod apud gentiles fuit, divortio.

& veram; quæ varia eſt pro ratione ſubjecti.

XXXVI. Apud Chriſtianos Theologia non uno etiam modo ſumitur : modò pro finitâ creaturæ, modò pro infinitâ ipſius Dei cognitione. Hæc eſt notitia Dei de ſe ipſo. *Filium nemo novit niſi Pater, neque Patrem quiſquam novit niſi Filius.* Matth. 11:27. quæ etiam *archetypa* inde appellari ſolet, tanquam exemplar cognitionis noſtræ. *Quanquam revera archetypon noſtræ Theologiæ non eſt cognitio naturalis Dei de ſeipſo, verum id quod Deus decrevit de ſe nobis notificare, ut formaremur ad imaginem ipſius.*

XXXVII. Finita Theologia appellatur creaturarum de Deo notitia : quæ quia ex illa Dei notificatione, tanquam exemplari ſuo, fluit, inde *ectypa* appellatur. Quia autem illa communicatio facta eſt, vel humanæ naturæ Chriſti. *Unxit te, o Deus, Deus tuus.* Pſal. 45:8. vel Angelis & beatis in cœlo, *intuentibus faciem Patris.* Matth. 18:10. *& coram cernentibus.* 1. Cor. 13: 12. vel denique nobis viatoribus in vitæ hujus ſtadio currentibus; *qui ex parte cognoſcimus* &c. 1. Cor. 13:8,9,10. inde Theologia vel *Unionis*, vel *Viſionis*, vel *Stadii* aut *Viatorum* dicitur.

XXXVIII. Hæc ſtadii vel viæ Theologia non ſolum eſt imperfecta, collata cum Theologiâ patriæ, verum etiam quatenus refertur ad ipſam hujus vitæ revelationem. Unde quotidianus ac perpetuus datur

pro-

profectus Eccleſiæ. Tenent tamen fideles omnes perfectionis hujus fundamentum & principium, ex quo omnia alia ſequuntur; quippe qui *unctionem habent à ſancto illo, & noverunt omnia*. 1. Joh. 2: 20, 21.

XXXIX. Hæc autem Theologiæ varia acceptio non conſtituit varias Theologiæ ſpecies, ſed duntaxat diverſos ejus gradus, ſecundum majorem vel minorem notitiæ perfectionem, aut varia ejus ſubjecta, aut ejus adipiſcendæ media.

XL. Similis ferme eſt diviſio, qua in *ſyſtematicam* & *habitualem* divi- *& ratione*
ditur: prout vel per modum diſciplinæ certâ methodo diſpoſitæ, vel *conſiderandi*
per modum habitus in mente conſideratur. Quæ tamen diviſio non *eam;*
tam eſt rei, quam vocis; cum eadem ſit Theologia, quæ per præcepta traditur, & quæ in mente reſidet.

XLI. Theologia *ſyſtematica*, quamvis admodum conveniat cum *vel ut ſyſte-*
verbo Dei, eoque unicè nitatur, attamen hactenus ab eo differt, quod *maticam;*
non ſit ipſum Dei verbum, ſed verbi divini cognitio & enarratio. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* 1. Pet. 4: 11. & definito quodam modo. *Narrabo ſecundum præſcriptum.* Pſal. 2: 7.

XLII. Hoc ſenſu Theologia dividitur à nonnullis in *didacticam* & *quatenus*
polemicam: aut potius in *poſitivam* & *ſcholaſticam*: quarum illa verſatur *poſitiva,*
in analyſi ſacræ S. ejuſque interpretatione: hæc in ſyntheſi locorum communium, per quos ea, quæ in S. Scr. paſſim ſparguntur, in certum ordinem rediguntur.

XLIII. Qui modus tradendæ Theologiæ per certos locos & præcepta antiquiſſimi eſt inſtituti, in Eccleſiâ, cum Vet. tum Novi Teſtamenti. Nam Patriarcharum catecheſis nihil aliud erat quàm inſtitutio de præcipuis primævæ promiſſionis ac divini cultus capitibus. Idem agebant Prophetæ in collegiis ac ſcholis. 1. Sam. 10: 5. & Scribæ in Synagogis ac templo, Luc. 2: 46. Act. 24: 12. Imo ipſa Apoſtolorum, ac præcipuè Pauli, ſcripta totidem Chriſtianæ fidei formulæ ac *ὑποτυπώσεις* ſunt. Atque deinceps in Eccleſiâ Chriſtianâ iſte uſus quoque obtinuit, atque imprimis ſtudium iſtud Alexandriæ floruit.

XLIV. Præcipuè tamen illa Theologiæ in ſyſtemata compactio *tam ſcho-*
Philoſophiæ debetur; quæ loco Theologiæ Euangelicæ, quæ conſtat *laſtica*
διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου λόγοις verbis quæ docet Sp. S. 1. Cor. 2: 13. peperit ſcientiam artificioſam, quæ terminis & diſtinctionum notionibus, præcipuè Ariſtotelicis, Theologiam tradit; quæque nihil eſt aliud, quam definitionum, argumentorum, objectionum, reſponſionum diſtinctionumque ſyſtematica compages.

 XLV. Fa-

Digitized by Google

cujus traditur origo, XLV. Factum illud, partim poſtquam philoſophi gentiles Chriſto nomen dederunt, & ſapientia ſecularis in ſcholis Chriſtianorum locum invenit: partim & præcipuè, poſtquam Philoſophia Peripatetica, quæ per aliquot ſæcula neglecta jacuerat, per Arabes Muhammedanos excitata & exculta Chriſtianum orbem invaſit. Illa enim Theologiæ permiſta Theologiam Scholaſticam conſtituit, cui præcipuè nomen fecerunt illi, qui nominatim *Scholaſtici* dicuntur, quia in ſcholis docuerunt: qui an Theologi, an Philoſophi potius appellandi ſint, dubium fecerunt.

& variæ periodi. XLVI. Horum ævum exordium ſumſit à *Lombardo*, Epiſcopo Pariſienſi, qui Johannis Damaſceni exemplo Theologiam in novam methodum redegit, & dogmata religionis Romanæ in IV libros ſententiarum redegit. Patrum autem ſcripta maximè ſecutus eſt, iiſque nimium tribuit. Floruit ille anno Chriſti MCXLV. Quæ prima illius Theologiæ periodus fuit. Secunda initium ſumſit ab *Alberto Magno*, Epiſcopo Ratisbonenſi, qui circa annum MCCXX floruit, & præter Patres Ariſtotelem & Philoſophiam in Theologiam invexit; ex cujus ſcholâ prodierunt *Reales*, *Albertiſtæ*, *Thomiſtæ*, eorumque adverſarii *Scotiſtæ*. Tertia ætas eſt à *Durando* de *S. Portiano*, ab anno MCCCXX. à quo tempore *Occamiſtæ*, ſeu *Nominales* floruerûnt, uſque ad *Gabrielem Bielem*, Spirenſem, qui præterito ſæculo floruit, & in quo Theologia iſta maximâ ex parte expirare cæpit.

XLVII. Laudatur in hac ſcholaſticâ Theologia 1. ſimplex ac breve orationis genus. 2. methodus accurata & dialectica. 3. uſus, ſive ſubſidium philoſophiæ & diſciplinarum naturalium. Improbantur autem ab ipſis illius cæteroquin defenſoribus 1. doctrina tyrannidi Pontificis obnoxia, adeoque in multis falſa. 2. rerum philoſophicarum multitudo, 3. vanarum quæſtionum curioſitas. 4. ex ignorantia linguarum profecta ipſa rerum conturbatio. 5. obſcuritas & barbaries. Unde patet, Theologiæ hujus architectorum hunc fuiſſe ſcopum, ut per illas ſpinas & difficultates non plebem modo, verum etiam liberaliora quæque ingenia à Theologiæ ſuæ aſpectu arcerent, ſibique ſolis clavem ſcientiæ reſervarent.

XLVIII. Dolendum itaque terminos hoſce obſcuros, abuſu contaminatos, parientes litem, non recipientes verba Scripturæ, & ea non ſuggerentes, ſed qui potius cauſa ſunt ut eorum obliviſcamur, illamque Theologiam ex ipſorum proteſtantium ſcholis, contra primorum

Re-

Reformatorum exemplum & inſtitutum, non ſatis eliminari; imo & poſtliminio quaſi reduci: cum in Theologiâ poſitiva, ubi agendum eſt vocibus Scripturæ, vix ullum habeat uſum; & in controverſiis cum adverſariis tractandis ſi quod verborum præſtet compendium, rebus tamen ipſis magis obſtaculo, quam adjumento ſit.

XLIX. Theologia autem *habitualiter* ſpectata, quatenus eſt habitus mentis, in eo conſiſtit, ut ſermonem Dei de ſalute peccatoris per Chriſtum, cum connexione & harmoniâ veritatum revelatarum, ad profectum in fide, ſapientia, prudentia & obſequio Dei, quis cognoſcat. Ita enim ut ἕξις ſe habet πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Hebr. 5: 14. Ille ergo Theologus propriè dicitur, qui cum in myſterio Euangelii ſalutariter ſapit, donis ſpiritualibus inſuper eatenus eſt inſtructus, ut poſſit alios ejuſdem myſterii cognitione imbuere, ad gloriam Dei & laudem gratiæ Chriſti. Ita ut in Theologo non ſolum requiratur ſimplex cognitio principiorum fidei, verum etiam concluſionum Theologicarum, quæ ex illis principiis conſequuntur, cum aptitudine ea deducendi, explicandi, confirmandi, & contra adverſarios defendendi. Sicut ita *Apollos potens erat in Scripturis.* Act. 18: 24. Inde verbum quod Eccleſia habet, quo formatur ſpiritualis ſapientia & pietas, dicitur μόρφωσις εὐσεβείας *formula pietatis.* 2. Tim. 3: 5. μόρφωσις τῆς γνώσεως καὶ ἀληθείας, *formula cognitionis & veritatis.* Rom. 2: 20. ὑποτύπωσις *ſanorum ſermonum.* 2. Tim. 1: 13. Unde & Paulus Tit. 1: 9. requirit non tantum, ut doctor Eccleſiæ *potens ſit exhortari in doctrina ſanâ*, verum etiam ut poſſit ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν *contradicentes redarguere & os illis obturare.* Et eundem jubet ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. 2. Tim. 2: 15. h.e. ſermonem veritatis partiri & doctrinæ membra diſcernere. *Neque* enim *omnes ſunt doctores*, 1. Cor. 12: 29. conf. ℣s 8.

vel ut habitualem:

L. Fruſtra autem quæritur, ad quem habituum Ariſtotelicorum Theologia referenda ſit: cum Ariſtoteles naturales tantum cognoverit habitus: nec illos ipſos accuratè ſatis in quinque illos vulgares diviſerit: ac præterea Scriptura nomina illorum non philoſophicè & ſtrictè, ſed laxè ac populariter ſumere ſoleat, adeoque Theologia non ad unum vel alterum horum habituum reſtringi debeat. Poteſt tamen eminentiſſimo gradu & *ſapientia* & *prudentia* ſimul dici. 1. Cor. 2: 7. *Ad ſciendum ſapientiam, & eruditionem, ad intelligendum dicta prudentiæ: ad percipiendum eruditionem intelligentiæ, juſtitiæ juriſque & omnis recti.* Prov. 1: 2, 3.

Qua ratione habitus eſt eminentiſſimus.

1:2, 3. quatenus nimirum & perfectiſſimam veritatum ſupernaturalium harmoniam ac connexionem,& vitæ juxta illas dirigendæ ſanctiſſima præcepta continet & tradit.

& practicus. LI. Eſt autem habitus practicus; cum omnis illius notitia verſetur circa praxin,ad quam totum ſuum objectum refert,atque media & regulas tradat adipiſcendi ſummum hominis bonum, & propter ſummum finem, quem ſibi proponit, agat. Unde *doctrina ſecundum pietatem* appellatur.1.Tim.6:3.Quin & hac de cauſâ præcipua quæ in verbo Dei revelata ſunt de Deo & rebus divinis, Deum nobis non tam abſolutè, qualis in ſe eſt,ſed potius relativè,qualis reſpectu noſtri eſt,Deus nimirum fœderatus & juxta fœdus à nobis colendus, exhibent; adeoque ad cultum Dei omnia referuntur. Unde & in ipſis credendis non nuda tantum notitia, ſed præcipuè fiducia requiritur. Ita ut Theologia,niſi ad praxin referatur,ne Theologia quidem ſit. Eſt enim Theologia non ſolum notitia illa rerum divinarum, qualis in irregenitos quoque aliquando cadit, verum accurate loquendo eſt donum ſpirituale,ſeu potius *συμπλοκὴ* donorum ſpiritualium,menti hominis fidelis ſeu renati à Spiritu S.inditorum, quibus intelligens,ſapiens & prudens fit in agnitione myſterii pietatis,& juxta illud ad obedientiam & cultum Deo in Chriſto præſtandum dirigitur. Licet vulgo Theologus quoque dicatur qui Theologiæ notitiâ tantum inſtructus eſt. Sed de voce non videtur litigandum.

Ejus objectum materiale, LII. *Objectum* Theologiæ,*circa quod* verſatur,eſt vita hominis,ſive cultus ipſius erga Deum; quem cultum, ſeu quam vitam Theologia dirigit. Cum autem cultus illius objectum ſit Deus, ad quem cultus ille refertur, *& quem cognoſcere ut illum ſolum verum Deum, eſt vita æterna.* Joh.17:3. hinc remotum Theologiæ objectum, ſive objectum ejus *ad quod* eſt Deus.Atque hoc quidem utrumque Theologiæ objectum, objectum ejus *quod*, ſive *materiale* dici ſolet.

formale. LIII. Objectum vero *quo*, ſeu ratio formalis, ſub qua Theologia objectum hoc conſiderat, & per quam ab aliis diſciplinis diſtinguitur, eſt revelatio, ſeu lumen ſupernaturale, quatenus objectum illud revelatum eſt. Unde & doctrina hæc *myſterium* dicitur. 1. Cor.2:7.

principium, LIV. *Principium* enim Theologiæ, ſcilicet complexum, ſeu cognoſcendi, eſt Verbum Dei, ſeu revelatio; in quam ultimo omnis illius concluſio reſolvitur. *Auditus enim eſt per verbum Dei.* Rom.10: 17. *Tecum eſt fons vitæ. Te lucente, videmus lucem.* Pſal.36:10.

LV. Quic-

Digitized by Google

LV. Quicquid ergò ex naturâ de Deo cognoſci poteſt, illud propriè non ad Theologiam, ſed ad Philoſophiam, ſeu Theologiam naturalem ſpectat. Adeoque non confundi, ſed diſtingui utraque hæc Theologia debet. Theologus enim, qua talis, ex revelatis propriè argumentatur; philoſophus autem ex ratione & lumine naturæ.

LVI. Ex hac principiorum diverſitate fluit quoque diſcrimen Theologiæ practicæ, ut dicitur, id eſt, illius partis Theologiæ, quæ præcepta virtutum tradit, ab Ethica: quia nimirum Ethica tantum tradit illas regulas morum, quæ ex reliquiis luminis naturalis poſſunt erui; ſed Theologia practica eas, quas revelatio divina præſcribit.

LVII. Non ſatis autem accurati hic ſunt Pontificii & Scholaſtici, qui Theologiæ principium cum locis argumentationis confundentes, præter verbum Dei ſcriptum, traditiones quoque humanas, conciliorumque decreta, quæ ad ſummum argumenti probabilis vicem præſtare poſſunt, inter Theologiæ principia recenſent.

Theologia eſt Noëtica & Dianoëtica.

LVIII. Cum verò ex hoc ſuo principio concluſiones eliciat, apertum eſt, illam non ſolum eſſe habitum noëticum, verum etiam dianoëticum, ſeu argumentativum; idque duplici modo: primò enim argumentatur pro principiis adverſus adverſarios, eos eorumque rationes confutando: ſecundo ex principiis ad concluſiones, unum articulum ex alio inferendo, ſicut ex reſurrectione Chriſti noſtram infert Apoſtolus, 1. Cor. 15: 12, 13. idque tum κατασκευαστικῶς, tum ἀνασκευαστικῶς, aſtruendo & deſtruendo.

Qualis ſit evidentia & certitudo concluſionum Theologicarum.

LIX. Unde jam patet, quid ſtatuendum ſit de evidentia & certitudine concluſionum Theologicarum: illæ enim reſpectu divinæ revelationis inevidentes ſunt, prout evidens id dicitur, quod per ſuam cauſam cognoſcitur, aut ex terminorum perceptione ſolâ apprehenditur.

LX. Quamvis autem hæc evidentia ex parte objecti in concluſionibus Theologicis non ſit; alia tamen in iis eſt, nempe quæ petitur, cum ex infallibilitate rationis earum objectivæ, quæ eſt revelatio, tum ex lumine, ſeu habitu, quo iis aſſentimur, qui eſt fides.

LXI. Hæc certitudo ejus non minor eſt ac quævis certitudo naturalis; quia ratio aſſentiendi objectiva, quæ eſt lumen divinæ revelationis, non minus certa eſt quam illa quæ eſt in ullo aſſenſu naturali.

LXII. Idque non ſolum locum habet in tali concluſione, quæ naſcitur ex duabus præmiſſis revelatis, verum etiam in tali, quæ ſequitur ex alterâ præmiſſarum revelatâ, alterâ naturali. Aſſenſus enim

Digitized by Google

tali concluſioni adhibitus nititur teſtimonio divino, & fides vim ſuam concluſioni communicat. Revelavit enim eam concluſionem Deus per præmiſſam, quæ ex Scripturâ eſt; licet hoc in illa videri non potuerit, niſi mediante alterâ præmiſſâ naturali.

LXIII. Et quamvis concluſio illa etiam contineatur in præmiſſâ altera naturali, non tamen ideo etiam concluſio illa naturalis eſt: quicquid enim ita in naturali veritate continetur, ut ex illa non poſſit elici, niſi revelatione mediante, id ipſum non naturaliter, ſed ſupernaturaliter ſcimus. Ex. gr. quamvis ex natura ſcimus verum Deum adorandum eſſe, & ſub Deo contineatur Filius & Sp. S. horum tamen adorationem non niſi ſupernaturaliter ſcimus, quia minorem illam non niſi ſolâ revelatione tenemus.

LXIV. Neque obſtat, concluſionem debere ſequi partem debiliorem; atque adeo ubi altera præmiſſarum ex ſola natura innoteſcit, etiam concluſionem non majorem certitudinem habere poſſe quam naturalem: hoc enim axioma non niſi de debilitate propoſitionis particularis & negativæ, quæ ubi eſt in præmiſſis, concluſionem ſeſe nobiliorem parere non poteſt, intelligi debet; non vero ad conditionem materiæ & veritatum ipſarum certitudinem aut incertitudinem extendi poteſt.

LXV. Male ergo Pontificii, juxta Scotum, diſtinguunt inter concluſiones theologicas & fidei; quarum illas deductas, has expreſſas vocant. Cum etiam fidei ſit illas concluſiones deducere, quæ propriè theologicæ ſunt. *Fide enim conſideramus.* Hebr. 11:3.

Ut male negentur, conſequentia theologica.

LXVI. Male etiam volunt hodierni methodiſtæ, non licere argumentari ex ſacris litteris, & conſequentias non eſſe verbum Dei. Contra exemplum Servatoris, Matth. 22. Et quaſi Deus, cujus verbum eſt ſapientiſſimum, aliquid revelans, non ſimul etiam id revelaret, ſine quo id ipſum eſſe non poteſt, & quod in poteſtate verborum ejus eſt, quodque ea faciunt audientem prudenter cogitare. *Scrutamini Scripturas, illæ enim ſunt quæ teſtantur de me.* Joh. 5:39. *Omnia explorate; & quod bonum fuerit, retinete.* 1. Theſſ. 5:21.

LXVII. Male autem urgent, concluſionem quæ ex revelatis educitur medio ratiocinationis & conſequentiæ, non eſſe fidei: nam quicquid ex revelatis rite conſequitur, non niſi fide tenetur, cum ſine ea revelatio non conſtaret; quamvis rationis ſit conſequentiam nectere, atque iſte nexus naturaliter cognoſcatur.

LXVIII. Di-

Digitized by Google

LXVIII. Diſtingui ergo debet fidei principium ab inſtrumentis & mediis, quibus veritates fidei ex ſuo principio eliciuntur. Ratiocinatio enim, etſi non ſit principium fidei, in quod illa reſolvitur, tamen inſtrumentum eſt, per quod fidei concluſiones ex principio ſuo educuntur & oſtenduntur. Nec conſequentia, quam nectimus, facit ut concluſio ſit verbum Dei, ſed illam verbum Dei eſſe conſequentia & nexus veritatum docet. Sicut in Matheſi demonſtrationes veritatem quam demonſtrant non faciunt, ſed menti oſtendunt tantum.

Theologiæ finis.

LXIX. *Finis* Theologiæ eſt, adducere hominem ad Deum, ejuſque gloriam: ita ut ſupremus Theologiæ finis ſit glorificatio Dei, *in ſanctis ſuis, & ut admirandus fiat in credentibus omnibus*. 2. Theſſ. 1:10. ſubordinatus autem ſalus hominis, *quem Sacræ literæ poſſunt ſapientem facere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. 2. Tim. 3:15, 17. Cujus ſalutis principia & media Theologia à primo initio homini commonſtrat ac tradit, & ita per illa ipſum ad ſupremam ſuam beatitudinem deducit.

LXX. Ex dictis liquet, Theologiam ſummam eſſe ſapientiam, quippe quæ à Deo profecta, de Deo, per Deum agens, & ad Deum tendens, eo tandem hominem evehit. Ita ut maximè ſit θειοτάτη, & reliquas artes longè antecellat, ac dignitate primas teneat.

ejus partitio.

LXXI. Cum autem religio, quam tradit Theologia, conſtet ex vero de Deo ſenſu, & recto ejus cultu, inde commodè diſtribui poteſt Theologia in duas partes, quæ vitam ſpiritualem conſtituunt, nimirum in notitiam ſeu fidem, & obedientiam ſeu charitatem. Quæ non eſt diſtributio generis in ſpecies, ſed integri in ſua membra. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, h.e. Deo placentia facere. *Credere enim oportet enim, qui accedit ad Deum*, (quod eſt *ambulare cum Deo, & Deo placentia facere*) *quod ſit, & quærentibus ſe remunerator fiat*. Hebr. 11:6. *Hoc eſt præceptum ipſius, ut credamus nomini Filii ipſius Ieſu Chriſti, & diligamus invicem, ut dedit præceptum nobis*. 1. Joh. 3:23. *Finis denunciationis eſt* caritas *ex corde puro & conſcientia bona &* fide *non ſimulata*. 1. Tim. 1:5. *Tenens fidem & bonam conſcientiam*. ℣s 19. *Expreſſam formam teneto ſanorum ſermonum in fide & caritate*. 2. Tim. 1:13. *Credo omnibus quæ ſcripta ſunt, & ſpem habeo in Deo: & exerceo me ad conſcientiam habendam ſine offenſa*. Act. 24:14, 15, 16. Petrus id totum vocat *animam ſuam Deo, ut fideli creatori, committere* (quod fidei eſt) *in boni factione* (quod caritatis eſt.) 1. Pet. 4:19.

Digitized by Google

LXXII. Diſtributio autem Theologiæ, quaſi generis in ſpecies ſuas, peti debet ex diverſitate Oeconomiæ, quam circa hominis ſalutem obſervavit Deus, juxta quam etiam fœdus Dei cum homine diverſum fuit. Unde Theologia eſt vel *Legalis*, & *Originalis*, conveniens veteri fœderi operum ante lapſum: vel *Euangelica*, conveniens fœderi gratiæ poſt lapſum. Atque hæc Euangelica rurſus eſt vel Euangelii *promiſſionis*, ante Chriſtum (idque vel *meræ promiſſionis*, ab *Adamo* & Patribus; vel cum acceſſione *Legis Moſaicæ & Vet. Teſtamenti* ad promiſſionem, quæ inde Theologia *Moſaica* dicitur) vel Euangelii *impletionis*, conveniens Novo Teſt. poſt *Chriſtum* exhibitum; quæ κυρίως Theologia Chriſtiana dicitur. In qua Theologia Euangelica univerſâ, licet quoad modum & gradum diverſitas ſit in ſalutis adminiſtratione (*Multis enim modis multiſque vicibus Deus olim locutus patribus in prophetis, ultimis hiſce diebus loquutus* eſt *nobis in Filio*, Hebr. 1:1.) ipſa tamen ſubſtantia & res ſemper fuit eadem; adeoque Theologia omnis poſt lapſum ſemper una fuit, manetque, quatenus eadem ſalutis via per Chriſtum ſemper fuit monſtrata. *Per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus nos ſervatum iri, quemadmodum & illi.* Act. 15:11. & *Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula.* Hebr. 13:8. Atque hanc illius diſtributionem nos, Oeconomiam fœderum Dei præcipuè tradituri, cum Deo, ſequemur.

LOCUS PRIMUS
DE SACRA SCRIPTURA.
CAPUT III.
De Verbi & Scripturæ divinæ neceſſitate.

Theologia præſupponit verbum Dei.

I. CUm Theologiam, prout eſt in ſeſe, viderimus, proximum eſt, ut agamus de *principio* cognitionis ipſius, nimirum verbo Dei & Scriptura Sacra. Cum enim Theologia verbi divini ſit cognitio & enarratio, non niſi præſuppoſito verbo illo ea tradi poteſt. Et licet verbi illius ſcriptio ad certas tantum periodos œconomiæ temporum pertineat, quia tamen aliud verbum niſi ſcriptum nunc non extat, nec aliud Theologiæ nunc eſt principium; nos hic ſimul cum verbo Dei adjunctum illi ſcriptionis modum conſiderabimus.

II.

Digitized by Google

Verbi illius NECESSITAS.

II. Verbo Dei ante omnia opus fuit : cum Deus ſit *inviſibilis*, 1.Tim. 6:16. nec natura eum omni virtute ac nomine ſuo doceat: & ipſa creaturæ rationalis conditio hoc exigat; quæ, cum ad Deum condita ſit, ſola quoque ex omnibus rebus creatis eum intelligere ac capere poteſt. Adeoque Deum in mundo à ſe condito loqui, & ſeſe creaturæ intelligenti manifeſtare ac offerre ſummopere decuit. Unde in ſtatu primævo mox verbo ſuo eam allocutus eſt. Gen. 1. & 2. capp.

III. Præſertim vero poſt lapſum divino alloquio opus fuit : cum modum erigendi novi fœderis cum homine peccatore, idque modo Deo digno, & rationem procurandæ ejus ſalutis, nullum unquam humanum ingenium invenire potuiſſet.

IV. Egit ergo Deus pro φιλανθρωπίᾳ ſuâ, & ſeſe homini manifeſtavit, atque cum eo locutus eſt: in quo etiam ab idolis mutis diſtinguitur. *Qui ivit ut Iſraëlem ſibi in populum redimeret* &c. 2. Sam. 7:23. *Indicat verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & jura ſua Iſraëli.* Pſal. 147: 19. *Credita ſunt eis eloquia Dei.* Rom. 3: 2. *Eorum eſt adoptio & gloria & pacta & legis conſtitutio & cultus & promiſſiones.* Rom. 9: 4.

& varia illius administratio.

V. Primitus enim *in paradiſo* verbum ſuum edidit; quod deinde per traditionem ἀγράφως cuſtoditum & propagatum eſt, accedente ſacrificiorum teſtimonio, & illuminatione ipſa Sp. S. Ita ut fides omnis pro principio promiſſionem iſtam primævam haberet.

VI. Deinceps πολυμερῶς & πολυτρόπως Deus verbum hoc communicavit *patribus*. Hebr. 1: 1. per immediata colloquia, viſiones, ſomnia, per angelorum & prophetarum præconium: huic fini Patriarcharum longævitate & fœderatorum paucitate maximè inſervientibus.

quod tandem Scriptura traditum eſt.

VII. Cum autem populus Dei juſtam reip. formam primum conſtituere potuit, & propter tranſgreſſionem ejus legis ſervitus ipſi impoſita eſt, ſcriptas leges illi tradidit Deus, & per Moſem ea conſcribi voluit, quæ ad perpetuam Eccleſiæ inſtitutionem, gentium adductionem, denique etiam ipſorum Judæorum converſionem ſuo tempore ſervitura erant.

VIII. Quod factum à Deo. 1. ne inertiâ & oblivione verbum illud intercideret, ſicut jam traditio patrum poſt diluvium corrupta erat. 2. propter idololatriam ingruentem, & Judæorum ἀποστασίαν, & hæreſes, ac defectionem poſtremo tempore extituras. *Reſpicerent enim ad Deos alios & ſervirent illis & ſpernerent Deum & irritum facerent fœdus Dei.* Deut. 31: 20. 21.

IX. Ut hic notari queant varia verbi divini momenta. 1. privata ejus inſpiratio in cordibus Prophetarum & Apoſtolorum, per quam illorum tantum fuit canon privatus & verbum internum. 2. publica ejus per illorum ora ex divina inſpiratione prædicatio, quâ factum fuit verbum externum & canon Eccleſiæ publicus. 3. ejus per traditionem conſervatio & propagatio, quantiſper fuit verbum Dei ἄγραφον, *non-ſcriptum*. 4. tandem ejus in Scripturam relatio, quâ factum fuit verbum Dei ἔγγραφον *ſcriptum*; primitus in Moſis Pentateucho: ad quem acceſſit auctarium primum, conſtans ſcriptis Prophetarum, & deinceps ultimum, conſtans ſcriptis Euangeliſtarum & Apoſtolorum. Ex quo completa eſt Scriptura Sacra, Vetus & Nova.

ex quo tempore Scriptura neceſſaria fuit. X. Hinc jam patet, quid ſtatuendum ſit de Scripturæ neceſſitate: aliud enim eſt verbi divini, aliud præterea Scripturæ neceſſitatem aſſerere. Licet enim verbi divini neceſſitas ab omnibus Chriſtianis generatim facilè agnoſcatur; tamen Pontificii, præſertim Jeſuitæ, Scripturam neceſſariam non eſſe ſtatuunt, niſi duntaxat ad benè eſſe Eccleſiæ: cum tamen iiſdem videatur neceſſarium eſſe, ut Eccleſia à Pontifice Romano, & ab unius hominis ſententia dependeat.

XI. Nos fatemur quidem, non omni tempore Eccleſiæ æquè neceſſariam fuiſſe Scripturam; primo nempe tempore, cum promiſſio paucioribus conſtaret capitibus, & revelationum eſſet frequentia, & Patriarcharum duraret longævitas, verbo ἀγράφῳ conſervari poterat traditio: illa autem corruptâ, & diminutis ac ceſſantibus illis Verbum Dei conſervandi rationibus, cum nihilominus doctrinam veram per univerſum orbem diffundere vellet Deus, Scripturam ſummè neceſſariam factam fuiſſe aſſerimus.

XII. Atque hæc eſt Scripturæ, in hoc rerum ſtatu & ordine, neceſſitas abſoluta, quanquam ex hypotheſi divinæ voluntatis enata: cum non aliud Eccleſia veritatis propagandæ medium, ejuſque adverſus errores ac hæreſes conſervandæ ſubſidium habeat niſi in Scriptura ſacra.

CAPUT IV.

De Verbi divini & Scripturæ divinitate.

Scripturæ DIVINITAS. I. NEceſſitatem Scripturæ excipit ejus divinitas, in eo conſiſtens, quod Deum auctorem habeat, & ejus immediatâ inſpiratione ſcripta

Digitized by Google

ſcripta ſit. Quam divinitatem iſtis Scripturæ libris, quos olim pro talibus agnovit Eccleſia Judaica, nunc autem agnoſcit Eccleſia Chriſtiana, aſſerendam eſſe, hinc manifeſtum eſt.

II. Nam primò, cum libri hi omnibus ſæculis probati, & pro talibus agniti ſint; ſi cui rejicere eos placeat, ipſi argumenta proferenda erunt fidem ipſis derogantia. Cæteroquin nullius libri conſtabit auctoritas, & ſimiliter Ariſtotelis, ac Ciceronis, aliorumque auctorum ſcripta in dubium vocare licebit. *quæ probatur, tum quia libri hi pro talibus agniti ſunt;*

III. Deinde, cum ex Deo atque creaturæ rationalis natura fluat, religionem aliquam dari, adeoque verbum aliquod Dei in mundo extare neceſſe ſit, ut ſupra Cap. II. probatum dedimus; proximum eſt, illud ſacris hiſce litteris contineri; vel alibi debere oſtendi: quod nunquam factum eſt, neque fiet. *nec alii exhiberi poſſunt:*

IV. Idem tertiò potentiſſimè demonſtrat hiſtoriæ veritas, & traditionis evidentia. Lex enim Moſis in monte Sinai, in univerſæ gentis Iſraëliticæ panegyri, cum multis prodigiis & oſtentis, à Deo ipſo lata & vivæ vocis oraculo promulgata, ſatis auctorem ſuum teſtatur. Cum autem eorum omnium univerſus ille populus fuerit conſcius & teſtis, à fabulatore aliquo atque impoſtore eo ipſo tempore hæc confingi & conſcribi, atque iſti ipſi populo, qui etiam in hiſce ipſis teſtis appellatur, tradi non potuere. Ipſi enim Jehova Moſem *in os alloquebatur.* Num. 12:8. *Alloquebatur eum Jehova de facie ad faciem, quemadmodum alloqui ſolet quis amicum ſuum.* Exod. 33:11. Imò *cognovit ille Jehovam in os, tum omnibus ſignis & prodigiis, tum omnibus operibus manus fortis, & omnibus operibus terribilibus maximis.* Deut. 34:11, 12. Conf. Exod. 19: 17-19. 20:2, 18, 19. Deut. 4:10-12. 5:4-6, 22-27. *tum ex veritate hiſtoriæ; Teſt. Veteris,*

V. Eadem certitudo eſt reliquorum librorum, qui hiſtoriam Eccleſiæ continent; & ſermonum ac miraculorum propheticorum; qui & ipſi nihil extra Moſem loquuntur, ejuſque tantum uberiorem ἐξήγησιν tradunt.

VI. Atque non minor quoque evidentia & veritas eſt ſermonum ac operum Chriſti & Apoſtolorum ejus, nec minoribus teſtibus hiſtoria N. T. firmata eſt, quam res Vet. Teſt. *& Novi,*

VII. Sed quartò præcipuè S. Scripturæ divinitas notis ac characteribus inſitis, ac divinæ lucis radiis in ea fulgentibus, pateſcit: ſive *argumentum* & *doctrinam* Scripturæ conſideres; ſive *ſcribendi ſtylum* & dictionis *characterem*; ſive *cauſas adminiſtras*, & ſcriptores quorum operâ Deus uſus eſt; ſive *adjuncta*; ſive denique *effecta* ejus. *tum præcipuè ex characteribus Scripturæ inſitis;*

 VIII. *Do-*

BIBLIOTECA NAZ. ... VITT. EMANUELE

qualis ſunt, doctrina in ea tradita. VIII. *Doctrina* Scripturæ divinitatem ejus teſtatur, cum rerum ac dogmatum *ſublimitate* ac myſterio, quæ nulla ratione inveſtigari potuiſſent: qualia ſunt quæ tradit de S. ſancta in Deo Trinitate, partu Virginis, vero Deum placandi medio, de æternâ vitâ, quam cultoribus ſuis promittit, eumque in finem mortem & affictiones ferre jubet: tum præceptorum *ſanctitate* ac puritate, ac divinâ quâdam *perfectione*, qua apta eſt ad hominem omni virtutum genere perfectum, *& ad omne opus bonum perfecte inſtructum*, & Deo dignum reddendum. 2. Tim. 3:16,17. & præterea non certis duntaxat hominibus ac temporibus, ſed omnibus, & hominibus, & locis, & temporibus accommodata eſt: tum etiam ſingulari ſua *efficaciâ*, qua intimos hominis ſenſus penetrat, eoſque afficit, & univerſæ ejus animæ ſe inſinuat ac infundit, ipſamque conſcientiam affari & permovere intimè poteſt ad humilitatem, ſanctitatem, conſolationem, alioſque ſpirituales ac divinos motus; quod nullus humanus ſermo iſthoc modo præſtare unquam potuit. Ita ut ſine hac doctrina veræ ſapientiæ defectus in mundo fuiſſet. *Nam hac eſt ſapientia & prudentia*, hæc ipſa eſt, propter quam *populus ſapiens & prudens dicitur*. Deut. 4:5,6,8. *Cum enim in ſapientiâ Dei mundus non cognoverit Deum per iſtam ſapientiam, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvare credentes. Stultum enim Dei ſapientius eſt hominibus*. 1. Cor. 1:21,25.

ſcriptionis illius genius; IX. Nec minus ſe exſerit Scripturæ divinitas ſcriptionis, quæ in illa adhibita eſt, *charactere* ac *ſtylo*: qui admirabili majeſtate ac ſimplicitate fulget. Atque ad hanc notam pertinent quoque clariſſima illa rerum maximarum vaticinia, *indicantia à principio finem, & ab antiquitate quæ nondum facta ſunt*, complementis ſuis roborata. Eſai. 46:10. Unde falſi dii provocantur, ut *cauſam ſuam producant, & indicent ea quæ obventura ſunt*, & *priora quænam ſint* indicent. Eſai. 41:21. Itemque admirandus ille univerſæ Scripturæ conſenſus, in ſcriptoribus natione, ingenio, locis, & tanto temporum intervallo, diverſis.

Scriptorum ingenuitas; X. Nec prætereunda *cauſarum adminiſtrarum* quarum operâ Deus in ſcribendo uſus eſt, conſideratio; eorum enim ingenuitas in propriis aliorumque nævis non diſſimulandis: ut in nævis Moſis & Aaronis, *quod non crediderint Jehovæ, ut ſanctificarent ipſum ante oculos Iſraëlis*. Num. 20:12. & Davidis, cum ſe ipſum polluiſſet adulterio & homicidio. 2. Sam. 11:1. & diſcipulorum Chriſti. Matth. 26:9,74. & univerſa vitæ ratio, ac inſtitutum, ab omni fraudis ac doli ſuſpicione alienum abunde eos abſolvit.

XI. *Ad-*

Digitized by Google

XI. *Adjuncta* quod ſpectat, confirmat Scripturæ divinitatem ejus *Antiquitas* ſupra omnia humana ſcripta; unde & ſola mundi origines pandit, indeque exorditur: deinde ejus *Conſervatio* in continua hoſtium ac perſecutorum rabie & inſidiis, & quidem juxta promiſſionem; cum tot præclara veterum monumenta perierint: & populorum quoque ac ſæculorum *conſenſus*; qui hoc verbum tanquam pretioſum divinæ veritatis depoſitum exceperunt, eoque ad Dei amorem ac cultum, & honeſta omnia accenſi ſunt. Neque vero credibile eſt, Deum, ſi genus humanum curat, permittere potuiſſe, ut tanta hominum multitudo, quæ Deum ipſum ſummo ſtudio quærebat, mendacibus libris deciperetur. Accedit tandem operum & *miraculorum*, quæ in hiſce libris narrantur, divinitas, quæ Deum auctorem prorſus clamant, adeoque divinitatem verbi hujus confirmant. Uti videre eſt in miraculis coram Pharaone editis à Deo in eductione Iſraelitarum ex Ægypto. Exod. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 14. Capp. in exſiccato Jordane. Joſ. 3. in Ezechia ſanitate reſtituto. Eſai. 38. in converſione Pauli apparitionibuſque ei factis. Act. 22. *eius adjuncta,*

XII. Idem tandem probant Scripturæ ac Doctrinæ hujus *effecta.* Illi enim accepta ferri debet mundi converſio, idololatriæ extirpatio, & in hominum, qui ante corruptiſſimi degebant, animis fidei ac amoris Dei inſtillatio, inaudita tot martyrum conſtantia &c. Euangelium enim *potentia Dei eſt ad ſalutem omni credenti.* Rom. 1: 16. *Sermo Dei vivus eſt & efficax & penetrantior omni gladio ancipiti.* Hebr. 4: 12. *& effecta.*

XIII. Atque hæ ſunt Notæ & gnoriſmata, quibus Scriptura ſeſe omnium conſcientiis commendat, & tanquam lux aliqua ultro hominum animis ſe ingerit. Quare Paulus *declaratione veritatis commendabat ſeipſum apud omnem conſcientiam hominum, in conſpectu Dei.* 2. Cor. 4: 2. Nec audiendi adverſarii, haſce notas elevantes, cum fidem omnem ſolâ auctoritate niti cavillantur, non autem talibus argumentis artificialibus adjuvari debere contendunt: cum omnino fides, antequam credat, divinitatis ſaltem notas in teſte videri debeat, nec aliter ipſi credere poſſit; nam ubi deſunt idoneæ alicui credendi rationes, teſtimonium ejuſmodi teſtis nullum eſt, nec fidem ullam meretur.

XIV. Quinto præter hæc argumenta ἔντεχνα & interna, dantur etiam ἄτεχνα, ſive externa & adſcita, ſeu teſtimonia, cum divina, tum humana. Humana ſunt, tum Eccleſiæ (de quo cap. ſeq.) tum eorum, qui extra Eccleſiam ſunt, quales ſunt Judæi, Gentiles, hæretici, qui omnes hiſce libris teſtimonium aliquod perhibent. *Ut & ex teſtimoniis Scripturæ probatur: tum humanis.*

XV.

tum divino; eoque vel externo, XV. Divinum teſtimonium eſt, tum *externum*; cum verbum illud, quod divinitatis argumenta in ſe continere, ſeu ut barbarè loquuntur, quod materialiter divinum eſſe jam cognovimus, plurimis in locis divinitati ſuæ, ſecundum expreſſam ſeu formalem ejus rationem, teſtimonium præbeat. *Habent Moſen & Prophetas: illos audiant.* Luc. 16:29. *Scrutamini Scripturas, quia exiſtimatis vos in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ de me teſtantur.* Joh. 5:39. *Sacræ literæ poſſunt hominem ſapientem reddere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* 2. Tim. 3:15. tum *internum* Sp. S. quo Scripturæ divinitas & certitudo in animis noſtris efficaciter obſignatur, ut de ea non ſolum convicti, ſed & perſuaſi, eas accipiamus, tanquam ſermonem Dei, & Deo dignum, eumque amemus, & omni animi affectu ac obſequio colamus; denique nos ipſos noſtraſque animas ejus regimini libenter permittamus ac dedamus. *Revela oculos meos, ut cernam mirabilia ex lege tua.* Pſal. 119:18. *Dominus Lydiæ cor adaperuit, ut attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo.* Act. 16:14. *Qui dixit ut e tenebris lux ſplendeſceret, ille eſt qui ſplenduit in cordibus noſtris, ad præhendum lucem notitiæ.* 2. Cor. 4:6.

vel interno Sp. S.

XVI. Hoc teſtimonium, & hanc operationem Internam Sp. S. agnoſcunt etiam Pontificiorum primarii (nec alii eam negare poſſunt, quam Pelagiani, & liberi arbitrii patroni) ita ut controverſia ſolum ſuperſit de medio & argumento, quo Sp. S. divinitatem Scripturæ nobis perſuadet, an illud ſit Eccleſiæ teſtimonium, juxta Pontificios; an vero illæ ipſæ notæ divinitatis, Scripturæ impreſſæ, quas Sp. S. illuminatione ſua nobis oſtendit, quaſque nos plenâ in luce videre facit: neque enim perſuaſio ejus bruta, aut ſine ratione eſt.

Quod fidei non eſt principium, vel argumentum, ſed cauſa. XVII. Quantumvis autem hæc illuſtratio mentis per Sp. S. ad fidem ſit neceſſaria, ejuſque ſit cauſa efficiens: non tamen eſt argumentum, vel principium, propter quod hoc vel illud credamus; verum illud eſt ipſum verbum divinum recte perceptum. Credimus enim *per* perſuaſionem Sp. S. non vero *propter* illam, ſed propter rationes, quas nobis Spiritus S. in Scriptura S. oſtendit. Sicut etiam ad veritates naturales percipiendas requiritur lumen rationis; ſed iſtud lumen non eſt argumentum & ratio, cur huic vel illi veritati aſſentiamur, ſed hoc præſtant rationes ex naturâ rei deſumtæ.

XVIII. Duplex ergo eſt cauſa perſuaſionis noſtræ de divinitate Scripturæ: ſi ſpectes principium doctrinale fidei, in quam fides ſe ultimo reſolvit, illud eſt Scriptura ipſa, & Dei in eâ loquentis auctoritas, quam ex certiſſimis notis agnoſcimus: ſi cauſam ejus efficientem con-

Digitized by Google

conſideres, quæ actum credendi in nobis producit, ea eſt Spiritus S.

XIX. Nullus ergo hic eſt circulus, cum diverſi ſint reſpectus. Fides enim, quoad rem creditam, pendet ab ipſa Scripturæ divinitate, ex characteribus ejus cognitâ; quoad actum credendi verò ab operatione Spiritus S.

XX. Male ergo Sociniani internam hanc Sp. S. operationem rejiciunt, ut rationis integritatem tueantur. Male etiam Pontificii, qui cæteroquin hanc Spiritus S. operationem agnoſcere videri volunt, nobis affingunt Spiritum privatum & Enthuſiaſticum: cum Spiritus, quem nos ponimus, toti Eccleſiæ à Deo datus ſit. *Præceptum hoc quod ego præcipio tibi, occultum non eſt à te, ſed propinquum eſt tibi verbum hoc valde in ore & in animo tuo ad faciendum illud.* Deut.30: 11, 14. *Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam.* Jer.31:33. *Accepimus Spiritum qui eſt ex Deo, ut ſciamus quæ Deus nobis eſt gratificatus.* 1.Cor.2.12. *Habentes eundem Spiritum fidei.* 2.Cor.4:13. & potius privatus ſit Spiritus quem Pontificii Papæ & Epiſcopis, in concilio ſedentibus, tribuunt, qui cæteris fidelibus totique Eccleſiæ non ſit datus, quique illos præſtet infallibiles.

Qui non eſt Spiritus privatus, ſed communis toti Eccleſiæ:

XXI. Quod vero quærunt de certitudine hujus teſtimonii, quomodo id diſcerni poſſit à vanis imaginationibus & enthuſiaſmis; id pariter de Spiritu adoptionis, cæteriſque ejus operationibus in animis fidelium quæri poſſet. Et verò aliud eſt, quærere, quo pacto quis in propria conſcientiâ hujus teſtimonii certus eſſe poſſet; nam illud propriam lucem ſecum fert, nec dubitare fidelem ſinit, ſicut quis ſperans, credens, amans, ſcit ſe credere, amare; aliud eſt quærere, quomodo perſuadeat aliis vana hæç non eſſe, nec ludibria aut errores mentis: tum enim non revelationes proferendæ ſunt, ſed argumenta.

quique à fallaci perſuaſione diſcerni poteſt.

XXII. Ex hiſce ergo teſtimoniis & argumentis patet Scripturæ divinitas. Hæc autem univerſæ Scripturæ, omnibuſque ejus partibus æque convenit. Quod obſervandum, tum contra Pontificios, qui inter verbum ſcriptum & non ſcriptum diſtinguunt, & quædam auctoritatis divinæ, quædam Apoſtolicæ, quædam Eccleſiaſticæ faciunt: tum contra Remonſtrantes quoſdam, qui diſtinguunt inter leges Chriſti & Apoſtolorum per Sp. Chriſti conditas, & alias, quas privato inſtinctu condiderunt.

Hæc divinitas communis eſt univerſæ Scripturæ.

XXIII. Scriptoribus ſacris accenſeri etiam debent ſancti homines, qui ſacro inſtinctu locuti ſunt, ut Johannes Baptiſta, Zacharias, Beata Virgo &c. Sermones amicorum Jobi quod ſpectat, ii non ſunt

pariter *αὐτόπται*, cum in theſi veri & pii quidem ſint; quemadmodum & illos citat Paulus 1.Cor.3:19. Conf. Job. 5: 13. in hypotheſi autem cenſurâ divinâ notati. Job.42:7.

XXIV. Diſcrimen etiam non facit multiformis divinæ *παιδείας τρόπος*; ſive Deus imperantis, ſive hortantis, ſive optantis, ſive conſilium dantis more ac modo loquatur. Quo obſervato diſcrimen illud perverſum intet præcepta & conſilia divina cadit. *Conſilium do tibi, ut emas à me aurum* &c. Apoc. 3: 18.

De mandato ſcribendi: quod duplex fuit; externum. XXV. Scribendi porrò mandatum ſanctis ſcriptoribus datum quod attinet, duplex illud fuiſſe legimus: primò *externum*; idque vel *generale*, nam Prophetæ & Apoſtoli univerſam Eccleſiam docere jubentur. Judæorum enim erat *recordari legem Moſis*, ejus *ſtatuta & jura*. Mal.4:4. *audire Moſem & Prophetas*. Luc. 16: 29. Apoſtoli itidem jubentur docere omnes gentes. Matth.28:19. Id autem cum viva voce fieri non poſſet, ſcripto peragi neceſſe erat: vel *ſpeciale*, quale datum Moſi, ut inſcriberet *hoc monumentum libro*, & insereret *in aures Ichoſchua*. Exod.17:14. & 34:27. Prophetis. Eſai.8:1. Jer. 30:2. Habac.2: 2. & in Nov. T. Apoſtolis. Apoc.1:11. Rom. 16: 26. deinde *internum*, *& internum.* per inſtinctum & impulſum Sp. S. *à quo ſancti Dei homines acti, loquuti ſunt*. 2.Pet.1:22. *Omnis enim Scriptura à Deo inſpirata*. 2.Tim.3:16. Quæ inſpiratio etiam majus quid eſt, quam præceptum externum, cum ſcribentem non ſolum obliget, ſed & adjuvet.

XXVI. Ut vel hinc in tranſitu pateat, quam male Pontificii negent Nov.T. juſſu & inſtinctu Dei exaratum eſſe: & quam præpoſtere ſpeciatim Bellarminus inſpirationem non-nunquam concedat, præceptum autem neget.

Ut Scriptura non ſint occaſionaliter ſcripta, ſed mandato, XXVII. Falluntur quoque Pontificii, cum volunt libros ſacros occaſionaliter tantum ſcriptos: ut nimirum non omnia in iis contineri videantur. Neque enim de omnibus S. Scripturæ libris hoc dici poteſt. Non ex.gr. de libris Moſis, Euangelio & Apocalypſi, aliiſque: neque etiam pugnat Prophetas & Apoſtolos occaſiones ſcribendi oblatas arripuiſſe, & tamen mandato divino ſcripſiſſe, cum Sp. S. occaſiones iſtas arripere eos voluerit, atque iſtoc pacto non ſolum ad particulares iſtos cœtus & homines, ſed & ad univerſi orbis ac omnium temporum fideles loqui. *Et obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur: fili mi*, &c. Heb.12:5. *Ipſe enim dixit, non te omittam, neque te derelinquam*. Heb.13:5.

& inſpiratione divina. XXVIII. Scripſerunt autem hi ſcriptores afflatu & ductu Sp. S.

tan-

Digitized by Google

tanquam ejus organa. *Omnis Scriptura divinitus eſt inſpirata.* 2. Tim. 3: 16. *Non enim libitu hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti à Sp. S. locuti ſunt Dei homines.* 2. Pet. 1:21. Quod tamen factum cum aliquâ varietate. Quædam enim à Deo audita aut revelata mero amanuenſium miniſterio ſcripſerunt. Quædam etiam hiſtoricè, tum narrando, tum docendo, commentati ſunt ſecundum *ſapientiam ſibi datam.* 2. Pet. 3: 15. Nonnulla etiam ipſi dictarunt tanquam miniſtri fideles & prudentes in domo Dei, juxta accepta Sp. S. dona. Sicut *in tota domo Dei fidelis erat Moſes; cum quo ore ad os loquebatur Jehova.* Num. 12: 6, 7. & *ſententiam* ſuam *dixit* Paulus, *viſus ſibi habere Spiritum Dei.* 1. Cor. 7: 25, 40. Atque ita non ſolum ipſæ res, ſed & verba tanquam verba Sp. S. accipi debent; quæ tamen Sp. S. ſuaviter contemperavit ingenio & donis ſpecialibus cujuſque ſcriptoris. Unde illa ſtyli dictioniſque varietas.

XXIX. Unde conſequitur, ſine errore omni libros hoſce ſcriptos eſſe. Sic Euangeliſta profitetur, ſe, quæ ſcripſit, *penitus aſſequutum fuiſſe,* ut *agnoſcatur earum rerum veritas, quæ auditione acceperant.* Luc. 1: 3, 4. Et *Spiritus veritatis* Apoſtolos *deduxit in omnem veritatem.* Joh. 16: 13. Unde & *tota Scriptura* Θεόπνευστος dicitur. 2. Tim. 3: 16. Imo etiam aliunde patet ſcriptores ſacros errare nec potuiſſe, nec voluiſſe: non illud, cum ea ſcriberent, quorum oculati plerumque fuerant teſtes; ut in N. T. à Baptiſmo Johannis uſque ad diem aſcenſionis Chriſti. Act. 1: 21, 22. *annunciantes* nobis, *quod audiverunt, quod oculis ſuis viderunt, quod ſpectaverunt, & manibus ſuis contrectaverunt.* 1. Joh. 1: 1. non hoc, cum à mendacio ipſius doctrinæ, quam tradebant, religione prohiberentur. Et cui bono aliter egiſſent? Neque enim famam aut opes hac ratione venari poterant (obſtabat enim doctrinæ ipſius genius; quæ inania hæc contemnere homines docebat, ſed potius mortem ac cruces ſibi inſtare cernebant) nec ſi falſa ſcripſiſſent, idque coram eo ipſo populo, ubi recens hæc geſta erant, latere poterant. Ita ut mendaces eſſe non potuerint, niſi & peſſimi & ſtultiſſimi mortalium ſimul fuiſſent.

Inde ſcripſerunt ſine omni errore.

XXX. Cum vero tota Scriptura ita divinitus inſpirata ſit, hinc illi proprium eſt, quod eâ nihil falſi contineatur. Inde etiam nihil in eâ docetur quod repugnantiam includat: ſic enim falſum doceret, ſi pugnantia doceret: eorum enim ſemper unum verum eſt, alterum falſum: plura enim diſcrepantia ſimul vera eſſe non poſſunt, nec poteſt res duplicis naturæ eſſe. Lubentes tamen fatemur, Scripturam, cum à Deo profecta ſit, poſſe nos quædam de rei alicujus natura docere, quæ ra-

ideoque in tota Scriptura nihil ineſt falſi, nec ſibi ipſi repugnantis.

Digitized by Google

ratione naturali non continentur, ſed quæ ſupra rationem ſunt, licet non contra eam.

XXXI. Ut hic ceſpitent Sociniani, & qui cum illis ſentiunt, volentes 1. doctrinam quidem S. Scripturæ divinam eſſe, non autem ſingula ejus verba. Contra loca Marc. 13: 11. *Ne ante ſolliciti eſtote quid dicturi ſitis, ſed quicquid datum fuerit vobis illo momento, id loquimini; non enim eſtis vos qui loquimini, ſed* Sp. S. coll. cum 2. Tim. 3: 16. *Tota Scriptura eſt* Θεόπνευστος. 2. Scriptores ſacros in rebus quibuſdam minoris momenti, præcipuè hiſtoricis, errare potuiſſe, imò aliquando erraſſe. Contra dictum 2. Tim. 3: 16. *Nec enim lubitu hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti à Spiritu S. loquuti ſunt ſancti Dei homines.* 2. Pet. 1: 20, 21. *Dicta Iehovæ ſunt dicta pura*, &c. Pſal. 12: 7. *Doctrina ejus integra eſt, teſtimonium ejus verax. Mandata Iehovæ ſunt recta, preceptum ejus purum.* & 19: 8, 9. Hoc enim ſi admittatur, univerſa Scripturæ fides labaſcit, & dubia redditur.

XXXII. Quod autem exempla illa attinet, quæ hic objiciunt: notandum, quantum ad dogmata ac res graviores, cum ea ex immediatâ Dei inſpiratione ſcriptores ſacri hauſerint, eademque ſæpius repetant ac inculcent, in iis nullum eorum lapſum reperiri: ea autem, de quibus diſputatur, pleraque circumſtantias tantum quaſdam & modos rerum geſtarum concernere, ita ut religione ſalvâ etiam ignorari poſſint: & vero aliud quoque eſt, non definitè omnia exprimere, quod aliquando à S. ſcriptoribus fit, aliud vero, aliter exprimere ac res ſeſe habet, quod nunquam ab illis fit. Cum verò nobis nunc deſint rerum geſtarum annales, & lateant circumſtantiæ & minutiæ, ex quibus multorum locorum intelligentia pendet, noſtrâ hic confitenda eſt ignorantia, non vero ſcriptorum fides ſollicitanda: quin & levis hæc in quibuſdam diſcrepantia ipſos ab omni doli ſuſpicione liberat, ne videantur ex compacto egiſſe.

CAPUT V.

De Scriptura divina auctoritate.

Scriptura qualis AUCTORITAS.

I. ASſertâ divinitate Scripturæ, ultrò ſequitur ejus auctoritas, reſpectu noſtri. Circa quam duplex occurrit quæſtio; primò, unde auctoritatem eam Scriptura habeat; ſecundo, unde ea nobis innoteſcat: de quibus non rectè ſentiunt Pontificii, qui non uno modo hæc explicant.

II.

Digitized by Google

II. Majorum noſtrorum memoria papiſmi propugnatores omnem Scripturæ auctoritatem ab Eccleſiâ pendere ſtatuebant, ut ſine ea non major eſſet Scripturæ auctoritas, quam ex. gr. Livii, Fabularum Æſopi, Alcorani. *quomodo enervata à Pontificiis.*

III. Hoc autem, cum nimis crudum appareret, emollitum eſt à Pontificiis recentioribus, qui fatentur auctoritatem Scripturæ S. à nulla creatura conferri, ſed tamen quoad nos eam dependere volunt à judicio Eccleſiæ.

IV. Verum hi revera idem dicunt quod priores. Scripturæ enim auctoritas in ſe nullo modo differt ab ejus auctoritate quoad nos. Omnis enim auctoritas relativa eſt, & reſpectum ad alium neceſſariò includit; adeoque Scriptura nullam habet auctoritatem in ſe, niſi eam habeat reſpectu noſtri: atque hanc auctoritatem quoad nos ſi non habeat Scriptura niſi ex auctoritate Eccleſiæ, nullam habebit omnino niſi ex Eccleſiæ ejuſdem auctoritate.

V. Origo autem controverſiæ fuit, quod cum reciperent noſtri quædam ab Eccleſia tradita & commendata, ut Symbolum Apoſtolicum &c. alia autem rejicerent, ea nimirum quæ papiſmum conſtituebant, quia illa extra Scripturas erant: hinc urſerunt Pontificii auctoritatem Eccleſiæ, & ne libros quidem ſacros ſine illius auctoritate & commendatione recipi â fidelibus contenderunt. *origo hujus controverſia.*

VI. Nos potius diſtinguimus inter ipſam Scripturæ auctoritatem, quam reſpectu noſtri habet, & rationem per quam ea nobis innoteſcit. 1. Igitur vera cauſa auctoritatis Scripturæ quoad nos eſt ſolius Sp. S. inſpiratio, propter quam divina eſt & à Deo profecta. 2. Authentica autem ratio, unde ea nobis innoteſcit, dependet ab ejuſdem Sp. S. teſtimonio, quo nobis divinam illam Scripturæ auctoritatem, ex characteribus ipſi impreſſis, perſuadet. 3. Auctoritas teſtandi authenticè de verbo Dei propriè tantum tribui poteſt viris ſanctis, qui à Spiritu S. acti illud nobis tradiderunt. 4. Eccleſiæ verò nullæ aliæ hic ſunt partes, quam Scripturam illam commendare, & de eâ teſtari; idque miniſterialiter tantum, ut concivibus ſuis idem præſtabat mulier Samaritana. Joh. 4: 39, 42. *ejus plena deciſio.*

VII. Diſtinguendum porro eſt inter fundamentum fidei, quod tantum unicum eſt, nimirum cœleſtis veritas propriâ luce nobis affulgens, & argumenta, motiva, media, ac adjumenta fidei; quæ varia ſunt, cum variis argumentis & occaſionibus quis ad fidem adduci poſſit; atque hic etiam partes ſuas habet Eccleſia.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Multiplex enim hic Eccleſiæ eſt officium. Fungitur namque notarii vice, ad Scripturas aſſervandas. *Credita ei ſunt eloquia Dei.* Rom. 3:2. & præconis, qui eas promulgat, docendo *omnes gentes.* Matth. 28:19. & interpretis, habentis *prophetiam, ſecundum conformitatem fidei.* Rom. 12:6. & vindicis, qui eas tuetur, inſtar *columnæ & firmamenti veritatis.* 1. Tim. 3:15. Hæc autem omnia quæ muneris & officii Eccleſiæ ſunt, ad auctoritatem ejus rapi non debent. Scripturarum verò auctoritatem non dependere ab auctoritate ac judicio Eccleſiæ, ſic porro firmatum imus.

& confirmatio nimir. ſcripturæ auctoritatem non dependere ab Eccleſia.

IX. 1. Scriptura ipſa divinitatis ſuæ certitudinem ſecum fert independenter ab ullius cœtus vel tribunalis, vel hominum judicio: *ſermo enim Dei eſt.* 1. Theſſ. 2:13. & *potentia Dei ad ſalutem cuivis credenti.* Rom. 1:16. *Sermo meus & præconiatio mea non eſt in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis; ſed in demonſtratione ſpirituali & potente: ut fides veſtra conſiſtat in potentia Dei.* 1. Cor. 2:4.5. *Qui voluerit voluntatem facere illius, qui miſit me, cognoſcet de hac doctrinâ, an ex Deo ſit, an de me ipſo loquar.* Joh. 7:17. Nimirum Scriptura ipſa erudit nos, quid de ipſa ſit, modo inveniat dociles & paratos eam recipere.

X. 2. Eſt enim *lucerna*, quæ propriis radiis ſplendet, Pſal. 119:105. & 19:9. quæ & ipſa *illuſtrat* & aperit *oculos*, quæque *ſapientiam affert imperito*, ꝟs 8. & quæ *veluti lucerna ſplendet in obſcuro loco.* 2. Pet. 1.19. Ita ut non opus ſit teſti alicui inhærere, qui eam nobis oſtendat, ſed ſufficiat ſolum oculos aperire, & lumini ipſi, tam potenter ſeſe ingerenti, intentum eſſe.

XI. Cum ergo libri hi in ſeſe tam divini appareant, & cœleſtem prorſus lucem fundant, an recipi non poterunt niſi per externum teſtimonium Eccleſiæ? an hoc lumen ſplendore ac vi ſuâ non longè ſuperat quodcunque Eccleſiæ judicium? ſufficiat ipſi lucem hanc monſtraſſe, divinitatis notas oſtendiſſe; iſtis autem cognitis fides noſtra jam non teſtimonio Eccleſiæ, ſed ipſa illa luce & cœleſti veritate, tanquam communi fundamento, nitetur.

XII. 3. Ex adverſo autem Scripturæ auctoritatem ab Eccleſiæ teſtimonio ſuſpendere, quid aliud eſt, quam auctoritatem divinam humanæ ſubjicere, & Deo non aliter credere, quam hominis cauſa; atque ipſi non aliter loquendi poteſtatem & auctoritatem dare, niſi quatenus ei humani teſtimonii pondus accedit? quod eſt auctoritatem humanam divinæ præferre. Et ſane, an non credemus Jeſum in mundum

Digitized by Google

dum veniſſe, nos redemtos eſſe, dari reſurrectionem mortuorum, vitam æternam, &c. niſi quia homines id teſtantur? & an Eccleſiæ & certus alicujus auctoritate opus erit, ut credamus Moſen vera de mundi & Eccleſiæ incunabulis ſcripſiſſe, ipſumque fidelem ſervum in domo Dei extitiſſe?

XIII. 4. Chriſtus autem adeo humanum omne tribunal defugit, ut ne à Johanne quidem teſtimonium accipere ſeſe dicat. Joh. 5: 34. majus autem teſtimonium ſe habere aſſerat ỳs 32. illudque triplex ponit, 1. opera ſua, ỳs 36. 2. teſtimonium Patris, ỳs 37. 3. teſtimonium Scripturæ, ỳs 38, 39. Quod Scripturarum teſtimonium etiam Petrus 2. Ep. 1. 16-19. voci cœleſti in monte editæ præfert. Unde & Apoſtoli, cum Euangelium prædicabant, hac ſola doctrinæ ſuæ potentiâ & efficacia fideles afficiebant. Qui *excipiebant illum, non ut ſermonem hominum; ſed ſicut eſt vere, ut Dei ſermonem, qui etiam agit in illis qui credunt.* 1. Theſſ. 2: 13.

XIV. 5. Eccleſiam porro quod attinet, certum eſt, ejus judicium ſolum miniſteriale, humanum, atque adeo fallibile eſſe; imo & ipſum ad Scripturæ normam explorari debere: ſic enim de omni Spiritu in Eccleſiâ docente edicit Apoſtolus. 1. Joh. 4: 1. Scriptura autem cognita cum longe majoris ſit auctoritatis, nimirum divinæ, eam ab Eccleſia & humano judicio nanciſci non poteſt.

XV. 6. Quid, quod Eccleſiæ judicium Scripturæ divinam auctoritatem præſupponit: quibus enim argumentis vel quo teſtimonio Eccleſia ipſa perſuaſa eſt, eſſe quoſdam libros divinos, ut eos fidelibus pro talibus commendet? Debet nempe hoc eſſe, aut teſtimonium alterius eccleſiæ, & ſic in infinitum ibitur, aut certe ipſa lux & divinitas Scripturæ propriis radiis effulgens, atque adeo hæc jam prior & ſuperior agnoſcitur. Fatentur hoc adverſarii, cum Eccleſiam Scripturam non facere authenticam concedunt, ſed ſolum talem declarare, adeoque prius eam talem eſſe. Deinde & ſuam, quam habere ſe dicit, auctoritatem Eccleſia non aliter quam ex Scripturâ probat & deducit: adeoque ejus auctoritatem iterum priorem agnoſcit & ſupponit. Et in circulum hoc pacto incurrunt adverſarii, quem nobis injuſte exprobrant, dum ex Scripturâ auctoritatem Eccleſiæ docent, & rurſus Scripturæ auctoritatem ab Eccleſiâ ſuſpendunt.

XVI. 7. Sed & ipſa rerum experientia, & tot ſæculorum uſus, ab ipſo Eccleſiæ exordio, contrarium demonſtrant. Si quæ enim Eccle-

Digitized by Google

ſia hic aliquod ſibi vindicare poſſet, ea foret Judaica. Nam *indicat verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & jura ſua Iſraëli.* Pſal. 147:19. Et *prodiit Sione doctrina, & verbum Iehovæ Ieroſolymis.* Eſai. 2:3. Et *ſalus ex Iudæis eſt.* Joh. 4:22. *atque illis concredita ſunt eloquia Iehovæ.* Rom. 3:2. Non tamen vel Moſes, vel Prophetæ ab ea auctoritatem ſuam mutuati ſunt, aut ſcripta ſua hominum aliquorum in cathedrâ ſedentium judicio aut tribunali ſubjecerunt, quia ea prius divina declararent: ſine interventu enim humanæ auctoritatis dicitur, *qui Moſi crediderint*, credent *etiam* Chriſto, *nam* Moſes *de illo ſic ſcripſit. Quod ſi ſcriptis illius non crediderint, quomodo verbis illius credent?* Joh. 5:46, 47. Sed & invitis ſæpe Eccleſiæ doctoribus ea publicarunt. Jer. 8:8. & ſeqq.

XVII. In Eccleſia autem Novi Teſt. trium ſæculorum ſpatio nulla Eccleſiæ determinatio de ſacris libris fuit facta. Primum vero Concilium quod librorum canonem confecit, fuit Laodicenum: iſtud autem auctoritatem divinam iſtis libris non contulit, vel conciliavit, ſed eos libros ſemper à fidelibus pro divinis habitos fuiſſe docens & præſupponens, canonem & catalogum eorum ſolum dedit, eumque teſtimonio ſuo confirmavit. Et cum nullum quoque aliud hujus concilii potuerit eſſe fundamentum, quam ipſa horum librorum interna auctoritas & divinitatis notæ, hoc eodem quoque fundamento ſimiliter ſingulorum Chriſtianorum fides nitetur, non autem Eccleſiæ vel nomine, vel auctoritate.

XVIII. Auctoritatem ergo tantam Eccleſiæ Romanæ, vel illius doctoribus, vel Papæ, velle tribuere, quæ ne quidem ulli eccleſiæ antiquæ convenit, nihil aliud eſt, quam introducere beſtiam Apocalypticam, & imaginem beſtiæ facere, eamque adorare. Apoc. 13.

Adverſariorum objectiones.

XIX. Objiciunt adverſarii. 1. Scripturam ſaltem ſeipſam & ſuam auctoritatem non poſſe probare, nec de ſeipſa teſtari, nec controverſias quæ de ipſâ agitantur finire, adeoque ad ſuperiorem quandam auctoritatem confugiendum, nimirum Eccleſiæ. Sed jam oſtendimus Scripturam continere in ſeſe notas & characteres divinitatis ſuæ, & cœleſtem quandam lucem ſpargere, eamque oculis intuentium offerre, ex qua *cognoſcet* fidelis *de doctrinâ Chriſti*, *quod ex Deo ſit.* Joh. 7:17. *mandata* enim *Iehovæ ſunt recta: præceptum Iehovæ purum, illuſtrans oculos.* Pſal. 19:9. nullo vero modo probationes divinitatis ſuæ aliunde, vel ab hominum quocunque cœtu vel ſede emendicare. Vide Joh. 8:13, 14. ubi Chriſto idem à Phariſæis objiciebatur, quod proprio teſtimonio ſe ven-

Digitized by Google

venditaret. Sicut autem ille ad opera ſua provocabat, ibid. & cap. 5:32. *Alius* (inquit) *eſt, qui teſtatur de me, & ſcio firmum eſſe teſtimonium quod teſtatur de me.* Ita & effectus atque operationes Scripturæ divinitatem illius oſtendunt; atque adeo ſibi ipſi teſtimonium præbet, non auctoritativè, ſed ratiocinativè.

XX. Inſtant. Quis autem certos nos reddet, non errare nos in diſcernendis iſtis S. Scripturæ notis? Reſp. Dat nobis Deus notas illas diſcernere eadem gratiâ & illuminatione Sp.S. qua nos facit percipere ipſam doctrinam, pro variâ menſurâ intelligentiæ cuique conceſſâ. Similiter ac olim, cum vox Dei viva ſonaret Patriarchis, non diſcernebatur illa à certo quodam tribunali, ſed ipſa tantâ ſonabat efficaciâ, ut divinitas ejus ſine ulla dubitatione crederetur, nec metus eſſet illuſionis diabolicæ.

XXI. Porrò autem objiciunt, Scripturas multiplici vitio laborare, quoſdam libros è ſacro codice deperditos, textum eſſe corruptum, verſiones infidas & incertas, nec dari viam, qua ſimplex Chriſtianus proprio ingenio ex hiſce dubiis ſe extricare poſſit: ut ita vel invitos ad auctoritatem Eccleſiæ agnoſcendam nos compellant. Reſp. 1. Diſtinguendum eſſe in S. Scripturâ inter ſubſtantiam ejus, doctrinam nempe ſacram, & verba fundamenti ac fœderis Dei, & inter externa iſta adjumenta ac organa, per quæ illa doctrina hominibus communicatur, qualia ſunt ipſæ libri. S. verſiones, & quodcunque hominum circa illa miniſterium. Doctrina ipſa, & hoc verbum Dei vivum, ſeſe ipſum oſtendit, & cordibus electorum per operationem Sp.S. potenter inſinuat, non obſtante defectu vel vitio quocunque in organis iſtis externis. Non enim ab illis fides vel ſalus noſtra pendet, ſed à doctrina ipſa iis contenta. Atque hoc pacto ſimplex Chriſtianus audiens prædicari Chriſtum crucifixum, tam potenter verbo eo afficietur, ut abſolutè de eo certus futurus ſit; etſi nec græcè nec hebraicè noverit, & verbum per homines fallibiles ipſi prædicatum fuerit: atque vi illius luminis ſuperabit omnia dubia, quæ vel doctiſſimos exercent; juxta pactum Jehovæ ratum: *Indam leges meas cordibus eorum, & mentibus ipſorum inſcribam eas.* Hebr. 10:16. *Erunt* enim *edocti omnes à Deo.* Joh. 6:45. 2. Sed & reponi hæc objectio adverſariis meretur; nam Concilia, Pontificum decreta, aliaque quibus ipſorum fides innititur, vel maximè incerta, & plurimum ſuppoſititia ſunt: atque univerſum Eccleſiæ miniſterium, cui tamen plebem Chriſtianam aſtringunt & ſubjiciunt, etiam fallibile eſt. Unde ergo certitudo fidei apud adverſarios? Nos

Digitized by Google

autem facile nos expedimus, dicentes doctrinam ſacram vi ſuâ propriâ pollere, & defectum organorum ſuperare, & licet per homines fallibiles prædicatam, tamen plenam ſui fidem in cordibus fidelium facere.

XXII. Quærunt ulterius: unde ſciam hos vel illos libros S. Scripturæ divinos eſſe, & à tali ſcriptore, quem præferunt, conſcriptos: atque hic ad Eccleſiam iterum confugiunt, quæ hoc ab Apoſtolis acceperit, & nobis tradiderit. Reſp. Probat quidem Eccleſiæ teſtimonium, & continua temporum ſucceſſio, à quo auctore ſcriptum aliquod profectum ſit: eſt autem hæc quæſtio prorſus hiſtorica, & fides ea cognitione carere poteſt. Sed ejus intereſt ſcire potius, an doctrina, eo ſcripto contenta, ſit divina, & à Sp. S. profecta: hoc autem credere nos facit non Eccleſia, ſed lumen internum ex ipſo illo ſcripto hauſtum.

XXIII. Pergunt: Canonem ſaltem ſacrorum librorum Eccleſiæ auctoritate confectum & nobis traditum eſſe. Reſp. 1. Eccleſiam canonem S. librorum non proprie auctoritate quâdam, quâ tales vel tales libros pro ſacris haberi edixerit & juſſerit, condidit, ſed libros eos accepit, agnovit, catalogumque eorum tradidit, ut mox videbimus. 2. Neque hæc confectio canonis ac catalogi ſacris libris auctoritatem ſuam conciliat: non magis quam confectio inſtrumenti per notarium hæredibus jus ad hæreditatem dat. 3. Nec etiam talis librorum canon propriè ad ſalutem neceſſarius eſt, ut ex hiſtoria naſcentis Eccleſiæ patet; integris enim ſæculis canon completus defuit. Fides enim non externo codice, ſed doctrina eo contentâ nititur.

XXIV. Ad dictum Auguſtini, *Non crederem Euangelio, niſi catholica Eccleſia me commoveret auctoritas*, contr. Epiſt. Fund. c. v. Reſp. loqui ibi Auguſtinum de via & auxiliis quibus catechumenus (cujus perſonam ibi aſſumit) adducitur ad fidem; inter quæ vel præcipuum eſt teſtimonium Eccleſiæ, quæ vicem teſtis & indicis ſupplet: non vero de fundamento, cui fides inniti debeat, ut conſtat ex cap. xiv. 2. Sub illa Eccleſiâ comprehendit vel maximè Apoſtolos, eorumque miracula. 3. Scripturæ autem eminentiſſimam auctoritatem tribuit, & ex eâ contra Manichæos in iſtâ diſputatione pugnat.

CAPUT VI.

De libris Canonicis, Apocryphis ac Suppoſititiis.

Libri canonici unde dicti.

I. Videndus nunc S. Scripturæ canon, unde canonica dicitur, quia fidei ac bonorum operum regula, ſeu canon eſt. *Quicunque ſecun-*

cundum hunc canonem, *regulam*, *incedent*. Gal. 6: 16. Veteribus autem canonici hi libri dicebantur, quia continebantur intra catalogum, ſeu indicem ſacrum, quem κανόνα appellabant: unde diviſio librorum in κανονικοὺς & ἀκανονίκους, apud Athanaſium alioſque.

II. Libri hi Canonici ſunt, vel Vet. vel Novi T. unde & ἐνδιάθηκοι veteribus dicebantur. Vet. Teſtamenti libri ἐνδιάθηκοι ſunt 39. Joſepho & antiquioribus Judæis 22. recentioribus 24. unde עשרים וארבעה *Eſrim vearba* iis dicti, aliis etiam 27, pro varia quorundam librorum combinatione, vel diſtinctione. *Qui enumerantur; prout ſunt, vel V. T.*

III. Libros hoſce Hebræi dividunt in תורה *Thora*, legem, נביאים *Nebijm*, prophetas, & כתובים *Cetubim*, ſeu Hagiographa; quæ ultima Chriſtus ſub Pſalmis, ut præcipuâ eorum parte, comprehendere viſus eſt. Luc. 24: 44. Quamvis alias in N. T. ſimpliciter in Legem & Prophetas dividantur. Matth. 5: 17. Luc. 16: 29. Act. 28: 23. *& hac ratione dividuntur,*

IV. Lex pentateuchum חמשה חומשי תורה *Chamiſcha chomiſche thora*, h. e. quinque quintas Legis, comprehendit: in quo nomina quædam locorum tempore Moſis incognitorum, atque alia quædam, ab Ezra aut alio ſcriptore ſacro deinceps addita eſſe videntur. *in legem*

V. Prophetæ ſunt vel priores נביאים ראשונים *Nebijm Riſchonim* dicti, qui ſunt libri Hiſtorici, poſt Moſem uſque ad diviſionem imperii Iſraëlitici ſcripti; & poſteriores, נביאים אחרונים *Nebijm Acharonim*, qui poſt diviſionem tribuum floruerunt: tres nimirum majores, & 12 minores, תרי עשר *Tere Aſar*; qui ultimi uno libello continentur, qui inde *liber Prophetarum* dicitur. Act. 7: 42. *Prophetas*

VI. כתובים *Cetubim* ſunt 11. Verba Dierum, ſeu Chronica, Eſther, Ezra, Nehemia, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Liber Job, Daniel, (quem male Prophetarum choro eximunt, aut reliquis ſaltem inferiorem habent Judæi; contra Matth. 24: 15. ubi *Daniel* titulo *Prophetæ* ab ipſo Chriſto inſignitur) & Threni. Ut male Proverbiorum auctoritatem elevent, & inter Apocrypha ea detrudant Sociniani. *& Hagiographa.*

VII. Libri Novi T. ſunt 27. Hiſtorici 5, Epiſtolæ Paulinæ 14, & 7. aliorum, Catholicæ vulgo dictæ, quia ſcriptæ ſunt ad Judæos diſperſos; vel quia ſub unâ formulâ ad diverſos miſſæ videntur: denique unus propheticus, Apocalypſis. *Vel N. T.*

VIII. De quibuſdam horum aliquando dubitatum fuit, unde & veteribus ἀντιλεγόμενοι dicti; ut de Petri epiſt. poſteriore, de Jacobi, Judæ, ac duabus poſterioribus Johannis, & Pauli ad Hebræos epiſt. ac de *Quorum aliqui aliquando dubii fuere*

 Apo-

Digitized by Google

Apocalypſi. Verum poſtea re compertâ, ac teſtimoniis indubiis evictâ, communi aſſenſu deinceps inter canonicos recepti ſunt : etſi de ſcriptoribus quorundam librorum etiam nunc à quibuſdam dubitetur & diſputetur.

de Epiſtola ad Hebræos.

IX. Speciatim epiſtolam Pauli ad Hebræos, & olim quidam ex veteribus, Latinis, & hodie adhuc Sociniani impugnant, & ſuſpiciones contra eam movent: verum Pauli eam eſſe, & conſenſus Græcæ Eccleſiæ; & nomen ejus in titulo conſtanter præſcriptum; & Petri teſtimonium, Paulum etiam ad Hebræos ἐν διασπορᾷ ſcripſiſſe indicàntis. 2. Epiſt. 3: 15. & Timotheus, Pauli itinerum comes, in ea memoratus. Cap. 13:23. denique ſolita Apoſtolo ſalutatio & clauſula, *Gratia Domini noſtri J. Chriſti ſit cum omnibus vobis.* Amen. Hebr. 13:25. conf. 2. Theſſ. 3: 17. ſatis, inter plura argumenta, evincunt.

X. Reliquos autem libros ab iis conſcriptos eſſe, quorum nomina præferunt, nulla cauſa dubitandi eſt, niſi & eodem modo de quibuſcunque ſcriptoribus, qui in manibus verſantur, dubitare libeat: deinde libri hi jam antiquiſſimis temporibus, cum de ea re conſtare poſſet, talibus auctoribus adſcripti ſunt: & ipſa quoque ſcriptorum quorundam autographa adhuc ſuo tempore extitiſſe, auctor eſt Tertullianus.

Canonis conſtitutio quomodo facta:

XI. Atque hi ſunt libri ſacri, qui ad canonem pertinent. Videnda nunc ejus conſtitutio. Perperam vero hic Pontificii nonnulli ſcripturarum canonem conditum ab Eccleſiâ volunt, imo ejus auctoritate eum quotidie adhuc augeri poſſe; quod Jus Canonicum, Stapletonus, & alii affirmant. Cum nullius hominis auctoritate liber aliquis divinus fieri poſſit, qui antea talis non fuit; quamvis Eccleſia librum, quem canonicum deprehendit, agnoſcere & talem declarare poſſit.

circa libros V. T.

XII. Quod autem ad Vet. Teſt. canonem attinet, collectum eum ſtatuunt Judæi poſt captivitatem Babylonicam à Synagogâ magnâ, de quâ Eſr. 7. agi volunt, eique præfuiſſe Eſram, interfuiſſe autem prophetarum ultimos & ſapientes ac Legiſperitos multos alios, uſque ad 120. Verum cum nihil de illo conſeſſu apud Eſram occurrat, ſuſpecta hæc merito videntur. Sufficit eum approbatum eſſe à Chriſto, qui profeſſus eſt, ſe non *veniſſe, ut diſſolvat legem aut prophetas : non enim* (inquit) *veni, ut eam diſſolvam, ſed impleam. Amen quippe dico vobis, uſque dum præterierit cœlum & terra, jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex lege, uſque dum omnia facta fuerint* &c. Matth. 5:17, 18, 19. ſicut & *Moſes ab ætatibus antiquis oppidatim habebat, qui ipſum prædicent, quum in Synagogis per ſingula Sabbata legatur.* Act. 15: 21. Et jam ante

ejus

ejus tempora obſignatum à Malachiâ, S. ſcriptorum ultimo, qui jubet *recordari legis Moſis* &c. Mal. 4:5, 6.

XIII. Indubius autem ille eſt. Nam libri legis à Moſe ipſo profecti, atque ſacrario illati ſunt. Deut. 31:26. Prophetici quoque non clam fuêre compoſiti, ſed partim publicis miniſtris traditi, partim viventibus adhuc prophetis editi, & clariſſimis miraculis confirmati ſunt. Conſervando autem S. codici invigilavit Eccleſiæ fidelitas, *cui credita erant τὰ λόγια τοῦ θεοῦ.* Rom. 3:2. Quo acceſſit ſcribarum ſtudium ac induſtria, ac continua legis prælectio, tum ſollemnis, anno ſabbatico. Deut. 31:10, 11. tum ordinaria, ſingulis ſabbatis. Act. 15:21.

XIV. Novi T. quoque Canon pariter certus eſt: nam Euangelia *& T. N.*
Eccleſiæ in communi fuerunt tradita; Epiſtolæ verò facilè diſcerni poterant, tum ex inſitis *κριτηρίοις*, de quibus ſupra, tum ex certis ſcriptorum indiciis. Ut Pauli dicentis ad Galatas, *videtis quam longis literis vobis ſcripſerim mea manu.* Gal. 6:11. *Ne à mente dimoveamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tanquam per nos ſcriptam, quaſi inſtet dies ille Chriſti.* 2. Theſſ. 2:2. *Salutationem meâ manu Pauli. quod eſt* Signum *in omni epiſtola: ita ſcribo. Gratia Domini noſtri J. Chriſti ſit cum omnibus vobis.* Amen. & 3:17. *Saluto vos in Domino ego Tertius, qui deſcripſi epiſtolam.* Rom. 16:21, 22. Vide inſuper 1. Cor. 1:1. & 16:19.

XV. Sunt autem omnes hi libri uniformiter authentici, authentiâ vel hiſtoriæ, qua quicquid ibi narratur cum veritate hiſtoriæ convenit; vel normæ, qua etiam ea quæ pro regula fidei ac morum proponuntur, debito animi affectu ac obſequio excipienda ſunt. *Librorum horum uniformis authentia.*

XVI. Atque eadem auctoritas ac fides libris Vet. ac Novi Teſt. competit, cum in illis Teſtamentum gratiæ promiſſum, & miniſterio legis adumbratum, ac per prophetas ſignificatum; hic vero idem in plena luce exhibitum occurrat, ac porro fata Eccleſiæ ad ultima ejus tempora evolvantur.

XVII. Male ergo olim Manichæi & Marcionitæ Vet. Teſt. Deo malo adſcripſerunt: contra verba diſerta Petri. *Non libitu hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti à Sp. S. loquuti ſunt ſancti homines.* 2. Pet. 1:21. & Chriſti, gloriam tribuentis *Patri ſuo, domino cœli & terræ, quod hæc occultaverit à ſapientibus & intelligentibus, & ea retexerit infantibus.* Matth. 11:25. & hodie Anabaptiſtæ libros Moſis & Prophetarum per Chriſtum abrogatos ſomniant; diſtinguere neſcientes inter cæremonias Moſaicas, per Chriſtum antiquatas, & communem atque invariabilem Eccleſiæ fidem. *Ut non ſint repudiandi libri V. T. ſub N.*

XVIII. Quamvis enim luculenta in N.T. ſit revelatio fœderis gratiæ ac Chriſti, non tamen abſque Moſe ac Prophetis Theologiæ Chriſtianæ canon perfectus eſt. Cum Scriptura Veteris T. commendetur ut *pura, & perfecta, ac recreans animam.* Deut. 4: 2. Pſal. 12: 7. & 19: 8. & Chriſtus quoque ac Apoſtoli ad libros Moſis ac Prophetas continuo provocarint, & nihil extra eos prædicarint; juxta illud Servatoris: *Scrutamini ſcripturas, illæ enim ſunt, in quibus vos videmini vobis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ de me teſtantur.* Joh. 5: 39. qui & carpit diſcipulos Emaunticos, quod ſint *amentes & tardi corde ad credendum iis, quæ locuti ſunt prophetæ* &c. Luc. 24: 25, 26. ſicut & Paulus ea *quæ ante ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam eſſe ſcripta affirmat.* Rom. 15: 4. Qui etiam aſſerit, ſe *nihil dicere extra ea quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerunt.* Act. 26: 22. Imo Veteris Teſtamenti ſcripta ad ſalutem ſufficere docet Paulus. *Tu à puero ſacras literas noviſti, quæ te poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem.* 2. Tim. 3: 15. Unde libri hi V. & N.T. conjungendi ſunt, ut *duo teſtes.* Apoc. 11: 3. & ut *Canticum Moſis ac Agni.* Apoc. 15: 3.

XIX. Ad objectamenta adverſariorum paucis notamus: *Legem & Prophetas dici uſque ad Iohannem prophetaſſe.* Matth. 11: 13. nempe de Chriſto venturo, quem Johannes digito præſentem oſtenderit; non vero poſt ejus tempora exoleviſſe. Et Chriſtus appellatur *finis legis.* Rom. 10: 4. quia eſt ille, quem Lex reſpicit; vel ſaltem finitor ſervitutis ejus, non vero abrogator Legis; juxta id Pauli: *Legem igitur irritam facimus per fidem? abſit, imo Legem ſtabilimus.* Rom. 3: 13. Et cum abolitum dicitur Vetus Fœdus. Heb. 8: 13. De oeconomiâ Vet. T. hoc intelligendum eſt, non de communi doctrinâ ac fide.

XX. Nec multum diverſi ab his ſunt Sociniani ac quidam Remonſtrantes, qui lectionem V.T. utilem quidem cenſent, propter hiſtoriam; non vero neceſſariam ad probanda dogmata fidei. Quia nimirum in V. T. aliam religionem doceri ac contineri volunt, quam in N.T. poſt prædicationem Chriſti ac Apoſtolorum. Quod falſiſſimum eſſe ſuo loco videbitur.

De libris Apocryphis: eorum nomine, XXI. Sed imprimis Vet.T. canonem obſcurarunt Pontificii, quod ad illos adjecerint libros Apocryphos; ſic dictos, quia Eccleſiæ non ſunt traditi cum certâ teſtificatione Sp. S. unde debent ἀποκρύπτεσθαι & privatim haberi, non vero publicè in Eccleſiam inferri: vel ſecundum alios, quia aberant à cryptâ ſacrâ, h. e. reconditorio in quo libri ſacri recondebantur.

XXII.

XXII. Origo horum librorum petenda videtur à Judæis Helleni- *& origine.*
ſtis, à quibus compoſiti ſunt: quamvis alii eorum adjectionem ad canonicos Theodotioni adſcribant, qui illud feciſſe dicitur, ut ea ratione verſionem ſuam commendabiliorem faceret.

XXIII. Nunquam vero in canone ſacro cenſiti fuerunt, niſi po- *Qui male*
ſtremis ſeculis, & maxime præterito, in conciliabulo Tridentino; *à Tridentinis in ca-*
ubi in canonem adſciti ſunt Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, *nonem ad-*
primus & ſecundus Maccabæorum, Baruch cum ſupplemento Danie- *ſciti ſunt.*
lis & Eſtheræ. Orationem vero Manaſſis, appendicem Jobi, Pſalmum 151. præfationem Jeremiæ, tertium & quartum Eſræ, tertium Maccabæorum illi ipſi Patres rejecerunt.

XXIV. Male autem libros hos in canone numerari patet: quia nec *Cum ca-*
à Prophetis conſcripti, quorum *ſermo eſt firmiſſimus, quem bene faciunt* *nonici non*
qui attendunt, cum nulla prophetia Scripturæ ſit propriæ explicationis. 2. Pet. *ſint.*
1:19, 20. Nec Eccleſiæ Judaicæ traditi, cui *eloquia Dei credita ſunt*. Rom. 3:2. Plerique autem Græco ſermone ſcripti ſunt, quo idiomate Deus Eccleſiam veterem nunquam affari ſolebat. Deinde nec à Chriſto vel Apoſtolis unquam commendati, nec ab Eccleſia Chriſtiana primis ſeculis agniti fuère; quod ex ampliſſimo veterum ſcriptorum conſenſu clariſſimè patet. Quibus accedit præcipuum argumentum ex illis ipſis libris petitum, qui manifeſtè auctores ſuos infirmitatis humanæ multorumque errorum arguunt. De quo videri poteſt Rainoldus, & luculenta præfatio Belgarum Interpretum ad libros Apocryphos.

XXV Impia autem exceptio eſt adverſariorum, Judæorum canonem diſtinguentium in completum, & incompletum: eumque proximis ante Chriſtum temporibus, adjectis Maccabæorum libris, demum conſummatum fingentium; quod Genebrardi commentum eſt. Nam ille jam completus fuit Eſræ tempore; & luculentum Joſephi teſtimonium eſt, ſcripta exin ab Artaxerxe uſque ad ſua tempora non recipi maxima fide, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. Contra App. 11.

XXVI. Fruſtra etiam veteris Eccleſiæ conſenſum ſollicitant: *Nec ab*
nam concilium Carthaginenſe A. 397. cujus canonem 47. adferunt, *Eccleſia veteri pro*
provinciale duntaxat fuit, nec majorem auctoritatem habere poteſt *talibus ha-*
quam concilium Laodicenum, quod juxta quoſdam aliquot annis Ni- *biti.*
ceno, & longe pluribus annis hoc Carthaginenſi antiquius fuit, & poſtea in Concilio Conſtantinop. VI. iterum confirmatum eſt: illud autem

Digitized by Google

tem hoſce libros, de quibus diſputamus, in canone non agnoſcit. Nec ipſi adverſarii concilium hoc admittunt, in eo canone, ubi prohibet appellationes tranſmarinas: imo, nec Canon ille, quem citant, in hoc concilio habetur, ſed quidem in Carthaginenſi VII. Nec nobis adverſatur, cum hos libros non propriè in canonicorum, ſed in eccleſiaſticorum numerum reponat, eoſque ſolummodo legi in Eccleſia præcipiat: ſicut & prælegebantur in ea paſſiones martyrum, aliique libri; non ad dogmatum confirmationem, ſed ad Chriſtianæ plebis ædificationem: unde & nomen canonicorum iis quoque adhæſit.

licet largiori ſenſu canonici aliquando dicti ſint.

XXVII. Duplex autem apud Veteres erat Canon: *divinus*, in quo erant libri θεόπνευστοι, & *eccleſiaſticus*, in quo libri continebantur, qui ad plebis ædificationem prælegebantur. Inde duo ordines erant librorum canonicorum; proto-canonici nimirum & deutero-canonici, ſeu eccleſiaſtici: præter quos erat tertium genus librorum, qui cum pleni eſſent fabularum Judaicarum, κατ' ἐξοχὴν Apocryphi dicebantur. Atque adeo Patres, ubi libros Apocryphos Canonicos vocant, ita illos appellant largiori ſenſu, tanquam canonicos ſecundi generis; ut illos diſtinguant ab Apocryphis, qui tertii generis erant.

XXVIII. Superiori autem demum ſæculo inter libros divinos recepti ſunt in Tridentino concilio, ſeſſione IV. Anno 1546. die 8. Aprilis. Ubi inauditâ audaciâ, præſentibus duntaxat 70 Synodi membris, iiſque præcipuè Hiſpanis aut Italis, nec ipſis quidem in hac re ſatis concordibus, de tanta re pronunciare auſi ſunt, & libros Apocryphos ac incertos, tanquam divinos, Eccleſiæ catholicæ obtrudere ſuſtinuerunt. Rectius Dordracena Synodus æquabili temperamento libros hoſce non planè à corpore biblico reſecuit, ſed ad finem illius rejecit.

XXIX. Quamvis autem ita ſe habeat librorum illorum ratio, non tamen, ſi admittantur, vacillatura eſt fides Chriſtiana, nec per loca ex illis adducta ullum dogma fundamentale tolletur; imo non pauciora in iis occurrunt, quæ faciant Pontificiorum erroribus convellendis, quam ſtatuminandis.

De libris ſuppoſititiis.

XXX. Præter hoſce Apocryphos ſunt etiam quidam ſuppoſititii; inter quos primum locum tenet liber Enoch, ex quo Apoſtolum Judam teſtimonium petiiſſe non pauci veterum putaverunt; eundemque adhuc extare quidam cenſent.

Enochi.

XXXI. Verum, etſi non dubium ſit librum aliquem ſub iſto nomi-

Digitized by Google

mine olim extitiſſe, non fuit tamen veri Enochi, cum omnium conſenſu conſtet Moſem primum ſcriptorem ſacrum fuiſſe, nec liber ille ab Eccleſiâ Judaicâ unquam receptus fuerit: imò nec Judas ex illo, vel ullo alio libro, vaticinium iſtud adduxit, cum non dicat, ἔγραφε, ſed προεφήτευσεν Ἐνώχ. conf. Act. 11: 28. & 21: 10, 11. Atque adeo prophetiam hanc ex traditione Patrum acceptam Apoſtolus in Scripturam ſacram tandem retulit. conf. 2. Tim. 3:8. ubi magorum Ægyptiorum nomina, à Moſe non expreſſa, referuntur: *uti Iannes & Iambres obſtiterunt Moſi* &c. quamvis alii malint formulam prophetiæ Enochi quoad fundamentum ſuum ἔγγραφον eſſe, & ex analogiâ loci Gen. 5:24. ab Apoſtolo deſumtam.

XXXII. Huc referendi etiam alii quidam libri, Apoſtolorum aut *aliis.* diſcipulorum Chriſti nomina præferentes, ut liber Paſtoris, Hermeti inſcriptus, magnæ olim in quibuſdam Eccleſiis Orientis auctoritatis, ita ut publice prælegeretur; Epiſtolæ Barnabæ, Clementis, libri Sibyllini, aliaque Pſeudepigrapha, de quibus ſuo loco.

CAPUT VII.

De Integritate Scripturæ Sacræ.

I. Conſtituto canone, videnda nunc ejus *integritas*; tum quoad *libros* illius integros, an illorum aliqui *perierint*: tum quoad *dictiones*, vocesque, an in illis aliqua facta ſit *corruptio*. *Scriptura S. integritas; quoad libros illius:*

II. Non ſine probro divinæ providentiæ affirmant quidam, libros ſacros in excidio primi templi periiſſe, eoſque deinceps reſtitutos ab Eſra. Aliter enim conſtat ex 2. Reg. 25. & 2. Chron. 36: 21. Hinc Daniel dicitur in captivitate Babylonica *ex libris conſideraſſe numerum annorum, ſeptuageſimum annum eſſe*. Dan. 9: 2. Eſras autem libros ſacros, in medio hoc excidio incolumes, in ordinem redegit, à mendis repurgavit, varias lectiones forte annotavit, locorum nomina, tempore Moſis incognita, in Pentateucho expreſſit, & juxta quosdam etiam characterem novum, nimirum Chaldæum, quo & hodie utimur, introduxit. *ita ut non perierit Scriptura V.T. in excidio primi templi.*

III. Malè etiam Pontificii, Sociniani, & alii quidam libros quosdam ex Vet. T. periiſſe ſtatuunt: quod repugnat tum Dei, præcipuè *neque etiam aliàs.*

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiam ſuam in mundo curantis, providentiæ; tum ipſius Eccleſiæ vigilantiæ; denique etiam Chriſti promiſſioni. *Uſque dum præterierit cœlum & terra, ne jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex lege, uſque dum omnia facta fuerint.* Matth. 5: 18. Ubi dum vel minimas prophetiarum ac legis circumſtantias implendas fore pronunciat, neceſſario etiam minimarum ejus particularum & apicum conſervationem pollicetur.

Quid ſtatuendum de libris, qui dicuntur deperditi ex V. T.

IV. Ad intelligenda autem quæ ſpeciatim objiciuntur de libris deperditis, obſervanda ſunt ſequentia. 1. omnis quæ hic movetur difficultas, movetur circa Scripturæ partes quaſdam duntaxat, integro ejus corpore: jam vero partis vel libri alicujus defectus non inferret defectum ipſius doctrinæ. 2. Non omnia divina ſunt quæ in Scripturâ citantur, cum in ea mentio fiat Poëtarum; ut Act. 17:28. & in illo Pauli: *mores bonos commercia corrumpunt mala.* 1. Cor. 15:33. & de Cretenſium prophetis, qui Cretenſes ſuos vocant *mendaces, malas feras, ventres pigros.* Tit. 1: 12. 3. Non omnia ſcripta fuerunt quæ citantur; ut Ex.gr. prophetia Enochi. Jud.comm.14. 4. Diſtinguenda ſunt ſcripta politica, ſeu acta forenſia, aut philoſophica, à ſcriptis divinis. Ut quod dicitur de *libro recti.* Joſ. 10:13. & 2. Sam. 1: 18. de Salomonis *ter mille ſententiis, & de canticis ejus quinque ſupra mille.* 1. Reg. 4: 32. de *libris Chronicorum Regum Iſraelis.* 14:19. 15:7, 31. conf. 1. Reg. 11:41. ubi *libri rerum Salomonis.* & 2. Chron. 33:19. ubi *verborum Chozai* mentio fit. 5. Vocabulum סֵפֶר non ſemper notat librum, ſed brevem aliquando catalogum, ſeu formulam. Num. 21:14, 17, 27.

V. 6. Scriptores ſacri alia ſcripſerunt ut homines, *hiſtoricâ diligentiâ*, alia, ut prophetæ, *inſpiratione divinâ*: priora non ſunt magis divina, quam omnia, quæ privatim conſcribit notarius, authentica ſunt. 7. Nec etiam quicquid divinâ inſpiratione ſcripſerunt, in canonem referri voluit Deus. Sic Apoſtoli procul dubio plures epiſtolas ad diverſos fideles, vel integros cœtus, conſcripſerunt; ſed quas, quia de rebus quibuſdam particularibus forte agerent, non fuit conſultum divulgari per omnes Eccleſias. Sed & noluit Deus immodicâ librorum mole gravari Eccleſiam. *Non enim ea neque mundus hic ipſe ferendo eſſet, ſi omnia ſingulatim perſcripta forent.* Joh. 21:25. Atque ideo non omnia à ſanctis viris ſcripta extare, vel in canonem referri voluit.

VI. 8. Verum neque omnia amiſſa ſunt, quæ amiſſa videntur; ut *liber fœderis.* Exod. 24: 7. *liber rationis regni.* 1. Sam. 10: 25. & *liber Do-*

Digitized by Google

Domini. Eſai.34:16. Illi enim libri iis ipſis in locis extant. Similiter judicandum de verbis (ſeu potius rebus geſtis & actis, ut vox דברי notat) Samuelis, Nathanis & Gadis. 1. Chron.29:29. itemque Achiæ, Semajiæ & Hiddonis. Libri enim Samuelis (ſaltem à cap. 25. lib. 1.) & libri Regum ab hiſce Prophetis conſcripti plane videntur. Eadem quoque eſt ratio Lamentationis Jeremiæ. 2. Chron. 35:25.

VII. 9. Et quantum ad illa quæ adverſarii producunt ex N. T. *& N. T.*
Col. 4:16. non agitur de epiſtolâ ſcriptâ ad Laodicenſes; ſed *ἐκ Λαοδικείας*, procul dubio ad Paulum; aut ſaltem à Paulo ex Laodiceâ miſſâ, per quam primam ad Timotheum multi intelligunt. Et quantum ad verba Pauli: *Scripſi vobis in epiſtolâ*. 1. Cor. 5:9. intelligit Apoſtolus ipſam illam primam epiſt. ad Corinthios; ſicut articulus præpoſitivus *τῇ*, (conf. Col.4:16.) & antecedentium collatio docet. Dictum denique illud Chriſti, *Beatum eſt dare potius quam accipere*. Act. 20:35. non periit, ſed Dei providentiâ per ipſa illa Pauli verba conſervatum fuit.

VIII. 10. Concludimus ergo, canonem S. Scripturæ, qualis obtinuit tempore Chriſti & Apoſtolorum, perfectum fuiſſe: nam non tantum continebat omnia ad ſalutem neceſſaria. Luc. 16:29. Act. 26: 22. ſed & habebat eo tempore omnes libros & partes, quæ unquam in catalogo ſacrorum librorum fuerant. Quo facit locus Luc. 24:27. ubi Chriſtus dicitur *exorſus à Moſe*. (ita ut ante Moſem nullæ prophetiæ, vel Enochi, vel aliorum, extiterint) in *omnibus Scripturis*, & *omnibus Prophetis* explicaſſe quæ de ſe ſcripta erant; quod dici non poterat, ſi ullus Propheta vel liber ſacer è canone periiſſet.

IX. Hæc ergo S. Scripturæ eſt integritas, quoad ejus partes: ſimiliter quoad vocabula & dictiones manſit illa ſine notabili & ſenſum evertente corruptione, quæque emendari non poſſet: quamvis errore ſcribarum variæ lectiones in textum ſacrum irrepſiſſent, & mendæ etiam in rebus levioris momenti; ſicut eò exemplum Luc. 3:36. referri ſolet. *Integritas Scripturæ quoad voces & dictiones;*

X. Male ergo Sociniani volunt textum Scripturæ authenticum in multis corruptum eſſe: quod etiam de textu Hebræo Vet. T. & aliquo modo etiam de textu Græco N. T. affirmant Pontificii quidam, ut vulgatam verſionem illi præferre queant. *juxta quas non eſt corrupta.*

XI. Verum nec à Judæis, nec à Chriſtianis ſacri codicis corruptionem provenire potuiſſe, hiſce argumentis probari ſolet. Non à Judæis. Nam ante Chriſti tempora ſi hoc accidiſſet, Chriſtus & Apo- *nec à Judæis,*

Digitized by Google

ſtoli iſtius criminis procul dubio eos reos egiſſent: nec poſt Chriſtum natum, doctrinâ ſacrâ per univerſum mundum jam diſperſâ, & multiplicatis in immenſum exemplaribus, res illa fieri potuit. Quomodo enim Judæi, ipſi adeo diſperſi, in tantum ſcelus conſpirare ubique terrarum potuiſſent? quomodo hoc conſilium tam feliciter exequi, ut ne quidem ullus uſpiam codex integer & incorruptus remanſiſſet? & quæ iſta rabies, ut proprios codices, quos gens iſta ſemper adeo deamavit, ex ſolo Chriſtianorum odio, violare ac adulterare in animum induxiſſent? Tum, ſi iſtud tentaſſent, præcipue loca illa, ubi clariſſima Chriſtianæ fidei demonſtratio eſt, corrupiſſent, ut Eſai. 7. & 53. ut & vaticinium Jacobi, *Non deſiſtet tribus à Iehudâ, neque doctor legis e medio pedum ejus, uſque dum venturus erit filius ejus*. Gen. 49: 10. & illud Danielis de LXX *ſeptimanis*. Cap. 9: 24. Quin & paraphraſes Chaldaicas corruptum iviſſent. Verum loca illa manſerunt integra, & ipſæ eorum paraphraſes vel maxime nobis favent. Sed & obſtat, & tantum ſcelus prohibet illorum erga libros ſacros religio & amor, imo ſuperſtitioſa externi codicis veneratio; quam ſatis teſtatur Maſoretharum περιεργία & ſtupenda diligentia, in annotandis non ſolum Scripturæ partibus, ſed ſingulis vocibus, litteris, accentibus &c. Quo inſtituto veluti ſepem obduxerunt legi, ne vel minima mutatio eo penetrare poſſet, quin ſtatim deprehenderetur.

nec à Chriſtianis.

XII. Neque etiam Chriſtiani ſacrum codicem corruperunt, vel corrumpere quiverunt, iiſdem de cauſis: quin & conqueſti procul dubio de ea re forent Judæi; & cum ipſi Chriſtiani in tot ſectas ac eccleſias ſint diviſi, ſi quæ ex illis tam immane facinus tentaſſet, non clam nec impunè hoc ferre potuiſſet.

loca in contrarium producta.

XIII. Objiciunt tamen Pontificii præcipuè quinque loca, quæ putant corrupta eſſe: 1. *Nomen* ejus *vocabit Iehova* &c. Eſai. 9: 6. & 2. Jer. 23: 6. ubi legi debere dicunt *vocabitur* pro *vocabit*. Verum ad ſenſum idem hoc eſt, cum Hebræi tertiam perſonam verbi imperſonaliter uſurpent, ut vel activè vel paſſivè poſſit reddi. 3. Pſal. 22: 17. ubi legi debere contendunt כָּאֲרוּ *foderunt*, pro כָּאֲרִי *ſicut leo*. Verum quanquam hæc ipſa lectio quibuſdam ſervari poſſe videatur, integro ſenſu, ut derivetur hæc vox à כָּאַר, quod Syris eſt fœdare, deturpare, & inde cruentare; ſicut & Aquila vertit ᾔσχυναν, *fœdarunt*: commodius tamen dicitur, hanc non adeo eſſe corruptionem à Iudæis primitus ſtudio patratam, ſed tantum variam lectionem, errore

li-

librariorum. Nam & codices quidam antiquiſſimi, quibus Maſora ſuffragatur, legunt in textum כָּאֲרוּ (unde & LXX habent ὤρυξαν) in margine vero כָּאֲרִי; ita ut errore exſcriptorum nunc in textu legatur כארי: quod & multis aliis argumentis probari poteſt. Fraus tamen deinceps acceſſiſſe videtur; quæ nihilominus ex ipſis Judæorum ſcriptis revinci poteſt. Nec una hirundo ver facit. 4. Pſal. 19:5. ubi pro קַוָּם volunt legendum קוֹלָם· unde & LXX, quos ſequitur Apoſt. Rom. 10:18. vertunt φθόγγος. Verum hac ipſâ voce φθόγγος LXX & Apoſtolus optime reddiderunt ſenſum vocis קו, quæ non ſolum *literam* vel *lineam*, ſed in hoc loco *literam legibilem* & *pronuntiabilem* ſignificat. Atque id eſt φθόγγος. Imo vox hæc קו ipſa ex origine ſuâ *clamorem* ſeu *vociferationem*, non minus quam *lineam* ſeu *amuſſim*, notat. 5. Addunt Exod. 2. ubi poſt verſum 22 volunt integrum verſiculum deeſſe; cum potius ille in latinis editionibus redundet, & errore aliquo infarctus ſit ex verbis Moſis, *Nomen alterius Eliezer, quia dixerat: nam Deus Patris mei auxilio fuit mihi*. Exod. 18:4. Quæ præterea de variis Scripturæ lectionibus, & Judæorum Criticis, ſeu Maſorethis, eorumque circa Scripturam labore objici ſolent, ſuo loco excutientur.

XIV. Ita neque N. T. corruptum eſt, cum Dei providentia illud mox diſperſum ſit per omnes nationes: ita ut corruptio quarundam ipſius particularum, quam introducere conati ſunt quidam hæretici, facile coargui poſſet per uniformitatem exemplarium in omnibus nationibus.

CAPUT VIII.

De perfectione Sacræ Scripturæ.

I. SCripturæ divinitatem & integritatem excipit illius *perfectio*; quatenus in ea Deus, præter attributa ſua, etiam voluntatem ſuam & omne conſilium ſuum, circa ſalutem humani generis, pleniſſimè expoſuit. Pſal. 119. toto. *S. Scriptura perfectio.*

II. Eſt autem perfectio 1. alia *partium*, alia *graduum*: prior reſpicit omnia fidei & morum capita; altera præterea gradus omnes revelationis complectitur: prior fuit in Scripturâ Vet. T. præter quam poſterior quoque locum habet in Novo Teſt. 2. partes rurſus conſiderantur vel *eſſentiales*, reſpectu axiomatum & ipſius doctrinæ; vel *integrales* quoad omnes & ſingulos S. codicis libros. 3. conſideratur perfectio hæc *qualis illa ſit.*

Digitized by Google

nonnunquam in *totâ* Scripturâ, & univerſo ejus corpore, nonnunquam in ſingulis ejus *partibus*. 4. denique vel in *autographo* ipſo, quod quoad rem & ſingula ejus verba divinum eſt, vel in *apographis*.

III. Quæſtio autem, ubi de perfectione Scripturæ agitur, eſt de perfectione & *partium* & *graduum*; & partium rurſus *eſſentialium* & *integralium*; de perfectione *totius*, non *partis*, *αὐτοχειάφυ* magis quam *ἀποχειάφων*. Dicimus ergo, Scripturam continere perfectionem eſſentialem, quatenus perfectè complectitur univerſam doctrinam cœleſtem, quæ in ſingulis ejus partibus conſpicua, in toto ejus ſyſtemate plenarie relucet: ita ut ſecundum ſe totam perfecta ſit perfectione eſſentiali & totius, ſecundum partes autem perfectione integrali & partium.

IV. Hanc autem perfectionem ita intelligimus. 1. Ut Scriptura ſit morum ac fidei regula, non partialis, ſed totalis.

V. 2. Perfectio illa varios admiſit gradus; ſecundum variam Eccleſiæ ætatem & revelationis menſuram: juxta quas Scriptura jam perfectior eſt ac olim; ita tamen, ut articuli fidei inde non creverint quoad eſſentiam, ſed tantum quoad explicationem.

VI. 3. Perfectio hæc reſtringenda eſt ad ea, quæ ad ſalutem ſunt *neceſſaria*. Reliquarum enim artium principia ex ſacra Scriptura petenda non ſunt: ſicut nonnulli ex ejus fontibus, ſpeciatim ex Gen. 1. & libro Jobi &c. Philoſophiam omnem petunt. Quæ intemperies, initio à Rabbinis & Cabbaliſtis ducto, in ſcholâ Paracelſi præcipuè invaluit, deinde & ad alios penetravit. Præter hæc neceſſaria tamen etiam multa in S. Scripturâ continentur *utilia*, ad neceſſariorum ſcientiam augendam & confirmandam. Adiaphora autem, quæ ratione circumſtantiarum nonnunquam neceſſaria fiunt, generali regula charitatis & prudentiæ, *Omnia decenter & ordine fiant*. 1. Cor. 14: 40. definiuntur.

VII. 4. Sicut autem Deus dixiſſe cenſendus eſt, quicquid ex dictis ejus colligitur, *Nullum enim mendacium eſt ex veritate*. 1. Joh. 2: 21. Ita etiam ea in Scripturâ continentur, quæ per conſequentias & nexus veritatum inde educuntur.

VIII. Præter hanc perfectionem, quæ *quantitatis* vulgo dicitur, & eſt in rebus ipſis, alia etiam eſt in Scripturâ, quæ *qualitatis* appellari ſolet, & eſt in modo tradendi, qui perſpicuus, perfectiſſimus, & ad uſum humani generis accommodatiſſimus eſt.

Qua non repugnat miniſterio

IX. Neque hæc perfectio S. Scripturæ præjudicat miniſterio paſtorum & doctorum, neque inſpirationi Sp. S. in corda fidelium. Quicquid enim vivâ voce docent miniſtri Euangelii, ex Scripturâ S. quoad

S. quoad ſubſtantiam hauſtum eique conforme eſt. Pariter veræ inſpirationes Sp. S. nihil aliud ſunt, niſi impreſſio legis Dei in corda noſtra, h. e. impreſſio doctrinæ in Scripturis traditæ, juxta illud: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, quo faciam ut in ſtatutis meis ambuletis, & jura mea obſervetis, facientes ea.* Ezech. 36:27. Perfectio enim rei alicujus excludit tantum res ejuſdem naturæ & ſpeciei, non vero res alterius generis. Ita Scripturæ perfectio excludit omnem aliam regulam, non vero inſtrumenta, per quæ hæc regula applicatur; qualia ſunt miniſterium verbi & operatio Sp. S.

verbi, aut inſpirationi Sp. S.

X. Et hæc S. Scripturæ perfectio oſtenditur his argumentis. 1. ipſius Scripturæ teſtimonio, de ſuâ perfectione: ut cum *doctrina Iehovæ integra & perfecta vocatur; unde & animas convertere dicitur.* Pſal. 19: 8. Hinc Deus quoque Scripturæ quicquam vetuit *addi vel detrahi*: tum in principio ſcripti canonis. Deut. 4: 1, 2. tum tempore intermedio, juxta illud Salomonis, *ne adjicito ad verba ejus.* Prov. 30: 6. & Eſaiæ, *Legem & teſtimonium conſulunto.* Eſai. 8:20. tum in fine ejus. *Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis abſtulerit aliquid ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ* &c. Apoc. 22: 18, 19. Sicut & Paulus quoque ſeverè prohibet *Euangelizare quicquam præter id quod jam Euangelizatum erat.* Gal. 1: 8, 9. & vero 2. Tim. 3: 15, 16. Scripturæ perfectionem in ſupremum faſtigium evehit, ut *quæ virum Dei*, h. e. eccleſiæ doctorem, *in omni ſapientiâ examuſſatum ac perfectum reddat, & unumquemque ſapientem facere poſſit ad ſalutem.*

Quâ Scripturæ perfectio probatur. 1. ex teſtimonio ejus.

XI. Ad ſingula quædam excipiunt adverſarii. Ad Pſal. 19: 8. vocem תמימה *Themimah*, ſignificare immaculatum & ſine vitio, uti Exod. 29: 1. & Lev. 1: 3. per *integrum* vertitur. Reſp. 1. Obſtare verbi originem & uſum apud Hebræos, quem & Pagninus & Arias Montanus agnoſcunt. 2. Atque iis ipſis locis, quæ citant, animalia quædam non aliter dicuntur immaculata, quam quia habebant integritatem & perfectionem partium.

ſublatis adverſariorum adverſus ea exceptionibus. ad Pſal. 19. 8.

XII. Ad Deut. 4: 1, 2. *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo, ut ſervetis præcepta Iehovæ, quæ ego præcipio vobis;* regerunt, non agi ibi duntaxat de verbo ſcripto, ſed etiam eo quod vivâ voce traditum eſt: neque etiam vetari omnem additionem, tum enim & Prophetas & Apoſtolos reos fieri, qui multa canoni addiderint, ſed ſolum additionem corrumpentem: & verba Johannis in Apo-

Deut. 4: 1, 2.

ca-

calypſi ad iſtam ſolum prophetiam ſpectare,quam vetuerit interpolari
Apoc. 22: 18, 19. & corrumpi.Reſp.1.Agi iſtis locis de verbo ſolùm ſcripto : per legem enim Moſis Scriptura non aliam quam legem ſcriptam intelligere ſolet. Ut vel hinc conſtat, quod Chriſtus *exorſus à Moſe & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus* SCRIPTURIS, *quæ de ſe ſcripta erant.* Luc.24: 27. Imò *Moſes habet qui ipſum prædicent, quum in Synagogis per ſingula Sabbata* LEGATUR. Act. 15:21. Neque etiam aliud Euangelium datur, quam quod ſcriptum eſt. 2.Omnes additiones ad illud quod perfectum eſt factas, eſſe corrumpentes; præcipuè autem Pontificiorum additiones de miſſâ, purgatorio &c. tales ſunt. 3. Quod autem poſt legem Moſis Deus per Prophetas & Apoſtolos Scripturarum canonem adaugeri voluerit, qui tamen & ipſi nihil extra Moſem locuti ſunt, in eo diſcernendæ ætates Eccleſiæ, juxta quas Deus voluit creſcere revelationem. Johannes autem, ſcriptorum ſacrorum ultimus, in Apocalypſi ſuâ univerſum Scripturarum canonem clauſit,& extremis verbis, veluti diris quibuſdam, obſignavit.

Gal.1:8, 9. XIII. Ad Gal.1:8,9. *Si quis vobis euangelizaverit* παρ' ὃ παρελάβετε, excip. vocem παρὰ notare ea quæ contra Euangelium ſunt, non quæ præter illud adferuntur. Reſp. 1. Ipſa vulgata verſio habet, *præter id quod accepiſtis*; & hæc propria vocis iſtius interpretatio eſt,nam & agit Apoſtolus aperte de *alio Euangelio*. 2. Quicquid præter Euangelium, eo ipſo contra illud eſt; ſicut idololatria committitur, cum aliquod colitur præter creatorem. Rom.1:25. & in conjugio omnis contractus cum alio conjuge eſt contra conjugium. 3. Pleraque autem quæ Pontificii præter verbum Dei habent, etiam contra Dei verbum ſunt.

2. Tim. 3: 16. XIV. Ad 2.Tim.3:16. adferunt, haberi in textu πᾶσα γραφὴ, quod intelligendum eſt de omnibus partibus Scripturæ, quæ tamen dici non poſſunt ſingulæ ſufficere ad ſalutem. Deinde, loqui Apoſtolum de Scripturis Vet. T. quas Timotheus ſolum didicerat; ſi autem illæ ad ſalutem ſufficiunt, inutiles eſſe Nov. T. libros, atque adeo S. Cœnam, Baptiſmum, aliaque Nov. Teſt. inſtituta, quæ in Veteri non fuerunt, non eſſe neceſſaria. Tandem, de iis dicere Apoſtolum, non quod ſufficientes, ſed quod utiles ſint.

XV. Reſp. 1. Vox πᾶσα non notat hic *omnem*, ſed ὅλην *totam* Scripturam, collectivè, ſicut hæc particula paſſim ita uſurpatur. *Quævis beſtia, quævis pecudes* &c. Gen.7: 14. *Tota Hieroſolyma.* Matth. 2: 3. & *Totus grex porcorum.* ibid. 8: 32. Atque adeo hæc perfectio univerſæ Scri-

Digitized by Google

Scripturæ, & ſervatâ proportione, ſingulis ejus partibus convenit. 2. Diſtingui debent diverſi ſtatus & ætates Eccleſiæ. Scriptura Vet. T. pro veteri illo ſtatu ſufficiens erat, nec tunc Baptiſmus, vel S. Cœna, vel alia ad N.T. ſpectantia neceſſaria erant, ut nunc quidem ſub N.T. atque adeo pro ſingulis ætatibus Eccleſiæ Scriptura perfecta fuit; contra ac adverſarii volunt, qui Scripturam ſemper imperfectam dicunt fuiſſe abſque traditionibus. Atque hinc etiam cadunt, quæ in Scripturâ Vet. T. deſiderant adverſarii, ut Jeſum eſſe Meſſiam, mortuum eſſe, aſcendiſſe &c. Hæc enim quoad circumſtantias temporis ſolum differunt à rebus V.T. & tantum opus eſt ea, quæ ibi continentur, applicare ad ipſas res geſtas. Nemo autem regulam imperfectam dicet, quia non continet applicationem ſui ipſius. 3. Scriptura dicitur utilis ad ſalutem, & ad omnes iſtos uſus perfecto Theologo neceſſarios; adeoque in ſuo genere eſt perfecta & ſufficiens.

XVI. Patet 2. perfectio Scripturæ ex fine, propter quem data eſt, ſcil. propter ſalutem *& inſtructionem noſtram. Quæcunque* enim *ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Rom. 15: 4. imò *Tota Scriptura eſt utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia.* 2. Tim. 3: 16. Unde ſequitur, Deum eam, tanquam viam ad hunc finem deſtinatam ſufficientem reddidiſſe. Adeoque continet omnia ad ſalutem neceſſaria. *Videmur enim nobis in iis vitam æternam habere.* Joh. 5: 39 & *quomodo effugiemus, tantâ ſalute neglecta? quæ quum cœpiſſet dici per Dominum, ab illis qui audiverunt ad nos ſtabilita eſt.* Heb. 2: 3. Continet quippe verba fœderis, & Teſtamenti divini tabulas, quas dimidiatas dare populo ſuo Deus non potuit: adeoque univerſum Dei circa ſalutem noſtram conſilium & voluntatem pleniſſime exhibet. *2. ex Scripturæ ſcopo*

XVII. 3. Idem patet ex enumeratione rerum & dogmatum ad ſalutem neceſſariorum, quæ in ea abunde continentur: ut quæ de Deo, de Servatore, de Regno Dei &c. à nobis tenenda ſunt. Hæc enim omnia cum Deus Prophetis & Apoſtolis perfectè revelaverit, juxta id: *Ille (paracletus) vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.* Joh. 14: 26. illi fideliter eadem Eccleſiæ tradiderunt. *Non enim ſubterfugerunt quominus annunciarent nobis omne Dei conſilium.* Act. 20: 27. & ſcripto conſignarunt. *Hæc ſcripſi vobis, ut ſciatis vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomen Filii Dei.* 1. Joh. 5: 13. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per no-* *3. ex rebus in ea contentis.*

Digitized by Google

nomen ejus. Joh. 20:31. Unde de Moſe Apoſtolus, ipſum *fidelem fuiſſe in univerſâ domo Dei.* Hebr. 3:5. Prophetæ autem, & Apoſtoli, & Chriſtus ipſe nihil extra Moſem docuerunt. *Nihil dicens extra ea quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerunt.* Act. 26:22.

Hanc Scripturæ perfectionem negant Pontificii.

XVIII. Perfectionem hanc S. Scripturæ verbis agnoſcunt, reipſa autem tollunt Pontificii, ut traditionibus ſuis locum inveniant. Hinc eſt, 1. quod dicunt, Scripturam eſſe perfectam *implicite*, quatenus nempe Eccleſiam ejuſque traditiones commendat. Quaſi hoc ſit perfectum eſſe, monſtrare ubinam perfectio quærenda ſit; aut quaſi hoc ipſum circa Eccleſiam faciat Scriptura. 2. quod agnoſcunt Scripturæ perfectionem *intenſivam*, quæ in dogmatum aut præceptorum exquiſitiſſimâ veritate ſita eſt, non vero *extenſivam*, quæ ad omnia facienda & credenda diffuſa eſt. Nos verò ſicut priorem hanc veneramur in unaquaque Scripturæ parte, ſic poſteriorem toti ejus corpori vindicamus.

CAPUT IX.

De Enthuſiaſtis ac Libertinis & Pontificiis Traditionariis.

Adverſarii perfectionis Scripturæ Sacræ.

I. HUic ſacræ Scripturæ perfectioni duo hominum ordines refragantur, *Enthuſiaſtæ*, ſeu Libertini, & *Pontificii*.

1. Enthuſiaſtæ,

II. Enthuſiaſtæ dicuntur, qui afflatum divinum & revelationes cœleſtes jactant. Qualis ab Apoſtolorum tempore fuit *Cerinthus*, & deinceps *Montanus*, ſeſe paracletum fingens, una cum prophetiſſis ſuis, Priſcâ & Maximillâ; qui *ſpirituales* ſe, cæteros autem homines pſychicos & animales appellabant. Sicut autem Montaniſtæ Anabaptiſmum cum Enthuſiaſmo conjungebant, ita itidem ſuperiori ſæculo primi Enthuſiaſtæ fuerunt *Anabaptiſtæ*; quorum ductores erant *Nicolaus Storck* & *Thomas Muntzerus*: quibus accenſendi *Zwenkfeldiani*, *Weigeliani*, *Fratres Roſeæ crucis*, & ſimilis farinæ homines.

& Libertini.

III. Anabaptiſtarum ſoboles cenſentur *Libertini*, ita dicti à prætenſâ ſpiritus ſui libertate, quam ſectantur; dum nullis verbi divini regulis, ſed ſolius ſpiritus ſui arbitrio ſibi vivendum eſſe putant, omneque boni & mali diſcrimen ex ſenſu ſuo dimetientes, virtutis, peccati, pœnarum, inferniq; omnem rationem ac metum tollunt, unicamq; in eo conſtituunt religionem, nullam æſtimare religionem. Horum Co-

Digitized by Google

Coryphæus ſuperiori ſæculo fuit *David Georgii*, ejuſdemque commatis habetur *Henricus Nicolai*, & quæ ab eo inſtituta *familia charitatis*, itemque à multis *Coornhertus*, aliique. Succenturiantur etiam illis, qui hodie in Galliâ *Deiſtæ, Spirituſque fortes*, appellantur.

IV. Statuunt autem hi, præter Scripturam requiri aliud verbum internum, à Deo hominum mentibus immediatè ſuggeſtum, ad quod Scripturæ ſenſus explicentur, ſeu potius tanquam imperfecti corrigantur. Unde verbum externum literam tantum volunt eſſe mortuam, & alphabetariorum rudimenta, ejuſque uſum regenitis & perfectis ſuis planè adimunt. *Illorum verbum internum.*

V. Pontificii vero, præter libros ſcriptos, neceſſarias eſſe volunt traditiones non ſcriptas, quæ parem cum Scripturâ auctoritatem habeant. *II. Pontificii traditionarii*

VI. Conveniunt ergo in eo utrique, quod Scripturam imperfectam eſſe velint, atque aliam præterea fidei normam quærant. In hoc autem diſſiliunt, quod eam Libertini in verbo & inſtinctu interno conſtituant, Pontificii in traditionibus: Libertini ſpiritum privatum ſingulis hominibus, Pontificii vero Eccleſiæ, concilio, vel Papæ tribuant: quodque apud Libertinos ſpiritus ille ſit vagus, apud Pontificios aſtrictus cathedræ alicui ac ſedi; atque adeo ibi religio incerta & ex arbitrio cujuſque dependens, hic autem violenta & tyrannica introducatur. *amborum convenientia, & diſcrepantia.*

VII. Et Enthuſiaſtarum quidem ſententia non modo falſa, ſed & vana & ſtulta eſt. Illud enim verbum internum aut ſenſum habet intelligibilem, aut non? ſi prius, tum verbo exprimi & ſcripto conſignari poteſt, & ita erit verbum externum & ſcriptum; quod tamen illi rejiciunt: ſi poſterius, tum ne quidem verbũ erit, ſed vigilantis ſomnium. *Enthuſiaſtarum ſomnia refutantur.*

VIII. Præterea ſententia hæc ſummè periculoſa eſt, cum per eam non ſolum religio fluxa & incerta, ſed prorſus nulla ſit: quippe cum illa à privato cujuſque ſpiritu & verbo interno dijudicanda ſtatuatur; illud autem ipſum nullam extra ſe normam, à quâ dependeat, habeat. Contra monitum Apoſtoli Johannis, *Ne cuivis ſpiritui credite, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint.* 1. Joh. 4:1. & Pauli dictum, *qui adultos propter habitum ſenſus exercitatos habere dicit, ad diſcretionem boni & mali.* Hebr. 5:14. Unde illo principio ſemel admiſſo nullus eſt errandi finis, nulloque repagulo lubricus hominis intellectus reprimi aut coërceri poterit.

IX. Quin & retorqueri in adverſarios poteſt privatus hic ſpiritus: quum enim illi ſuum urgent, nos noſtrum ipſis opponere poſſumus

Digitized by Google

ſpiritum, qui omnes ipſorum afflatus & enthuſiaſmos inſanos & improbos eſſe clamat; & cum S. Scripturam tollant, unicam ſpirituum dijudicandorum normam & regulam, non habent quo ſpiritus examinare, vel ſuum alteri præferre queant.

X Prodigioſum autem eſt, quod pro ſuâ ſententiâ afferunt, verbum Dei eſſe ipſum Deum, adeoque eſſe infinitum & ſpirituale, quodque nullis verbis includi, aut ſcripturis & characteribus exprimi poſſit. S. Scripturam autem vocant verbum atramentarium, inanem thecam &c. Non enim verbum Dei eſt ipſa divina eſſentia, ſed Dei loquentis ſermo: nec literæ & characteres proprie iſtud verbum efficiunt, ſed ſenſus iis expreſſus, & veritas ac ſapientia iis contenta. 1. Theſſ. 2: 13. Neque etiam ſcriptione & chartâ illud polluitur ac prophanatur, cum illa non verbum Dei ipſum ſint, ſed ejus externum vehiculum tantum, & via, qua promulgatur.

Eorum obiectiones. XI. Adducunt autem pro cauſâ ſuâ Scripturæ quædam loca. 1. *Erunt omnes docti à Deo.* Joh. 6: 45. Verum etiam illi, qui externo verbi miniſterio docentur, à Deo docentur: licet enim *Paulus plantet, Apollo riget, Deus interim incrementum dat* &c. 1. Cor. 3: 5-9. Docti autem à Deo dicimur, cum doctrina illa, quæ externè ſonat in verbo, per Sp. S. cordibus noſtris inſcribitur. *Ipſi namque divinitus docti eſtis, ut diligatis alii alios.* 1. Theſſ. 4: 9.

XII. Atque idem docent 2. promiſſiones, *Indam legem meam menti eorum & cordi eorum inſcribam eam, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus: cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum.* Jer. 31: 33, 34. Hebr. 8: 8-12. Ibi enim, cum Deus promittit ſe *inſcripturum legem cordibus noſtris*, non internum aliquod verbum, diverſum ab externo, promittit (lex enim, quam Deus cordi inſcribit, verbo externo continetur) ſed uberiorem gratiam Sp. S. ſub N.T. quæ cum externo verbi miniſterio optimè conſiſtit. *Hæc ſcripſi vobis de iis qui ſeducunt vos. Sed unctio, quam vos accepiſtis ab eo, manet in vobis: nec neceſſe habetis ut quiſquam doceat vos* &c. 1. Joh. 2: 20, 26, 27. Unde & Chriſtus & Apoſtoli etiam verbo externo docuerunt.

XIII. 3. Adferunt dictum Chriſti Luc. 17: 20. ubi *regnum Dei* dicitur *intus in illis eſſe, nec venire μετὰ παρατηρήσεως.* Verum 1. Etſi regnum Dei cum παρατηρήσει *obſervatione* & pompâ externâ venire non debebat, tamen Chriſtus viſibiliter appariturus erat, & civitatibus Judææ verba Dei locuturus: quod & factum eſt. 2. Atque ἐντὸς ὑμῶν non

de

Digitized by Google

de cordibus Judæorum intelligi debet, quippe illi non habebant verbum Dei in ſeſe manens; ſed notatur, jam in medio eorum verſari Meſſiam, & adveniſſe regnum Dei, quamvis iſtud non crederent, & externam pompam ac παρατήρησιν quærerent.

XIV. 4. 2. Cor. 3:6. *Littera occidit, Sp. vivificat.* Reſp. Per litteram non intelligi omne verbum externum, ſed Legem tantum, oppoſitè ad Euangelium, quatenus Sp. S. deſtituta eſt, ita enim tantum occidere nata eſt; ſicut verbum gratiæ, Sp. S. animatum, vivificat. 1. Cor. 3: 5.

XV. 5. Act. 2: 17, 18. *Somnia & viſiones locum habitura* in N. T. aſtruunt. Reſp. Vocabulis illis, ex œconomiâ Vet. T. deſumtis, revelatio & illuminatio uberior ſub N. T. quæ verbo externo & Sp. S. ope fit, intelligitur; ſicut & cultus Dei ſpiritualis ſub N. T. externo cultu V. T. adumbratur. *Nam ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus, magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco ſuffimentum afferetur nomini meo & munus purum.* Mal. 1: 11.

XVI. 6. Pro ſp. privato urgent illud, *Spiritus ſpiritui noſtro conteſtatur* &c. Rom. 8: 16. Verum ibi intelligitur Spiritus in verbo & Scripturis loquens, qui noſtro ſpiritui gratiam & amorem Dei teſtetur & obſignet. *Et ego dixeram: quomodo ponam te in filiis! & dabo tibi terram deſideratam. Et dicebam: Pater mi, nomines me.* Jer. 3: 19. Similiter 1. Joh. 5: 6. cum dicitur *Spiritus eſt, qui teſtificatur ſpiritum veritatem eſſe*, ſenſus Apoſtoli eſt, Sp. qui in nobis eſt, nimirum Spiritus *fidei*, *teſtatur de ſpiritu*, qui eſt in Scripturis, & obſignat in cordibus noſtris veritatem, quam in Scripturis legimus. Ita ut teſtificatio Spiritus Dei ad ſpiritum noſtrum cum verbo Dei conjungenda ſit. *Unctio enim quam vos accepiſtis ab eo, manet in vobis: eadem unctio docet vos de omnibus, & ſicut docuit vos, manebitis in eo* &c. 1. Joh. 2: 26, 28.

XVII. Atque ita exploſo verbo illo enthuſiaſtico privato, ſingulis *De tradi-*
fidelibus communi, perluſtremus nunc aliud verbum, papiſticum, *tionibus*
etiam enthuſiaſticum, ſed Papæ peculiare, quod nimirum in *traditio-* *Pontificio-*
nibus conſiſtit. *rum.*

XVIII. *Traditionis* nomen generale eſt, notans omnem doctrinam, *quid illa*
ſive ſcriptam, ſive non ſcriptam: unde Paulus. *Retinete traditam doctri-* *ipſis ſint.*
nam quam edocti eſtis, & per ſermonem & per epiſtolam noſtram. 2. Theſſ. 2: 15. Speciatim pro ſcriptâ doctrina accipitur. Hinc Moſi à Jehova injungitur *ſcribere hoc memoriale in libro.* Exod. 17: 14. *Audivimus, -- Jeſum iſtum Nazarenum mutaturum ritus, quos tradidit nobis Moſes.*

Act. 6: 14. *Ego accepi à Domino, quod tradidi vobis.* 1. Cor. 11: 23. Striſtiori autem modo traditiones hic à Pontificiis accipiuntur, pro doctrinâ non ſcriptâ: non quod nuſquam ſcripta ſit, ſed juxta Bellarminum, quod non à primo auctore ſcripta ſit, aut quod in nullo libro Apoſtolico ſcripta inveniatur.

quam variæ: XIX. Dividuntur autem illæ ipſis, cum ratione *auctorum*, tum ratione *materiæ*. Priori modo quædam ſunt *divinæ*, quædam *Apoſtolicæ*, quædam *Eccleſiaſticæ*, illæ à Chriſto ipſo ſunt acceptæ; iſtæ ab Apoſtolis inſtitutæ; hæ vero ſunt conſuetudines antiquæ, vel à Prælatis, vel à populo introductæ & paulatim vim legis adeptæ.

XX. Quoad *materiam* diſtribuuntur in eas quæ ſunt de *fide*, & de *moribus* ſeu *ritibus*; item in *perpetuas* & *temporarias*; denique in *neceſſarias* & *liberas*.

quo loco ipſis habeantur. XXI. Atque ita verbum Dei univerſum Scripturis contineri negant, ſed præcipuam ejus partem traditionibus ferè aſſignant. Illas autem quidam eorum Scripturæ æquant abſolutè, alii cum diſtinctione, quidam etiam præferunt & multis modis præponunt. Quæ omnia doloſè ita tegit & confirmat Concil. Trid. *ut pari pietatis affectu libros Scripturæ S. & ſine ſcripto traditiones ſuſcipiendas ac venerandas* eſſe jubeat.

Quid de illis ſtatuendum ſit. XXII. Noſtros quod attinet, diſtinguunt illi inter *res*, quæ traduntur, & *modum* eas tradendi. Res vel neceſſariæ ſunt, vel adiaphoræ & politiæ eccleſiaſticæ tantum: priores omnes in Scripturâ continentur; prohibetur enim quilibet *addere ad verbum Jehova, vel detrahere de eo quicquam*. Deut. 4. 2. *Anathema eſto, ſi quis aliud, vel angelus è cælo, euangelizet, præter id quod euangelizatum eſt.* Gal: 1: 8. quæ poſterioris generis ſunt, in libertate eccleſiæ ſunt poſitæ: juxta illud Apoſtoli, *Omnia decenter & ordine fiant.* 1 Cor. 14: 40. Ratio, ſeu modus rerum tradendarum, vel eſt per *Scripturam*, vel per vivam *vocem* in quotidiano miniſterio. Et hoc modo traditionem admittimus, quatenus ſub eâ non ſolum ordinarias conciones & catecheſes, verum etiam Scripturam ipſam comprehendimus.

XXIII. Diſtinguendum etiam eſt inter traditionem, ut dici ſolet, *auctoritativam*, quæ ex ſpeciali revelatione Dei dependet, & *teſtimonialem* ſeu experimentalem, quæ ſenſuum teſtimonio & traditione nititur. Priorem urgent Judæi & Pontificii; nos autem poſteriorem admittimus. Non ergo cum Sadducæis, ut & Socinianis, traditionem & catecheſin omnem rejicimus; non poteſt enim Scriptura in mundo eſſe

Digitized by Google

eſſe ſine vivâ traditione, primò virorum *θεοπνεύστων*, deinde poſterorum *credentium*. Traditionem ergo de Scripturæ admittimus, ſed talem quæ à Scripturæ dependeat, & extra eam nihil contineat.

XXIV. Diſtinguendum etiam eſt inter traditiones *dogmaticas*, fidei ac morum, & inter traditiones *hiſtoricas*, aut etiam *rituales*. De hiſce ultimis nulli movemus controverſiam, modo Scripturæ non repugnent, & libertati Chriſtianæ non obſint.

XXV. Præiverunt autem in traditionibus cudendis Judæi. Hinc duplex apud eos erat Lex, *ſcripta* & *oralis*: hujus duas conſtituebant partes, 1. *præcepta* à ſapientibus impoſita, quæ erant ſepimentum legis. 2. פירוש *interpretationem* legis ſcriptæ, quam quaſi ex ore Dei acceptam venerabantur. *Traditionarii primi Judæi.*

XXVI. Originem ejus tribuebant Moſi, qui illam in monte Sinai acceptam tradidit Joſuæ, hic LXX ſenioribus, hi Prophetis, Prophetæ Synogogæ magnæ, & ita porrò; donec tandem conſcripta, & in Talmud, tanquam pandectas, relata eſt. Varia etiam *δευτερώσεων* genera habebant, Rabbinis adſcriptarum, ſecundum quas Scripturas cabbaliſticè, juxta myſteria litterarum & ſyllabarum, exponebant.

XXVII. Erat autem hoc Satanæ artificium, ut per legem hanc Judæos à lege Dei & ſcripti verbi ſcrutatione averteret. Unde factum, ut vera Scripturæ interpretatio neglecta, & antiqua patrum catecheſis de Meſſiâ, & juſtitiâ ac regno Dei, quæ *clavis cognitionis* erat, Luc. 11:52. occultata & mutilata ſit; & falſæ interpretationes præceptorum Dei ſint introductæ. Matth. 5. & 23. Capp.

XXVIII. Fatemur quidem, apud Judæos obtinere debuiſſe catecheſin, & *παραδόσεων* doctrinæ prophetarum & ſeniorum, quam male damnaſſe videntur Sadducæi; & ſeniores populo præcepta diſciplinæ imponere potuiſſe: jubentur enim turba & diſcipuli *ſervare & facere omnia quæ Scribæ & Pharizæi dixerunt ut ſervent*. Matth. 23:2, 3. Verum omnia ad legem Moſis erant exigenda, & ex eâ demonſtranda: ſicut eo nomine Chriſtus Phariſæos objurgat, quod *tranſgrederentur mandatum Dei per traditionem ſuam*. Matth. 15:3. & perverſè errabant Judæi, cum putabant ſynedrium non poſſe errare, & interpretationem ac פירוש legis, quam dabant, propter ipſorum auctoritatem recipiendam eſſe.

XXIX. Hiſce autem traditionibus opponit Apoſtolus *γραφὴν θεόπνευστον*. 2. Tim. 3:16. Et nullas traditiones Patriarchales, Moſaicas, vel Propheticas dari Scriptura aperte docet, ubi Moſem & Prophetas

pro

Digitized by Google

pro ſcriptis eorum duntaxat ſumit. *Habent Moſem & Prophetas.* Luc. 16:29. Et *exorſus à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ſe ſcripta erant.* Ibid. 24:27. *Si crederetis Moſi, crederetis mihi, nam ille de me ſcripſit: quod ſi ſcriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Joh. 5:46. *Euangelium quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis.* Rom. 1:2.

Et exinde Pontificii.

XXX. Phariſæorum genuini filii & progenies ſunt Pontificii, qui eodem modo in Scripturam N.T. ac illi in Scripturas V.T. traditiones introduxerunt: quæ in N.T. eo magis rejiciendæ ſunt, cum nunc clavis cognitionis, id eſt, doctrina de Chriſto, juſtitia & regno Dei, olim per catecheſes tradita, quâque ſeniores myſteria & ænigmata Moſis ac Prophetarum populo reſerare & familiarius exponere debebant, jam ſcriptis Apoſtolicis clarè inſerta, & omnibus communis ſit reddita. *Nam erunt omnes docti à Deo.* Joh. 6:45. *Et unctio, quam vos accepiſtis ab eo, manet in vobis, nec neceſſe habetis ut quiſquam doceat vos* &c. 1. Joh. 2:27.

Quorum traditiones refutantur; cum Scripturæ dictis,

XXXI. Haſce autem traditiones non ſcriptas evertunt 1. illa quæ ſuperiori capite pro perfectione Scripturæ allata ſunt; in ſpecie hæc ſequentia: *Ne addite ad verbum illud quod ego Iehova præcipio vobis, neque detrahite de eo* &c. Deut. 4:2. *Neque facitote ſecundum omnia, quæ nos hic facimus hodie.* Ibid. 12:8. Quin imò *etiamſi nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizatum eſt, Anathema eſto.* Gal. 1:8. *Sacræ litteræ hominem ſapientem reddere poſſunt ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu; & tota Scriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia: Ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfecte inſtructus.* 2. Tim. 3:15-18. quibus præterea addi poſſunt dicta. *Edixi filiis illorum in deſerto, in ſtatutis patrum veſtrorum ne ambuletis, & jura illorum ne obſervetis, neque ſtercoreis diis illorum vos polluatis: ego ſum Iehova Deus veſter, in ſtatutis meis ambulate, & jura mea obſervate ac facite ipſa.* Ezech. 20:18, 19. *Ut qui ſciatis, vos non corruptibilibus rebus eſſe redemtos ex vanâ illâ veſtra converſatione, à patribus traditâ.* 1. Pet. 1:18.

XXXII. 2. Imprimis contra illas facit locus Matth 15:6, 8, 9. ubi traditiones, tanquam imperfectæ & fermentum habentes, rejiciuntur: utpote quæ clavem cognitionis abſconderent, de juſtitiâ Dei non recte docerent, Matth. 5. & graviora legis tacerent omitti ac hypocriſim inducerent: quod eſt *fermentum doctrinæ Phariſæorum & Sadducæorum.* Matth. 16:12. *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei per traditio-*

nes

Digitized by Google

nes veſtras? Ibid. 15: 3. quæ eadem etiam Pontificiorum traditionibus conveniunt.

XXXIII. Nec excipere licet, damnari ſolum traditiones Scripturæ adverſas, non alias: Chriſtus enim non ſolum eas carpit, quæ fidei adverſabantur, verum etiam quaſcunque obſervationes, quibus conſcientiæ gravabantur, qualis erat lotio manuum ante cibum, propter conſcientiam & religionem, quaſi ad purificationem animæ hoc faceret: & Apoſtolus Col. 2:20-23. condemnat etiam, ut traditiones humanas, res quæ habebant ſpeciem ſapientiæ, in cultu voluntario, & humilitate, & carnis maceratione, tantum abeſt, ut illæ tantum rejiciantur, quæ legi contrariæ ſunt. Tales autem ſunt pleræque Papiſtarum obſervationes & ritus; præterquam quod & multæ directè ſacræ Scripturæ adverſentur.

XXXIV. 3. Adverſantur ſpeciatim traditiones promiſſionibus de ſtatu N. T. *Omnes filii tui edocti erunt à Iehova.* Eſai. 54: 13. *Indam legem meam menti eorum & cordi eorum inſcribam eam* &c. Jer. 31:33. Quæ docent, legem Dei ſub N.T. palam & publice, remoto velo, quaſi in medio poſitum iri, ut nulli doctori, qui peculiare verbum adferat, aut velatum aliquod exponat & publicet, locus futurus ſit. *Vos autem ne vocamini Rabbi, unus eſt enim Doctor veſter, nempe Chriſtus, omnes autem vos fratres eſtis.* Matth. 23:8, 10. *Non enim alia ſcribimus vobis, quam quæ legitis, aut etiam agnoſcitis.* 2. Cor 1: 12, 13. *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* 1. Tim. 4: 13. Quæ planè tollunt traditiones unius hominis pectori incluſas, qui ſolus eas eructare & fidelibus imponere poſſit.

XXXV. 4. Et cur eas Deus ſcripto conſignari non juſſit? Nulla enim eſt ratio, cur unam verbi ſui partem ſcripto, alteram vivo ſermone propagari voluerit. Et male omnino Eccleſiæ ſuæ conſuluiſſet, tam neceſſariam ſacræ doctrinæ partem incertæ hominum traditioni committendo. Nulla enim eſt traditio, quæ lapſu temporis corrumpi non poſſit: quod in promiſſione primævâ, quæ cito inter Adami poſteros corrupta fuit, apparuit; & ſimiliter in catecheſi Prophetarum, quæ licet iis tradita, qui in cathedrâ Moſis ſedebant, quæ particulares promiſſiones habebat, tamen adulterata & propemodum extincta fuit. Cumque in una gente, quæ uni templo & cathedræ affixa erat, hoc acciderit, quid de Eccleſiâ N.T. inter tot gentes diſperſâ, exiſtimandum? *tum rationibus.*

XXXVI. 5. Unde vero diſcrimen iſtud hauſerunt, quod traditiones alias divinas, alias Apoſtolicas, quaſdam etiam Eccleſiaſticas faciunt?

Digitized by Google

unt? & cum eandem traditionem alii Apoſtolicam velint, alii tantum ab Eccleſiâ manare contendant, quis diſſenſum hunc componet? & cum multæ olim falſæ traditiones in Eccleſiâ ſuppoſitæ ſint, (jam enim ſæculo V. falſi quidam Concilii Nicæni Canones ab Eccleſiæ Romanæ legatis producti leguntur) quis veras & germanas à ſpuriis diſcernet? & quo κριτηρίῳ? cum ad Scripturas eas examinari nolint: & quis nos certos faciet, eas incorruptas ad nos perveniſſe?

XXXVII. 6. Quaſcunque autem adverſarii hic regulas tradunt, recidunt eæ omnes ad auctoritatem & teſtimonium Eccleſiæ; verum hæc ipſa auctoritas Eccleſiæ vel maximè in quæſtione eſt: deinde conſtat diverſas olim Eccleſias, etiam Apoſtolicas, circa traditiones jam olim diſſenſiſſe, ut ex controverſiâ de Paſchate patet. Et quid ſi vel univerſa Eccleſia, inde à primis ſæculis, in traditionem aliquam conſenſerit, an non in errorem conſentire omnes potuiſſent? non enim majus privilegium Eccleſia Chriſtiana habet, quam olim Judaica habuit.

XXXVIII. 7. Neque etiam dantur dogmata alia neceſſaria extra Scripturam, ut traditionibus opus ſit. Pontificii quidem aſſignant traditiones tum de Scripturâ ipſâ, tum de aliis rebus. At vero traditiones de Scripturâ non concludunt dari traditiones extra Scripturam, de quibus ſolum quæſtio eſt. Et traditio hæc de Scripturâ eſt tantum ſenſata, teſtimonialis, & experimentalis, quâ libri hi continuo Eccleſiæ uſu commendati & ad poſteros propagati ſunt; quam admittimus, verba enim Dei ſemper in ore Eccleſiæ eſſe debuerunt: non vero revelata & auctoritativa, ut verbum Dei ab eâ dependeat.

XXXIX. 8. Quantum ad res alias, eæ vel in S. Scriptura continentur, ut pædobaptiſmus, perſonarum in eſſentiâ divinâ trinitas, Patris & Filii ὁμουσία, Sacramentorum doctrina & numerus: vel non tam dogmata ſunt, quam dogmatum appendices, ut quæ de perpetuâ virginitate Mariæ, etiam poſt partum, de remedio pro peccato originali pro fœminis in V.T. & maſculis ante octavum diem morientibus, quærunt: quamvis hæc ipſo ſufficienter ſcripturis comprehendantur, & magis ex eâ quam ex traditione conſtent; nam & beata virgo ut ſolius Chriſti mater in ſacris litteris occurrit, & pertinet hoc judicium ad honorem virgini θεοτόκῳ debitum: & cum circumciſio ſemini Abrahami data eſſet, ſub eo etiam fœminæ cenſebantur, & maſculis circumciſis univerſa familia circumciſa habebatur: quod autem de maſculis ante acceptum ſacramentum morientibus urgent, errore nititur

titur

Digitized by Google

titur de neceſſitate & efficaciâ ſacramentorum, ex opere operato, de quo poſtea: vel denique prorſus in Scripturam incurrunt, ut miſſa, ſanctorum cultus, purgatorium, ſacramenta ſpuria, &c. Quanquam ad hos ipſos errores tuendos traditiones ab ipſis inventæ ſunt.

Adverſariorum objectamenta.

XL. Objiciunt autem Pontificii pro traditionibus ſuis verba Pauli, *Sicut tradidi vobis, traditiones retinete.* 1.Cor.11:2,23,34. *Tenete traditiones.* 2.Theſſ.2:15. Reſp. 1. Nihil hic occurrit niſi vox παραδόσεως, quæ quamcunque traditionem, ſive voce, ſive ſcripto, denotat, unde & duplicem hunc modum Apoſtolus in loco ad Theſſal. diſtinguit, *per ſermonem & epiſtolam.* Vid. 1.Cor.15:3. *Tradidi vobis.* 2. Neque etiam dicimus, omnia Chriſtianæ fidei capita duabus illis ad Theſſal. epiſtolis contineri; unde Apoſtolus illis adjungere potuit vivam & oralem ſuam doctrinam, qua univerſum Euangelium illis prædicaverat. 3. In loco vero 1. Cor. 11:23. expreſſe agitur de traditione ſcriptâ; verſu autem 2. & 34. de ritualibus quibuſdam agit, quæ ut ſingula deſcripta ſint neceſſe non eſt, cum generali hac regula comprehendantur, *Omnia decenter & ordine fiant.* 1.Cor.14:40.

Joh. 16: 12.

XLI. Objic. etiam Joh. 16: 12. *Multa habeo vobis dicenda* &c. Qui locus etiam olim ab hæreticis pro erroribus & traditionibus ſuis ſæpe adoptatus eſt. Verum ad ſummum hinc colligitur, Apoſtolos quædam ante acceptum ſpiritum ignoraſſe, quæ tamen poſtea edocti ſunt, & de iis quoque Eccleſiam inſtruxerunt. Neque adeo de neceſſariis religionis capitibus hæc intelligi debent (illa enim neſciviſſe Apoſtolos dici vix poteſt, *Chriſtus enim omnia, quæ audivit à Patre ſuo, nota fecit iis*, ſcil. Apoſtolis. Joh. 15: 15.) quam quidem de ſingularibus quibuſdam myſteriis, utpote de vocatione gentium, ortu apoſtaſiæ, & aliis ad ſtatum Eccleſiæ N. T. pertinentibus accipi poſſunt.

Quomodo eas uſurpent Patres.

XLII. Patres quidem traditionum ſæpe mentionem faciunt. Verum 1. illa quæ Scripturis continentur, ſæpe traditiones appellant; & nunquam traditiones Scripturæ opponunt, cum omne judicium ex Scripturâ ferant. 2. Sæpe etiam per traditiones intelligunt ritus & cærimonias Eccleſiæ, de quibus nulla eſt controverſia, 3. & hæreticis quidem, contra fidem & fundamentum diſputantibus, ſæpe oppoſuerunt *præſcriptionem*; quia circa fundamentum nihil novi in Eccleſiâ audiri debebat, quod non antea ab Apoſtolis traditum & à fidelibus receptum eſſet; juxta illud, *Indam leges meas in mentem eorum, & in corda eorum inſcribam eas —— & non docebit quiſque proximum ſuum, & quiſque fratrem ſuum.* Jer. 31: 33. & Hebr. 8: 10. Atque adeo meritò non

præſcriptionem ſolùm, ſed & *interpretationem Scripturæ ſecundum ſenſum catholicum* urgebant, hoc eſt, ſecundum regulam fidei, & promiſſionem illam, *Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore ſeminis tui, aut ex ore ſeminis ſeminis tui, ait Iehova, ex hoc tempore uſque in ſeculum.* Eſai.59:21. quæ regula ad omnes ab Apoſtolis pervenerat. Unde Paulus: *nolite eſſe prudentes apud voſmet ipſos.* Rom. 12: 16. *Fundamentum aliud nemo poteſt ſtatuere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* 1.Cor.3:12.

Et quomodo inde captata à Satana occaſio eas introducendi.

XLIII. Hanc autem occaſionem arripuit Satanas, & traditiones ac hominum doctrinas inde occultè promovit, & humanum nomen in Eccleſiam invexit. Nam 1. ſedes Epiſcopales erexit, & Eccleſiæ Romanæ, in qua incorruptior fides permanſerat, magnam dignitatem conciliavit. 2. Interea primaria quædam doctrinæ capita negligentius tractabantur, & Doctoribus dicta quædam ambigua & periculoſa excidebant, ex.gr. de merito & libero arbitrio. 3. Delatum eſt ſummum de religione judicium cathedræ alicui, vel concilio multitudinis illius, quæ Eccleſia dicitur. 4. Quæ auctoritas in immenſum crevit, ita ut opiniones illius multitudinis pro dogmatis & explicatione fidei haberentur. 5. Unde factum ut tandem traditiones illius Eccleſiæ divinis ſcriptis æquipararentur: quod in concilio Tridentino perfectum eſt.

& per quos.

XLIV. Primi autem in Vet. Eccleſiâ traditiones jactare cæperunt hæretici, prætextu verborum *Chriſti*, *Adhuc multa habeo quæ vobis dicam* &c. Joh.16:12. & Pauli, *Sapientiam loquimur inter perfectos, non autem hujus ſeculi ſapientiam, ſed latentem in myſterio.* 1. Cor. 2:6. *Serva depoſitum, & averſare oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ.* 1. Tim.6:20. Imo & viventibus Apoſtolis eas jam fingebant impoſtores. Monebat enim jam tum Paulus ſuos: *Ne cito à mente dimoveamini, neque turbemini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos ſcriptam.* 2. Theſſ.2:2. Ac primus poſt eorum exceſſum eas produxit Papias, & multos eo prætextu in errorem induxit. Secuti ſunt deinde Marcion, Montanus, Ptolemeus, Audiani &c. quin & Clemens Alexandrinus multa inconcinna, & Origenes multa venenata ex iis protulit & Eccleſiæ obtruſit. Nec aliter quoque Muhammed Alcoranum ſuum conſarcinavit, quam conquiſitis undique fabulis & narrationibus apocryphis.

Concluſio contra eas.

XLV. Nos autem omnes illas Eccleſiæ Romanæ traditiones rejicimus, tanquam χάραγμα Beſtiæ, juxta quod *omnes accipiunt characterem in manu ſua dextra, aut in frontibus ſuis.* Apoc. 13:16. & 20:4. Cum ſo-

ſolum verbum Dei ſcriptum *pro frontali inter oculos noſtros & ſigno in manibus noſtris ſufficiat*. Deut.6:8. & 11:18. *& pro monumento inter oculos noſtros, ut ſit doctrina Iehovæ in ore noſtro*. Exod. 13:9. Traditionum vero dubia ſit origo, incerta auctoritas, perplexus ſenſus, contrarietas frequens, moles immenſa, impoſſibiliſque eas internoſcendi ratio.

CAPUT X.

De Perſpicuitate ſacræ Scripturæ.

I. UT Scripturæ integer nobis conſtaret fructus, non ſolum divinam & perfectam illam eſſe oportuit, verum etiam *claram* & *perſpicuam*: quæ altera ejus perfectionis pars eſt, ut nimirum non ſolum non *muta*, verum etiam non *ambigua* ſit.

Ex Scriptura perfectione fluit ejus PERSPICUITAS.

II. Cum duplici hominum genere hic nobis res eſt, *Pontificiis* nempe & *Pelagianis*: quorum illi, ut Eccleſiæ auctoritatem & infallibilitatem exaggerent, & verbo non ſcripto locum faciant, Scripturam non omnia neceſſaria continere, quæque continet obſcure tradere urgent; ita ut ejus ſenſus nulli certo notus ſit, niſi aut Pontifici Romano, aut Eccleſiæ in concilio congregato.

Quomodo in controverſiam tracta: à Pontificiis,

III. Hi ſub gratiæ univerſalis prætextu, cujus vim in externâ verbi propoſitione & ſenſus ejus intelligentiâ potiſſimum ponunt, talem Scripturæ perſpicuitatem attribuunt, qua lucida ſit non ſolum in ſeſe, verum etiam reſpectu noſtri & omnium, qui ad eam legendam & percipiendam animum & operam adhibent.

& Pelagianis.

IV. Nos verò, ut medium inter duo hæc extrema teneamus curſum, præmittimus, dupliciter quæri poſſe de Scripturæ perſpicuitate vel obſcuritate, nempe vel à parte rei, vel à parte legentium. Non enim omnis Scripturæ claritas relativa eſt, reſpectu auditoris vel lectoris, ut quibuſdam videtur: nam ſicut ſol in ſeipſo, hactenus ſaltem clarus eſt, ut videri poſſit, ſive homo eum videat, ſive non: ſic etiam Scriptura, licet actu non ſit perſpicua niſi relata ad intelligentem, hactenus tamen in ſeipſa clara dici poteſt, quatenus ex ſe talis naturæ eſt, ut à ſubjecto capaci intelligi poſſit. Duplici autem modo Scriptura clara vel obſcura dici poteſt, ſeu ratione myſteriorum, quæ in ea traduntur, ſeu ratione ipſius traditionis. Illo modo nihil omnino Scri-

Quomodo ea aſſerenda.

pturâ obſcurius eſſe poteſt, cum illius myſteria omnem rationem & captum ſuperent. Traditionis vero reſpectu dicimus Scripturam ita perſpicuam eſſe, ut ea quæ in ipſa traduntur, ex illa ipſa ſufficienter intelligi poſſint.

V. Quod ita tamen intelligimus, 1. ut non negemus, non paucos in S. Scripturâ occurrere locos obſcuriſſimos. 2. ſed eam in rebus ad ſalutem neceſſariis perſpicuam dicimus. 3. atque eas res, prout in univerſo Scripturæ corpore occurrunt, conſideramus, non vero prout his vel illis locis aliquanto forte obſcurius proponuntur. 4. idque ſi adhibeatur ſufficiens attentio & diligentia. 5. ſi deponantur præjudicia. 6. ſi adſit illuminatio Sp. S. vel *erudiens* ſolum, ad doctrinam, vel *ſanctificans* etiam, ad ſalutem. 7. Denique talem eam eſſe aſſerimus pro variâ Eccleſiæ ætate: ſicut illa enim tempore, ita etiam profectu creſcit; unde illa perſpicue nunc traduntur, quæ olim in V.T. patribus latebant: *Tu vero, Daniel, occlude hæc verba, & obſigna hunc librum ad tempus determinatum uſque; percurrent enim multi, & augebitur cognitio.* Dan. 12:4,9. *Loquimur ſapientiam Dei in myſterio, hoc eſt, occultam illam, quam præfinierat Deus ante ſæcula ad gloriam noſtram.* 1. Cor. 2:7. *Mihi data eſt hæc gratia in lucem proferendi omnibus, quæ ſit communio myſterii, quod erat abſconditum à ſæculis in Deo.* Eph. 3:9.

Qua probatur. 1. ex Scriptura ipſius teſtimoniis.

VI. Atque ita perſpicuam eſſe Scripturam patet, 1. ex S. Scripturæ teſtimoniis. *Teſtimonium Iehovæ eſt certum, ſapientem faciens fatuum.* Unde *lucerna* appellatur, Pſal. 19:8. *Lucerna pedi meo ſunt verba tua.* Pſal. 119:105. Et *lucerna ſplendens in obſcuro loco,* 2. Pet. 1:19. *quæ lucerna accenditur, & imponitur candelabro, & ſplendet omnibus qui ſunt in domo.* Matth. 5:15. Speciatim de Veteri Teſt. *Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam.* Jer. 31:33. *Præceptum hoc non occultum eſt à te, neque longinquum.* Deut. 30:11. coll. cum Rom. 10:6,7,8. *Ne dicas in corde tuo, quis aſcendet in cœlum? --- prope te verbum eſt, in ore tuo, & in corde tuo.* Multo magis ergo doctrina Euangelii & N.T. clara erit, tanta luce per Chriſtum & Euangelium jam diffuſâ. *In ipſo* enim *vita erat, & vita erat lux illa hominum* Joh. 1:4. & 5:9. Quare Paulus & Barnabas dicunt, *eum eſſe conſtitutum, ut ſit lux gentium.* Act. 13:47. & Paulus dicit ſe eſſe miſſum, *Ut aperiat oculos gentium, & convertat eos à tenebris ad lucem.* Ibid. 26:18. *Commendans ſe ipſum declaratione veritatis apud omnem conſcientiam hominum. Quod ſi opertum eſt Euangelium noſtrum, iis qui pereunt opertum eſt.* 2. Cor. 4:2,3. *Gratia* enim *nunc manifeſta fa-*

Digitized by Google

facta eſt per adventum Chriſti, qui vitam & incorruptibilitatem in lucem produxit per Euangelium. 2. Tim. 1: 10. Et *illuxit illa gratia Dei ſalutifera quibuſvis hominibus.* Tit. 2: 11.

VII. Excip. adverſarii, agi iſtis locis vel tantum de parte aliqua Scripturæ, nempe decalogo, qui naturaliter notus eſt, ut in Pſalmis: vel de verbo Dei, non quatenus ſcriptum eſt, ſed quatenus eſt in ore Eccleſiæ: vel denique Scripturas dici lucidas, non quod facile intelligantur, ſed quod intellectæ mentem illuſtrent. Reſp. 1. Agi in Pſal. 19. & 119. de doctrina gratiæ, cujus ſolius eſt animum recreare, & gaudio perfundere: & Petrus non decalogum ſolum, ſed univerſum ſermonem propheticum lucernam appellat. *Habemus* (inquit) *firmiſſimum illum ſermonem propheticum, quem benefacitis quod attenditis, velut lucernam ſplendentem in obſcuro loco, uſque dum dies illuxerit, & lucifer exoriatur in cordibus veſtris.* 2. Pet. 1: 19. 2. & de verbo ſcripto agitur; nam David expreſſe legem Dei, nimirum *à Moſe deſcriptam.* Deut. 31: 9. quamque etiam *reges, inſidentes ſolio regni ſui, in libro deſcribere* debebant. Deut. 17: 18. lucem appellat: unde & elogia illa alibi Scripturis tribuuntur. *Quæcunque ante ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt, ut per tolerantiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Rom. 15:4. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum, Filium illum Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Joh. 20:31. *Sacræ literæ nos poſſunt ſapientes reddere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* 2. Tim. 3:15. 3. denique non ſolum lucida, ſed & illuminare, & ſapientiam imperito dare Scriptura dicitur; ita ut ſimul formaliter & effectivè lucida ſit, utpote quæ radios ſpargit inſtar ſolis, vel luminis, & in ipſis tenebris lucet, & potenter vel invitis oculis ſeſe ingerit.

2. ex ſcopo Scripturæ.

VIII. 2. Patet hæc S. Scripturæ perſpicuitas etiam ex fine & ſcopo ejus. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Rom. 15:4. *Hæc ſcripta ſunt ut credentes vitam habeatis.* Joh. 20: 31. Jam vero Deo denegari non poteſt quod non denegatur homini ſapienti, nempe ſcribere tam clare ac intelligibiliter, ac requiritur ad ſcopum ejus.

3. ex auctore ejus.

IX. 3. Cum ergo Scriptura à Patre luminum profecta ſit, de quo dici nequit quod clarè loqui vel non potuerit, vel non voluerit; cumque ſit canon, & formula cognitionis & pietatis, & revelatio juſtitiæ Dei, perſpicuam illam eſſe oportet.

Cujus perſpicui ſatis

X. Et vero multiplex quoque perſpicuitatis hujus ratio eſt. 1. Quod nul-

Digitized by Google

multiplex eſt ratio. nullum ejus dictum pro falſa ſententiâ allegari poſſit ſine violentia, quæ à vigili conſcientia deprehendi non poſſit. 2. Quod continet certam veritatis analogiam & *conformitatem fidei*. Rom. 12:6. *Nullum* enim *mendacium eſt ex veritate*. 1 Joh. 2:21. 3. Quod continet *clavem cognitionis*, nimirum Chriſtum Dominum & juſtitiam ejus, Luc. 11:52. *Nam teſtimonium Ieſu, eſt ſpiritus prophetiæ*. Apoc. 19:10. In quo capite omnes promiſſiones Dei omneſque typi concentrantur. 4. Quod doctrina reſipiſcentiæ & officiorum perfectiſſimè in toto Scripturæ corpore tradita ſit. 5. Quod prophetiæ rerum futurarum ſeriem ſignantes ordine ſapientiſſimo expoſitæ ſunt. 6. Quod formula illa fidei & charitatis non ſemel in Scripturâ occurrat, ſed ſæpiſſimè repetita cum novâ ſemper luce & ſapientiâ; quodque nihil obſcurius dicatur, quod non clarius & apertius alibi exprimitur. 7. Quod Scriptura utatur ſtylo & verbis Deo ac rebus, quas tractat, digniſſimis. 8. Quod in hiſtoriis, chronologiis & genealogiis ſcopus earum ſemper attingatur & exponatur, etſi multæ earum circumſtantiæ implicatiores ſint.

Quibus obſcura ſit Scriptura. XI. Si vero Scriptura obſcura eſt, talis eſt tantum homini natura cæco & indurato, præcipuè ubi accedit judicium divinum. *Occalluerunt mentes illorum: nam ad hunc uſque diem, cum legitur Moſes, velamen cordi eorum impoſitum eſt*. 2. Cor. 3:13-15. Præcipuè autem ita excæcantur illi, qui verbum Dei audiverunt & rejecerunt. *Audite indeſinenter, at ne intelligatis, & videte indeſinenter, neque cognoſcatis: pingueſcat cor populi iſtius, & aures ejus ingraveſcant, oculi ejus conniveant, ne videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, ſeque convertat, & ſanitas obveniat ei*. Eſai. 6:9, 10. *Fieri non poteſt, ſi prolabantur, ut denuo renoventur ad reſipiſcentiam, ut qui rurſum crucifigant ſibi Filium Dei, & ignominiæ exponant* &c. Heb. 6:6. 7, 8.

Objectiones in contrarium, & fontes ſolutionum. XII. Objectiones contrarias quod attinet, fundamenta ſolutionis earum ſunt in ſequentibus obſervationibus, ſeu diſtinctionibus. 1. Aliud eſt agere de hominum defectibus, ignorantiâ, malitiâ &c. aliud conqueri de Scripturæ obſcuritate. 2. Aliud eſt in genere & indefinitè allegare Scripturæ obſcuritatem, aliud eam probare in rebus neceſſariis. 3. Aliud eſt ſermonem Scripturæ eſſe obſcurum vel propter *vocum* ipſarum, vel propter *rerum*, ad quas ſignificandas adhibentur, obſcuritatem; quæ ultima obſcuritas non male vocari poteſt obſcuritas *veri ſenſus*, ſicuti prior *obſcuritas literalis* ſenſus eſt. In Scripturâ non adeo occurrit obſcuritas prior, ſed magis poſterior, & plerumque non tam

Digitized by Google

tam verba Scripturæ obſcura ſunt, quam res illius. Et obſcuritatis verborum Scripturæ quidem varia cauſa eſt : res verò ejus obſcuræ ſunt; ſive quia illæ remotiores ſunt à principiis naturæ; ſive etiam à principiis Scripturæ, h. e. rebus illis quæ in Scriptura apertè traduntur & intellectu faciles ſunt; ſive quia remotæ ſunt ab agendi rationibus nobis uſitatis. In prioribus generibus obſcuritatis origo eſt ab intelligendi difficultate : in poſteriori genere difficultas à voluntate proficiſcitur.

XIII. 4. Res item neceſſariæ diverſimode conſiderari debent, ſecundum diverſam Eccleſiæ ætatem & ſtatum, ſive ſub V. ſive ſub N. T. obſcura potuerunt tunc eſſe, quæ nunc maximè clara ſunt.

XIV. 5. Aliud eſt res ad ſalutem neceſſarias in ſe ipſis eſſe ſublimes, aliud eas accommodatè ad captum noſtrum in Scripturâ proponi; ſi non ad plenam iſtarum rerum ſcientiam, ſaltem quantum ad fidem ſufficit.

XV. 6. Nec excludimus à Scripturæ intelligentia omnem laborem &c. qui neque prudenti lectioni ſcriptorum humanorum denegari ſolet; neque etiam publicum verbi miniſterium: ſolummodo tribunal infallibile Eccleſiæ excludimus, ſine quo nullus Scripturæ ſenſus certus hauriri poſſit; cum illum hauriamus per media legitima ex ipſa Scripturæ collatione & lumine ejus proprio. *Legebant legem Dei explanatè : & exponendo ſenſum dabant intelligentiam per Scripturam ipſam.* Neh. 8: 9. *Quotidie examinantes Scripturas, an hæc ita ſe haberent.* Act. 17: 11.

XVI. 7. Nedum ut illam perſpicuam dicamus cum excluſione auxilii Sp. S. & conſequenter precum ac piorum motuum cordis. Cum ſine hiſce verba, ſententiæ & conſequentiæ Scripturæ intelligi quidem poſſint, non vero ad ſalutem ipſa credi, aut per eam quis converti & ſanctificari poſſit. Atque hanc vivam & experimentalem cognitionem legis petit Propheta David, dicens: *Revela oculos meos, ut cernam mirabilia ex lege tua.* Pſal. 119: 18.

XVII. Quod autem objiciunt, multa in S. Scripturâ occurrere, quæ ſibi videantur contraria, multa ambigua, imperfecta, præpoſtera, tropica & figurata : ea adhibito ſtudio non difficulter intelligi & explicari poſſunt; & in talibus locis vel ea quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt non occurrunt, vel etiam alibi in locis clarioribus eadem occurrunt. Nullibi autem monemur difficultates haſce aut defectus humanos ſuperare per infallibilem Eccleſiæ auctoritatem, & nullibi ad præ-

 ten-

Digitized by Google

tenſum iſtud tribunal relegamur; hoc enim eſſet ſcrutationem verbi divini mutare in ſcrutationem verbi humani, & loco ſpiritualis infantiæ introducere ſervitutem & ſtupiditatem, contra dictum Pauli: *Ne eſtote pueri prudentia, ſed malitia infantes, prudentia vero adulti eſtote.* 1. Cor. 14:20.

XVIII. Præcipuè objici ſolet ex loco 2.Pet.3:16. *in epiſtolis Pauli* eſſe *δυσνόητά τινα nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque ſtabiles detorquent.* ℞. 1. Conceſſo, hæc de Pauli epiſtolis, non vero de rebus ipſis in iis contentis, accipienda eſſe, cum hæc *δυσνόητά τινα quædam* duntaxat ſint, ſequitur reliqua eſſe εὐνόητα, adeoque perſpicua. 2. Emphaſis eſt in voce στρεβλῶσιν, à tortura deſumta, per quam Scripturæ vis fit: unde ſequitur, illam cæteroquin niſi detorqueatur, perſpicuā eſſe.

Non tamen lumini naturali perſpicua eſt Scriptura.

XIX. Ita Scripturæ perſpicuitate adſtructâ contra Pontificios, non tamen aſſerimus illam omnibus promiſcuè tam claram eſſe, ac Pelagiani, Sociniani & Remonſtrantes volunt: qui ad ejus intelligentiam nullum aliud requirunt lumen, quam rectæ rationis, aut ſaltem iſtius gratiæ univerſalis, quæ omnibus hominibus communis eſt, aut ſi Sp.S. gratiam requirant, hoc tantum ideo volunt, ut per eam expeditius & facilius Scripturam intelligamus.

quousque illa homini naturali perſpicua ſit.

XX. Fatemur nos fundamentalia ab unoquoque intelligi poſſe theoreticè, h. e. juxta ſenſum grammaticum, non verò practicè, h. e. cum aſſenſu & fidei obſequio. Intelligi poteſt ab irregenito ſenſus *literalis*, non vero *ſpiritualis*; *verba* ejus, non vero *res* & myſteria.

XXI. Aliud nimirum eſt quærere de Scripturæ *intelligentiâ*, aliud de *fide* & aſſenſu. *Intelligentiam* Scripturæ quod attinet, quædam in verbo Dei tam clare propoſita ſunt, ut ab omnibus, qui ſine præjudiciis ea legunt, intelligi poſſint: alia vero, non propter modum proponendi, ſed rerum ipſarum naturam, tam obſcura ſunt, ut non ſine explicatione, ſive Sp. S. illuminatione intelligi poſſint.

XXII. Ut verò non ſolum in intellectu homo convincatur de verbi divini veritate, verum etiam ea quæ intelligit credat, amet, velit & perficiat, non tantum opus eſt illuminatione intellectus, verum etiam infuſione caritatis, & collatione bonæ voluntatis. Verbum prædicatum dare interdum poteſt ſui notitiam, Spiritus vero Dei ſolus bonam voluntatem: & aliud eſt, Deum manifeſtari nobis in intellectu, aliud eum manifeſtari in conſcientiâ & corde. *In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes, ne irradiet eos illuſtratio Evangelii gloriæ Chriſti. --- Deus, qui dixit, ut è tenebris lux ſplendeſceret, is eſt qui ſplenduit in cordibus noſtris.* 2. Cor.

2. Cor. 4: 4, 6. Sed hæc præcipuè ad doctrinam gratiæ ſpectant.

1. Cor. 2: 14.

XXIII. Tota autem hæc res conficitur Cap. 1. Cor. 2. per totum, præcipuè autem ℣s 14. ubi dicitur, *hominem animalem non recipere ea quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim illi ſunt: & non poteſt cognoſcere, quia ſpiritualiter diſcernuntur.* Ubi 1. ψυχικὸς ἄνθρωπος non exprimit certam ſpeciem hominis naturalis, hominem nimirum qui *animum*, h. e. *affectus humanos ſequitur*, ut Eraſmus; ſed ſimpliciter hominem irregenitum, & qualis ſine Spiritu Dei eſt, ſeu in quo ſola naturalis & animalis anima dominatur. *Eſt enim corpus animale, & eſt corpus ſpirituale: at ſpirituale non eſt prius ſed animale, deinde ſpirituale.* Vide 1. Cor. 15:44, 46. Qualis appellatur caro; ſiquidem *quod ex carne genitum eſt, caro eſt.* Joh. 3:5, 6. *Spiritum non habens*, Jud. ℣s 19. qui ideo *naturalis* benè vertitur, quum naturâ omnis homo talis ſit, & natura in tali dominetur: licet cæteroquin vox ψυχικὸς naturam non diceret: 2. dicitur, *illum ea quæ ſunt Sp. Dei non recipere:* quod intelligendum de intelligentiâ cum aſſenſu & fide conjuncta, hoc eſt, de approbatione & aſſenſu. quod ratio addita ſuadet. Nam 3. οὐ δέχεται, ὅτι μωρία αὐτῷ ἐστι *non recipit, quia ſtultitia illi ſunt.* 4. Quin & alterum adjungitur, *non poteſt cognoſcere, quia ſpiritualiter diſcernuntur*, h. e. ſine Sp. Dei non examinantur & expenduntur. Nam *ſenſus carnis inimicitia in Deum eſt.* Rom. 8:7. *Sed unctio docet vos de omnibus.* 1. Joh. 2: 27.

CAPUT XI.

De Scripturæ Uſu & Lectione.

Scripturæ utilitas & uſus.

I. CUm Scriptura ita perſpicua ſit, *utilis eſt ad doctrinam, redargutionem, correctionem, diſciplinam in juſtitiâ; ut homo Dei ſit ad omne bonum opus exaptatus.* 2. Tim. 3: 16, 17. Alios Scripturæ uſus, *ut* nempe *per tolerantiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*, vide Rom. 15: 4. & Act. 18: 24, 25. *ubi Apollos, potens in Scripturis, initiatus via Domini & fervens ſpiritu, loquebatur & docebat diligenter ea quæ ſunt Domini.*

Illius LECTIO *præcepta omnibus in V. T.*

II. Ad hoſce autem uſus percipiendos, neceſſaria eſt Scripturæ *lectio*, omnibus præſcripta, cum in Vet. tum in N. T. In V. T. univerſo populo injungitur. *Erunt verba iſta, quæ ego præcipio tibi, in corde tuo* (ait Jehova) *eaque acutè ingeres filiis tuis, ac loquêris de iis, cum ſedes domi tuæ* &c. Deut. 6:6, 7. ſpeciatim autem regi, Deut. 17:18, 19. ubi præcipitur, ut rex *exemplar legis ſibi deſcribat:* ſicut etiam legibus Judæorum

Digitized by Google

quilibet de populo exemplar legis propriâ manu deſcriptum habere tenebatur, juxta Deut. 31:19. ut illi id explicant; & ſi vulgaris aliquis Iſraëlita litteras neſciret, per alium hoc ſibi præſtari curare tenebatur. Quod quanto ſtudio ad ſuperſtitionem uſque ab iis fiat, ex auctoribus conſtat.

& in N. T. III. Idemque præceptum in N. T. factum apparet, ex verbis Abrahæ. *Habent Moſen & Prophetas: audiant eos.* Luc. 16:29. Ideo etiam *à puero ſacras literas* Timotheus noviſſe dicitur. 2. Tim. 3:15. Et Eunuchus *ſedens in curru, legebat Eſaiam Prophetam.* Act. 8:28. Hinc etiam *generoſiores* prædicantur *Beroënſes iis qui erant Theſſalonicæ; quum quotidie examinarent Scripturas, an hæc ita ſe haberent.* Ibid. 17:11. Imò Paulus precatur, *ut ſermo Chriſti habitet copioſè in fidelibus, cum omni ſapientia, docendo & admonendo ſeſe invicem mutuo* &c. Col. 3:16. *Scrutamini Scripturas.* Joh. 5:39. Quo poſtremo loco Chriſtus non ſolum morem iſtum Judæorum indicat, ſed & toto contextu eum probat ac commendat.

Quam & Scripturæ elogia arguunt, IV. Quod etiam evincunt Scripturæ elogia. Cum fons omnis conſolationis eſſe dicatur. *Ut per conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Rom. 15:4. & teſtamentum Dei, inſtrumentum connubii ſpiritualis, medicina animæ, pabulum vitæ, gladius ſpiritualis, &c. inſigniatur.

& continua populi Dei praxis. V. Unde & hæc continua populi Dei fuit praxis. Apud Judæos obtinebat lectio legis ſeptennalis: *à fine enim ſeptem annorum ſtato tempore anno intermiſſionis præcipitur* à Moſe *ſacerdotibus, ut legant legem hanc coram toto Iſraële.* Deut. 31:10, 11, 12. Sabbatica in Synagogis. *Moſes enim in Synagogis per ſingula Sabbatha legebatur.* Act. 15:21. quem morem etiamnum obſervant, certo & præfixo tempore legis lectionem per ſectiones jugiter abſolventes.

VI. Apud Chriſtianos veteres idem obtinuit; ut ex homiliis & ſcriptis Patrum apparet: qui omnes lectionem Scripturæ toti populo commendant.

VII. Similiterque ſequentibus ſæculis hic populi Chriſtiani uſus fuit: teſtantibus, & ad id ſtudium fideles exhortantibus, Gregorio Magno, Damaſceno, Beda, Theophylacto, qui ſæculo XI floruit; denique Bernardo, qui ſæculo XII vixit.

Qua variis artibus ac gradibus imminuta, & tandem ſublata eſt. VIII. Deinceps autem variis artibus & quaſi gradibus ſacræ lectionis uſus imminutus eſt, & tandem eviluit. Prima infractio facta eſt per theologiam Scholaſticam, per quam Patrum dicta, Pontificum decreta & philoſophorum placita Scripturæ adjuncta ſunt; & per has tenebras lux illa paulatim oppreſſa eſt, quamvis melioris genii viris reclamantibus.

IX. Se-

Digitized by Google

IX. Secunda Scripturæ oppugnatio facta fuit per revelationes ſingulares, modo his, modo illis factas; ſpeciatim circa ſtatum mortuorum & purgatorium, ſæculo XII & ſeqq.

X. Succeſſit tertia, magis tamen conatu, quam ſucceſſu, per novum illud Euangelium, Sp. S. ſeu æternum dictum, circa annum cIↄ ccLVI.

XI. Quarta clades ipſi illata fuit per Legendas ſanctorum, quæ populo Scripturæ loco obtruſæ, quin & illi prælatæ fuêre.

XII. Quintum & ultimum vulnus Scripturæ illatum eſt per canones Concilii Tridentini, & decreta Pontificum, Cæſarumque edicta inde conſecuta; quibus plebs Chriſtiana, tanquam porci & canes, à ſacro illo pabulo abacta fuit, multaque contumelioſa in S. Scripturam publicè jactata & defenſa fuerunt.

XIII. Tantæ autem tyrannidis invidia fraude ac dolo obtegenda erat. Unde in catalogo librorum prohibitorum canone IV. Scripturæ uſus permittitur iis, qui ejus rei facultatem ab ordinario obtinuerunt: quæ regula tamen ita explicatur in indice Sixti Quinti & Clementis Octavi, ut omnibus Epiſcopis, Inquiſitoribus &c. omnis poteſtas facultatem illam concedendi adempta pronuncietur: ſub Bibliis ſacris etiam eorum ſummariis & compendiis comprehenſis. *licet dolo tecta.*

XIV. Prætextus obtenditur, ne vulgus imperitum in hæreſes prolabatur. Sed vanus: nam è contrario Scripturæ ad formandos mores & fidem per ſe conducunt. *Doctrina Jehovæ eſt integra, reſtituens animam. teſtimonium Jehovæ verax, ſapientiam afferens imperito. Mandata Jehovæ ſunt recta, lætificantia animum.* Pſal. 19:8, 9. Nec hæreſeos periculum tam à populo, quam à litteratis & perverſè doctis imminet. Et cur imagines potius à conſpectu plebis non removent, quæ earum aſpectu & cultu in graviſſimam idololatriam, vel ipſis adverſariis fatentibus, incidit? quod etiam de Scripturæ obſcuritate cauſantur, ſupra explicatum eſt. Sed vera cauſa cur ſacros codices vulgi manibus eripiant, hæc unica eſt, ne ipſorum hæreſes nimirum à populo Chriſtiano deprehendantur. *& prætextibus incruſtata.*

XV. Alia autem nobis mens eſt, qui Scripturam populo commendamus, & legendi methodum ſingulis pro captu præſcribimus, adjunctis ante omnia precibus ad lumen cœleſte ſollicitandum. Neque ideo publicos cœtus, aut verbi miniſterium deſtruimus, cum aliter doceat Scriptura ſacra, *non deſerendas* nempe *eſſe congregationes*, Hebr. 10:25. & ſubordinata ſe invicem non tollant.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Scripturæ Interpretatione.

Scriptura INTERPRETATIO. I. SEquitur Scripturæ interpretatio, quæ perſpicuitatem ejus in uſum vertit. Hæc autem duplex eſt, una, quæ rem ipſam ſpectat,& vocatur *explicatio*; altera, quæ verba ſpectat, & dicitur *verſio*. Circa priorem videndus primo Script. *ſenſus*, inde eum interpretandi *poteſtas*, *norma*, *via*, *latitudo*, *præſuppoſita* & *modus*.

II. Eſt autem Scripturæ ſenſus id, quod Scriptura ſignificat ſingulis locis, ſive ſenſus ſit *litteralis*, ſive *myſticus*. *Litteralis*, alias hiſtoricus dictus, eſt, qui oritur ex verbis Scripturæ, proprie vel figuratè ſumptis.

Scripturæ SENSUS *quotuplex.* III. Aliud autem hic eſt ſenſus *litteralis*, aliud *verus*. Veri Scripturæ ſenſus hæc eſt proprietas & prærogativa ſupra ſcripta humana, quod omnis ejus verus ſenſus, h. e. quem auctor intendit, ſit quoque veritas, id eſt, quod ſemper veritatem contineat. Sicut etiam ex adverſo omnis veritas in S. Scriptura eſt verus ejus ſenſus: omnis enim & quilibet ſenſus verus qui ex verbis Scripturæ legitimè elicitur, eſt verus auctoris ejus, Sp. S., ſenſus quem ille in animo habuit.

IV. Senſus ſpiritualis ſeu *myſticus* eſt, quem non voces primò & proximè ſignificant, ſed res vocibus ſignificatæ: qui à ſcholaſticis diſtinguitur in *allegoricum*, ubi ſenſus litteralis transfertur ad ſignificationem rei ſpiritualis in N. T. juxta illud Paulinum, ubi *per duos illos filios Abrahami, unum ex ancilla, unum ex libera, aliud quid figuratur*; *nam hæc ſunt duo illa teſtamenta*. Gal. 4:24. *tropologicum*, cum ſit tranſlatio ad mores. *Propter nos enim illud de non obligando ore bovi trituranti ſcriptum eſt, quod ſub ſpe debeat is, qui arat, arare* &c. 1. Cor. 9:9, 10. & *anagogicum*, cum verba transferuntur ad ſignificandam vitam æternam. Pſal. 95: 11. *Juravi eos non ingreſſuros in requiem meam.* conf. Hebr. 4:9. *Reliquus eſt ergo aliquis ſabbatiſmus populo Dei.*

ejus abuſus. V. Verum diſtinctio hæc nova eſt; cum apud veteres promiſcuus harum vocum fuerit uſus: ſenſus autem hoſce tuentur Pontificii, ut ita dogmata quædam ſua aſſerant, quæ bonâ ex parte ſenſuum horum beneficio probant.

unde ortus. VI. Origo hujus abuſus Judæis debetur; qui triplici vocabulo Scripturæ

Digitized by Google

pturæ ſenſus exprimunt. 1. eſt הַשְׁמַע *auditus* : 2. פְּשָׁט *ſimplicitas*: 3. מִדְרָשׁ *inquiſitio*. Illo notatur ſenſus literalis; iſto ſenſus quem proprie & ſimpliciter intendit Sp. S.; hoc, ſenſus allegoricus, quem præter Sp.S. mentem ſenſui literali affingunt Rabbini.

VII. Atque hunc expoſitionis modum etiam ſecutus eſt Philo Judæus, & inter Chriſtianos Origines : à quo derivatum hoc cacoëthes Pontificiis placuit. Nos paucis aphoriſmis, quid de hiſce tenendum ſit, explicabimus.

quid de ſenſu Scripturæ ſtatuendum.

VIII. 1. In omni Scripturæ loco eſt ſenſus aliquis litteralis, ſive proprius, ſive figuratus.

IX. 2. Senſus cujuſque loci litteralis unicus tantum eſt : alioquin enim univerſus Scripturæ ſenſus & explicatio foret incerta, ambigua, & prorſus nulla.

X. 3. In typis quidem alius eſt ſenſus verborum, alius ſenſus typorum; ſed unicus tamen tantum eſt litteræ ſenſus : alter autem ſenſus non eſt Scripturæ verborum, ſed rerum ipſarum, quæ verbis illis ſignificatæ ſunt, unde ſenſus myſticus tum oritur. Unus ergo tantum eſt ſenſus, ſed duæ ſunt unius ſenſus partes.

XI. 4. Alii ſenſus, qui primi ſenſus ſunt conſequentiæ, non faciunt ſenſum peculiarem, ſed illius applicationem tantum ad uſum : quod variis modis fieri poteſt, ſive per tropologiam, ſive per allegoriam, ſive per doctrinam, &c. quamvis allegorica & anagogica applicatio incertior & rarior ſit.

XII. Uno ergo verbo: litteræ ſenſus tantum unicus eſt, ſive ſimplex, ut in hiſtoriis & prophetiis; ſive compoſitus, ut in typis: applicatio autem ejus diverſa eſt, per uſus nimirum theoreticos & practicos; quo allegoria, anagogia, & tropologia ſpectant.

XIII. 5. Senſus myſticus non invenitur in omni Scripturæ loco: ſed tunc tantum admittendus eſt, ubi Sp.S. occaſionem & fundamentum ejus præbet; quod certis gnoriſmatis dignoſci poteſt.

XIV. 6. Ubi ſenſus litteralis & myſticus concurrunt, myſticus nobilior eſt, & magis intenditur à Sp.S. quam litteralis: uti videre eſt in illo Moſis : *Ne capiſtrato bovem triturantem*. Deut. 25:4. & Pauli: *Non obligabis os bovi trituranti* : *Num boves curæ ſunt Deo? propter nos enim hoc ſcriptum eſt*, *&c.* 1 Cor. 9:9,10. Quo ſimilitudo ſagittarum Jonathanis 1 Sam. 20. à Theologis referri ſolet.

XV. 7. Senſus Scripturæ, cum litteralis, tum myſticus, conſtans ſem-

Digitized by Google

ſemper eſt. Ut impudentiſſimè Pontificii Scripturam naſo cereo aſſimilent.

XVI. 8. Ex ſenſu etiam myſtico argumenta efficacia ad probandas res fidei deſumi poſſunt: quod negant Sociniani, ne nimirum ex Veteri Teſt. religio Chriſtiana probari poſſe videatur. Univerſè ergo ſumtum dictum illud; Theologia Symbolica non eſt argumentativa, falſum eſt: cum etiam figuræ, typi, & parœmiæ V.T. doceant. Ut apparet in duobus filiis Abrahami; *per quos aliud figuratur &c.* Gal. 4: 24. in matrimonio: cujus *myſterium magnum eſt; loquendo autem de Chriſto & Eccleſia*. Epheſ. 5: 32. & in aquis diluvii: quarum antitypus *Baptiſmus nos ſervat per reſurrectionem Chriſti*; 1 Pet. 3: 21. Valet autem effatum illud tantum in allegoriis & parœmiis, humano ingenio ad fidem vel mores tranſlatis.

Scripturam interpretandi POTESTAS *& judicandi de eâ ratio quotuplex.*

XVII. Sequitur *poteſtas* Scripturam interpretandi. quæ ita dividi ſolet, ut ſit vel *publica*, vel *privata: publica*, ad quam pertinet judicium deciſionis; eſtque vel *ſumma*, qualis eſt principis in republ. qui judicat judicio abſoluto; vel *miniſterialis*, qualis eſt judicum delegatorum ſub principe.

XVIII. *Summa* eſt penes Deum in Scripturâ loquentem. Ejus enim eſt legem interpretari, qui eam condidit.

XIX. *Miniſterialis publica* Eccleſiæ tribui ſolet, quatenus in ea eſt donum prophetandi & docendi. *Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & alii dijudicent.* 1 Cor. 14: 29. *Labia Sacerdotis obſervabunt ſcientiam, & lex requiretur ex ore ipſius.* Mal. 2: 7. & Doctores ac miniſtri in eam rem conſtituti ſunt. *Dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* Eph. 4: 11-12. *Viſum quoque eſt Apoſtolis & Presbyteris cum tota Eccleſia delectos ex ſe viros mittere.* Act. 15: 22. Atque hoc judicium *definitivum* dici ſolet.

XX, *Privata* interpretandi poteſtas eſt, qua unuſquiſque fidelis Scripturæ mentem inveſtigare, atque ad propriæ conſcientiæ directionem, eam dijudicare tenetur. *Cavete vero vobis à pſeudo-prophetis.* Matth. 7: 15. *Cumque ſuas oves emiſerit Paſtor, antegreditur eas, & oves eum ſequuntur, quia norunt vocem ejus. Alienum nequaquam ſequentur, ſed fugient ab eo, quia non norunt vocem alienorum.* Joh. 10: 3-5, *Ne cuivis ſpiritui credite, ſed probate ſpiritus, num ex Deo ſint.* 1 Joh. 4: 1. *Beroënſes generoſiores erant Theſſalonicenſibus, ut qui receperint ſermonem cum omni alacritate, quotidie ſcrutantes Scripturas, an hæc ita ſe haberent.* Act. 17: 11. Et hoc judi-

judicium *diſcretivum* appellari ſolet; cujus inſtrumentum eſt recta ratio; principium revelatio, ſeu lumen Sp.S. norma autem verbum Dei. Et illud quidem judicium diſcretionis cuique fideli, reſpectu ſui ipſius, reliquis omnibus judiciis anteponendum eſt, imo illud revera unicus eſt Scripturæ in terris interpres.

Quale judicium inſtituant Pontificii.

XXI. Aliter hic inſtituunt Pontificii. Qui hiſce non contenti, judicium in eccleſiâ, tanquam in civitate mundanâ, exigunt viſibile, imo prætorium, authenticum & infallibile, aſtringens & ſubjiciens ſibi ipſas conſcientias; quodque fiat, juxta ipſorum diſtinctionem, non more *doctoris*, ſed more *judicis*, ita ut plebs Chriſtiana, ſine examine, iſtud recipere & ſeſe Eccleſiæ ſubjicere debeat.

XXII. Rogati autem quid per *Eccleſiam* intelligant, fatentur, ſe non intelligere Eccleſiam *ovium*, ſed *paſtorum*: neque hos rurſus omnes ſumunt, ſed recurrunt ad Eccleſiam ſuam *repræſentativam*, h. e. Epiſcopos & Prælatos in *concilio* congregatos: cumque etiam concilia errare poſſint, niſi à *Pontifice* approbentur, in illum tandem omnia reſolvuntur.

quod rejicitur,

XXIII. Nos autem etſi in Repub. & in foro externo ſummum aliquem ac viſibilem judicem, cujus ſententiæ planè acquieſcendum ſit, requiri concedamus, tamen in Eccleſia & in foro interiori conſcientiæ talem non admittimus: diſpar enim prorſus eſt ratio Reip. ac conſcientiæ; cum fides non cogatur, atque nulli humano principatui ſubſit: & in repub. ſufficiat judex politicus, qui peremptorie ſententiam ferat; judicii vero Eccleſiaſtici diverſa ſit ratio; utpote quod ex hypotheſi etiam infallibile eſſe debet, cum ab eo dependeat conſcientiarum ſecuritas & animarum ſalus: qualis infallibilitas in nullo hominum judicio reperitur.

& refutatur.

XXIV. 1. Et nullibi Deus aſpectabile aliquod tribunal, quo omnes in religione controverſiæ terminarentur, in verbo ſuo erexit: imo fruſtra hoc in terris nos expectare monet Apoſtolus, docens, *ſemper oportere hæreſes eſſe*, 1. Cor. 11:19. Et *mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio*. 2. Theſſ. 2:11. Atque ex quo ipſi homines talem ſummum fidei judicem ſibi impoſuerunt, graviſſimæ ſunt ortæ controverſiæ, de hoc ipſo etiam judice, de illius ſede & tribunali, de infallibilitate ipſius, &c. quæ nullo modo finiri, nec ab ipſo illo judice decidi potuêre.

XXV. 2. Quin & humanum nomen hoc pacto in Eccleſiam introducitur, & conſcientia, quæ ſoli Deo ſubjecta eſſe debet, hominibus er-

Digitized by Google

errori obnoxiis, eorumque dictatis ac placitis ſacrilego auſu obſtringitur.

utpote quod non fuit ſub V. T. XXVI. 3. Neque in Vet. T. ubi tamen Deus cathedram aliquam & viſibilem in eccleſiâ ſedem dedicaverat, & certis perſonis ac locis omne ſacrorum miniſterium adſtrinxerat, talis abſolutus & infallibilis religionis judex comparet. Nam & Moſes, qui etiam extraordinario prophetæ munere fungebatur, nihilominus in controverſiis oborientibus Dei oraculum conſulebat: & ſacerdotum Levit. collegium, etſi ſumma auctoritate pollebat cum etiam conſeſſus ſupremi membra ferè eſſent, & magiſtratus gererent, ita ut eorum judicio ſub pœnâ capitis ſtandum fuerit, de quo Moſes: *Si occulta erit res in judicio, adibis ſacerdotes Leviticos, vel ſummum judicem, ut conſulas eos; & non recedes ab eâ ſententiâ quam indicaverint tibi.* Deut. 17: 8-12. & Chriſtus præcipit ſuis: *In cathedrâ Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæ dixerint vobis ut ſervetis, ſervate & facite.* Matth. 23:2,3. tamen 1. adſtringebantur verbis legis. *Ex præſtituto legis, quam docuerint te, & ſecundum judicium illud, quod dixerint tibi, facito: ne recedito ab ea ſententia* &c. Deut. 17:11. *Nam labia Sacerdotis ſervabunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Mal. 2: 5-8. ut hæc populi ſub eorum pædagogiâ ſubjectio merè ſub lege fuerit, non ſub hominibus. 2. Neque infallibiles erant: quod ſatis ex prophetarum concionibus & ex hiſtoriâ Euangelicâ apparet; nam & de ſectis ipſorum ac diſſidiis conſtat, & Meſſiam ipſum ab illis reprobatum ac condemnatum legimus. Unde Chriſtus Moſem quidem & legem vult audiri ex ore ipſorum, juxta promiſſionem Judæ factam, *non deſiſtet legiſlator*, ſeu doctor, *è medio pedum ejus, uſque dum venerit Silo.* Gen. 49:10. ita tamen, ut *cavere* etiam jubeat *à fermento Phariſæorum*, Matth. 16:12. 3. Denique iis ipſis locis, quæ pro iſtius cathedræ auctoritate adferuntur, ut Deut. 17. & Matth. 23. non tam de controverſiis religionis, quam de quibuſlibet cauſis, de quibus homines inter ſe in judicio contendebant, agitur; ita ut hæc cathedra non merè doctrinalis, ſed potius legiſlativa fuerit. Unde & publicum iſtud Judæorum conſilium, & ſummus iſte conſeſſus non ſolum Sacerdotibus, ſed & delectis ex ſingulis tribubus judicibus conſtabat; & ne ipſe quidem Pontifex Maximus hujus ſenatus erat membrum, niſi ſapientiâ inſignis eſſet: ut fruſtra ad Papam & ſummum aliquod in Eccleſiâ religionis tribunal hæc adducantur.

multò minus ſub N. XXVII. 4. Multo enim minus poſt adventum Chriſti & ſub ſtatu N. Teſt. talis cathedra obtinet. Cathedra enim Moſaica everſa eſt à Chri-

Digitized by Google

Chriſto, & eſt non ens; qualis etiam eſt illa Cathedra Petri vel Pauli: nec Eccleſia amplius legiſlatores habet, cum Deus ſolus ſit *Judex*, ſolus ſit *Legiſlator*, & ſolus ſit *Rex*. Jeſ. 33:22.

XXVIII. Neque verendum, Deum abſque viſibili aliquo judice non ſatis religioni & Eccleſiæ ſuæ proſpexiſſe. Sufficienter enim ipſi proſpexit per verbum ſuum, ac miniſterium ejus publicum. Nec refert, de hoc ipſo verbo lites moveri, quæ ſine externo judice terminari non poſſint; atque eos, qui illud tractant, fallibiles eſſe, imò ſæpenumero falli. Hoc enim fidelium attentionem & animadverſionem excitat, ſine qua fides omnis vana, & tantum mera opinio eſt. Unde Scripturas ſcrutari & ad verba Dei animadvertere ſinguli jubentur. Et quamvis omnes de religione controverſiæ, pro vitæ hujus ſtatu, non prorſus finiri poſſint, cum *ſemper oporteat hæreſes eſſe*, 1 Cor. 11:19. & multa adhuc in obſcuro lateant, eo tamen deveniri poteſt, ut ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, enucleentur & in liquido ponantur.

XXIX. Ita evicto non dari judicem talem infallibilem, ultrò patet, illum non quærendum eſſe, nec in *Eccleſiâ*, nec in illius doctoribus aut *Patribus*, nec in *Conciliis*, neque denique in *Pontifice Romano*: de quibus inter ſe diſputant Pontificii, & alter quidem alterius opinionem ſolidè evertit, ſuam autem non probat: ſpecialius autem de iis agetur ſuis locis. *Ut penes nullum cœtum iſtud judicium ſit: nec eccleſiaſticum;*

XXX. Nec ſolum *Eccleſiam* falſam, ſeu Pontificiam, atque *Doctorum* ejus chorum, vel Antichriſtiana *Concilia*, aut denique omnium compendium & Beſtiæ imaginem, *Papam*, à ſummo religionis arbitrio excludimus; verum etiam nec ipſi *Eccleſiæ veræ*, aut ejus paſtoribus in *Synodis* coactis ſupremum controverſiarum judicium adſcribimus, ſed ſubordinatum & miniſteriale tantum, quatenus ſententiam ſuam ex Scripturâ deducunt & demonſtrant; atque adeo nullum illi in Eccleſia judicium conſcientias cum auctoritate obligans habent; ne quidem in foro externo: verum ea tantummodo iis reverentia debetur, quæ innititur ſcientiæ & pietati eorum, non vero auctoritati.

XXXI. Neque etiam *Magiſtratus* ſententia lex fidei eſſe poteſt. Poteſt ille judicare quæ religio Reip. conducat, & aliter ſentientibus propter religionem moleſtiam creare; nulli vero ex ſubjectis ſententiam ſuam tanquam legem in conſcientiâ recipiendam præſcribere poteſt. *nec politicum:*

XXXII. Ita ergo nullum humanum nomen controverſiarum judicium auctoritativum habet. Sed & rigide loquendo ne quidem Scriptu- *nec ipſa Scriptura tam judex*

Digitized by Google

eſt quam norma.

ptura ipſa propriè eſt controverſiarum judex; quippe quæ, ſine interno Sp.S. lumine, inefficax & quaſi muta eſt; & cum ab omnibus non recipiatur, eorum reſpectu inutilis eſt; cum tamen judex ſine poteſtate atque auctoritate eſſe non poſſit. Illa ergo potius norma & regula eſt, quam fidelis, accedente luce Spiritus, in corde ſuo accenſâ, ſemper ob oculos habet, & proprio judicio ſubſequitur.

Non datur ergo aliud judicium controverſiarum in terra, conſcientiam obligans, quam diſcretionis in ſingulis fidelibus.

XXXIII. Atque non alius nobis in terra controverſiarum judex eſt, præter illam lucem internam, ſeu judicium illud diſcretionis, quo ſinguli fideles donati ſunt. Hinc Paulus: *Ut intelligentibus loquor, judicate vos quod dico.* 1.Cor.10:15. *Omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete.* 1.Theſſ.5:21.& Johannes: *Probate ſpiritus an ex Deo ſint.* 1.Joh.4:1. Ita ut in foro interno ſumma regula & lex ſit verbum Dei, ſummus autem judex dictamen intellectus & conſcientiæ, fidei luce illuſtratum.

XXXIV. Male ergo Pontificii Doctoribus ſolis judicium hoc diſcretivum aſſerunt. Cum præcipue Doctorum gratia, tum intra, tum extra Eccleſiam, à quorum ſeductione cavere ſibi debent, lumen hoc diſcretionis fidelibus tribuatur.

XXXV. Nec obſtat, quod error illi judicio ſubeſſe poſſit; hoc enim judicii humani infirmitati imputandum eſt: neque tamen idcirco judicandi poteſtate excidit fidelis; quamvis enim nullus fidelis judex ſit *ἀναμάρτητος*, judex tamen ſemper in propriâ conſcientiâ manet.

XXXVI. Neque etiam inde confuſio vel diſcordiæ naſcentur, ſi unicuique judicium de religione relinquitur: verum enim id foret, ſi cuique fideli tribueretur judicium publicum, quo alios judicare, ipſiſque regulas præſcribere poſſet; ſed hic de judicio privato agimus, quo quiſque in privatum ſuum uſum & in propriam ſalutem res fidei diſcernere debet.

Obj. 2 Pet. 1:20.

XXXVII. Neque etiam objici nobis poteſt locus Apoſtoli, 2 Pet.1:20. *prophetiam Scripturæ non eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως*, adeoque non privatæ ſingulorum fidelium interpretationis. Præterquam enim quod ἐπίλυσις hic ſignificet prophetarum loquelam, qua ora reſolvunt ad enunciandum ea quæ à Deo acceperant; ut hic origo oraculorum prophetic., non verò interpretatio Scripturæ ab Apoſtolo exponatur: quemadmodum & loco ἐπιλύσεως, ἐπηλύσεως, h.e. *impetus & inſtinctus* in quibuſdam codicibus legitur; ut ſenſus Apoſtoli ſit, prophetias non ex proprio impulſu vel ingenio dictatas eſſe: ſervatâ tamen ordinariâ lectione, *ἰδία ἐπίλυσις* non eſt Petro privatum ſtudium vel labor interpre-

pretandi Scripturam; ſed eſt talis interpretatio, quæ fit ex proprio cerebro, non animadversâ ſcripturarum analogiâ. Atque adeo privata expoſitio & ἐπίλυσις non eſt opponenda expoſitioni certorum hominum & doctorum, quaſi illis ſolis ea competeret, ut Pontificii volunt: nam expoſitio ea certorum hominum in cathedra ſedentium & *proprio motu* ſeſe loqui pronunciantium, vel maximè eſt hæc ἰδία ἐπίλυσις γραφῶν, quam Apoſtolus hic proſcribit, cum fiat à ſpiritu privato, qui non loquitur omnibus, nec in univerſum Eccleſiæ corpus effuſus eſt.

XXXVIII. Cum verò rerum ſacrarum judicium fidei lumine præcipue conſtare dixerimus, operæ pretium erit, quis *rationis* circa Scripturam ſacram, ſeu myſteria religionis ſit *uſus*, breviter ſimul attexere. Nimirum ſicut in iis quæ ex *naturalibus ſcientiis* cognoſcuntur ratio ſe habet non ſolum ut inſtrumentum cognoſcens, verum etiam ut principium & argumentum cognitionis: ita in iis quæ ſupra rationem ſunt & ex *revelatione* ſolum cognoſcuntur, ratio inſtrumenti locum tantum implet, cum cognitio illa omni ex parte fidei ſit. Si verò res ita revelatione cognoſcitur, ut poſtquam revelata eſt, ratione naturali quoque demonſtrari poſſit, tum mixtæ naturæ eſt, quia fide & ratione ſimul cognoſcitur. **RATIO** *quomodo ad res revelatas ſe habeat.*

XXXIX. Porro quatenus *res fidei* teſtimonio Dei nituntur, quod fide recipitur, hactenus ratio inſtrumenti vices ſolum ſuſtinet: quatenus autem examinamus rationes propter quas Deus fide dignus eſt, noſque eam illi deferimus, hactenus ratio iterum principii & argumenti vices tenet.

XL. Ita etiam revelatio divina, quatenus nobis per *ſermonem* Scripturæ & ſigna illa externa innoteſcit, vocum in Scripturâ adhibitarum ſignificata, nec non cognitionem rerum illarum quæ vocibus iſtis ſignificantur, hoc eſt, naturales noſtras ideas & notiones quas de rebus habemus, præſupponit: harum ergo vocum & rerum ſignificatio non eſt petenda ex Scripturâ, ſed ex ratione, eaque principii locum in iis habet: adeo ut de rebus iis propriè judicet ratio; de vocibus & oratione uſus: ut autem utroque rectè utamur facit Spiritus. Ubi verò voces illæ Scripturæ peculiares ſunt, tum illarum interpretatio ex Scriptura quoque petenda eſt. Quod & fieret, ſi Deus novas nobis revelaret ideas: circa iſtas enim ratio ſolum concurreret ut facultas & inſtrumentum ad ideas iſtas intelligendas & percipiendas.

XLI. Quamvis autem in ordinariâ revelatione ideæ nobis jam notæ præſupponantur, illarumque cognitio ad rationem pertineat; tamen

Digitized by Google

men conjunctio earum à ſola revelatione eſt, quam ratio ſolum per modum inſtrumenti ex verbo Dei percipit : ita ut judicium de idearum illarum ſupernaturali conjunctione non pendeat ex natura, ſed ex revelatione, adeoque non rationis, ſed fidei ſit. Ita ex. gr. quid Deus, quid homo ſit, ex naturalibus ideis notum eſt. Illas autem naturas in θεανθρώπῳ conjungendas eſſe ratio ex Scriptura ſolum percipit; adeoque judicium illius conjunctionis non rationis, ſed fidei eſt.

Varius illius circa eas uſus: inſtrumentalis; XLII. In univerſum ergo uſus rationis circa res fidei eſt vel *inſtrumentalis*, vel *principalis*. *Inſtrumentalis* quadruplex eſt. Primus eſt, quod percipiat res fidei per verbum Dei & ſermonem ejus nobis revelatas.

XLIII. Secundus eſt, quod ratio myſteria theologica *illuſtret*, eò comportatis omnibus quæ à ratione præſtari poſſunt.

XLIV. Tertius eſt, quod conferat ratio Scripturæ loca, & religionis capita inter ſeſe, doctrinaſque falſas cum verâ : in quâ collatione emicat maxime diſcretionis judicium. *Omnia explorate, & quod bonum fuerit, retinete.* 1 Theſſ. 5:21. *Probate ſpiritus an ex Deo ſint.* 1 Joh. 4:1.

XLV. Quartus eſt, quod ratio *conſequentias* rerumque conſecutiones ex Scripturâ inferat, cum ad veritatem aſtruendam, tum ad falſitatem deſtruendam. *Ego ſum Deus Abrahami*, &c. *non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Matth. 22: 31, 32. *Si non eſt reſurrectio mortuorum, Chriſtus quoque non eſt excitatus.* 1 Cor. 15: 12, 13. *Quis eſt mendax, niſi qui negat Jeſum eſſe Chriſtum?* 1 Joh. 2: 22. Quarum conſequentiarum uſum tollere velle circa ſacra, eſt hominem exuere.

XLVI. Cum autem ratio inſtrumentaliter duntaxat concurrat ad conſequentias iſtas eliciendas & cognoſcendas, patet conſequentiarum illarum certitudinem non in humanam rationem, ſed in divinam revelationem refundi; ita ut conſequentia illa, ſeu legitima medii cum extremis diſpoſitio ſit fidei duntaxat motivum & inſtrumentum, non vero credendi principium : non enim propter rationem, ſed per rationem credimus.

XLVII. Ita etiam rationis eſt judicare de vi iſtarum conſequentiarum : quamvis non ſit ejus judicare de ipſis fidei dogmatis. Quo facit diſcrimen ab Auguſtino indicatum, inter *veritatem connexionum* & *veritatem* ipſarum *ſententiarum*; quarum illa rationis, hæc verò fidei judicio ſubeſt.

principalis. XLVIII. Præter hoſce uſus miniſteriales ratio inſuper uſun *principalem* habet, in quo ſe habet per modum principii, quando nempe circa ſacra *arguit* : tum enim non per modum organi, quo, ſed per modum

dum medii & argumenti, ex quo Theologus arguit, concurrit; quando nimirum ratio ex proprio theſauro argumenta pro fide promit; ſive agat pro principiis, oſtendendo eorum credibilitatem, iis qui illam non agnoſcunt, & refutando argutias in contrarium à perversâ ratione prolatas; ſive agat ex principiis, producendo argumenta ex naturâ, ad concluſiones theologicas ſive probandas, ſive confirmandas. Ita ut eadem concluſio quatenus ex Scripturâ probatur, fide, quatenus autem ex ratione demonſtratur, ſcientiâ apprehendatur. In hiſce autem ratio non eſt theologiæ ancilla, ut vulgo loquuntur, non magis quam theologia philoſophiæ ancilla eſt. Sunt enim duæ ſcientiæ ſibi invicem non ſubordinatæ, ſed coordinatæ, cum diverſa habeant principia, ſed ſe invicem pariter conſulunt, ſeu conſilium præbent, & lumen ſibi invicem affundunt.

XLIX. Non ergo ratio ſeu Philoſophia Scripturæ eſt interpres, ſed fides, ſeu ratio efficaci Sp.S. operatione illuminata, hoc eſt, præjudiciis ſuis aliiſque vitiis liberata, ut lumen quod in Scriptura radiat videre, atque ita ſecundum Scripturam judicare poſſit. Maximè enim juſtum & rationale eſt, ut revelatione divinâ perceptâ ratio ſe ipſam abneget revelationique cedat, & ita fidei vincendam ſe tradat. Si vero revelatio obſcura ac incerta ſit, neque ex ea res decidi queat, tum ultrò patet ex ratione judicandum eſſe: quæ tum judicis vices ſuſtinebit, ſed *particularis*, in iſto caſu duntaxat, non vero *univerſalis* & in omni caſu, ut quorundam eſt ſententia.

Non ergo ratio Scripturæ interpres eſt.

L. Et ita legitimo rationis circa ſacra uſu aſſerto, patet rejiciendos eſſe ad extrema utrimque vergentes adverſarios, cum qui rationi nimis derogant, tum qui nimium illi in ſacris tribuunt. Prius committunt hodierni Pontificii, Anabaptiſtæ & nonnulli Lutherani. De Pontificiis jam vidimus. Anabaptiſtæ nolunt ratione utendum ad fidei myſteria cognoſcenda; neſcientes diſtinguere inter rationem ut inſtrumentum, & ut argumentum ſeu principium. Lutherani quidam volunt Theologiam, propter inuſitatas quaſdam circa Deum & ſacramenta propoſitiones, regulas logicas tranſcendere. Verum etſi propriè tales propoſitiones ad Logicam referri nequeunt, analogicè tamen ad eam reduci poſſunt: nihil enim ratio noſtra concipit niſi ſub notione aliquâ, quarum uſus eſt in Logicâ.

Redargutio eorum qui circa uſum rationis in defectu peccant.

LI. Hi autem omnes rationi adeo infeſti ſunt, quia errores ſuos ab eâ convelli vident. Nos vero rationem verbo Dei non opponimus, ſed cum eo componimus: lumen enim lumini non eſt contrarium, nec verum

rum

rum vero, adeoque nec lumen revelationis lumen rationis exſtinguit. Veritas enim omnis ubicunque doceatur, Dei eſt. Ratio ergò Theologiæ quidem cedit, & hujus quam illius ampliores ſunt limites; non tamen illi adverſatur: & quamvis laboret ratio multis defectibus, illi tamen non debent cum ratione confundi, nec philoſophiæ ipſi imputandum eſt illud quod *ψευδώνυμον Philoſophiæ tribuit* Apoſtolus Col. 2: 8.

& qui in exceſſu. LII. In exceſſu Sociniani eorumque aſſeclæ rationi nimium deferunt, cum ab illâ ut judice & normâ myſteria fidei pendere velint. Prætexunt equidem, quod non opponant rationem Scripturæ, uti hoc iis imponitur, ſed hoc ſolum ſe aſſerere dicunt, quod ubi controverſia eſt de Scripturæ ſenſu, nec ille ſatis patet, tum rationis eſſe de eo judicare, & operam dare ne contra ipſam quicquam ſtatuatur. Hoc autem quamvis licitum eſſe fateamur circa dubia & obſcura Scripturæ dicta, tamen Sociniani duplici nomine hîc impingunt. 1. quod locis Scripturæ claris & perſpicuis argumenta à ratione & abſurdo ex eâ, licet è longinquo petito, opponant, adeoque Scripturam manifeſtam ad rationem detorqueant. 2. quod loco rationis rectæ corruptam & peſſimis ratiocinationibus inſtructam ſupponant, eaque utantur.

LIII. Ratio autem religionis norma eſſe non poteſt. Si enim conſideretur quâ corrupta, non ſolum eſt infra fidem, ſed & contra eam, cum cæca & fidei inimica ſit. *Nam ſenſus carnis inimicitia in Deum eſt, legi enim Dei non ſubjicitur. Nam ne poteſt quidem.* Rom. 8:7. *Animalis homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei: ſunt enim ei ſtultitia.* 1 Cor. 2:14. *Caro* quippe *& ſanguis nobis ea non poteſt retegere.* Matth. 16: 17, 24. & *Chriſtus crucifixus Judæis quidem offendiculum, Græcis vero ſtultitia. Et vocati non ſunt multi ſapientes ſecundum carnem.* 1 Cor. 1:23. & 26. & *occultare* ſolet Deus myſteria ſua *ſapientibus & intelligentibus.* Matth. 11: 26.

LIV. Nec juvat rationi ſanæ officium hoc tribuere. Talis enim in homine corrupto non datur: nec in homine integro ipſa potuiſſet eſſe norma myſteriorum ſupernaturalium: neque ubi nunc per Sp. S. emendatur, judicandum eſt juxta ipſam, ſed juxta principium primum, quod ratio illuminata jam admittit, nempe Scripturam.

Interpretationis Scripturæ NORMA. LV. Hactenus de Scripturarum interprete. *Norma autem* unica & primaria iſtius interpretationis, ut jam diximus, eſt Scriptura. *Ad legem, & teſtimonium* &c. Eſai. 8: 20. *Habent Moſem & Prophetas.* Luc. 16:29. Quod olim Optatus Milevitanus ſcite demonſtravit per teſtamen-

mentum Patris, poſt illius mortem ab hæredibus conſulendum, ad litium omnium circa hæreditatem deciſionem. Lib. 5. adverſ. Parmenian.

LVI. Male ergo Pontificii Scripturam controverſiarum regulam eſſe negant, ſed eam utile tantum ad fidem fovendam commonitorium, & ad ſummum regulam partialem, eamque mutam & ambiguam in multis, ſtatuunt. *Cui intercedunt Pontificii.*

LVII. Verum certam eam ac minimè ambiguam fidei regulam ac normam eſſe patet; tùm de V. Teſt. & ſcriptis Moſis, qui *in universâ domo Dei*, uſque ad ultima ejus tempora, *fidelis ſervus fuiſſe* perhibetur, Num. 12: 7. Hebr. 3: 5. ita ut extra ejus verba nihil unquam in Eccleſiâ audiri debuerit; ſicut & Paulus *ne quicquam dixit extra ea, quæ Moſes & Prophetæ futura prædixerant.* Act. 26: 22. *Et ſit mihi* (inquit Deus) *hoc ipſum Canticum loco teſtis contra filios Iſraëlis.* Deut. 31: 19. *Recordamini legis Moſis, ſervi mei* &c. Mal. 4: 4. tum etiam præcipuè de N. T. ubi *Lex Dei in medio ponenda* promittitur, Jer. 31: 33. ita ut verba fundamenti ac Fœderis Dei, & veluti *clavis omnis cognitionis*, Luc. 11: 52. & *analogia fidei*, quæ *menſura eſt prophetiæ*, Rom. 12: 6. publice jam extent: adeo ut fideles jam *omnia norint*, 1. Joh. 2: 20, 21. omneſque Eccleſiæ filii, *Dei ipſius diſcipuli* dicantur, Eſai. 54: 13. remotis quibuſvis doctoribus, peculiare verbum habentibus. *Vos autem ne vocamini Rabbi, unus eſt enim Doctor veſter, nempe Chriſtus.* Matth. 23: 8, 10. *Perſtate & tenete traditam doctrinam quam edocti eſtis, ſive per me, ſive per epiſtolam meam.* 2. Theſſ. 2: 15.

LVIII. Fraudulenter etiam iidem Pontificii, ut & Sociniani, hic diſtinguunt inter normam & judicem ſupremum; Scripturam quidem concedentes eſſe normam, ſed ita ut pro ſummo judice vel Eccleſiam, vel rationem humanam habere videantur: cum tamen normâ hac Scripturæ ſuppoſitâ, judex hic non alius ſit quam Deus ipſe in Scripturâ loquens, & per illam fidelium intellectum illuminans. *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, --- & dijudicans cogitationes & conceptiones cordis.* Hebr. 4: 12. *& Sociniani.*

LIX. Viæ veræ interpretationis hæ ſunt. 1. abnegatio propriæ ſapientiæ. *Fiduciam habe in Jehova ex toto animo tuo: intelligentiæ verò tuæ ne innititor.* Prov. 3: 5. *Nulla prophetia Scripturæ eſt propriæ explicationis. Non enim libitu hominis allata eſt olim prophetia* &c. 2. Pet. 1: 20, 21. 2. Preces ad Deum. *Quiſquis enim petit, accipit, & qui quærit, invenit, &* *Interpretationis Scripturæ veræ VIÆ.*

pulſanti aperitur. Matth. 7:7.8. 3. Sincera pietas & humilitas. *Arcanum Jehovæ revelatur timentibus ipſum, & fœdus ejus eſt, ut illud notum faciat eis.* Pſal. 25:14. 4. Scripturæ lectio & ſcrutatio, & aliarum ejus partium collatio. *Scrutamini Scripturas.* Joh. 5:39. *Levitæ legebant legem Dei explanatè, & exponendo ſenſum, dabant intelligentiam per Scripturam ipſam.* Neh. 8:9. *Quotidie examinantes ſcripturas, an hæc ita ſe haberent.* Act. 17:11. Quo pertinet fontium inſpectio, ſcopi conſideratio, circumſtantiarum obſervatio, attentio ad uſum & ſignificationem verborum & phraſium (Deus enim humano more nobiſcum locutus eſt in Scriptura) antecedentia & conſequentia, hiſtoriam temporis, loca parallela; denique revocatio omnium *ad analogiam fidei.* Rom. 12:6.

quas intervertunt Pontificii.

LX. Abſurde autem Pontificii pro interpretationis regulis & viis imprimis adferunt praxin & traditionem Eccleſiæ, conſenſum Patrum, & Conciliorum decreta: quæ libertati fidelium repugnant: contra illud Pauli: *Non quod dominemur veſtræ fidei, ſed quod adminiſtri ſimus gaudii veſtri.* 2. Cor. 1. 24.

& Anabaptiſtæ.

LXI. Et ab alterâ parte damnandi quoque ſunt Anabaptiſtæ, protervè rejicientes in explicandâ Scripturâ omne litterarum ac ſæcularis eruditionis præſidium.

Interpretationis Scripturæ LATITUDO. *Cujus regula, verba Scripturæ hoc omne ſignificare quod ſignificare poſſunt.*

LXII. Quæcunque autem interpretatio genuinis hiſce viis deprehenditur, & verborum pondus, phraſeos uſitatam rationem, ἀκολουθίαν rerum & analogiam Scripturæ obſervat, de ea dubitari non poteſt, quin recta & germana expoſitio & ipſa Sp. S. ἀποκάλυψις ſit. Eſt enim hæc certiſſima & maximi uſus in explicandâ Scripturâ regula, verba Scripturæ (intelligimus autem verba textus originalis θεόπνευστα, atque ea non ſeparatim ſumta, ſed prout in contextu integro occurrunt) hoc omne ſignificare, quod ſignificare poſſunt.

LXIII. Verba enim Sp. S. ſemper in omni latitudine ac potentia ſua ſumenda eſſe patet; tum ex operum Dei magnitudine ac majeſtate, quæ nimis ſublimia cogitari nunquam poſſunt: ita ut verendum non ſit, ne nimis magnificè de Deo ſentiamus, ſi plenam verborum δύναμιν ſequamur; tum ex Dei ipſius natura & proprietatibus, qui cum ſapientiſſimus ſit, in tradenda Scripturâ verbis uſus eſt procul dubio aptiſſimis & convenientiſſimis; neque enim putandum eſt Deum inanes logos fundere (quod ne prudentes quidem inter homines faciunt) & pompa ac magnificentia ſermonis Eccleſiæ ſuæ illudere voluiſſe, ita ut verba ejus in exiliori ſemper ſenſu intelligi debeant,

quam

Digitized by Google

quam ſonus & vis earum requirit. Sic enim verba non forent Deo digna. Atque adeo ſtatuendum eſt, quicquid in poteſtate verborum Scripturæ eſt, id eam actu ſignificare, nec extenuandos unquam eſſe ſenſus Sp. S. cum & Apoſtolus 1. Cor. 14: 11. *τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς* appellet ejus ſignificationem, per quam nobis fit vocis *δήλωσις*.

LXIV. Atque hujus regulæ uſus apparet in controverſiis cum hæreticis, qui omnes plenam verborum Scripturæ ſignificationem reſtringere & extenuare ſolent. Ita Judæi enervarunt vaticinia de Meſſia ejuſque regno, illa in tenuiori ſenſu aliis quibuſdam applicantes. Sic & Sociniani plenitudinem ſenſuum Scripturæ de myſterio Trinitatis & Deitatis Chriſti extenuant, & Remonſtrantes idem faciunt circa operationem gratiæ & Sp. S. in nobis; & ſimiliter alii. Ita ut pernicioſiſſimum ſit hoc dictum, verba quidem Scripturæ hoc vel illud ſignificare poſſe, non tamen ſequi, ideo & actu hoc ſignificare.

LXV. Præterea cenſendum eſt, verbis Scripturæ ſignificari & comprehendi quicquid bona conſequentia ex illis ſequitur. Cum enim Dei ſermo ſit ſapientiſſimus, convenienter ſemper loqui exiſtimandus eſt, atque etiam illa dicere voluiſſe, quæ naturali rerum ac veritatum nexu ex dictis ejus conſequuntur, quæque homines prudenter & ſapienter ex dictis ejus intelligere poſſunt. Hoc enim negare foret *abnegare vim* omnem & ſapientiam Scripturæ. 2. Tim. 3: 5. illamque *tanquam cadaver ſine ſpiritu & vita* abjicere. Apoc. 11: 8. & contra *imagini Beſtiæ ſpiritum dare*. Apoc. 13: 15.

Quò etiam pertinent CONSEQUENTIÆ *ex verbis Scripturæ deducta.*

LXVI. Hinc Scripturarum meditatio: *Qui de lege ejus meditabitur interdiu ac noctu*. Pſal. 1: 2. ſcrutatio: *Scrutamini Scripturas*. Joh. 5: 39. collatio: *Spiritualia cum iis quæ ſpiritualia ſunt conjungentes*. 1. Cor. 2: 13. atque omnium quæ ex ea dicuntur exploratio: *Omnia explorate, & quod bonum fuerit, retinete*. 1. Theſſ. 5: 21. nobis injunguntur; & docemur *προφητεύειν κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως*. Rom. 12: 6. quod ſine ratiocinatione & conſequentiarum uſu fieri non poteſt. Sed & generali regula eum confirmat Apoſtolus, 1. Joh. 2: 21. ubi fidelibus attentionem & conſiderationem commendans, *nullum mendacium* ex *veritate* eſſe addit. Ita etiam exemplo ſuo Chriſtus ac Apoſtoli præiverunt. Chriſtus enim reſurrectionem mortuorum probat ex illo dicto Dei: *Ego ſum Deus Abraham* &c. Matth. 22: 31. & Apoſtolus Petrus reſurrectionem Chriſti ex verbis Davidis Pſal. 16: 10. infert: *Præſcius locutus eſt David de reſurrectione Chriſti, non derelictam eſſe apud in-*

inferos animam ejus, neque carnem ejus ſenſiſſe corruptionem. Act. 2: 31.

Quas malè rejiciunt Anabaptiſta. LXVII. Errant ergo Anabaptiſtæ, qui, ut litterarum plerumque rudes ſunt, quod per conſequentiam ex verbis Dei elicitur verbum Dei non eſſe contendunt.

Sociniani. LXVIII. Et male etiam Sociniani conſequentias rejiciunt in dogmatibus neceſſariis, quamvis in docendo & refutando eas admittant.

Pontificii. LXIX. Ita & Pontificii errant; docentes quædam quæ per conſequentiam è Scripturâ educuntur verbum Dei propriè non eſſe.

Veroniſta. LXX. Pejus autem eſt quod Veroniſtæ in Gallia urgent, nimirum ut omnia quæ in religione aſſerimus totidem verbis in Scripturâ reperiri oſtendamus. *& novi methodiſta.* Nec melius procedit μεθοδεία Walenburgiana, quæ hoc ſatagit, ne ea quæ ex Scripturis per neceſſariam conſequentiam conficiuntur, videantur revelata eſſe ad fidem.

LXXI. Fruſtra autem occlamare ſolent, fidem non eſſe diſcurſum: nam ſimiliter fides non eſt auditus, nec lectio &c. & tamen fides eſt ex auditu, lectione, & ita etiam ex λογισμῷ, ſeu diſcurſu. Atque adeo conſequentiæ ex principiis fidei deductæ etiam fidei ſunt, licet rationis ſit eas conſequentias animadvertere & deducere.

qui fruſtra defectus conſequentiarum prætendunt. LXXII. Præcipuè autem prætendunt defectus, quos in conſequentiis noſtris ſeſe reperire autumant: ac primò objiciunt, non alia quam privatâ auctoritate à nobis conſequentias iſtas necti, contra dictum, *Non voluntate hominis allata eſt aliquando prophetia, ſed à Spiritu Sancto acti, locuti ſunt Sancti illi Dei homines.* 2. Pet. 1: 21. Reſp. verbo Dei in medio omnium poſito, peculiari auctoritate ac poteſtate ad id legendum & interpretandum opus non eſſe, ſufficere enim mandatum ac promiſſionem Dei ad omnes, præſertim in N.T. De loco autem Petri jam ante reſponſum eſt, interpretationem nimirum privatam, quæ hic proſcribitur, non eſſe interpretationem hominis privati, ſed eam, quæ ex proprio ingenio extra Scripturas fingitur, ſive ea ſit hominis privati, ſive in publico munere conſtituti.

LXXIII. Pergunt: nullam ex noſtris conſequentiis in Scripturis inveniri, licet ibi legantur variæ Scripturæ per Scripturam explicationes, ut Gen. 15: 6. 22: 10. conf. Jac. 2: 21-24. neque etiam Scripturam judicare de conſequentiarum noſtrarum bonitate. Reſp. Non opus eſſe Scripturæ interpretationes omnes formaliter in ipſa Scripturâ occurrere; ſic enim actum eſſet de omni Scripturæ interpretatione, cum ſufficiat rem ipſam ex Scripturâ elici, & verborum ac ſen-

ſuum

ſuum poteſtate & conſequentiâ comprehendi. Deinde etiam, non Scripturæ, ſed rationis propriè eſt de veritatum connexione judicare; & quorumvis hominum, ipſorumque adeo adverſariorum, contra quos agimus, conſcientiæ hoc officium eſt.

LXXIV. Porro objiciunt: rationem poſſe errare in deducendis conſequentiis; ergo eas concluſiones non poſſe eſſe fidei. Reſp. 1. Conſequentia, quam ratio noſtra format, non facit aliquid eſſe fidei, ſed oſtendit illud tantum; de fide autem aliquid eſt, quia nititur divina revelatione, quod per conſequentiam ſolum oſtenditur. 2. & quamvis in eo errare ratio poſſit, non tamen hoc conſequentiæ veritatem magis tollit, quam omnis ſenſuum & rationis certitudo neganda eſt, quia errare etiam in iis poſſumus: nam ubi iis benè utimur, errare in illis non poſſumus, propter veracitatem Dei: atque idem quoque locum habet in conſequentiis deducendis, ad quas formandas non opus eſt ut nos infallibiles ſimus, verum ſufficit quod illæ ſecundum infallibiles regulas à nobis inſtitutæ ſunt; quod an factum ſit examinare ejus eſt, qui illas in dubium trahit.

LXXV. Objiciunt etiam: cum altera præmiſſarum in conſequentiis ſit ſolius rationis, ex eo capite concluſionem errori debere eſſe obnoxiam. Reſp. Falſum, præmiſſam rationi innixam errori eſſe obnoxiam, cum quod ratio dictat ejuſdem veritatis ac certitudinis ſit, ac alia aliter à Deo revelata. Et Scriptura ipſa tales conſequentias probat, ubi vel major propoſitio, ut *Ego ſum Deus Abraham* &c. *Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Matth. 22: 32. Marc. 12: 26, 27. vel minor ſolius rationis eſt: ut quando *Apollos, potens in Scripturis, diligenter docebat ea quæ ſunt Domini*; adeoque ex V. T. probabat Jeſum eſſe Chriſtum. Act. 18: 24, 25. & Johannes Bapt. revelatum ſibi dicebat: *Super quem videris Spiritum deſcendentem ac manentem, hic eſt qui baptizat Sp. Sancto. Ego igitur vidi & teſtor hunc eſſe Filium illum Dei.* & Chriſtus: *Ite & renunciate Johanni quæ auditis & videtis.* Joh. 1: 33. Eadem autem utrobique mentis operatio eſt, undecunque præmiſſæ deducantur; cum ejus ſolummodo ſit propoſitiones diſponere, & veritatum nexum oſtendere.

LXXVI. Quamvis autem Scriptura ſola ſufficiens fidei norma & principium ſit, hoc tamen ita intelligendum eſt, ut ea præſupponat multas veritates, quas ipſa non docet vel explorat; quibus tamen egemus, tanquam inſtrumentis & mediis ad Scripturam & veritates in ea contentas intelligendas.

Scripturæ & interpretationis illius PRÆSUPPOSITA.

LXXVII. Cum enim Deus nobis loquatur ut creaturis rationalibus, præſupponit in nobis *ſenſus noſtros*, quibus verbum Dei apprehendimus, præcipuè viſum & auditum: deinde etiam *intellectum* & *judicium*, & in iis notiones communes ſive ideas ſimplices; cum ſine illis Scripturæ ſenſus percipi non poſſit. Porro, ne Scriptura nobis ſit barbara, requirit *cognitionem ſignificationis terminorum*, ſeu τῆς δυνάμεως τῆς φωνῆς, 1. Cor. 14: 11. Præterea præſupponit rationem & *viam ſenſum illum* inveſtigandi & eruendi, qualis obtinet in omni veritatis inveſtigatione, per diſciplinas humanas, atque hic non minimum obtinent locum conſequentiæ. Requiritur etiam ulterius *multarum aliarum rerum cognitio*, quâ quo quis inſtructior ad S. Scripturam accedit, eo altius in ejus ſenſum ac ſapientiam penetrabit: imo nulla eſt *ars* vel *diſciplina*, quæ hic ſuum uſum non præſtet. Denique ut Scriptura fidem in nobis gignat, non ſolum nuda veritatis per haſce vias perceptio, verum etiam ejus *amor* & *obedientia* adeſſe debet.

Contra novos methodiſtas.

LXXVIII. Perverſe ergo Methodiſtæ ſola & nuda Scripturæ verba adferri petunt, omnem argumentationem aliaſque eruendæ veritatis vias excludentes: cum Scripturæ perfectio ſolum excludat alia omnia principia ejuſdem generis, ex. gr. verbum non ſcriptum, traditiones & praxin Eccleſiæ, decreta Pontificum & Conciliorum, non vero illas, quas jam diximus, veritatis inveniendæ vias & inſtrumenta.

Rectus Scripturam interpretandi MODUS, *per ipſos Scripturæ terminos.*

LXXIX. Hoc tamen obſervandum eſt in adhibendis hiſce viis, ut in Scripturâ interpretandâ rectum obſervemus *modum*, & quantum fieri poteſt, ipſis Scripturæ terminis utamur: nulla enim vocabula ſenſum Sp. S. commodius exprimunt, quam ea quæ ipſe in eam rem elegit, & ſuo ore conſecravit. Qua in re Apoſtoli nobis præiverunt, qui, licet ipſi θεόπνευστοι, eaſdem tamen plerumque phraſes, quibus Moſes & Prophetæ uſi fuerunt, adhibuerunt. Hinc Paulus: *Loquimur ſermones, quos docet Spiritus Sanctus.* 1. Cor. 2: 13. Item: *Ne quis falſo ratiocinando vos fallat ἐν πιθανολογίᾳ.* Col. 2: 4. *Si quis diverſam docet doctrinam, neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri J. Chriſti.* 1. Tim. 6: 3. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* 1. Pet. 4: 11. Atque hoc vel maximè ad concordiam & conſenſum opinionum facit, ſi ii, qui idem ſentiunt, idem quoque loquantur.

XXC. Præcipuè autem talibus verbis & modis loquendi utendum eſt in Theologia didactica. *Aſſuetus ſermonibus fidei & bonæ doctrinæ.* 1. Tim. 4: 6. Atque ubi neceſſitatis cauſâ, propter adverſarios, alii nonnunquam termini adhibendi ſunt, cavendum eſt, ne iſti ſint tales, qui re-

Digitized by Google

revelationi divinæ aliquid addant, vel demant, vel ſenſum ejus pervertant. *In vanum fecit ſtylus falſitatis, Scribæ pudore affecti ſunt, ſapientes conſternati ſunt & capti.* Jer. 8: 8.

XXCI. Quem in finem maximè cavendum. 1. ne definitiones & diſtinctiones rerum naturalium applicentur rebus divinis, in quibus locum non habent. 2. ne phraſes & voces ſint ambiguæ & dubiæ. 3. ne ſint difficiliores & obſcuriores quam res ipſæ, aut termini quibus Scriptura in iiſdem rebus utitur. *Averſare profanas vocum inanitates.* 1. Tim. 6: 20. 4. ne phraſibus Scripturæ unquam præferantur. 5. ne unquam pro norma aliis obtrudantur, quamvis vel optimæ eſſent. Atque hæc quidem omnia contra Theologiam Scholaſticam meritò obſervanda veniunt.

CAPUT XIII.

De Sacra Scriptura Verſione.

I. SUppoſitâ Scripturæ *perſpicuitate*, eamque conſequente *Interpretatione*, neceſſario ſequitur ejus è lingua authenticâ in linguas vernaculas *Tranſlatio*. *Scriptura* TRANSLATIO.

II. Scripturæ lingua authentica, quoad V. T. Hebræa eſt, paucis exceptis apud Danielem, Jeremiam & Ezram, quæ Chaldæa ſunt. Novi T. lingua authentica Græca eſt : quo ſpectare videtur nationum diſtinctio in *Judæos* & *Græcos*. Rom. 1: 16. & 2: 10. *Lingua S. Scriptura originales.*

III. Ideo Novum T. Græcè conſcriptum eſt. Cum enim Judæorum natio repudianda, & extra Eccleſiæ pomœria ableganda foret, incongruum videbatur novum gentium populum priſco illo ſermone affari; ſed electa eſt ea lingua, quæ, cum longe lateque in mundo floreret, & jam ad Judæos ipſos pervaſiſſet, naſcenti Euangelio commeatum & quaſi curſum præberet.

IV. In hiſce ergo linguis Scriptura ſolum authentica eſt, tum quoad *res enunciatas*, tum quoad *modum enunciandi* : verſiones autem fideles authenticæ ſunt priori modo, non vero ſecundo. Vel potius triplex verbi Dei, prout extrinſecus proponitur, diſcrimen obſervari poteſt. 1. ut aliquid ſit verbum Dei ſecundum *rem*, ſeu ſententiam. 2. ſecundum *rem* & *voces*. 3. ſecundum *rem*, *voces* & *idioma*. Primo modo verbum Dei eſt, quicquid ex eo rectè docetur : ſecundo modo id *& inde ejus authentia.*

Digitized by Google

id ſunt fideles Scripturæ verſiones: tertio modo ſoli codices Hebræi & Græci V. & N. T. qui verbum Dei ſunt in ſummo gradu.

Tranſlationis Scripturæ neceſſitas.

V. Ut autem textus ille authenticus ſui uſum omnibus præbere poſſit, Scripturæ in alias linguas verſione opus eſt: nam & ipſe Deus familiari linguâ populo ſuo locutus eſt: cumque ea in communi uſu jam eſſe deſierit, & tamen Deus ad gentes etiam verbum ſuum miſerit, idque omnibus obvium ac expoſitum eſſe velit; in vulgares linguas illud converti omnino neceſſe eſt. *Sermo Christi inhabitet in vobis copioſe cum omni ſapientiâ.* Col. 3:16. *Convertam ad populos labium purum, ut nuncupent omnes nomen Jehovæ.* Zeph. 3:9.

Qualis fidei idiotarum in Scripturæ verſionibus certitudo ſit.

VI. Quamvis autem hinc magna ex parte fideles Deum tantum per interpretem loquentem audiant, non tamen ab humanâ fide omnis ipſorum religio ac fides dependet. Nam 1. hoc eſt tantum externum hominum miniſterium, quod ipſi verbi Dei ſubſtantiæ, cui proprie fides noſtra innititur, divinam ſuam vim auferre non poteſt; illa enim in omnibus verſionibus manet. 2. De fidei veritate ſingulis fidelibus conſtare poteſt, non certitudine ſolum humana, quæ ex verſionum omnium in veritatibus fundamentalibus conſenſu ac linguarum & doctrinæ adminiculis colligitur; verum etiam certitudine divinâ, ex ipſa veritatum ac dogmatum divinitate, & nativâ iſta luce, quæ in ipſis etiam verſionibus ſplendet.

Verſioni Scripturæ male intercedunt Pontificii.

VII. Graviſſimè ergo divinæ huic voluntati intercedunt Pontificii, qui vulgares Scripturæ verſiones vel in univerſum damnant, vel ſpecie tenus tantum concedunt: contra Vet. Eccleſiæ exempla, quæ tanto cum veræ religionis fructu faciendis Scripturæ verſionibus incubuit: quarum præcipuas ſuis locis perluſtrabimus.

LO-

Digitized by Google

LOCUS SECUNDUS
DE DEO.
CAPUT XIV.
De Exiſtentia Dei.

I. HActenus Theologiæ *principium*, nempe Scriptura S. Sequitur nunc, ut ea quæ in Scriptura S. continentur, ſive *ſenſus* ejus, hoc eſt, ipſam Theologiam, univerſamque ejus rationem, conſideremus. Cum vero ea dependeat unice à cognitione *Dei*, quam enarrat Theologia, quæque Scripturæ argumentum & ſcopus eſt, *Hæc* enim *eſt vita æterna, ut te cognoſcant verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum*, Joh. 17:3. de hac primo agendum, indeque ad Oeconomiam divinorum *operum*, ſpeciatim circa ſalutem humanam, deſcendendum eſt.

Teologiæ objectum primarium eſt notitia DEI *divinorumque* OPERUM.

II. Conſideratur autem Deus Opt. Max. vel οὐσιωδῶς, ſive in *naturâ* ſuâ divinâ, vel ὑποστατικῶς, ſive in *perſonis*, In quibus ea ineſſe atque exiſtere intelligitur. In priori conſideratione occurrit 1. quæſtio an ſit, ſive *quod ſit* Deus. 2. *quid ſit*.

In Deo cognoſcenda, cum eſſentia, tum perſona.

III. Cumque omnis notitia de Deo vel ex *naturâ*, vel ex Scriptura ſive *revelatione* peti poſſit; cognitio Dei naturalis rurſus in duplici diſcrimine eſt: dividitur enim ea in *innatam*, atque *acquiſitam*; de quibus, quamvis alterius cæteroquin diſciplinæ ſint, Scriptura variis in locis agit, dum ex hominis penetralibus & mundi conditu atque ornatu ad Deum conditorem aſſurgere nos docet.

Eſſentia Dei notitia eſt, cum innata, tum acquiſita.

IV. Præſupponit enim acquiſita ſemper *innatam* noſtris mentibus Dei notitiam, neque ſine ea ex quocunque rerum creatarum contemplatu vel leviſſima numinis ſuſpicio oboriri nobis potuiſſet; imo ne vel minimam quidem de eo cogitationem animo formare atque comprehendere poſſemus.

V. Dicitur ea de Deo cogitatio Philoſophis *idea Dei*, vulgato & vero iſtius vocabuli uſu, cum idea à Græco εἰδεῖν deducta proprie notet

utriuſque fundamentum

Digitized by Google

eſt IDEA *Dei.* *ſpeciem* & imaginem, ſive formam rei in intellectu. *Cicero* in Academ. quæſt. *viſa* dixit. Vulgo autem *notio* & *conceptus* appellatur. Cumque ea in mente proprie exiſtat, nihilque niſi pura cogitatio de re aliqua ſit, ſpiritualis omnino eſt, & longe à phantaſmate vel imaginatione differt.

quæ in homine datur. VI. Dari in nobis iſtiuſmodi ideam non ſolum nos ipſi nobis conſcii ſumus, eamque frequenter in animo noſtro experimur; ſed & ex qualicunque de Deo cogitatione, imo vel ipſa dubitatione atque negatione, ea neceſſario evincitur: in omni enim cogitatione aliquid concipiendum animo eſt, quod illius ſubjectum ſit; atque adeo, niſi nomen Deus inanis & bruta vox ſit, quæ præter literarum atque vocabuli ſonum nihil intellectui repræſentet, & niſi ſtatuere velimus nos cum de Deo cogitamus, de nihilo prorſus vel de re aliqua incognita cogitare, agnoſcendum omnino eſt, eam cogitationem ideam atque imaginem aliquam ſui, hoc eſt, entis perfectiſſimi notionem in animo noſtro relinquere, cum per illam ens perfectiſſimum omnes intelligamus. Quæ Dei notio pertinet ad τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod *in hominibus manifeſtum eſſe* teſtatur Apoſtolus Rom. 1: 19.

& exiſtentiam Dei infert. VII. Ex hac autem ideâ Dei colligitur ejus *exiſtentia*; cum à *priori*, quia talem dicit eſſentiam quæ continet ſimul exiſtentiam: tum à *poſteriori*; partim quia idea illa cauſam requirit; partim quia nos ideam illam habentes non niſi à Deo eſſe poſſumus.

tum à priori. VIII. Primo igitur à *priori* hæc idea demonſtrat Deum; quia quodcunque clarè & diſtinctè percipitur in idea alicujus rei contineri, illud verè de eâ affirmari poteſt: atque exiſtere neceſſariò in idea entis infinitè perfecti clare & diſtinctè percipitur contineri. Imo tam clarè & neceſſario, ac in conceptu vallis conceptus montis, vel in conceptu corporis ejus extenſio & diviſibilitas includitur; & quemadmodum trianguli natura diſtinctè concipi non poteſt, quin ille intelligatur habere tres angulos, quique æquales ſint duobus rectis; ſimiliter in conceptu Dei ejus exiſtentia comprehenditur. Non quod cogitatio mea hoc efficiat, & rem pro lubitu fingat, ſed quia natura Dei & res ipſa ad hoc cogitandum me determinet.

IX. Neque id ſequitur ex hypotheſi: nempe poſito ente aliquo, quod omnes perfectiones infinite complecteretur, tum illam etiam perfectionem ei concedendam, quod neceſſario exiſteret. Non enim mihi liberum eſt illam hypotheſin ponere vel non ponere, ſed quoties

Digitized by Google

ties de Deo cogito, ejus eſſentiam non aliter quam neceſſario jamque actu exiſtentem concipere poſſum, quia exiſtentia de naturâ & eſſentia ejus eſt, ut abſque ea ne quidem intelligi poſſit. Neque vero ullo modo ea ut poſſibilis unquam concipi, & quaſi ex hypotheſi, ut res aliqua alia quam fingimus, pro arbitrio poni & rurſus removeri poteſt; cum ea, ſi jam actu non ſit, jam ne quidem unquam eſſe poſſit; & proinde ne quidem ut poſſibilis ad exiſtendum concipi poterit: atque adeo ens hoc perfectiſſimum neceſſario cogitari debebit cum cogitatione impoſſibilis exiſtentiæ, hoc eſt, cum notione ſummæ imperfectionis & nihili: quod implicat. Si ergo idea entis ſummè perfecti non eſt res ficta, ut centauri, hippogryphis &c. ſed res vera & poſitiva, quæque adeo in omnibus hominibus reperitur, & ubique eadem eſt, quamque nos ipſi ſemper eodem modo cogitando nobis objicimus; certiſſimâ ratione inde concluditur, ens iſtud actu exiſtere, cum aliter ne vel concipi quidem poſſit.

X. A *poſteriori* ſimiliter ex ea concluditur Dei exiſtentia, quia hæc idea cauſam aliquam requirit: non enim à nobis ipſis efficta eſt, cum immutabilis ſit, & in omnibus hominibus eadem reperiatur, neque ullam in eam poteſtatem habeamus, ut eam pro arbitrio fingere vel refingere, aut ullo modo immutare, vel etiam negare poſſimus: atque adeo aliunde eam impreſſam, & velut ſcintillam ab æternâ illa luce derivatam eſſe conſtat. *In ipſo vita eſt, & vita lux hominum.* Joh. 1: 4. *In lumine tuo videmus lumen.* Pſal. 36: 10. *tam à poſteriori.*

XI. Apparet hoc amplius, quia idea hæc, quoad eſſe ſuum repræſentativum, ſive *vicarium*, tantum perfectionis ſeu realitatis objectivæ in ſeſe continet, ut à nobis, qui finiti ſumus, non magis eam mutuari poſſimus, quam elaboratiſſimum ſignum vel tabula ab imperitiſſima manu proficiſci, vel quicquam à nihilo prodire poteſt; nihil enim in nobis eſt, ad quod eam exprimere vel effingere poſſemus: & tamen neceſſe eſt perfectiones iſtas, quas in ea contemplamur, habere cauſam aliquam exemplarem & objectum actu exiſtens, quod vel formaliter vel eminenter eas omnes in ſe contineat; niſi perfectiſſimam illam ideam vel ex toto vel ex parte nihil pro objecto habere dicamus: quod implicat.

XII. Neque etiam aliunde ea nobis immitti potuit: non per *ſenſus*, cum illi nihil niſi motus quoſdam corporeos, nullam autem alicujus rei ideam, nobis imprimere poſſint, ſed ideas innatas occaſione iſto-

Digitized by Google

rum motuum tantum excitare apti ſint; neque etiam illa quæ in ſenſus incurrunt ideam illam vel ſecundum ſe totam, cum infinita ſit, vel ſecundum partes, cum iis careat, in ſe comprehendunt: ita ut à creaturis deſumta non ſit: neque per *revelationem externam*, vel inſtitutionem aliorum; nam eadem redibit quæſtio; unde nempe priores illi eam ideam hauſerint: & cum omnis revelatio externa fiat vel per viſum vel auditum, eadem ejus erit ratio quæ externorum ſenſuum, neque ea quicquam in animo noſtro producet, niſi prius rerum ipſarum ideæ nobis innatæ & inſitæ fuerint: neque etiam per *ratiocinationem*: nam & illa ſimiliter non producit ideas ullas, verum præſupponit eas; tum autem circa illas porro occupatur, eaſque explicatiores & clariores reddit.

XIII. Unde ſequitur, nos eam immediate à ſolo Deo habere, per revelationem internam, qua intellectum noſtrum illuſtravit, eamque ideam, tanquam notam & ſignum aliquod artificis, operi ſuo præſtantiſſimo impreſſit.

XIV. Quæ omnia fortius ſtringunt, quod nos ipſos, qui ideam illam habemus, à nobis ipſis non eſſe deprehendimus: per ideam enim hanc multas perfectiones agnoſcimus, quas nobis deeſſe intelligimus; quas tamen nobis ipſis dediſſemus, ſi à nobis ipſis potuiſſemus exiſtere: aut potius eo ipſo quo à nobis eſſemus, eas ſimul haberemus.

quo etiam ſpectat dictamen conſcientiæ.

XV. Hic ergo nobiliſſimus eſt Deum cognoſcendi modus, ex intimâ mentis noſtræ naturâ hauſtus: qui hoc quoque peculiare habet, quod per eum non ſolum cognoſcimus *quod* ſit Deus, verum etiam, quantum ejus capaces ſumus, *quid* ſit. Atque hoc argumentum omnium primigenium eſt, cum omnis alia Deum cognoſcendi ratio, atque ipſum illud *dictamen conſcientiæ*, & naturæ ipſius inſtinctus, qui tam potentem numinis metum nobis imprimit, hoc argumentum præſupponant, & idea hæc Dei dictaminis & inſtinctus illius cauſa ſit: nam ex ſenſu illo ſimplici ac idea numinis, quam primo omnium in me deprehendo, reſultat potens ille conſcientiæ practicæ de Deo aſſenſus; quæ duo in illo conſcientiæ dictamine involvuntur. *Jus* quippe *Dei* gentilibus *cognitum eſt.* Rom.1:32. utpote qui *oſtendunt opus legis in cordibus ſuis inſcriptum, una teſtimonium reddente ipſorum conſcientiâ.* Ibid.2:14,15.

Notitia Dei acquiſita.

XVI. Sequitur notitia Dei *acquiſita* ex creaturis; de qua Job. 12: 7,8,9. *Interroga jumenta & docebunt te, & volatile cælorum, & tibi indicabit,*

cabit, vel loquere terræ, & docebit te, & narrabunt tibi piſces maris, Pſal.8. & 19. *Attollite in ſublime oculos veſtros, & videte quis creaverit iſta, producens numero ſuo exercitum ipſorum.* Eſai.40: 26. *Qui non paſſus eſt ſe eſſe expertem teſtimonii, dans nobis pluvias & tempora fructifera.* Act. 14.17. *Ut* eum *quærerent, ſi fortè palpando eum invenirent; quanquam non longè abeſt ab unoquoque noſtrum.* Ibid.17:27. *Ipſius inviſibilia jam inde à condito mundo ex iis quæ fecit mente animadverſa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas.* Rom.1:20. Argumenta autem ea ſuppeditant partim *naturalia*, partim *moralia*.

XVII. Ad *naturalia* pertinet præcipuè mundi hujus omniumque rerum ortus: quæ nec à ſe ipſis eſſe, neque infinito cauſarum nexu coaluiſſe potuerunt, cum intellectus noſter interminabilem iſtum cauſarum ordinem non ferat; & res ipſa manifeſto averſetur, cum eædem illæ res, poſtquam ortæ ſunt, adhuc ſingulis momentis conſervari atque veluti reproduci debeant; quæ conſervatio cum non niſi ab ente ſufficientiſſimo & infinito peragi poſſit, præſens aliquod numen continuò oſtendit. *Ipſe omnibus vitam & halitum & omnia dat, & ex uno ſanguine omne genus humanum condidit, definitis ſtatis temporibus, & poſitis terminis habitationis eorum. --- In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* Act.17:25,26,27,28. Unde exceptio omnis hominum profanorum, quaſi propter ſolam intellectus noſtri defatigationem infinitam rerum ſeriem comprehendere non queamus, plane excluditur. *per argumenta naturalia.*

XVIII. Imo verò ente iſto ſummo atque perfectiſſimo ſublato nihil unquam in rerum natura fuiſſet poſſibile: ipſum enim iſtud ens non niſi æternum & neceſſarium, non vero ut poſſibile concipi poteſt: quin & ſine eo nihil à non eſſe ad eſſe tranſire potuiſſet; cum in nullius rei eſſentia, ſolo illo ente excepto, neceſſaria exiſtentia involvatur: adeoque ſine eo nihil unquam factum fuiſſet, aut fieri potuiſſet.

XIX. Illuſtratur hoc argumentum non parum conſiderato pulcherrimo rerum creatarum ordine ac ornatu, & partium omnium veluti in dulciſſimâ harmoniâ concentu: quæ non niſi à ſapientiſſimo artifice prodire potuerunt.

XX. Argumenta *moralia* deſumuntur à naturali ſenſu numinis, turpis & honeſti diſcrimine, omnium hominum atque ætatum conſenſu; imo vel à fœdiſſimâ gentium idololatria, quæ ipſa clariſſimè teſtatur humanum genus Deo carere nec poſſe, nec velle; ab impulſibus heroïcis, futurorum vaticiniis, miraculis, aliiſque operibus magnificis, quibus ſeſe Deus præſenti numine adeſſe, atque rebus humanis intervenire ſæpe teſtatus eſt. *& moralia.*

XXI. Præter hanc autem naturæ diſciplinam, ſanctiori quodam ritu ſeſe Deus manifeſtavit in Eccleſiâ ſuâ, in qua ſæpius ſollemni modo apparuit, & quantum humanis oculis fas eſt, ſe videndum præbuit, & palam locutus eſt, & cum hominibus fœdus fecit: ita ut & verbum, & populus, ac regnum ejus adhuc in mundo ſint, & ſemper fuerint.

XXII. Quæ apparitio atque numinis ſui manifeſtatio, cum Deo, qui humanum genus condidit, idque ſummoperè diligit, non indigna ſit; imo cum vel maximè ipſum deceat, homini, quem ad imaginem ſuam creaverat, & ad ſeſe adducere ſtatuerat, ſe veluti offerre atque ei occurrere, eumque de cœlo affari, & ſanctiſſimis modis regere: tum vel imprimis homini, in tantâ naturalis cognitionis corruptione, & maligna ac dubia iſta luce, per quam ad Deum appropinquare amplius non poterat, prorſus neceſſaria erat. *Lux iſta in tenebris lucet.* Joh. 1:5. *Ipſius enim inviſibilia, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas ex creatione mundi perſpiciuntur: ad hoc ut ſint inexcuſabiles, propterea quod cum Deum norint, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt: ſed vani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt inſipiens cor eorum.* Rom. 1:20, 21. *Fide animadvertimus verbo Dei compacta eſſe ſecula, ut quæ cernimus, non ex apparentibus facta ſint.* Hebr. 11:3.

Adverſarii notitia Dei naturalis.

XXIII. Notitiæ huic obluctantur *Socinus*, *Oſtorodus*, *Vorſtius*, magnâque ex parte *Remonſtrantes* quidam, omnem Dei notitiam naturalem, cum innatam, tum acquiſitam, tollentes, & fide ſola cognoſci Deum, ex loco ad Heb. 11:6. *Fieri non poteſt, ut ſine fide quiſquam ei placeat: nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet eſſe Deum*, ſtatuentes. Quæ opinio omnes homines verbo Dei & fide carentes facit Atheos, & religionem omnem homini naturali adimit, & reliquias imaginis Dei in homine, atque adeo ipſius animæ immortalitatem, non obſcure tollit. Aliter docetur Rom. 1:18-21. *Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in ipſis. Deus enim iis manifeſtum fecit* &c. *Ut quærerent dominum, ſi fortè palpando invenirent eum: non longe enim abeſt ab unoquoque noſtrum.* Act. 17:27.

An dentur ATHEI.

XXIV. Atque hac quidem ratione nemo hominum *atheus* & abſque Deo eſt, qui tam potenter ubivis ſeſe inculcat & offert, ut ab omnibus videri & tantum non palpari poſſit. Neque hoc ſenſu gentiles *ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ* dicuntur Eph. 2:12. quaſi omni Dei notitia caruiſſent, ſed quatenus ſine *Deo fœderato* erant, ut ex antecedentibus manifeſtum eſt. Neque etiam hic obſtant exempla quorundam, qui malis affectibus & præjudiciis excœcati, erroris diuturnitate tandem omnem

nem Dei ſenſum in ſeſe extinxerunt, atque eo uſque impietatis pervenerunt, ut omni prorſus animi luce extincta revera perſuaſum haberent, & corde ſentirent, non eſſe Deum. Quales etiam ſpeculativè atheos exiſtere poſſe non abſurdum eſt, juxta dicta: *Quorum conſcientia cauterio reſecta eſt.* 1. Tim. 4:2. *Qui poſteaquam dedoluerunt, ſeſe dediderunt protervia, ad certatim patrandam omnem impuritatem.* Eph. 4: 19. & de facto quoque extitiſſe ſatis videtur probabile: licet plerique eorum magis practicè, quam ſpeculativè, & potius ore & opere, quam corde ſint athei; de qualibus agitur Pſal. 10: 4. *Improbus in altitudine naſi ſui non curat: ſine Deo ſunt omnes cogitationes ipſius.* Item, *Dixit nebulo in corde ſuo, non eſt Deus.* Ibid. 14:1,2. & 53:2. Conf. Pſal. 36:2. *Non eſt pavor Dei ex oppoſito oculorum ejus.* Imò *dixerunt Deo: recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum non volumus.* Job. 21:14. Et *ſponte illud latet ipſis, cælos jam exſtitiſſe per Dei ſermonem* &c. 2. Pet. 3: 5. Numerus tamen eorum perrarus omni ævo, & opinione vulgari minor fuit: quique tales fuerunt, plerumque perditiſſimi fuerunt, quibuſque expediret non eſſe Deum; cum, quò quiſque omni ætate fuit probior, eò diligentius notitiam Dei cuſtodiverit. Verum inde non magis conficitur notitiam hanc de Deo nobis innatam non eſſe, quam reliquas veritates de officiis, de honeſto & bono, quæ ſimiliter à talibus opprimuntur, homini non eſſe à naturâ inſitas, quas tamen omnes recto rationis uſu adhibito ex ſeſe elicere ac deprehendere potuiſſent: atque eo quoque modo notitia de Deo naturalis eſt, non quod actu ſemper omnibus præſens ſit, ſed quod potentiam omnes habeant eam eliciendi, ac plerique quoque actu eam eliciant.

XXV. Atheiſmum autem quod ſpectat, nulla opinio illo magis execranda atque magis pernicioſa eſt: nihil enim aliud eſt quam rationis ejuratio & humanitatis abnegatio. Cum enim Dei conditoris cognitio unica humanæ naturæ præ reliquis creaturis ſit perfectio atque humani generis veluti nobilitas & ſpes; cumque religio, qualiſcunque ea ſit, honeſtatem ſaltem aliquam & ordinem in mundo ſervet; hæc omnia tollit atheiſmus, & ad omnia ſcelera viam aperit. Unde atheiſmus non eſt profeſſio aliqua, ſive ſecta, quæ ad certa munia ſectatores ſuos devincit; ſed, cum in mero deriſu numinis atque religionis omnis conſiſtat, nec ipſe ſectam facere, nec cum aliis coire poteſt, cum nulla hominum ſocietas ſine ſenſu alicujus numinis conſiſtere ullo modo poſſit. *Atheiſmi abominatio.*

XXVI. Cauſæ atheiſmi non in uno aliquo homine tanquam in capite *illius cauſa*

Digitized by Google

pite ſectæ quærendæ ſunt, ſed latent in ipſa naturæ humanæ indole; & conferunt huc, in intellectu ignorantia naturalis, falſa principia & præcipuè corporeitatis de Deo conceptus; in voluntate profanitas & ſcelera omnia, præſertim contemtus verbi divini, atque animus male ſibi conſcius; religio corrupta ſuperſtitionibus & idololatria, quæque tota in externis eſt, diviſiones circa eam, ſcandala ſacerdotum; levis porro ingenii cultus & philoſophiæ quaſi deguſtatio; atque ſecula eruditiora cum pace conjuncta; prava denique atheorum conſortia contagio nocentia. *Beatus* enim *vir*, *qui non ambulat in viâ peccatorum*, &c. Pſal. 1: 1. *An ſociabitur tibi thronus nequitiæ; qui fingit ærumnam præter ſtatutum?* Ibid. 94: 20.

An de Deo dubitare liceat? XXVII. Atque ex hiſce jam liquet, rectene de Deo dubitari poſſit, an ſit? & quænam dubitatio hic ſit licita. Nunquam enim homini, qui intelligit ſe eſſe creaturam Dei, & propter conditorem ſuum eſſe factum, ambigere licet an ille ſit, & in re iſta ſanctiſſima ac graviſſima fluctuari, atque hinc inde animum volvere, cum tales cogitationes non niſi ſtultiſſimæ eſſe poſſint. Ille tamen qui audit de Deo, non oſcitanter id accipere atque animo admittere debet, re ipſa non ſatis conſideratâ, atque intellecta, imo forte ne inſpectâ quidem, ſicut in aliis rebus perſæpe fieri ſolet: ſed rem hanc longe ſanctiorem habere, & cum magni adeo momenti ſit, non niſi firmiſſimis & immotis rationibus eam animo admittere oportet; ne forte eam, tanquam vulgarem aliquam auditionem, ſine ullo judicio, accepiſſe, atque adeo illud quod neſcimus adoraſſe ac coluiſſe deprehendamur. Adeoque temetipſum examinare & dubitare licet, an ſatis firmis & idoneis de cauſis veritati tam neceſſariæ ac pretioſæ aſſenſus ſis: quæ non tam de Deo, quam de nobis ac ſcientia noſtra dubitatio eſt.

CAPUT XV.

De Aſeitate, Primitate & Unitate Dei.

Deus à SE IPSO *eſt.* I. CUm autem Deus ita neceſſario & per ſe exiſtat, etiam *à ſe eſt*; quod omnium eorum quæ in Deo cognoſcimus, maxime admirabile & incomprehenſibile eſt.

& quidem poſitive. II. Eſt verò à ſe ipſo, non tantum negativè, verum etiam maxime poſitive. Quamvis enim proprie ſui cauſa eſſe non poſſit, illud tamen quod nullam cauſam habeat, neque ea indigeat,

non

Digitized by Google

non à nihilo, ſed à ſumma eſſentiæ ejus perfectione & omniſufficentia profluit. Cumque ratio exiſtentiæ ejus maxime poſitiva ſit, etiam à ſe ipſo poſitive eſſe dicendus eſt.

Eſt omnium PRIMUS.

III. Fluit hinc ejus *Primitas*, ſeu, ut ita loqui liceat, *Principias*. Cum enim à ſe ipſo ſit, omnibus cauſis externis caret, atque adeo primus eſt. Vide Eſai. 43:10. & 41:4. & 44:6. & 48:12. *Ego ipſe ſum primus, etiam ſum ultimus.* Utpote qui non dependet aliunde, & à quo omnia alia dependent.

Et UNICUS. *quod probatur: ex Scriptura.*

IV. Sequitur ex eadem Dei neceſſariâ exiſtentiâ & aſeitate ejus quoque *Unitas*, ſeu *Unicitas*; per quam ita unus eſt, ut ſit ſolus & *μοναδικός*. De quo vide Deut. 4:35. & 6:4. *Audi Iſraël, Jehova Deus noſter Jehova unus eſt.* Unde veri Dei epithetum eſt בדד *badad, ſolus.* Deut. 32:12. vid. & 32:39. Jeſ. 37:16. & 43:10, 11, 12. *Ego, ego, ſum Jehova, & nullus eſt præter me Servator.* Unde nullum novit *præter ſe*, Eſai. 44: 8. & 45:5. Hoſ. 13:4. 1 Cor. 8:4, 5, 6. *Nobis tamen unus eſt Deus, Pater ille à quo omnia.* Conf. Joh. 17:3. Eph. 4:6.

& ratione.

V. Ex ratione hoc etiam liquet. Cum enim Dei nomine intelligamus ens primum atque ſummum, quodque idem ſit perfectiſſimum, atque à quo alia omnia entia dependere, i. e. produci, conſervare atque gubernari neceſſe habeant, facile patet id unicum eſſe oportere; quippe quod par habere non poſſit, cum alia omnia entia extra ipſum ab ipſo dependere debeant: namque aliter ſemper cogitare poſſet ens aliquod perfectius, quod æquale ſibi non haberet, quodque etiam omnes perfectiones alterius iſtius Dei in ſe ipſo ſolum poſſideret, atque à quo ille etiam dependeret.

VI. Adeoque alter iſte Deus vel dependeret à priori iſto Deo, vel non. Si prius, tum ipſe non foret Deus. Si poſterius, tum nec prior ille foret Deus. Tum ſi plures dii eſſent, vel eſſent perfectione æquales, vel inæquales. ſi æquales eſſent, tum neuter eſſet ſummus, quia ſummum eſt id quod omnibus aliis entibus majus eſt: ſi inæquales eſſent, tum iſte qui minor eſſet, Deus dici non poſſet, cum ad Dei naturam requiratur ut ſit ſummus. Pariter implicat, duos dari omnipotentes, duos ſummè intelligentes, eoſque ſummâ ac liberrimâ voluntate pariter præditos: ut plures dii dari non poſſint niſi imperfecti; atque adeo hinc neceſſario ſequitur, Deum unicum tantum exiſtere.

VII. Cujus unitatis repræſentatio quædam eſt in creato rerum univerſo. plures enim mundos & plures rerum univerſitates eſſe, contradictionem implicat. Atque ſic unicum univerſum unicum ſuum re-

refert opificem; qui ſic unicus eſt formaliter, ut eminenter ſit omnia.

Cui non repugnat SS. Trinitas. VIII. Non repugnat autem unitati Dei perſonarum Trinitas: cum perſonæ divinæ proprie non ſint plures res, ſeu plura entia realiter (ſtrictè loquendo) à ſe invicem diſtincta, ſeu diverſas eſſentias habentia; verum illæ unicam & eandem divinam eſſentiam indiviſim participant.

Sed 1. polytheiſmus. IX. Repugnat vero illi 1. *Polytheiſmus* gentilium. Cum enim tres ſint antiquiſſimæ de Deo ſententiæ: *ἀναρχία*, *πολυαρχία* & *μοναρχία*: nos rejectis duabus, quæ in eandem impietatem conſpirant, ſolam monarchiam, ſeu unius Dei principatum colimus; ut rectè Nazianzenus.

X. Quamvis autem ethnici plures finxerunt deos, non tamen habuerunt ideam plurium entium ſummè perfectorum; nam hoc impoſſibile eſt. Sed ſingulis potius diis proprias quaſi perfectiones atque ſingularia officia demandarunt, & alium belli Deum, alium artium præſidem, alios mundi, maris ac terræ dominos finxerunt; atque adeo non tam plures deos, quam divinos, ut de Platone Ficinus, conceperunt. De hiſce aurea vide apud doctiſſ. Seldenum in prolegom. libr. de diis Syris.

Cujus cauſa, XI. Cauſa erroris fuit, quod ad ideam & naturam entis ſummè perfecti non ſatis attenderunt; quam ex perverſo iſto conceptu pluribus attribui poſſe putarunt. Neque enim requirit illa plurium deorum idea cauſam extra nos, vel plures deos actu exiſtentes; nihil enim in eâ eſt, quod vires noſtras excedat, præter ideam Dei: cui ideam pluralitatis tantum adfinxerunt, & ideam numeri cum illâ ideâ per errorem conjunxerunt.

& occaſiones, XII. Occaſiones polytheiſmi, inter alias, fuerunt, cum nominum divinorum in communibus linguis multitudo; tum attributorum, & præcipuè operum Dei, varietas atque copia, quibus hominum ingenia ad plures deos cogitandos ſenſim inducta tot ac tantas perfectiones in pluribus potius diſcretas, quam in uno copulatas quærere maluerunt.

ac miſeria. XIII. Nos præ ethnicis nobis merito gratulamur, quod unicum agnoſcamus Deum, nec pluribus dominis inſervire opus habeamus; quod nequidem fieri poſſe Salvator noſter affirmat. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire* &c. Matth. 6: 24. Atque hinc illi animi fluctuantis æſtus atque angores, quos in ethnicis ſæpe deprehendimus, dum dubitant cui Deo ſacra facere, cui vota potiſſimum nuncupare, & quem invocare deberent.

II. Idololatria. XIV. Repugnat unitati Dei 2. *Idololatria* omnis, ſeu theoretica, ſeu practica, quæ plures ſemper Deos facit. XV.

Digitized by Google

XV. 3. *Manichaiſmus*, de duobus principiis, uno boni, altero mali; qui error antiquiſſimus fuit, utpote à duplici rerum genere, nimirum bono & malo, malè conſiderato natus. III. *Manichaiſmus.*

XVI. 4. *Socinianorum* impietas, plures deos eſſentiâ inter ſe diverſos ponentium, dum *Chriſtum* Deum factum docent, & inter Deum ſummum & Deum qui eſt ſub ſummo diſtinguunt. A quâ *impietate* non longe abeſt *Epiſcopius*, qui perſonarum Trinitatem cum eſſentiæ divinæ ſubordinatione concepit: cum tamen & Scripturæ & rationi repugnet concipere Deum aliquem ſubordinatum, & non ſummum. IV. *Socinianiſmus.*

CAPUT XVI.

De Nominibus Dei.

I. Poſt Dei exiſtentiam ſequitur ejus *divinitas*, cognoſcenda tum ex *nominibus*, quibus ſe manifeſtavit; tum ex *naturâ* ejus. NOMINA *Dei.*

II. Nomen Dei in Scriptura ſignificat id omne quod de Deo cognoſci ac prædicari poteſt; & tum Deum ipſum, tum omnia ipſius attributa comprehendit. Unde & veteribus attributa Dei nomina ejus dicta: quæ enim attributa dicimus, cum ad Deum referuntur cui conveniunt, ea nomina illius reſpectu noſtri, quatenus nos in Dei cognitionem introducunt, appellantur. Nos vero diſtinctè de utriſque agemus.

III. Et nomine quidem propriè Deus non eget, cum unicus, & ſolus, & ineffabilis ſit. Gen. 32:29. Jud. 13:18. *Ecquid interrogas de nomine meo?* reſpectu noſtri tamen, ut & à nobis cognoſcatur, & ab aliis rebus diſcernatur, recte nomen ipſi tribuitur. Eſtque illud Eccleſiæ vel præcipuum decus, quod in eâ Deus verus ſeſe nomine ſuo revelaverit. *Quomodo ipſi conveniant.*

IV. Cum autem nomina divina, quæ in Scripturâ Vet. T. occurrunt, vel ab eſſentia ejus petita ſint, ut *Jehova*, *Ehjeh*, *Jah*, quibus reſpondet nomen Κύριος: vel à fortitudine, ut *El:* vel à cultu aut adjuratione, ut *Elohim*: vel a ſufficientia aut omnipotentia, ut *Schaddai*: vel à dominio ejus, ut *Adonai*: vel ab excelſitate, ut *Eljon:* vel ab exercitibus ejus, ut *Zebaoth*; omnium præcipuum & ſummum eſt nomen *Jehova*, quod ab היה vel הוה *eſſe*, *exiſtere*, deductum, cum eſſentiam, tum eſſentiatorem, à quo omnia ſunt, ſignificat. *Quam varia ſint.*

V. Nomen hoc proprium eſt, non appellativum. Exod. 6:3. Jeſ. 42: 8. *Ego* JEHOVÆ. *Nomen*

Digitized by Google

8. *Ego ſum Jehova, hoc eſt nomen meum*: unde abſolute הַשֵּׁם *nomen*, dicitur; Judæis שֵׁם הָעֶצֶם / *nomen ſubſtantiæ*, שֵׁם הַמְיוּחָד *nomen proprium*, & שֵׁם הַמְפוֹרָשׁ / quod alii *nomen explicatum*, *expoſitum*, alii nomen *ſeparatum* & ſingulare reddunt.

Lectio ejus. VI. De lectione ejus variæ ſunt ſententiæ. Quidam *Jahve*, vel *Jabave*, ut Samaritani; alii *Jao*, ut Græci veteres; alii *Jova*; alii *Jehova*, vel *Jehovi*; quidam *Jeheve*, *Jehve* vel *Jihve* pronunciant. Joſephus *ιαυα* per quatuor vocales legit. Cum verò jam olim Judæi per religionem à pronunciatione hujus nominis abſtinuerint, perdita & incognita, aut ſaltem incerta multis videtur vetus & genuina ejus lectio.

Non per ADONAI *efferendum.* VII. Unde & hodie puncta vocalia nominis *Adonai* habere multis argumentis ſuadere ſtudent, & per nomen iſtud efferri debere contendunt. Sicut ab eadem Maſoretharum audacia profectum videtur, quod puncta nominis *Elohim* alicubi huic nomini ſuppoſita ſunt; ut vulgo receptam lectionis *Adonai* conſuetudinem hoc quoque modo firmarent.

VIII. Cum autem multis in locis ſit emphaſis in nomine *Jehova*, quæ cum nomine *Adonai* conſiſtere non poteſt, vid. Exod. 6: 1, 2. Pſal. 83: 19. Eſai. 42: 8. atque ipſius linguæ mos & genius pronunciationem iſtius nominis ſatis commodè ferant, cum alia nomina ex eo compoſita legantur, ut *Jehonathan*, *Jehochanan*; non temere iſta lectio repudianda eſt. Saltem per *Adonai* nomen illud pronunciari nequit Deut. 32: 6. ubi הַלַיהוָה.

Cumque olim uſurpatum fuerit. IX. Atque extra dubium eſt, tempore *Moſis* nominis hujus pronunciationem non ſolum in ſacris, & in ſollemni iſta benedictione, Num. 6: 23. fuiſſe uſurpatam, ſed & publice fuiſſe notam & pervulgatam. *Exſecrans nomen illud -- nomen Jehova.* Levit. 24: 11, 16. imo apud vicinas gentes ejus famam dimanaſſe, uti apparet ex vidua Sarphathana, Eliæ dicente: *Ut vivit Jehova Deus tuus.* 1. Reg. 17: 12. *Extraneus qui venerit è terra longinqua propter nomen tuum.* 2. Chron. 6: 32. qui etiam ad idola ſua ſacrum iſtud nomen nefarie traduxerunt: cujus rei non obſcura veſtigia in nominibus *Jao*, *Javo*, *Jovis* (qui antiquis nominativus fuit) *ἴακχος* & *ἰώβακχος*, quæ *Bacchi* nomina, ut & *Jani* & *Dianæ* appellationibus, ſuperſunt.

male deinceps pro ineffabili habitum eſt. X. Cum autem Deus non initio tantum iſto nomine cognoſci, Exod. 3: 14. verum illud tanquam perpetuum *ſui memoriale* extare apud ſuos voluerit, Hoſ. 12: 6. male Judæi illud *ἀνεκφώνητον* & ineffabile dixerunt; quod ex religione primum ortum, cum in hoc nomine

pri-

Digitized by Google

primarium religionis myſterium agnoſcerent, in ſuperſtitionem tandem vertit: unde ejus uſus extra ſacras actiones fuit vetitus, & tandem in deſuetudinem ac oblivionem venit. Rectius autem *ἄῤῥητον* dictum fuit, quia Græcis literis exprimi non poterat.

XI. Denotat illud nomen 1. *eum qui eſt*, Exod. 3:14. אהיה *ſum*, vel *ero*. 2. *qui eſt quod eſt*, אהיה אשר אהיה *ſum qui ſum*, hoc eſt, ſimplex & immutabilis. 3. Qui *fiet quod eſt*, vel *qui fit quod eſt*: ut notet eum, qui virtutes & promiſſiones ſuas ipſo opere & facto demonſtrat, juxta formulam, *fiam tibi in Deum*; ut ita repræſentetur ille, qui nobis fit Deus, & quidem Deus redemptor, juſtificator, ſanctificator, & ſalvator, nimirum in Filio. Unde & ille peculiariter operibus iſtis gratiæ *nomen Dei notificaſſe* dicitur. Joh. 17:26. Et hoc pacto nimirum nomen hoc nondum innotuerat patribus, qui tamen literas & pronunciationem ejus non ignorabant; ſed vera vis & effectus ejus nominis *Abrahami* poſteris ſub N. T. demum ſervabatur. *Quid notet hoc nomen.*

XII. Ex quibus prorſus liquet, nomen hoc ſoli Deo convenire. Pſal. 83:19. *Te, cui ſoli nomen eſt Jehova, excelſum eſſe ſupra univerſam terram*. Hoſ. 12:5. *Jehova eſt memoriale ejus*. vid. Eſai. 42:8. *Ego ſum Jehova, illud eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo*. Unde ne quidem figuratâ acceptione aut catachreſi ſeu ironiâ creaturis tributum unquam, neque etiam Num. 10:35. legimus; etſi interdum in compoſitione earum nomina ingrediatur, & de iis prædicetur, ut in nominibus יצדק, יהשוע, *templum Jehovæ*; quo pertinet etiam altaris, Exod. 17:15. יהוה נסי / & novæ urbis apud *Ezechielem*, cap. 48:35. יהוה שמה appellatio. *Soli Deo proprium eſt.*

XIII. Perverſe igitur hoc negant *Sociniani*; ne videlicet Angelum, qui in Vet. T. *Jehova* dicitur, verum Deum agnoſcere cogantur. Impium autem & ſacrilegum eſt, quod excipiunt, angelos ſummum iſtud nomen tanquam legatos Dei & quaſi nomine Dei loquentes uſurpaſſe; cum nec prophetæ nec angeli iſto honore ſeſe unquam dignati ſint. Apoc. 19:10. atque ubi id fit, ſemper unicus idemque ille angelus aſſertor loquatur. Quod autem de *Chriſto* dicunt, eum *Jehovam* appellari, quia promiſſiones Dei implet, lubentes accipimus; cum enim ille *Jehova* ſit qui ſuas virtutes & promiſſiones implet, atque illud fit quod eſt, jam inde *Chriſti* Deitas vel maximè manifeſta eſt, quod in eo ſolo omnes Dei promiſſiones & virtutes, atque univerſa vis ſacroſancti iſtius nominis impleatur. *Quotquot enim ſunt promiſſiones Dei, in ipſo ſunt etiam, & in ipſo ſunt Amen*. 2. Cor. 1:20. Conf. Jeſ. 45:25. *In Jehova in-* *Quod male negatur à Socinianis.*

Digitized by Google

juſtificabuntur; & jactabit ſe omne ſemen Iſraël. Jer. 23:6. *Hoc ejus nomen, Iehova juſtitia noſtra.*

EHJE. XIV. Alterum Dei nomen eſſentiale eſt אֶהְיֶה Exod. 3:13,14. quod cum ejuſdem originis ſit cum nomine *Jehova*, ab eo parum, imo vix differt.

JAH. XV. Tertium eſt nomen יָהּ / quod cum nomine *Jehova* ſæpe conjungitur, Pſal. 130:1,2,3. Jeſ. 12:2. & 26:4. Derivari autem videtur à verbo נָאָה / ut nomen hoc notet *decentiam*, ſeu eum qui pollet ſumma decentia; quod maxime convenit Nov. T. & *Chriſto. Decebat enim eum* &c. Hebr. 2:10. *Talis nos decebat Pontifex* &c. Ibid. 7:26.

XVI. Nomina, quæ Deum ab operibus vel proprietatibus deſcribunt, ſunt אלהים ארני שרי אל / & duo epitheta צבאת עליון /

ELOHIM. XVII. Nomen אלהים / vel ab *Arabico* אלה *coluit*, quaſi *σέβασμα numen colendum*, ſeu *venerandum*; vel ab *Hebraico* אלה *juravit*, vel *adjuratio*, deductum, maxime Deo tribuitur, ubi reſpicitur ad ipſius fœdus cum homine, & ubi fidei noſtræ, per quam Deo juranti adſtipulamur, fit profeſſio. *Dixit ipſi Elohim —— ſtatuam fœdus meum inter me & te.* &c. Gen. 17:3,7. *Ad ineundum fœdus Jehovæ Elohim tui --- ut ſtatuat te hodie ſibi in populum, & ipſe ſit tibi in Deum.* Deut. 29:12,13.

XVIII. Eſt in eo enallage numeri pluralis pro ſingulari; quæ etiam uſurpatur, ubi tantum de unicâ S. S. Trinitatis perſonâ ſermo eſt. *Solium tuum, ô Deus, in ſæculum --- Unxit te, ô Deus, Deus tuus.* Pſal. 45:7.8. Et *ſalvos faciam eos in Domino Deo ipſorum.* Hoſ. 1:7. *Principem ſe geſſit cum Deo.* Ibid. 12:3. niſi potius ratione dignitatis hoc fieri velimus, ut unus Deus אלהים *dii* plurali voce nuncupetur; ſicut Dei ſapientia חכמות *ſapientiæ* dicitur. Prov. 1:20. & 9:1. Similia exempla videre licet Gen. 40:1. Jeſ. 19:4. quò tamen locus Job. 40:15. non pertinet.

XIX. Cumque hoc nomen non appellativum, ſed Deo proprium ſit, non niſi analogicè hominibus & angelis tribuitur, quia illis nimirum ad tempus populus Dei ſubjectus fuit tanquam θεοῖς λεγομένοις, 1. Cor. 8:6. Pſal. 82:6. Conf. Joh. 10:34,35. *Scriptum eſt in lege veſtra. Ego dixi, Dii eſtis.* & Pſal. 8:6. *Feciſti eum inferiorem paululum infra Deum.* conf. Heb. 2:7. *Minuiſti eum breve quiddam præ angelis* &c. μιμητικῶς autem & εἰρωνικῶς etiam diis alienis attribuitur. *Non erunt tibi dii alii præ facie meâ.* Exod. 20:3. Sic *Dagoni* tribuitur. Jud. 16:23. & Vitulo aureo. Exod. 32:4. quia illi vero Deo ſubſtituebantur: ubi & ſimilis enallage numeri obſervatur.

XX, No-

XX. Nomen אל ab אל *robore* deductum, proprie δυναστὴν dicit. Pſal. 22: 2. & primario ac αὐτονομαστικῶς Deo convenit. *Magnificabit ſe ſuper omnem Deum fortem, etiam ſupra Deum fortiſſimum omnium.* Dan. 11: 36. appellativè etiam angelis & hominibus tribuitur. Exod. 15: 11. & κατὰ μίμησιν ac συγχώρησιν idolis. Eſai. 44: 10. Mal. 2: 11. EL.

XXI. Nomen שדי quidam à שדד *vaſtare*; alii à דַּי, quaſi אֲשֶׁר דַּי ὁ ἱκανὸς, vel αὐτάρκης, derivant: alii ab *Arabico Scadda*, roborare deducunt; unde *Scadid* robuſtus, & שַׁדַּי Dei nomen, ὁ παντοκράτωρ. Affine eſt Græcorum Δὶς, in cujus locum ſucceſſit Ζεὺς, Διός. SCHADDAI.

XXII. Nomen ארני formæ pluralis anomalæ, (cujus & ſingulare occurrit Mal. 1: 6. Deut. 10: 17.) *cum kametz* inter nomina Dei propria eſt, & notat dominium ejus, quo omnia ſibi ſubjicit, & maxime quo peculium à ſe emtum habet: ita ut ſingulari modo Redemtoris ſit nomen. Hinc apud gentiles Veneris amaſius, *Adonis*, & Liber Pater, *Edoneus*, & Sol Phœnicibus, *Adon*, *Adonis*, *Adoneus*, appellabantur. ADONAI.

XXIII. Vox צבאות cum voce *Jehova*, vel *Elohim*, vel cum utroque ſimul conjuncta, ſignificat *Jehovam* eſſe veluti exercitus populi ſui, vel eum eſſe Deum exercitus habentem: atque inde non obſcura appellatio *Jovis* Σαβαζίου. ZEBAOTH.

XXIV. Similiter nomen עליון *excelſus*, magis epitheton, quam proprie nomen Dei ſonat; quod tamen ethnici quoque imitati ſunt in ἥλιος; quo nomine ſol colebatur: quod tantundem eſſe videtur ac *Eljon*; niſi forte id nomen ſit ab אל / ELJON.

XXV. In libris Nov. Teſt. occurrunt præcipue nomina Θεὸς & κύριος.

XXVI. Θεὸς nomen Dei eſſentiale & proprium eſt, quod ipſam naturam & eſſentiam Dei notat; cum extra hoc Græcis nullum aliud ſit nomen, quod Deo adeo immediate convenit, ejuſque eſſentiam proximè exprimit. Unde creaturis non niſi in ſignificatu diminuto & æquivoco tribuitur, & plerumque cum termino reſtringente, ex. gr. *Deus hujus mundi* &c. 2. Cor. 4: 4. aut tali formâ & ſchemate orationis, ut manifeſta appareat ironia aut catachreſis. ΘΕΟΣ.

XXVII. Ut impiè *Sociniani*, qui nomen hoc officium ſolum & potentiam ac dignitatem denotare volunt, hinc jam ſtatuant multos eſſe veros deos; quaſi ex Paulo: *Etſi ſint qui dicantur dii, & in cœlo & in terrâ: ſicut ſunt dii multi, & domini multi.* 1. Cor. 8: 5. ſpeciatim duos, unum æternum à ſe ipſo Deum, Patrem, alium à patre factum in N. Teſt. Chriſtum.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Et frivola prorſus eorum diſtinctio eſt, vocabulum iſtud cum articulo, vel etiam ubi ſubjectum orationis eſt, verum Deum denotare; ubi vero prædicatum eſt, vel ſine articulo uſurpatur, non item: præterquam enim quod etiam de Chriſto ſubjectivè & cum articulo uſurpatur, pluribus aliis modis hæc eorum criſis ac obſervatio redargui poteſt.

ΚΥΡΙΟΣ. XXIX. Alterum nomen in libris N.T. frequens eſt *κύριος*, à voce *κῦρος*, *auctoritas*, *dignitas*: quo vocabulo S. Scriptores nomen *Jehovä* plerumque reddunt, quia illud per אדני enunciabatur; præcipuè autem Chriſto tribuitur reſpectu dominii atque *peculii*, quod ſibi peculiariter *ſanguine ſuo acquiſivit*. Act. 20: 28.

CAPUT XVII.

De Spiritualitate & Inviſibilitate Dei.

NATURA *Dei.* I. DIvinitatem plenius exhibet ipſa Dei *natura*, vel eſſentia, & eſſentiales proprietates, quarum complexus divinam naturam nobis ob oculos ponit. Vox illa Deo tribuitur. *Serviebatis iis, qui natura non ſunt dii.* Gal. 4:8. ut & voces ſynonymæ, *forma Dei.* Phil. 2:6. *verus Deus.* Joh. 17:3. 1 Joh. 5:20. *vivus & verus Deus.* 1. Theſſ. 1:9.

Definitio ejus. II. Quanquam autem perfectâ definitione quid ſit Deus exprimi nequeat, quia genus ſeſe ſuperius propriè non habet; cum tamen detur conceptus aliquis communis quo Deum & creaturas apprehendimus, videlicet entis (non enim eſt nominis tantum diſtinctio, cum illud in Deum & creaturas diſtinguimus) recte iſtud pro genere, analogico ſaltem ſumi, atque inde definitio aliqua ſummi entis formari poteſt.

III. Definitur ergo ſimpliciſſimè: ens infinitum, ſeu perfectiſſimum; vel etiam: Spiritus infinitus, à ſe ipſo vivens, Pater, Filius, & Sp. Sanctus. Unde duplex ſeſe pandit Dei conſideratio, unicæ nimirum eſſentiæ, & Trinitatis perſonarum.

Qui eſt SPIRITUS. IV. Spiritus cum dicitur, apparet ipſum ſubſtantiam eſſe, & quidem ſpiritualem; atque omnem corporis conceptum ab ipſo removen-

Digitized by Google

vendum eſſe, cum ſit mens infinita, cujus naturam conſtituit perfectiſſima & puriſſima intellectio, cui omnes cogitationes ſimul & ſemel unico actu præſentes ſunt. Ita ut ſpiritualitas ejus non tantum negativè, verum etiam maximè poſitivè concipi debeat. Unde *Pater ſpirituum* dicitur. Hebr. 12:9. *Cujus genus ſumus. Non debemus cogitare auro & argento* &c. *Numen eſſe ſimile.* Act. 17:28, 29. *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis* &c. Rom. 1:23. *Cui (quæſo) aſſimilabitis eum, & quid ſimilitudinis ordinabitis ei?* Eſai. 40:18, 25. *Spiritus carnem & oſſa non habet.* Luc. 24:39. *Cavete animabus veſtris, quia non vidiſtis ullam ſimilitudinem, quo die allocutus vos eſt Jehova in Horeb.* Deut. 4:15.

V. Quod etiam ex ratione patet: cum omne corpus eo ipſo quod extenſum eſt, partes habeat, ſit compoſitum, diviſibile, imperfectum, mutationi obnoxium, brutum denique & iners, ac interno agendi & cogitandi principio deſtitutum: quæ omnia vel maximè naturæ perfectiſſimi hujus entis repugnant.

Quomodo membra ipſi tribuantur.

VI. Non repugnat autem huic ſpiritualitati Dei, membra ipſi in Script. paſſim attribui; cum ea dicta & facta Dei infirmitati noſtræ ſæpe accommodet, non aliter quam ſi Deus homo eſſet: atque hinc orta figura illa in ſacris literis, quæ *ἀνθρωποπάθεια* dici ſolet, qua Deus loquitur per *συγκατάβασιν*, ut Græci Patres inquiunt, ad nos: vel, ut Hebræi / כדרך של בני אדם / *ſecundum viam filiorum hominis*, vel כלשון של בני אדם / *ſecundum linguam filiorum hominis.* Inde Deo membra & affectus corporei adſcripti leguntur; illa *κατ' ἀνθρωπομόρφειαν*; hi *κατ' ἀνθρωποπάθειαν*: utraque autem *θεοπρεπῶς* exponenda; ut intelligantur iſtis loquendi modis Deo tribui perfectiones attributis & operationibus iſtis humanis analogæ, & quarum energia in membrorum iſtorum uſu conſpicitur. Atque hinc illa membra Deo tantum tribuuntur, quæ actionum nobiliſſimarum in homine ſunt vel principia vel inſtrumenta, ut cor, pedes, manus, brachium &c. non autem ea, quæ infirmitatis vel imperfectionis alicujus in homine indicia ſunt, veluti humeri, vel membra alituræ aut generationi inſervientia.

Contra Anthropomorphitas.

VII. Peſſimè ergo Anthropomorphitæ, ſeu Anthropomorphiani (quos Epiphanius humaniformianos appellat; quorum parens Audæus, monachali ſtupore hæreticus) Deum concipiebant compoſitum ex re intellectuali & materiali; facientes Deum hominiformem, ac hu-

humanos Deo artus affingentes, dum imperitè figuratas S. Scripturæ locutiones propriè explicabant. Quem errorem tantis animis monachi quidam urgebant, ut Theophilum Alexandriæ Epiſcopum, quod illum publico ſcripto refutaſſet, ad necem quærerent: qui illis obviam factus, & verbis Jacobi ad Eſavum Gen. 33:10. *Sic vos vidi tanquam faciem Dei*, utens, placatiores eos habuit, quum pro inſcitiâ illud ita acciperent quaſi faciem Dei humanæ ſimilem crederet Theophilus.

VIII. Quamvis verò non tam craſsè, ac ab Audianis, à pleriſque hic peccetur, quotuſquiſque tamen eſt, qui non neſcio quid extenſi in conceptu Dei implicet? à vulgo, quoad actum exercitum id fieri, etſi in actu ſignato id neget, experientia docet: atque de multis eruditis etiam id verendum eſt, illis, qui diuturno uſu mentem aſſuefecerunt ad bene diſtinguendam naturam corporis à naturâ ſpiritus, exceptis.

IX. Male etiam Deo corpus adſcripſit Vorſtius, Tertulliani auctoritate nixus, ſtatuens Deum ſuo modo eſſe corporeum, eſſe in eo quaſi materiam & formam; nec aliter ſpiritum dici, quam aut ſpiritus animales, aut aër & ventus ſpiritus dicuntur, & ſolum craſſam molem ac corpulentiam eo vocabulo ab ipſo removeri.

X. Sicut & minus rectè Epiſcopius, poſtquam affirmavit ſpiritualitatem Dei eſſe creditu neceſſariam, ſufficere tamen ad illum conceptum putat, ſi craſſas illas de Deo cogitationes removeamus, nec ipſi certam aliquam formam ac figuram attribuamus.

Deus INVISIBILIS. XI. Spiritualitatem Dei ſequitur ejus *Inviſibilitas*, qua nulli externo oculorum conſpectui, nec in ſe, nec in imaginis alicujus ſpecie, patet. *Regi æterno, inviſibili* &c. *ſit honor & gloria.* 1. Tim. 1:17. *Non poſſes videre faciem meam* &c. Exod. 33:20,23. *Vocem verborum audiviſtis, at ſimilitudinem nullam vidiſtis.* Deut. 4:12,15. Quo veluti emblemate ac ſigno, cognitionis Dei intellectualis altitudo & viarum ejus τὸ ἀνεξερεύνητον καὶ ἀνεξιχνίαστον ob oculos ponitur.

Quomodo tamen viſus dicatur. XII. Omnis autem viſio Dei, quæ ſanctis hominibus ac Prophetis in Scripturâ nonnunquam tribuitur, vel in futura vita fidelibus promittitur, vel denique de Angelis in cœlo affirmatur, non eſt eſſentiæ divinæ; ſed vel ſymboli alicujus, quo Deus præſentiam ſuam teſtabatur; vel ὀργάνου ἐνυποστάτου, quomodo Deus in Chriſto viſus; vel tantum cognitionem fidei notat; vel etiam familiarem Dei notitiam & veluti fruitionem exprimit, qualis illa quæ in cœlis erit; vel denique angelorum coram Deo continuam veluti apparitionem, ad juſſa & imperia ejus accipienda, ſignificat.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Male ergo Sociniani nos in vita futura Dei Patris faciem oculis noſtris viſuros ſtatuunt; qui etiam Vorſtii error eſt, præſupponentis Deum habere corpus : à quibus etiam non multum abeunt Anabaptiſtarum nonnulli.

CAPUT XVIII.

De Infinitate & perfectione Dei.

I. Est autem Deus Spiritus ab aliis ſpiritibus longe diverſus, cum ſit mens infinita & perfectiſſima.

II. *Infinitatem* Dei quod ſpectat, concipi Deus videtur poſſe, vel ſimpliciter quoad eſſentiam, vel quoad attributa. Priori modo, nec finitus Deus proprie videtur concipi, nec infinitus, ſicut nec reliquarum rerum eſſentiæ. Verum eſſentia ejus conſiderata in ordine ad quædam attributa, quæ quantitatis terminos admittunt, infinita dicitur, ut in ordine ad tempus æterna, ad locum immenſa, ad virtutem omnipotens : attributa vero Dei reliqua, ex. gr. intellectus, voluntas, potentia, in ſe nec finita nec infinita videntur, ſed tantum in ordine ad objecta, ad quæ referuntur, infinita dicuntur, cum ab iis nullo modo limitari aut circumſcribi poſſint. Attamen cum ipſæ rerum eſſentiæ finitæ aut infinitæ etiam dici poſſint, cumque potentiæ quævis vel attributa relativa, quæ in ordine ad objecta finita vel infinita dicuntur, talia etiam in ſe dici poſſint, nulla obſtare videtur ratio, cur non etiam infinitas eſſentiæ & attributis Dei in ſeſe conveniat. INFINITAS *Dei.*

III. Et Deum quidem, invito quamvis vocabulo, poſitivè ac propriè & in ſeſe infinitum intelligimus: non negative tantum, aut privativè, vel comparativè & ſecundum quid, ſive ſolo reſpectu ad nos; quod Vorſtius voluit. Æque enim reſpectu noſtri infinitus foret ex. gr. numerus arenæ ac ſtellarum.

IV. Cum hac infinitate Dei ferè coincidit ejus *perfectio*, quæ ſumma eſt, ac Deo abſolutè convenit; cum nihil perfectionis abſolutæ, ſive realitatis, ipſi deſit. Unde & idea Dei ipſum nobis tanquam ens perfectiſſimum repræſentat. *Si juſtificatus es, quid dabis ei aut quid de manu tuâ accipiet?* Job. 35:7. *Mirabilia Dei perfecti ſcientiis.* Ibid. 37:15. PERFECTIO *ejus.*

Digitized by Google

Eſtote perfecti, ut pater veſter, qui eſt in cœlis, perfectus eſt. Matth. 5: ult. *Profunditas divitiarum* &c. *nam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia.* Rom. 11:35,36.

V. Cum vero perfectiones aliquæ ſint ſimpliciter tales, aliæ vero infirmitatem aliquam & imperfectionem in creaturis præſupponant; priores quidem formaliter in Deo eſſe intelliguntur, reliquæ vero eminenter, hoc eſt, tanquam in cauſa prima, quæ ſuperiore aliquo modo eas in ſeſe complectatur, & unde omnes eæ perfectiones ad creaturas deſcendant. *Omnis donatio bona, & omne integrum donum eſt ſuperne, à Patre luminum.* Jac. 1:17.

VI. Quod autem gentes, quæ Deum etiam agnoſcebant ſubſtantiam ſummè perfectam, nihilominus ligna & lapides, res imperfectiſſimas, pro diis habuerunt, id ex ſuperſtitione factum, quod rebus iſtis viſibilibus numen aliquod præſens eſſe, atque inhabitare crediderint, quod illinc favorem & gratiam in cultores ſuos diffunderet. Error itaque & fœda ſuperſtitio, non clara & diſtincta perceptio, id eos facere juſſit, evenitque iis circa cultum ejus quod naturâ non eſt Deus, quod multis aliis evenit, ſed minori noxa, cum nomen accidentis applicant conceptui ſubſtantiæ, & conceptum ſpiritus qualitati corporis, gravitati ſcilicet; aut conceptum nihili, corpori, v. gr. ſpatiis imaginariis, aut potius conceptum corporis nihilo.

CAPUT XIX.

De Attributis Dei in genere.

ATTRIBUTA *Dei.*

I. Perfectio hæc eſſentiæ divinæ potiſſimum conſpicitur in ejus attributis & proprietatibus; quarum complexus perfectiſſimam Dei eſſentiam nobis repræſentat.

II. Cum enim ſubſtantia, quæ eſt res per ſe exiſtens, mentem noſtram per ſeſe non afficiat, opus eſt ut nobis manifeſtetur per attributum aliquod; quæ quo plura nobis innoteſcunt, eo perfectius, ſubſtantiam cognoſcimus. Unde Deus eſt ens maximè cognoſcibile, cum plura de eo cognoſcantur attributa quam de ullâ aliâ re: etiamſi illa notitia Dei non ideo ſit adæquata aut comprehenſiva; quæ nè de minimâ quidem re datur.

III. At-

Digitized by Google

III. Attributa dicimus proprietates & perfectiones illas, quas mens noſtra in perfectiſſima Dei idea comprehendi videt; dumque eam unico conſpectu exhaurire non poteſt, per varios & inadæquatos conceptus ipſi attribuit. Ideoque nullam illi inferunt compoſitionem aut variationem; non enim modos, accidentia, aut qualitates, ſed attributa vocamus. Sicut extenſio eſt attributum corporis, cogitatio attributum mentis; quæ affectiones in iſtarum rerum ideis proximè continentur, nec ab illis ullo modo differunt: ita in idea entis ſummè perfecti continetur juſtitia, veritas, clementia &c. quæ ideo de Deo etiam prædicantur, ipſique attribuuntur, non virtualiter tantum & eminenter, ſed etiam formaliter & in propriâ ſuâ naturâ. *Quid ſint.*

IV. Noſtro autem concipiendi modo inſunt ea Deo, quaſi in eſſe ſecundo, dum eſſentiam Dei primo veluti conceptu apprehendimus, non tanquam attributum ſed tanquam cæterorum attributorum radicem & fontem, quæ inde veluti oriuntur. Inde tamen non magis divelluntur attributa Dei ab ejus eſſentiâ, quam ex. gr. extenſio a ſubſtantiâ corporeâ. Ut pulchre Maimonides Moreh lib. 1. c. 57. dicat: *Deum eſſe, ſcil. exiſtentem, ſed non per exiſtentiam: & vivere, ſed non per vitam: & potentem eſſe, ſed non per potentiam: & ſcire, ſed non per ſcientiam; ſed omnia in unum redire ſignificatum, in quo nulla eſt multiplicitas.* *Quomodo Deo inſint.*

V. Attributis Dei analogum quid habent Judæi Cabbaliſtæ, ponentes אצילות emanationes quaſdam divinas, quo in ordine decem ספירות numerationes recenſent, quaſi luces & proprietates eſſentiæ divinæ, quas tamen neque Deum, neque creaturas, ſed eſſentiæ Dei emanationes eſſe volunt, *ad inſtar radiorum è corpore ſolis prodeuntium.* *Secundum Judæos.*

VI. Judæos imitantur hac in parte quidam Sophiſtæ. Scotus enim diſtinctionem ponit formalem, *qua attributa in Deo ex* natura rei *diſtingui dicit*; neque tamen realiter, ſed per diſtinctas rationes formales & objectivas à parte rei diverſas: quam diſtinctionem ut explicent multum laborant Scotiſtæ. Verum ſi non ſit realis, ut vult Scotus, tum nec formalis erit, ſcilicet à parte rei; hæc enim non niſi realis eſſe poteſt, ubi nempe non per differentes in nobis conceptus fit, ſed per actualiter differentes in re ipſa objectivas formalitates. *Scotiſtas,*

VII. Sociniani (quibus nimium in Apologiâ accedunt Remonſtrantes) volunt attributa Deo ineſſe *ut accidentia & qualitates, &* ſic differre; quin & ea medium quid ſive tertium volunt eſſe inter Deum & creaturas, ſive ſint Dei facultates quibus agit, ſive actiones, ſive quali- *& Socinianos.*

litates ejus, ut loquuntur; quo in numero ponunt ipſum Spiritum S. quem non eſſe Deum ipſum, ſed aliquid ab eo diverſum, ſeu tertium inter Deum & creaturam, & veluti attributum ejus, ſtatuunt.

Non differunt ab eſſentia Dei realiter; VIII. Cum autem omnis rerum diſtinctio triplex ſit, maxima, media, & minima, *realis* nimirum, *modalis* & *rationis*, attributa Dei *realiter* à Deo non differunt, neque ab eſſentia ejus quid diverſum ſunt. Cum enim eſſentia Dei omnem perfectionem poſſibilem includat, non poſſum per ullam mentis operationem aliquod Dei attributum ab eo diſtinguere, quin ſtatim idea Dei mihi pereat: neque enim poſſum verum de Deo conceptum formare, in quo Deus intelligatur ex. gr. ſine juſtitia, clementiâ & miſericordiâ eſſe; ſicut verum hominis conceptum formare poſſum, qui tamen non ſit juſtus, clemens &c.

IX. Similiter cum nec ex. gr. juſtitiam Dei cogitare poſſim, quæ ſine clementia & miſericordiâ in Deo ſit, quod tamen in creatura mihi proclive eſt; patet attributa Dei neque etiam inter ſe realiter diſtingui.

nec modaliter; X. Neque etiam *modaliter* ab eſſentia Dei differunt; ſic enim in eâ daretur variatio, imperfectio, alteratio & varia modificatio: quæ ideæ Dei repugnant.

ſed ſolâ ratione. XI. Sola ergo *ratione* differunt, quatenus nimirum per mentis abſtractionem attributum aliquod Dei poſſum conſiderare non conſiderata eſſentia divina, vel unum etiam attributum non conſiderato altero, ex. gr. juſtitiam Dei non conſiderata ejus miſericordia & vice verſa. Non quod conſiderem eſſentiam Dei exiſtere poſſe ſine illis, aut unum eorum poſſe eſſe ſine altero, ſic enim protinus ideam Dei corrumperem, atque ea mihi periret; ſed per præciſionem mentis ſimplicem & abſtractivam ea tantum ſeparo, atque unum conſidero non conſiderato alio.

Illius diſtinctionis fundamentum. XII. Fundamentum hujus diſtinctionis eſt partim in nobis, partim extra nos: in nobis, imperfectio intellectus creati non valentis adæquatè Deum ejuſque perfectionem concipere: extra nos, tum eſſentiæ divinæ immenſitas, quæ illa, quæ in creaturis diſperſa & diviſa conſpicimus, infinita ſua perfectione complectitur; tum objectorum, effectuum atque operationum divinarum diverſitas.

XIII. Hinc ea diverſis conceptibus formalibus concipimus, quibus à parte rei reſpondent diverſi conceptus objectivi; qui licet actu in Deo ſint indiviſi, eminenter tamen & virtualiter diſtincti ſunt. Unde

Digitized by Google

de etiam attributa Dei definitione differunt, quatenus nimirum habent diverſas formalitates, dum intellectus ad aliam rationem formalem attendit in conceptu unius attributi, quam alterius.

XIV. Non ergo error eſt in intellectu, dum illud quod ſimplex eſt tanquam multa diſtincta attributa concipit, ſed imperfectio tantum, quæ diverſis inadæquatis conceptibus illud apprehendit, quod nec uno adæquato conceptu exhaurire, nec uno obtuitu adſequi poteſt.

XV. Cæteroquin cum attributa Dei ſint ſimpliciſſimus actus, hinc ea nullam imparitatem, multo minus contrarietatem admittunt: quanquam ſi objecta ſpectes, alia eſt ratio juſtitiæ, alia miſericordiæ Dei, & rurſus hujus diſpar ratio ante vel poſt adventum Chriſti. Quæ contra Socinianos obſervanda.

XVI. Diſtribuuntur attributa Dei variè; in propria & metaphorica, poſitiva & negativa, abſoluta & relativa; & vulgata imprimis diſtinctione, in incommunicabilia & communicabilia: qualia tamen valde impropriè quædam in Deo ponuntur; cum attributa Dei ſint ejus idiomata & proprietates, quæ communicari nullo modo poſſunt; neque enim ſcientia Dei ex.gr. cum ſcientiâ humanâ magis convenit, quam forte canis, ſignum cœleſte, cum cane, qui eſt animal latrans. Nihilominus cum formalis aliquis conceptus formari poſſit in quo attributa Dei communicabilia conveniunt cum analogis creaturarum proprietatibus, incommunicabilia non item; inde in eo accuratiſſima ratio communicabilitatis aut incommunicabilitatis attributorum Dei conſtituitur. Cæteroquin ſi de aliquo eorum in creaturis utcunque veſtigio & ſimilitudine communicabilitatem hanc accipias, jam communicabilia erunt omnia, cum omnium quædam in creaturis ſimilitudo reperiatur. *Diſtributio eorum.*

XVII. *Cum vero attributa Dei interna propriè duo tantum ſint, intellectus & voluntas*; reliqua verò ſint tantum denominationes externæ, relationes, aut negationes, quæ ad eſſentiam Dei internam propriè non ſpectant, ſed ei tantum tribuuntur in ordine ad hominem, aut alias res externas: commodus ea tractandi ordo erit, ſi primo agamus de internis, veris & abſolutis Dei attributis; deinceps autem de externis & relativis. Atque ita attributa Dei alia ſunt, quæ *actuoſam ejus eſſentiam* explicant, alia vero quæ nihil actionis, ſed ejus *modum exiſtendi* & relationem ad res alias exponunt. Prioris generis ſunt *Vita*, *Intelligentia*, *Voluntas*, *Omnipotentia* Dei &c. Poſterioris generis ſunt *Æternitas*, *Omnipræſentia*, *Immutabilitas* & *Simplicitas* ejus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XX.

De VITA DEI.

Dei VITA.

I. CUm eſſentia Dei ſpiritualis ſummè actuoſa, atque purus actus ſit, primum quod in Deo occurrit attributum internum ejus, *vita* eſt; unde ejus cognonem antiquiſſimum & in populo Dei frequentatum *Deus vivens*. Vide Gen. 16: 14. Deut. 32: 40. Eſai. 37: 17. Dan. 4: 34. Joſ. 3: 10. Pſal. 84: 3. Jer. 2: 13. & 5: 2. Matth. 16: 16. qua ratione ab idolis diſtinguitur. Jer. 10: 10. ubi cum de idolis actum eſſet, mox ſubjungitur: *Jehova verò Deus verus eſt, Deus vivens, & rex ſempiternus.* Act. 14: 14, 15. *Ut à vanis iſtis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum, qui fecit cœlum & terram* &c.

Quid ea ſit?

II. Cum vitæ nomen maximè ambiguum ſit, Dei vita rectiſſimè deſcribitur, *quod ſit eſſentia Dei, quatenus actuoſa eſt: reipſa tamen ea nihil aliud eſt, quam ejus intelligere, velle, diligere, gaudere* &c. ſicut ſubſtantiæ ſpiritualis vita tota in cogitatione conſiſtit, quod nimirum ſint ſubſtantiæ ex ſeſe actuoſæ, omnis generis cogitationes in ſeſe excitantes.

Diſcrimen ejus à noſtra vita.

III. Differt hæc vita Dei à noſtrâ multis modis: nam 1. Vitam creaturarum ferè inſtar actus ſecundi concipimus, cum vita Dei ſit de ipſius eſſentiâ. 2. Nos vitam aliunde haurimus; Deus à nullo. 3. Vita noſtra fluxa & evanida eſt, Dei æterna & permanens. 4. Vita noſtra ſucceſſiva eſt, nunquam enim ſpiritus finitus ſimul omnes cogitationes ſuas, quarum capax eſt, habere, atque adeo totam vitam ſuam ſimul poſſidere poteſt: cum vero Deus ſit immutabilis cogitandi actus, ſimul omnia poſſidens ſine ullo defectu, hinc habet interminabilem vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem, quæ abſoluta & vera immortalitas eſt.

Conſiſtit ea in intellectu & voluntate.

IV. Cum autem cogitationes omnes duum generum ſint, atque adeo vita intellectualis partim in intellectu, partim in voluntate conſiſtat: vita quoque Dei concipitur ut gemina illa facultate prædita. Sicut ideo Scriptura nominat νȣ̃ν κυρίȣ, *mentem* ſeu intellectum *Domini*, Rom. 11: 34. & deinde voluntatem, τὸ θέλημα τȣ̃ θεȣ̃. 1. Pet. 3: 17.

V. Sicut autem intellectum vocamus, quando mens noſtra alicujus rei ideam in ſeſe habet; voluntatem, cum præter illam ideam in rem iſtam ulterius fertur, ſive ut veram, ſive ut bonam: ſimiliter Deus

per

Digitized by Google

per intellectum ſuum apprehendit omnia, & per voluntatem in res apprehenſas veluti tendit.

VI. Cum vero idea omnis quæ in Deo eſt, à ſola ipſius voluntate ſit, non videtur intellectus Dei prior concipiendus eſſe, ſed potius ejus voluntas. Voluntate enim ſua Deus vult ſe ipſum & in ſe alias res: cujus volitionis ſuæ quatenus Deus concipitur conſcius, adeoque ſic habet ideam ſui ipſius & in ſe rerum omnium, eatenus intellectus ejus concipitur. Saltem de voluntate & intellectu Dei prout verſantur circa creaturas, manifeſtum eſt præcedere voluntatem ejus. Ne tamen conſuetum ordinem ſollicitemus, nos intellectum Dei præmittemus: ita tamen, ut ubi opus erit, voluntatem ejus præſupponamus. *Illorum ordo.*

CAPUT XXI.

De Intellectu & Scientia Dei.

I. EST ergo Deus ens ſummè intelligens: unde ſcientia ſeu omniſcientia ei convenit, atque אל דעות *Deus ſcientiarum* appellatur. 1. Sam. 2:3. & *intelligentiæ ejus* dicitur *non eſſe numerus*. Pſal. 147:5. Vide & Pſal. 94:9. *An plantans aurem non audiet? an formans oculum non aſpiciet?* & 139:2. *Tu cognoſcis ſedere meum & ſurgere meum; & intelligis cogitationem meam è longinquo.* Hebr. 4:13. *Non eſt ulla res creata, quæ non manifeſta ſit in conſpectu ejus; imò omnia ſunt nuda & patentia oculis ejus.* 1. Joh. 3:20. *Major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.* SCIENTIA *Dei.*

II. Scientiæ hujus conſideranda 1. modus. 2. objecta. 3. ordo circa illa.

III. *Modum* ejus quod ſpectat, non eſt ea in Deo per modum habitus, ſed tanquam actus ſimpliciſſimus. Unde unico, ſimpliciſſimo, ſemperque eodem & præſentiſſimo actu omnia intelligit, & veluti unico aſpectu & intuitu omnia luſtrat & emetitur, inque eo obtutu ſemper veluti hæret. Eſt enim unica & ſimpliciſſima in Deo idea, quæ eſt idea ſui ipſius, adeoque ipſa Dei eſſentia, in qua Deus omnia videt & contemplatur. Et hoc modo intelligendum eſt quod vulgo dicitur, Deum omnia intelligere per eſſentiam. Cum contra mens noſtra modo hanc rem, modo aliam, & rurſus eandem rem modo clarè, modò obſcurè intelligat, & rerum attributa modo componat, modo di- *Illius modus.*

dividat, & continuo proficiat, ac raro multa, nunquam omnia apprehendat: quæ cuncta à Deo removenda ſunt.

IV. Cum ergo mentis noſtræ operationes vulgo tres recenſeantur, apprehenſio ſimplex, affirmatio vel negatio, & diſcurſus: hic quidem in Deo non eſt, cum omnis diſcurſus ignorantiam adjunctam habeat, & à cognito ad incognitum procedat; affirmatio autem & negatio in ipſo à ſimplici intuitu non differt: ita ut ſcientia Dei tantum ſit noëtica, & nihil aliud in Deo dicat quam ſimpliciſſimam ejus eſſentiam cum objecti intelligibilis connotatione.

Objectum. V. *Objectum* ſcientiæ divinæ eſt omne ſcibile, aut quicquid intelligibile eſt, ſive id ſit Deus ipſe, ſive alia omnia extra Deum. Quanquam propriè loquendo, res ipſæ extra Deum ſcientiæ ejus objectum non ſint, nec eam terminare poſſint, ſicut in ſcientiâ noſtrâ fieri ſolet: cum Deus omnia, etiam quæ extra ſe ſunt, videat in unicâ & perfectiſſimâ ideâ ſuâ, à qua res omnes extra Deum & naturam & eſſentiam & determinationem ſuam habent; ut proprie objectum ſcientiæ Dei non ſint creaturæ extra Deum, ſed Deus ipſe & eſſentia ejus, à qua omnia alia pendent.

Cognoſcit Deus ſe ipſum. VI. Cognoſcit ergo & intuetur Deus *ſe ipſum*, tum ſecundum naturam ſuam, tum ſecundum omnes perfectiones & proprietates ſuas. *Deum nemo vidit unquam: Filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, illum nobis expoſuit.* Joh. 1: 18. *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quiſquam novit niſi Filius* &c. Matth. 11:27. *Ita etiam ea quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei.* 1. Cor. 2: 10. 11. Atque ita cognoſcit decreta ſua; itemque actiones omnes externas, quas decreto ſuo convenienter operatur. *Nota ſunt Deo ab omni ævo omnia opera ſua.* Act. 15:18. Simulque etiam res omnes, quæ per actiones illas fiunt, illarumque tum naturam, tum operationes.

Res omnes extra ſe. VII. *Res omnes* novit, etiam minimas. vide Pſal. 56:9. *Vagationes meas in numerato habes* &c. Pſal. 147:5. *Intelligentiæ ejus non eſt numerus.* Matth. 10:29. *nonne duo paſſerculi?* &c. Hebr. 4:13. *Nec eſt ulla res, quæ non manifeſta ſit ipſi; omnia nuda ſunt* &c. Matth. 6:26. *Intuemini in volucres cœli, nonne Pater veſter alit eas?* &c. Ibid. 30. *Herbam agri, quæ hodie extat, & cras in clibanum immittitur, Deus circumveſtit.* utpote quæ ſingulis momentis à Deo conſervari opus habeant. Speciatim hominum conſilia, dicta, facta, eorumque cogitationes atque actiones intimè cognitas habet. *Homo ſpectat ad oculos, ſed Jehova ſpectat ad cor.* 1. Sam. 16:7.

16:7. *Tu enim noſti ſolus animum omnium filiorum hominis.* 1. Reg. 8:39. *Infernus & perditio coram Jehova; quanto magis corda hominum.* Prov. 15:11. *An plantator auris non audiat?* Pſal. 94:9.

VIII. Atque hoc modo etiam *entia rationis* novit: non quaſi ipſe iſtis modis cogitandi indigeat, ſed quatenus mentem humanam, ejuſque actiones & motus omnes novit. *Entia rationis.*

IX. Similiter & *peccata*, cum per ſe revera nihil ſint, ſed tantum mentis humanæ defectus atque aberrationes, extra eam non intelliguntur. Atque inde peccatorum etiam notitia Deo adſcribitur. *Proſpectat ſuper filios hominum, ad videndum, an ſint intelligentes. Unuſquiſque receſſit* &c. Pſal. 14:2, 3. *Nec iniquitas eorum abſcondita eſt à facie mea* (inquit Jehova) Jer. 16:17. *Quum videret Jehova, augeſcere malitiam hominis in terra.* Gen. 6:5. *Non completa eſt iniquitas Emoræorum adhuc.* Ibid. 15:16. *Vidi populum, & ecce populus durus cervice eſt* &c. Exod. 32:7, 8, 9. Cum enim Deus habeat ideam ſui ipſius perfectiſſimam, ex oppoſito etiam ideam nihili habet, quâ omnes perfectiones negantur. *Peccata.*

X. Quin etiam *poſſibilia*, quæ neque ſunt, neque fuerunt, cognoſcit. Ut de Tyriis, Sidoniis & Sodomitis: *Si ipſis editæ fuiſſent virtutes, quæ in Chorazin* &c. *cum ſacco & cinere reſipuiſſent.* Matth. 11:22, 23. Novit enim ſuam potentiam: ſicut etiam ex poſſibilium oppoſitione & termino impoſſibilia novit. *Non injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri* &c. Hebr. 6:10. *Deus ſeipſum negare non poteſt.* 2. Tim. 2:13. *Poſſibilia non futura.*

XI. Neque tamen inde res illæ poſſibiles à Deo cognoſcuntur tanquam infinitæ numero: ipſæ enim, cum ex hypotheſi æternâ ſerie ſibi invicem ſucceſſuræ forent, ita ut nunquam earum poſtrema exiſteret, actu infinitæ nunquam eſſe, atque adeo nec ſic cognoſci poſſunt. Quod ad eſſe autem earum cognitum, ex noſtra ſuppoſitione, in mente Dei, tot ex iis cognoſcit, ſive ſpecies, ſive partes, quot vult, cum ex voluntate ejus pendeant; ſemper vero finitas: quamvis & his aliæ, ſed & eæ ſimiliter finitæ, perpetuo ſuccedere poſſent, quas itidem Deus cognoſcit; manente potentia Dei ſemper inexhauſtâ, & in infinitum imitabili, quam Deus pleniſſimè cognoſcit ſcientiâ actu infinitâ, quamvis ipſa poſſibilia potentiâ tantum infinita exiſtant. Quæ tamen omnia ex noſtro conſiderandi modo tantum dicuntur. Cum enim Deus non aliter velle aut operari poſſit quam ab æterno voluit, inde reipſa nullæ res poſſibiles dantur, niſi noſtro conſiderandi modo, quatenus poſſibile dicimus id, quod conſideramus, non habito reſpectu ad decretum ſeu voluntatem Dei.

Digitized by Google

Futura contingentia. XII. Ita etiam futura *contingentia* cognitioni Dei non ſunt ſubtrahenda, cum per eorum prædictionem infallibilem contra quævis dæmonum prætenſa oracula & divinationes triumphet. *Proponant & indicent nobis ea quæ obventura ſunt; & ſciemus noviſſimum eorum. Annunciate futura, & ſciemus deos vos eſſe.* Eſai. 41:22, 23. atque evincunt eam omnes prophetiæ, quibus plena eſt S.Scriptura. Ut *quod quadringentos annos peregrinum eſſet futurum ſemen Abrahami in terra ſibi non propria* &c. Gen. 15:13. *De fornicatione populi Dei, ſecuturi deos alienigenarum.* Deut. 31:16. quod *Filius hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo.* Matth. 26:24. de *Judâ Iſcariotâ, quod proditurus eſſet Chriſtum.* Joh. 6:71. *Qui edit mecum panem, ſuſtulit adverſus me calcem ſuum.* Ibid. 13:18. quod *non eſſent frangenda* Chriſti *oſſa.* Ibid. 19:36. Et de omnibus rebus dicitur: *Nota* enim *Deo ſunt ab omni ævo omnia opera ſua* &c. Ut furor ſit in Socino illam in dubium revocare; quem inſecutus fuit Vorſtius: quo audaciæ ne gentiles quidem proruperunt.

XIII. Remonſtrantes etſi eo venire nondum auſi ſint, ne tamen futurorum ſcientiam Deo relinquendo libertati humanæ præjudicarent (nam hæc origo impii illius dogmatis) & Deum peccati auctorem facerent, fundamentum illius ſcientiæ quæſiverunt in *ſcientiâ mediâ*, ex quâ Deus omnia præſcit ante decretum ſuum: fatum ea via evadere conantes qua illud fortius adſtringunt, & juxta quam omnia Socini argumenta plenum robur contra ipſos obtinent.

XIV. Quæcunque autem hujus erroris facies arripiatur, abſurda eſt. Socinianorum error, qui planè idem fuit cum illo Ariſtotelis & Ciceronis, quo res futuras contingentes in ſe non ſcibiles, adeoque non niſi conjectura ſciri ponunt, ipſa eſt impietas. Ipſas autem ſciri à Deo, quia eas videt ut certo futuras, & ad unum determinatas ex ſe ipſis & ſua natura, ante omne decretum Dei, ut Jeſuitæ & Remonſtrantes volunt, merum eſt figmentum, quo idea rerum Deo extrinſecus advenire, adeoque ab ipſo independens ponitur, ut Dei decretum & permiſſio ſupervacua, imo ridicula ſit. Supereſt ergo ut rerum contingentium futuritio veritatem & ſcientiam ſuam accipiat à Dei decreto & voluntate.

XV. Fruſtra verò prætexunt, ſcientiæ Dei hoc pacto nihil detrahi, cum futura contingentia non ſint ſcibilia, neque habeant in ſeſe determinatam veritatem: contrarium enim verum eſt, & voluntas Dei futuritionem iſtorum determinavit, atque adeo de iis, ut adhuc futuris,

Digitized by Google

ris, dantur propoſitiones determinatè veræ; nam quod actu poſtea fieri videmus, id antequam fieret verè futurum erat, & determinatam futuritionis veritatem habuit, atque adeo verè futurum prædicari poterat.

XVI. Quanquam non aſſentimur Chryſippeo argumento, ex *enunciationis*, ut loquebatur, *definitione* deſumto, juxta quam ab æterno, non conſideratâ Dei voluntate vel decreto ullo, verum erat de quacunque re dicere, *aut erit, aut non erit*. Unde fatum inferebat. Sed hoc ex merâ Logices imperitiâ eſt. Cum enim axiomatis disjuncti partes ſint oppoſitæ, utraque quidem ſimul vera eſſe & exiſtere non poteſt, ſed alterutra tantum; non tamen inde ſequitur, partes ejus ſingulatim quoque neceſſarias eſſe. Et ratio eſt, quam logici dant, quia disjunctionis neceſſitas pendet ex neceſſaria partium oppoſitione, non autem ex hujus vel illius partis neceſſaria veritate. Partium nimirum ſingularum neceſſitas non à ſe ipſâ, ſed à ſolâ Dei voluntate, quæ omnis ordinis, veritatis & bonitatis cauſa eſt, pendet.

XVII. Media ergo hic ineunda via eſt, ne aut contingentiam adſtruamus adverſus Dei præſcientiam, aut fatalem rerum invehamus neceſſitatem, quæ omnem contingentiam excludit. Deus enim certum præſtituit ordinem cauſarum, à quibus pendet actus ſpecificatio; qui tamen pro ratione cauſarum ſecundarum liberè & contingenter ſæpe exiſtit. Quod ſcholæ ita enuntiant, ut contingentiæ & libertati repugnet neceſſitas naturalis, interna, abſoluta, antecedens & conſequentis; non autem hypothetica, externa, ſecundum quid, conſequens & conſequentiæ.

XVIII. Objectum ſcientiæ divinæ excipit *ordo* illius, unde fluit ſcientiæ divinæ diviſio, non in re ipſa, ſed conceptu noſtro duntaxat. *Scientia divina ordo.*

XIX. Ita duplex Deo tribuitur ſcientia, una neceſſaria, naturalis, ſeu *ſimplicis intelligentiæ*, quæ concipitur antecedere omne decretum Dei, & ex ſola natura ejus pendere, prout intuetur potentiam ſuam abſolutam, quatenus extenditur ad omnia poſſibilia. Atque adeo reipſa non differt à ſcientia attributi potentiæ divinæ, ſed noſtro tantum concipiendi modo. *Scientia ſimplicis intelligentiæ.*

XX. Fundamentum ergo iſtius ſcientiæ, ſeu radix poſſibilitatis rerum, eſt Dei potentia inſeparabiliter juncta cum ejus ſapientia. Et ita objectum illius ſcientiæ ſunt res poſſibiles in aliquo ordine poſſibili poſitæ. Atque adeo decretum Dei non tam ordinaret res, quam ordines rerum poſſibiles per Dei potentiam & ſapientiam, è ſtatu poſſibili-

Digitized by Google

tatis traduceret in ſtatum futuritionis. Verum cum, accuratè loquendo, radix poſſibilitatis rerum non tam ſit potentia, quam voluntas Dei, à qua dependet omne poſſibile; non aliud poteſt hujus ſcientiæ poni fundamentum, quam voluntas Dei: adeoque reapſe ſcientia hæc omne Dei decretum antecedens non datur.

XXI. Quod autem à quibuſdam ponitur decretum Dei circa poſſibilia quæ nunquam ſunt futura; ſupervacuum eſt: cum hæc poſſibilia ex hypotheſi ordinaria hujus ſcientiæ commodius ponantur objecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, cum relatione ad Dei ſapientiam & potentiam. Imo potius, cum talia poſſibilia nunquam futura non dentur, niſi tantum noſtro conſiderandi modo, ut § 11. oſtenſum eſt; fruſtra decretum divinum circa ea ponitur.

Viſionis. XXII. Altera ſcientia appellatur libera, *viſionis* & intuitiva; ponitur que eſſe earum rerum, quas Deus ex decreto ſuo novit gloriam ſuam illuſtrare poſſe, adeoque decretum Dei præſupponit & ſequitur.

XXIII. Oritur hæc diviſio ex diverſo reſpectu idearum divinarum, ſeu potius ideæ divinæ, prout nempe conſideratur, vel ut antecedens decretum divinæ voluntatis, & exhibens rerum quidditatem poſſibilem, vel ut conſequens voluntatem ejus, & repræſentans eaſdem res ut actu futuras. *Animadvertit ad omnia hominum opera.* Pſal. 33:15. *Ex quo diſpoſui populum æternum, ut futura & quæ eventura ſunt indicentur illis.* Eſai. 44:7.

XXIV. Sed, ut jam dictum, accuratè rem conſiderando, non datur ſcientia rerum in Deo prior ipſius decreto & voluntate; cum à voluntate Dei ſint non ſolum res ipſæ, ſed & omnes rerum eſſentiæ, conceptus, veritates & poſſibilitas, prout à nobis illa concipitur. Non ſolum enim naturæ rerum ut exiſtant à Deo liberè ordinantur, verum etiam earum ordo poſſibilis libere à Deo conſtituitur. Licet ergo ſcientia poſſibilium concipi poſſet præcedere ſcientiam rerum futurarum, nulla tamen poteſt concipi præcedere omnem voluntatem Dei, cum intercedere ſaltem debeat illa voluntas Dei, quâ rerum poſſibilium conceptus & ordinem voluiſſe concipitur. Verum cum eo ipſo quod Deus ex voluntate ſua res concipit, non ſolum poſſibiles ſint, verum etiam futuræ, imo cum nihil aliud poſſibile ſit, niſi quod futurum eſt; clarum eſt, omnem rerum poſſibilitatem æquè ac futuritionem à voluntate Dei dependere, adeoque omnem ſcientiam Dei viſionis eſſe.

Media. XXV. Præter hæc autem tertium ſcientiæ genus excogitaverunt

Digitized by Google

Jeſuitæ, quam *mediam* appellaverunt: per quam Deus ante decretum voluntatis ſuæ ex hypotheſi noviſſe fingitur eventus contingenter futuros, ſi creatura rationalis cum his vel illis conditionibus & circumſtantiis ponatur, quamvis etiam illæ conditiones nunquam futuræ ſint. Quod ipſorum figmentum avidè ſuſceptum eſt à Socinianis, Arminianorum pleriſque, & aliis.

XXVI. Verum hæc non ſcientia, ſed opinio & conjectura eſt; cujus certitudo nulla eſt, cum præſupponat objectum quod non eſt certum, nec per determinationem divinam, nec per humanam, adeoque nec ſcibile, futura nimirum conditionata, de quibus Deus nihil, ex hypotheſi, decreviſſe ponitur. Cum vero jam probatum dederimus, nihil eſſe, ſive futurum, ſive poſſibile, niſi dependenter à decreto & voluntate Dei; imo omnia ita ab ea pendere, ut aliter fieri non poſſint, neque ab æterno potuerint, adeoque nihil eſſe in ſtatu poſſibilitatis, niſi quod futurum eſt, clarum hinc eſt, citra voluntatem Dei nihil quocunque modo futurum eſſe aut fuiſſe: ut vel hinc ſcientia hæc media longè adhuc fortius refutetur.

XXVII. Grave etiam eſt, quod hominem ita vel faciant, vel præſupponant, in actionibus ſuis independentem à Deo; præſertim in converſione, aliiſque gratiæ operibus, cum citra decretum Dei aliquid facturum ponatur.

XXVIII. Atque amplius, cum nullam doceant cauſam, quæ res haſce contingentes determinet, oportet eos abſolutam rerum ab æterno neceſſitatem introducere, per quam res iſtæ determinatè futuræ & eventuræ ſint; quæ cum extra hominem Deumque ſit, utrumque ligat, adeoque non homo ſolum, quod in nobis injuſtè culpant, ſed & Deus ipſe æterno & inſolubili fato ſubjectus erit. Nam dicere, nos ignorare modum cauſamque unde rerum illarum futuritio dependeat, non eſt modeſtiæ, neque adeo ſatisfacit. Qui enim negant cauſam futuritionis rerum eſſe voluntatem Dei, illi aliam ejus cauſam ſtatuere coguntur, adeoque & eam ſcire debent: quam & dare ſolent, à voluntate noſtra eam deducendo; quod quam abſurdum ſit, jam dictum eſt.

XXIX. Quæ autem Scripturæ vel exempla, vel loca huc adferunt, in quibus futura aliqua ſub conditione enunciantur, ea 1. ad ſcientiam viſionis & decretum Dei pertinent, per quod non ſolum res actu futuras, verum etiam rerum omnium, ſeu futurarum, ſeu poſſibilium, ordo, nexus, dependentia & neceſſitas, ſeu abſoluta, ſeu conditionata, ab

Digitized by Google

ab æterno ponitur. 2. ſpeciatim vel eſt in iis ſignificatio ejus quod ex divino decreto & ordinatione conſequitur; quin potius non tam prædictio rei futuræ, quam indicatio præſentis; qualis eſt 1. Sam. 23:11, 12. de molimine Kehilæorum Davidem traditurorum, ſi ibi ſubſiſteret, & *Saulis, Kehilam* propoſito ſuo jam *deſcendentis*. vel 3. eſt indicatio ejus quod Deus circa certas perſonas operaturus fuiſſet, ſi cum œconomia temporum id conveniſſet: quod tamen ipſum impropriè ſumendum, & ſcopus talium conſiderandus imprimis eſt; qui non eſt, rem hanc vel illam, ſub hac vel illa conditione, determinatè futuram dicere, ſed potius odioſa comparatione hominum ingratitudinem & pertinaciam exaggerare: quo pertinet quod Chriſtus de Tyro, Sidone & Sodomitis ſe converſuris dixit, Matth. 11:22,23. & Deus de *populis ignoto ſermone utentibus*, Prophetæ, *ſi ad eos mitteretur, auſcultaturis*, Ezech. 3:6. & ſimili locutione Chriſtus: *Quod ſi hi ſileant, lapides clamabunt*. Luc. 19:40. ubi non conſiderandum, quomodo lapides loqui poſſint dici, vel Tyrii aliive ſe convertere, quam ſcopus Dei Chriſtique loquentis unice conſiderandus, eique inhærendum. Parallelus hiſce eſt locus Jer. 2:10.

SAPIENTIA *Dei.* XXX. Scientiam Dei ſequitur ejus *Sapientia:* quæ auguſtius quid ſonat, quâque novit Deus quibus rationibus in explicatione operum ac conſiliorum ſuorum gloriam ſuam maximè illuſtraturus ſit, quæque convenienter ab ipſo ad eam illuſtrandam fieri, vocari aut permitti poſſint, quâque adeo ea quæ conſtituit certum habent eventum. *Jam tum videbat eam & recenſebat eam: comparabat eam, etiamque perveſtigabat eam.* Job. 28:27. Et quamvis Deus nullo modo à fine & mediis dependeat, adeoque nullam decreti ſui habeat cauſam, ejus tamen illi ſemper conſtat ratio, licet illa nobis occultiſſima ſit. *O profundas divitias, tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à conſilio?* Rom. 11:33,34. Unde Deus non ſolum ſapiens, ſed & *ſolus ſapiens* appellatur. Rom. 16:27. 1. Tim. 1:17.

CAPUT XXII.

De VOLUNTATE DEI.

VOLUNTAS *Dei.* I. INtellectum Dei ſequitur neceſſariò, ſi non præcedat, ejus voluntas, de qua Scriptura: *Deus noſter in cælis eſt, quicquid placet facit.* Pſal. 115:10. *Conſilium meum ſtabit, & omne beneplacitum meum faciam.* Eſai. 46:10. *Per voluntatem tuam om-*

Digitized by Google

omnia ſunt & creata ſunt. Apoc.4:11. *Voluntati ejus quis obſtitit?* Rom. 9:19. Sicut enim Deus ſeſe intelligit, ita non poteſt non ſe ipſum amare: neque ea re ipſâ quid diverſum ab intellectu ejus eſt.

II. Cum enim ne in homine quidem facultates eæ re ipſâ diſtinguantur, ſed in ſe mutuò intimè immeent, quum nihil intelligamus niſi ſimul aliquid velimus, imo ſæpiſſime niſi quia aliquid voluimus, multo minus in Deo hæc diverſa ſunt: verum cum idea Dei non adveniat ipſi ab objectis, ſed contra objecta determinentur ab intellectu, aut potius à voluntate Dei; manifeſtum eſt, intellectum Dei, quo res creatas intelligit, & voluntatem & potentiam ejus, qua ipſas determinat, unum idemque eſſe. *Quæ non eſt diſtincta ab ejus intellectu.*

III. Cumque in Deo omnia ſint per modum actus, atque adeo ipſe ſit actus puriſſimus, ſemper exercitus, ſemper volens, voluntas ejus non per modum facultatis concipienda eſt, ſed eſt ipſa ejus eſſentia, ad modum vitalis operationis concepta, inſtarque actus volendi eſſentialis. Adeo ut, quamvis liberrima ſit Dei voluntas, non tamen ſuſpendere poſſit actum volendi, ita ut ceſſet velle. *Et puriſſimus eſt in Deo actus.*

IV. Voluntas ergo proprie unica eſt in Deo volitio, æterna, ſimpliciſſima & immutabilis, per quam vult ſeipſum ut ſummum & infinitum bonum, & ad ſe ipſum omnia alia. Atque hic ejus modus eſt; ut nempe ſit in Deo unicus tantum ac individuus, liber, efficax, æternus ac perpetuus volendi actus.

V. Quanquam enim ratione concipimus varios voluntatis divinæ actus, eoſque noſtro conceptu diſtinguimus, revera tamen unico & ſimpliciſſimo volendi actu Deus omnia comprehendit, ſicut unico intuitu omnia videt & intelligit. Eodem voluntatis actu vult ex. gr. mundum creare & perdere; & diſcrimen omne à parte rerum & noſtrorum ad eas conceptuum eſt. Similiter quoque multum in Deo differunt, de ipſo dicere, ipſum *aliter velle*, & *velle aliter*; quorum poſterius, non autem prius, Deo adſcribendum eſt: potuit nimirum Deus velle aliter, non vero aliter velle; h. e. alia potuit Deus velle, non alio actu. Quod tamen ipſum ſolum concipimus, non attendendo ad actum præſentem voluntatis Dei; eo enim poſito ne quidem alia velle Deus potuit. *adeoque unicus.*

VI. Libera etiam eſt voluntas Dei. *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus?* Matth.20:15. Licet enim, poſito æterno actu voluntatis Dei, neceſſaria ſit Dei ſcientia & operatio, ut ne quidem aliter velle poſſit Deus, nihilominus libera eſt, quatenus non tantum Deus *Eſt ea maximè libera.*

non ſentit ſe ab aliâ vi externa determinari, ſed etiam revera non determinatur, aut determinatus eſt, ſed à ſe ipſo ſolo; quæ eſt ſumma libertas.

& indifferens. VII. Eſt ergo libertas in voluntate Dei ſumma, cum ea à nulla alia re dependeat, atque maximè indifferens ſit. Quæ indifferentia ſicut in creaturis, quibus ordo præſcriptus eſt, maximum indicium eſt imperfectionis; ita in Deo, qui eſt ens independens, maximum perfectionis eſt argumentum.

VIII. Eſt vero ea tantum reſpectu effectuum & operum Dei: quæ tamen omnia, licet inter ſe multum diverſa & contraria, per unicum eundemque voluntatis actum producuntur; aliter ac in homine, ubi pro varietate effectuum diverſi voluntatis actus requiruntur.

IX. Non autem indifferens concipi debet voluntas Dei reſpectu Dei ipſius, adeoque earum veritatum, quæ attributum aliquod Dei involvunt. Deus enim ſe ipſum abnegare non poteſt. Sed tantum reſpectu earum rerum, quæ nullum Dei attributum involvunt, quæque adeo quamvis nunc neceſſariæ ſint, Deum non determinarunt.

X. Ita Deus totam naturam liberè inſtituit: atque ita forte fieri potuit, ut ex. gr. bis ter non facerent ſex, quamvis nos non tantum id non comprehendere, ſed ne quidem ullum conceptum formare poſſumus, quomodo ſe res aliter habere poſſit, quia nempe Deus nobis dedit lumen intellectus finitum & rebus ut jam ſunt accommodatum: at comprehenſio illius veritatis lumen & intellectionem infinitam requirit: quia illa res non in naturâ ejuſque principiis fundata eſt, ſed naturam excedit, & in ipſa incomprehenſibili & infinita Dei naturâ ſuum fundamentum habet. Apprehendimus tamen & ſcimus rem ita ſe habere: quia cum omnia ea, quæ in creaturis ſunt, nullam naturæ aut eſſentiæ cum Deo cognationem habeant, liquido hinc ſequitur, omnes creaturas, quà ad exiſtentiam, quà ad naturam & eſſentiam earum, liberè à Deo creatas & ordinatas eſſe.

& æterna. XI. Æterna etiam eſt voluntas Dei. *Dominus acquiſivit me*, Sapientiam, *ante opera ſua*. Prov. 8: 22. *Jamtum videbat eam, & recenſebat eam.* Job. 28: 27. *Sicut nos elegit in ipſo ante jactum mundi fundamentum* &c. Eph. 1: 4. æque ac ipſa Dei eſſentia æterna eſt. Ut impiè Vorſtius voluerit decretum Dei de omnibus rebus æternum non eſſe, ſed ipſum multa demum in tempore velle, quæ antea non voluit.

& efficax. XII. Eſt eadem etiam ſummè efficax. *Deus noſter in cælis eſt, quicquid placet facit.* Pſal. 115: 3. *Qui agit omnia ex conſilio voluntatis ſuæ.* Eph. 1: 11.

Digitized by Google

11. Ut male voluntatem quandam inefficacem & reſiſtibilem quidam in Deo ponant. *Ejus voluntati quis obſtitit?* Rom. 9: 19. *Ejus conſilium ſtabit, & omnem voluntatem ſuam faciet* Eſai. 46: 10.

XIII. Inde voluntas Dei eſt prima cauſa rerum. *Quia tu condidiſti omnia; & per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt.* Apoc. 4: 11. Ita ut ab ea non ſolum res ipſæ, verum etiam omnis rei modus, nexus, veritas, ordo, lex, bonitas, & quicquid omnino in rebus concipi poteſt, dependeat. Neque ulla ejus cauſa propriè dicta datur, quamvis ſæpe occulta ejus detur ratio: neque ulla objecti bonitas eam movere vel ei præſtrui poteſt. *Cujus vult miſeretur, quem autem vult, indurat.* Rom. 9: 18. Circa quod caput Pelagiani impegerunt. *Ita ut ſit prima cauſa rerum.*

XIV. Quamvis autem Deus ita abſolutè omnia velit, & liberrima ejus voluntas à nullâ conditione externa dependeat, adeoque nulla decreta conditionata in Deo fingi poſſint; nihilominus ea exitum ſeu effectum ſæpe non habet, niſi interveniente actione cauſæ ſecundæ, & in moralibus hominis arbitrio & voluntate: hinc enim certæ quædam relationes inter Deum & creaturam rationalem oriuntur, ad quas certi quidam effectus morales neceſſario conſequuntur. Ita ſanctitas creaturæ liberæ eſt fundamentum relationis illius inter Deum & creaturam liberam, ut Deus erga illam depromat omnia illa, quæ ab amore ejus erga creaturam ſanctam ſeparari non poſſunt. Ex adverſo peccatum creaturæ fundamentum eſt relationis illius inter Deum & creaturam peccatricem, qua Deus manente illo fundamento erga eam depromit omnia illa, quæ cum odio illius creaturæ conjuncta ſunt; qualia tum Deus juxta æternum ſuum decretum confert. Quibus male intellectis quidam Deo imperitè adſcripſere affectus & paſſiones, amorem & odium, velleitates quoque & deſideria, quia nimirum fundamentum iſtarum relationum aliquando mutatur. *& quidem omnia abſolutè vult.*

XV. Denique voluntas Dei *immutabilis* eſt. *Ego Jehova non mutor.* Mal. 3: 6. *Non mentietur & non pœnitebit* eum; *quia non homo* eſt. 1. Sam. 15: 29. *Conſilium Jehovæ in ſeculum conſiſtit.* Pſal. 33. 11. Idem enim ſemper, & eodem modo vult. Atque hæc ejus voluntas ſemper impletur: nam etſi aberrare creaturæ interdum videantur à regulis ipſis poſitis, tamen conſilium ſuum Deus ſemper exequitur. Neque hinc ullo modo tollitur rerum contingentia, cum voluntas Dei potius radix ſit omnis contingentiæ & libertatis in rebus creatis; quia nempe ea ad tales effectus tales cauſas ordinavit: imo ne quidem ulla in creaturis libertas concipi poſſet, niſi Deus ipſe foret ens liberrimum & abſolutè ſummum. *Eſt etiam immutabilis.*

OBJECTUM *divinæ voluntatis: quod eſt, tum Deus; tum creatura.*

XVI. Sequitur conſiderandum voluntatis divinæ objectum: quod eſt tum Deus, tum quicquid à Deo eſt. Primarium & adæquatum eſt Deus ipſe. Nihil enim vult Deus niſi propter ſeipſum. *Omnia operatus eſt Jehova propter ſe.* Prov. 16:4. *Nam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia.* Rom. 11:36.

XVII. *Secundarium* voluntatis divinæ objectum ſunt omnia quæ Deus facit, aut fecit, h. e. res omnes, ſeu omne quod verum & bonum eſt. Non vult ergo malitiam peccati, quia non eſt res.

Quomodo verſetur circa peccatum.

XVIII. Cumque in omnibus voluntatis operationibus elicitis reperiatur libertas, & quia libere ac ſponte agimus, inde in animo exoriri ſoleat delectatio ac gaudium, dolor autem & triſtitia in eo conſiſtant, quod multa contra voluntatem patimur; Deum quod attinet, ipſi nihil evenire quod ipſi ingratum ſit, ipſumque ex adverſo quicquid vult efficere, in aperto eſt. Quod ad peccata autem attinet, non poteſt quidem Deus iis delectari atque ea approbare; contra autem ſanctitate atque juſtitia ſuâ non poteſt ſeſe non oblectare, atque eas ſummopere amplecti & velle, ac creaturæ rationali proponere earumque juſſa ei præcipere: verum tamen hinc non infertur, eum deſtinare ac velle ut ſanctitatis illius placita actu præſtentur ab omnibus creaturis rationalibus; multo minus velleitas aut deſiderium aliquod illam in iis operandi tribuenda ipſi ſunt. Aliud enim eſt, delectari rebus ipſis ab homine præſtitis, idque teſtari mandatis & promiſſis; aliud velle & approbare iſtas res non ſolum tanquam res bonas, verum etiam velle ut actu præſtentur & impleantur ab hominibus: quæ longè diverſa ſunt.

Voluntatis Dei diviſio: ut ſit.

XIX. Cumque ita Dei voluntas de omnibus omnino rebus ſine exceptione ſtatuerit, in rebus volitis ordo quidam concipitur, cujus reſpectu voluntas Dei, quæ unica in ſeſe eſt, variè diſtinguitur, prout variè circa objecta operatur, vel operando, vel approbando opera ſua, vel mandando & promittendo, vel prohibendo & comminando: unde

efficiens & approbans.

alia voluntas Dei *efficiens*, alia *approbans* opera ſua, tum generatim omnia in aliis creaturis, tum ſpeciatim moralia in rationalibus creaturis, dicitur. *Deus operatur in vobis & velle & perficere.* Phil. 2:13. *An*

occulta & revelata.

ullo pacto delector morte improbi? Ezech. 18:23. alia *occulta*, alia *revelata*. *Quæ abſcondita fuerant Jehovæ Deo noſtro, & quæ revelata ſunt nobis & filiis noſtris.* Deut. 29:29. quæ tamen una eademque voluntas Dei eſt, ex parte occulta, ex parte revelata. *Statim dicitur Jacobo & Iſraëli, quid*

para-

Digitized by Google

paraverit Deus. Num. 23:23. *Secretum Jehovæ eſt timentibus ipſum*. Pſal. 25:10. *Quam occultam Dei ſapientiam (quam præfinierat Deus ante ſecula) nemo principum ſeculi hujus cognovit —— nobis autem Deus revelavit per ſpiritum ſuum*. 1. Cor. 2:8-10. alia *beneplaciti*, alia *ſigni*: quæ tamen *beneplaciti & ſigni.* commodius diceretur ſignum voluntatis approbantis, quam ipſa voluntas Dei.

XX. Cum tamen omnis voluntas *ſigni* voluntatem aliquam Dei ſibi reſpondentem habeat, ut ex. gr. quod vetat peccatum, teſtatur Deum illud odiſſe; inde quoque ea voluntas *beneplaciti* appellari poteſt: quamvis non reſpectu ejus, quod nos primo adſpectu inde concipimus, verum reſpectu ejus quod Deus revera vult: adeo ut hæc non opponenda, ſed ſibi mutuo ſupponenda ſint; quanquam voluntas beneplaciti latius plerumque pateat, & rarius ſeſe verbis declarare ſoleat, ſed potius rebus ipſis ſeſe cognoſcendam præbeat.

XXI. Commodius tamen voluntas Dei dividitur in voluntatem *εὐδοκίας* & *εὐαρεστίας*: illa eſt voluntas beneplaciti & decreti. *Etiam* *εὐδοκίας & εὐαρεστίας.* *Pater, quia ita placuit tibi*. Matth. 11:26. hæc eſt complacentiæ ſeu approbationis circa officia hominum, juxta mandata Dei præſtita. *Quæ ſit voluntas Dei bona illa accepta ac perfecta*. Rom. 12:2. *Probantes quid ſit acceptum Domino*. Eph. 5:10. Illa voluntas *ordinans & decernens*, hæc *jubens & præcipiens* ab aliis appellatur.

XXII. Neque ulla inter duas haſce voluntates eſt repugnantia, ſed ſola diverſitas in objectis; quæ non eadem ſunt in voluntate ſigni & beneplaciti: præcipuè cum mandata Dei non abſolutè, ſed comparate cum finibus ſuis ſemper ſpectanda ſint. Atque ſic voluntas Dei ab omni calumnia abſolvetur, neque ſibi unquam contraria apparebit: contra ac Lutherani cavillantur, ac ſi diverſas in Deo voluntates poneremus.

XXIII. Voluntas beneplaciti Scholaſticis dividitur in *antecedentem* *Antecedens & conſequens.* & *conſequentem*: quæ diſtinctio Damaſceno debetur; apud quem l. 2. ἐκδοσ. τῆς ὀρθοδ. πίστεως mentio fit *θελήματος προηγουμένου* & *ἑπομένου*: niſi quod ante eum Chryſoſtomus diſtinxerit inter voluntatem primam & ſecundam. Avidè eam acceperunt hodierni Novatores omnes, dum antecedentem voluntatem volunt eſſe, qua Deus omnium ſalutem deſiderat, omnibuſque media ſalutis largitur, nihil tamen ſtatuens, donec videat plures mediis iſtis abuſuros; unde tum conſequente voluntate ſtatuit plurimos damnare.

XXIV. Verum hæc multiplicem imperfectionem in Deo ponunt, ejuſ-

Digitized by Google

ejuſque vel ſcientiæ vel potentiæ magnopere derogant, dum quædam voluit quæ nec ſcivit, nec conſequi potuit; voluntatemque Dei ad actus creaturæ mutabilem, iiſque poſteriorem faciunt: cum tamen ea ſemper antecedat actus humanos, eoſque regat. *Si Dominus voluerit & vivamus, faciemus hoc, aut illud.* Jac. 4: 15. etiamſi Deus multa velit, quæ tamen conſequi non voluit niſi ex actu creaturæ antecedente.

CAPUT XXIII.

De Attributis divinæ voluntatis, quæ affectus vocantur.

Attributa voluntatis Dei.

I. VOluntas divina, cum eminenter contineat omnes proprietates humanæ voluntatis, variis inſignitur nominibus in Scripturâ, quæ vel *affectuum* vel *virtutum* titulo nobis occurrunt. Quæ tamen non ſunt attributa Dei interna, ut ipſa voluntas Dei; ſed relativa ſolum, creaturas ſpectantia.

AFFECTUS *quomodo Deo tribuantur.*

II. Affectus in Deo non deſignant paſſiones vel commotiones, nec concipiendi ſunt veluti diverſæ voluntates in Deo, quæ aliquam mutationem in eo inferunt, ut ex. gr. ira & miſericordia, ſed ſunt actus ejuſdem voluntatis, & notant tantum diverſas ejus σχέσεις & relationes, quæ diverſum quæque habent fundamentum (veluti ex. gr. iræ divinæ fundamentum eſt peccatum, & ſic in cæteris) unde tum fluunt certæ Dei relationes ad hominem, & actiones circa eum, quæ tale fundamentum & relationem ſequi ſolent, & tamen nihil mutationis in Deo inferunt. Unde etiam Deo non tribuuntur niſi in ordine ad res extra Deum non vero in ordine ad Deum ipſum.

III. Ut male Sociniani, quicquid aliquando tergiverſentur, revera affectus Deo tribuant, & voluntatis ſive commotiones, ſive actus, etiam vehementiores, quibus voluntas Dei ardentius in objectum ſuum fertur, vel ab eo refugit, & prorſus commovetur, ad ſimilitudinem nimirum affectuum humanorum.

IV. Nos Deo actum quidem tribuimus, qui eſt puriſſimus, ſed non motum: affectus vero non niſi per ἀνθρωποπάθειαν, non ad ſimilitudinem quandam *affectus* in nobis, quod adverſarii volunt, ſed *effectus*.

V. Affectus enim illi multiplicem in Deo imperfectionem dicerent:

rent:

Digitized by Google

rent : ut 1. imperfectam volitionem. 2. dependentiam ab eo à quo oriuntur, & à quo quis afficitur. 3. impotentiam : ſæpe enim inefficaces ſunt, & ſuperantur aut evaneſcunt, ubi iis non ſatis fit. 4. mutationem multiplicem, & quidem ſatis ignobilem mutationis ſpeciem, à qua *paſſiones* denominantur. Quæ omnia Deo indecora ſunt. *Apud quem non eſt tranſmutatio, aut converſionis obumbratio*. Jac. 1: 17. 5. Denique ſummæ ejus beatitudini repugnant, quæ nulla boni acceſſione augeri, nec ullo mali ſenſu contingi ac violari, multo minus omnibus affectuum modis ac veluti formis circumagi poteſt.

VI. Nec ſatisfaciunt adverſarii, dum quicquid imperfectionis in affectibus ſit, Deum iis minimè lædi, ſed ab immenſa bonorum in ipſo copia eam abſorberi; imo vel maximè ipſi adverſa, pro ſummâ ipſius ſapientiâ ac potentia, in bonum converti, affirmant. Argumenta enim hæc ſunt quibus homines, dum ipſorum animi quies affectuum æſtibus conturbatur, ſolaremur, non autem Deum. Quicquid enim ſit, dum adverſa ipſi accidunt; eumque movent, ingrata eſſe non deſinunt, nec ſine pugna ac certamine ab immenſa felicitatis magnitudine ea tandem opprimi ac obrui poſſunt; ut ſaltem aliqua diſplicentia, lucta & veluti animi æſtus ac angor in Deo aliquanto tempore eſſe debeant, quæ ipſius pacem turbent, donec nempe tempeſtas illa, inducto ſereno & placido ſtatu, iterum diſcutiatur.

VII. Cum vero in hominibus locum habeant *ſex* primitivæ paſſiones, *Admiratio*, *Amor*, *Odium*, *Cupiditas*, *Lætitia*, *Mæror*, ad quas aliæ rediguntur, quæ cum iis conjunctæ ſunt, aut ex eis oriuntur; eundem quoque ordinem in paſſionibus divinis, ita dictis, quantum licebit, ſervabimus. *Eorum ordo.*

De Admiratione Dei.

VIII. Hic affectus cum in homine oriatur, ubi quid inſolitum ipſi occurrit, quod admiratur, atque eo percellitur, in Deo locum non habet; cum vel à ſapiente ſuo eum abeſſe velint Philoſophi: in Chriſto homine tamen bis notatur; ſemel qua fidem, Matth. 8: 10. ſemel qua infidelitatem, Marc. 6: 6. admiratus legitur. **Admiratio.**

De Amore & Odio Dei.

IX. Cum vero objectum nobis obverſatur ut bonum; h. e. nobis conveniens, amorem excitat, quo conamur nos illi conjungere & unire: cum ut malum & noxium, ad odium nos ſtimulat, quo nitimur nos ſeparare ab eo. Atque ſic Deo quoque amor attribuitur reſpectu crea- **Amor Dei.**

turæ,

Digitized by Google

turæ, in quam veluti fertur tanquam in rem ſuam, ac eo modo ſibi ſimilem, cuique ipſe ſeſe veluti unire eique benefacere vult, & quidem pro diverſitate objectorum diverſis modis & gradibus: actus autem ipſe divinæ voluntatis unicus & ſimpliciſſimus eſt; qui amor dicitur, quatenus notat certam Dei ad creaturam relationem & reſpectum, ex quo ſequitur effectus beneficentiæ Dei erga ipſam.

benevolentia & amicitia. X. Cumque amor in homine ſit vel *benevolentiæ*, vel *amicitiæ*, vel *devotionis*, pro diverſa rei amatæ apud amantem exiſtimatione & pretio; in Deo amor erga nos diſtingui ſolet in amorem *benevolentiæ* & *amicitiæ*: qui aliis *antecedens* & *conſequens* dicitur.

Bonitas Dei. XI. Priori reſpectu Deo *bonitas* & benignitas attribuitur, per quam propenſus eſt ad bonum ſuum communicandum creaturis ſuis omnibus, nulla adhuc ratione virtutis aut obedientiæ habitâ. Unde & ſimpliciter *bonus* dicitur. Matth. 19:17. & *charitas*. 1. Joh. 4: 8. *Ita dilexit Deus mundum* &c. Joh. 3:16. *Quam charitatem erga nos Deus commendat*. Rom. 5:8. *Apparuit bonitas & amor J. Chriſti erga homines*. Tit. 3: 4.

XII. *Amor amicitiæ* eſt, quo Deus fertur in creaturam juſtam & ſibi placentem, qua talem. *Fieri non poteſt ut ſine fide quiſquam ei placeat* &c. Hebr. 11:6. atque ejus effectus eſt communio bonorum ipſius, quæ æterna & perpetua, pro ratione fœderis ſui, hominibus largitur.

Gratia ejus. XIII. Sub aliâ conſideratione amor & bonitas Dei appellatur *gratia*, quatenus ſe exerit citra omne creaturarum meritum, & eſt intenſum ſtudium ei benefaciendi. *Quod ſi per gratiam, non jam ex operibus*. Rom. 11:6. *Gratia eſtis ſervati* &c. *idque non ex vobis. Dei donum eſt*. Eph. 2: 8, 9.

XIV. Eſtque vel *generalis* erga omnes creaturas. *Bonus eſt Jehova omnibus, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Pſal. 145:9. vel *ſpecialis* erga electos. Noach *invenit gratiam in oculos Jehovæ*. Gen. 6:8. Maria *gratiam invenit apud Deum*. Luc. 1: 30. quæ in Deo ſtudium nos glorificandi ſignificat. Rom. 8: 29, 30.

XV. Quamvis vero ea proprie in ipſo Deo ſit. *Qua nos gratis efficit ſibi gratos* &c. Eph. 1: 6. tamen metonymicè ſæpe ipſa Dei dona hoc vocabulo veniunt. *Nam ex ipſius plenitudine accepimus omnes gratiam pro gratia*. Joh. 1:16. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum*. Rom. 1: 5. quo ſenſu Scholaſtici diſtinguunt inter gratiam *gratum facientem* & gratiam *gratis datam*: prior electis in Chriſto ſolum tribuitur; poſterior continet chariſmata quæ reprobis & electis communia ſunt.

XVI. Peſ-

Digitized by Google

XVI. Peſſime autem diſtinguunt Jeſuitæ & Remonſtrantes in gratiam *ſufficientem* & *efficacem*: cum nulla ſit ſufficiens niſi eadem ſit efficax, nam gratiæ ſufficienti nihil amplius ſuperaddi poteſt: unde nec ipſi hoc definire poſſunt quid auxilium Dei efficax priori gratiæ ſuperaddat, tandemque eo redeunt, ut omnia in humanæ voluntatis arbitrio ejuſque recto uſu ponant; ut ſuo loco videbitur.

XVII. Amori oppoſitum eſt *Odium*; qui eſt affectus diſplicentiæ & ſeparationis à perſonâ diſſimili & ingratâ: eſtque in Deo nihil aliud quam improbatio peccati, illiuſque puniendi voluntas; ſeu eſt relatio Dei ad peccatorem cum effectu punitionis propter peccatum ipſius, quia id eſt deviatio ab ordine quem Deus præſcripſit: quam conſequitur ſeparatio creaturæ à Deo, omnibuſque bonis ejus: cum enim ea ob peccatum creatori difformis & diſſimilis facta ſit, ille cum eâ communionem habere amplius non poteſt. ODIUM *Dei.*

XVIII. Cumque objectum odii duplex ſit, vel peccator, vel ejus iniquitas & peccatum ipſum, Deus non ſolum peccatum, ſed & peccatorem odit, eumque proprie punit ex irâ, ut ipſi male ſit, ita ut peccatoris malum ipſum reſpiciat, veluti ſolutionem debiti. Longe aliter ac in hominibus fit: illi enim jus pœnarum proprie dictum non habent, nec ideo jus habent proximum propriè odio proſequendi. Odiſſe peccatum ipſis quidem fas eſt, eſtque id nihil aliud quam judicare actum quendam moralem vitioſum eſſe & à Deo puniendum; peccatorem autem odiſſe ipſis nefas. Inde juſtitia humana non intendit malum proximi, quo tamen odium ſuâ naturâ tendit, neque judex terrenus eſt vindex mali moralis, hoc enim ſolius Dei eſt, ſed tantum correctionem, aut exemplum, aut aliud quid quod pertinet ad bonum civitatis, ſpectat, ad quod per accidens malum peccatoris ſequitur, cui dum pœnam infligit, ſimul tamen ei condonare eum queamare ac bonum ejus quærere debet.

De ira Dei.

XIX. Species odii vel averſionis eſt *ira*, quæ eſt cupiditas repellendi res noxias, & propriè tendit in perſonas ipſas quæ nobis nocuerunt, vel nocere conatæ ſunt. IRA *Dei.*

XX. Atque ea Deo quoque paſſim attribuitur. *Oſculamini filium, ne forte iraſcatur*. Pſal. 2:12. *Ne in excandeſcentia tua corripias me*. Ibid. 6:1. *Ne accenſus ira Jehova Deus tuus in te, perdat te è ſuperficie terræ*. Deut. 6:15. non quidem cum iſto motu animi, qualis in hominibus apparet; ſed qua-

quatenus voluntatem peccatum vindicandi & peccatorem affligendi dicit:qui *Zelus* in Scripturâ appellatur,quatenus nimirum Deus veluti cum flagrantiâ aſſerit rem ſibi longe chariſſimam à peccatore læſam, nomen & gloriam ſuam. Unde Deus in gravibus peccatis præcipuè exardeſcere dicitur: & quidem idololatriæ potiſſimum reſpectu zelus illi tribui ſolet: quod Majemonides non rectè de irâ Dei ſimpliciter dictâ obſervavit; cum illa etiam reſpectu aliorum peccatorum Deo attribuatur; ut propter ipſum *tentantes* Iſraëlitas, Pſal. 78: 18, 19. propter rebellionem Corachi, Dathanis & Abirami, ſuper quos *iræ fervor egreſſus eſt à facie Jehovæ.* Num. 16:46. circa viduarum & orphanorum oppreſſionem; propter quam *iraſcitur naſus* Dei. Exod. 22:24. in incredulos: *Qui* enim *non credit Filio, ira Dei manet ſuper ipſum.* Joh. 3:36. imo *manifeſtatur de cœlo ira Dei adverſus omnem impietatem, & injuſtitiam.* Rom. 1:18.

XXI. Iræ ergo divinæ objectum propriè eſt homo nocens, & proxima ejus cauſa peccatum. Mala autem illa quæ piis, aut etiam creaturis innocentibus, eveniunt, iræ nomine non veniunt, nec ex ea a Deo immittuntur. Longe enim abeſt *à Deo ut mori faciat juſtum cum injuſto.* Gen. 18: 25. niſi per vocabuli catachreſin aliquando iræ Dei hic mentio fiat: nempe ſicut & patri ira erga filios ſuos adſcribitur; non enim ſemper ira ex odio, ſed & ſæpe ex amore naſcitur.

XXII. Propriè autem ea in impios fertur, qui & filii iræ appellantur: unde eos non ſolum mala temporalia, ſed præcipuè æterna manent. Quamvis enim Deus multis modis juſtitiam ſuam in hac vitâ oſtendat, in illis omnibus tamen *nondum cognoſcitur vis iræ Dei.* Pſal. 90: 11. quæ revelabitur potiſſimum ultimo die. *Ipſe tibi theſaurum recondis iræ in diem iræ & revelationis juſti judicii Dei.* Rom. 2: 5.

DE DESIDERIO & AVERSIONE DEI.

DESIDERIUM & AVERSIO *Dei.* XXIII. Bonum, quatenus conſideratur ut acquirendum in futurum, cupiditatem excitat, quæ *deſiderium* appellatur; cui, reſpectu mali futuri vel imminentis, opponitur fuga vel *averſio* ejus.

XXIV. In Deo ſicut datur pleniſſima fruitio boni & complacentia in eo, ſic ejus quaſi abſentis cupiditas & deſiderium, multo minus averſio, & horror ille à malo, quaſi jam jam imminente, in ipſo non datur; quippe quæ cum entis beatiſſimi naturâ non conveniunt.

XXV. Solet tamen Deo in Scripturâ deſiderium attribui, reſpectu hominis, utpote in bonum ejus tendens, quatenus converſionem, rem ſibi

Digitized by Google

ſibi gratiſſimam, & ſalutem ac beatitudinem ejus æternam quaſi deſiderat; ut & fuga & averſio, qua à malo ſeu periculo ejus averſus eſt: hinc Deus peccata, itemque perditionem & exitium creaturæ iſtius nobiliſſimæ averſari & odiſſe dicitur.

De Spe Dei, ejusque oppositis.

XXVI. Ex deſiderio, ſi bonum illud in quod ferimur acquiſitu facile appareat, oritur *ſpes*, ſi difficile, *timor*: ſpei autem ſummus gradus vocatur *fiducia*; ſicut extremus metus tandem fit *deſperatio*. SPES *Dei.*

XXVII. Quæ omnia etiam Deo ἀνθρωποπαθῶς in Scriptura tribuuntur. Spes, *quum expectaret Dei patientia in diebus Noæ* &c. 1. Pet. 3: 20. *Et expectavit palmitem facere uvas.* Eſai. 5: 2. *Tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ea vinea & non invenio* &c. Luc. 13: 6-10. In quibus locis tamen *expectationis* vox eſt, quæ cum valde improprie Deo tribuenda ſit, potius ea ad patientiam Dei referenda eſt. *Metus* duntaxat ſemel de Deo occurrit, nempe *ubi* Deus dicit, *Exterminabo eos, niſi indignationem inimici timerem.* Deut. 32: 26, 27. Cui metui conjuncta eſt cura, mala ea quæ metuuntur, prævertendi. *Ne forte homo nunc manum ſuam mittat, & ſumat de arbore vitæ* &c. Gen. 3: 22. Ad quem affectum etiam pertinet *Zelotypia*, quæ eſt metus amittendæ rei chariſſimæ & pretioſiſſimæ, quæ Deo, qui gloriam ſuam unicè charam habet, paſſim adſcribitur. *Ego ſum Deus fortis, Zelotes.* Exod. 20: 5. *Zelus Jehovæ Zebaoth hoc faciet.* Eſai. 9: 7. & 37: 32. *Deſperationis* autem vox Deo quidem non tribuitur, ſed analogum ejus. vide Eſai. 5: 4. *Quid faciam ultra vineæ meæ?* Jer. 2: 21. *Plantavi te vitem generoſam: & quomodo conversa es mihi, declinantes rami vitis alienæ?* Prov. 1: 21-26 *Uſque quo ſimplices diligetis ſimplicitatem, deriſores deriſionem? --- Ego quoque in calamitate veſtra ridebo.* METUS. *eum.*

De Gaudio & Tristitia Dei.

XXVIII. Bonum conſideratum ut præſens, & ad nos ſpectans *gaudium* excitat, malum *triſtitiam*. Prius Deo tribuitur, vel reſpectu ejus quod fieri ab hominibus deſideravit: ut in *Abele, qui per fidem majoris pretii ſacrificium Deo offerens quam Caïn, teſtimonium à Deo de donis ſuis obtinuit.* Hebr. 11: 4 ita in holocauſto Noachi *odoratus eſt Jehova odorem quietis.* Gen. 8: 21. cui *audire præ ſacrificio bonum, intendere præ adipe arietum* &c. 1. Sam. 15: 22, 23. *Victimis laudis & benificentiæ delectatur Deus.* Hebr. 13: 15, 16. Ita *erit gaudium in cœlo ſuper uno peccatore majus, quam* GAUDIUM & TRISTITIA *Dei.*

&c. Luc. 15: 7, 10. vel reſpectu bonorum, quæ ipſe iis præſtat. *Reverſurus eſt ad gaudendum ſuper te in bonum, quemadmodum gaviſus eſt ſuper patres tuos.* Deut. 30: 8, 9. *Vocaberis delicia mea -- quia delectabitur Jehova te.* Eſai. 62: 5. *Gaudebo ſuper eos, eis benefaciendo.* Jer. 32: 41. Poſterius diſplicentiam in Deo notat rei alicujus veluti ingratæ ac moleſtæ. *Pœnituit Jehovam, quod feciſſet hominem, & doluit apud animam ſuam.* Gen. 6: 6. *Et affecerunt dolore Spiritum ſanctitatis ejus.* Eſai. 63: 10 *Quoties eum exacerbarunt in deſerto? dolore affecerunt eum in ſolitudine?* Pſal. 78: 40.

XXIX. Sicut autem datur in homine lætitia purè intellectualis, quæ eſt jucunda commotio in animâ excitata à ſemet ipſâ, ob poſſeſſionem boni, quod ſibi ut ſuum propriè repræſentat; ſic multo magis hæc in Deo analogice locum habet.

De Irrisione & Misericordia Dei.

XXX. Lætitia conſiderata prout reſpicit bonum aliorum, ſi digni ſunt, lætitia nuda eſt; ſi indigni nobis appareant, *invidia* eſt, quæ triſtitiæ ſpecies eſt. Ubi vero malum aliorum reſpicimus, ſi digni appareant, *irriſio* lætitiam noſtram comitatur, quæ eſt ſpecies lætitiæ mixtæ cum odio mali, quod tamen gaudemus hærere in iis qui eo digni ſunt; ſi indigni videantur, *commiſeratio* excitatur, quæ etiam triſtitiæ ſpecies eſt.

XXXI. *Invidia* in Deo locum non habet. *An oculus tuus malus eſt, quia ego bonus ſum?* Matth. 20: 15.

IRRISIO *Dei.* XXXII. *Irriſio* ipſi tribuitur Prov. 1: 26. & ſpeciatim duo peccatorum genera Deus irridet, ſuperbos & idololatras. De illis eſt Pſal. 2: 4. Eſai. 14. ubi de rege Babylonis. Gen. 3. ubi de Adamo. de his vide Jud. 10: 14. Jer. 2: 28. Eſai. 47: 13. Hoſ. 13: 10. Sæpius tamen Deus talibus iraſci dicitur, quam eos irridere: imo irriſio ejus in ira fit. *Habitans in cœlis ridebit, Dominus in furore ſubſannabit eos.* Pſal. 2: 4, 5.

MISERICORDIA *ejus.* XXXIII. *Miſericordia*, ſeu commiſeratio, eſt triſtitiæ ſpecies, amori mixta, erga illos quos mali quid pati videmus, quo eos indignos judicamus. Qui ut non ſolum debilium, ſed & generoſiorum animarum affectus eſt, qui, cum ſupra malum ſint, aliis tamen benè volunt; ita & Deo maxime convenit, ipſique tribuitur Exod. 34: 6. non quidem per modum affectus, ſed quatenus revera ſuccurrit miſero: ita ut ea in maximâ emphaſi ſua nihil aliud notet, quam actuoſam reſtaurationem hominis miſeri in Mediatore.

XXXIV. Etſi enim ea interdum generaliter ſumitur pro omni Dei beni-

Digitized by Google

benignitate. *Quam pretioſa miſericordia tua Deus!* Pſal.36:8. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Ibid.145:9. propriè tamen erga electos locum habet. *Deus, qui dives eſt miſericordia, propter multam charitatem, qua dilexit nos.* Eph.2:4,8. *Ex multa ſua miſericordia regenuit nos in ſpem vivam.* 1.Pet.1:3. *Nunc eſtis miſericordiam conſecuti.* Ibid. 2: 10. & quidem meritum omne hominis excludit. *Præſtitutum Dei quod eſt ſecundum electionem, non ex operibus, ſed ex vocante.* Rom.9:11. *Ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ.* vs. 23. unde exercitium ejus ſummè liberum eſt. *Itaque cujus vult, miſeretur.* Rom. 9. 18.

XXXV. Corruperunt eam Sociniani, dum eam Deo eſſentialem negant, ne videlicet & juſtitiam Deo eſſentialem aut neceſſariam ſtatuere cogantur; neque eam etiam ad omnia peccata, præcipuè eorum qui in extremis poſiti ad Deum ſeſe convertunt, extendi volunt.

De Acquiescentia & Poenitentia Dei.

XXXVI. Alia quoque lætitiæ ſpecies eſt, orta ex conſideratione cauſæ boni, tam præſentis, quam præteriti. Ubi nimirum boni quid à nobis præſtitum, inde oritur ſatisfactio ſeu *acquieſcentia* in ſe ipſo; quæ omnium aliarum paſſionum & lætitiarum dulciſſima eſt, quia cauſa ejus non aliunde quam à nobis pendet: cum è contrario malum præſtitum *pœnitentiam* excitet; quæ triſtitiæ ſpecies & omnium paſſionum amariſſima eſt, quia ejus cauſa non aliunde quam à nobis eſt.

XXXVII. Deo *acquieſcentia* maximè competit, ut dein in beatitudine ejus videbimus. *Dei* ACQUIESCENTIA.

XXXVIII. *Pœnitentia* autem proprie Deo convenire non poteſt. *Non vir Deus, ut mentiatur, & filius hominis, ut pœniteat eum: an ipſe dixit & non faciet?* Num.23:19. niſi in Deo ſtultitiam & defectum ingenii ponamus, vel etiam impotentiam: ex duobus enim iſtis pœnitentia ſolum exoritur. Verum metaphoricè & impropriè ea ipſi tribuitur. *Et pœnituit Jehovam quod feciſſet hominem in terra, & doluit apud animam ſuam, & dixit Jehova Delebo hominem quem creavi, quia pœnitet me quod feci eum.* Gen.6:6-9. *Pœnitet me* (inquit Jehova) *quod conſtituerim Saul in Regem.* 1.Sam.15:11. non in affectu, ſed in effectu, & cum reſpectu ad externa Dei opera, quatenus ea præter omnem expectationem mutantur, atque ea Deus facit, quæ homines pœnitentes faciunt. Et quidem notandum eſt, nunquam in Scriptura Deo pœnitentiam adſcribi, POENITENTIA

 niſi

niſi in rebus homines concernentibus; ut ita homo potius ad pœnitentiam invitetur, dum ea Deo hominis reſpectu tribuitur. *Si convertatur gens illa à malo ſuo, contra quam locutus fuero, pœnitebit quoque me ejus mali quod cogitaveram facere ei.* Jer. 18: 8.

XXXIX. Sunt tamen etiam quædam opera Dei, in quibus ne quidem pœnitentia metaphorica locum habet, nimirum chariſmata ex fœdere gratiæ profluentia; quæ planè ſunt ἀμεταμέλητα. Rom. 11:29.

De Gloria Dei.

GLORIA. XL. Si denique bonum, quod in nobis eſt, referatur ad opinionem quam alii de eo concipere poſſunt, excitat in nobis *gloriam*, ſicut malum *pudorem*; quæ gloria eſt ſpecies lætitiæ fundata ſuper amore ſui ipſius, atque oritur ex opinione aut ſpe concepta laudis apud alios obtinendæ. Atque hæc Deo quoque competit; nimirum tum interior illa gloria, qua in ſe & attributis ſuis glorioſus fuit ab æterno; tum exterior, qua à creaturis, & in ipſis, in tempore glorificatur; juxta illud Pauli: *Sive editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, in gloriam Dei facite.* 1.Cor.10:31. *Ego Jehova: hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo.* Eſai. 42: 8.

CAPUT XXIV.

De attributis voluntatis divinæ, quæ virtutes vocantur.

VIRTUTES *Dei.* I. PRæter hoſce affectus analogicè *virtutes* etiam quædam Deo tribuuntur, quarum vis eſt in directione affectuum, & ſpeciatim in iræ moderatione.

II. Tribuitur autem virtus Deo non ſub ratione habitus, quæ humanæ virtutis ratio eſt, ſed quatenus notat perfectionem eam, quæ eſt in habitu, & promtitudinem agendi; cum cæteroquin ab eſſentia Dei virtutes ejus non differant.

III. Similiter, etſi inter homines, quamdiu viatores ſunt, magnitudo virtutis à moleſtiâ & luctâ, quam exantlare neceſſe habent, peti ſoleat, tamen hoc ipſi virtuti accidentale eſt: neque enim in homine inte-

Digitized by Google

integro ea lucta fuit, neque etiam minor ejus perfectio foret, qui divinâ quâdam luce pleniſſime perfuſus, promtiſſimâ voluntate, ſine ullo magnopere certamine & pugnâ, omnes virtutis numeros compleret: atque adeo multo id minus in Deo locum habet, qui ſummâ cum pace & voluptate ubique ſanctiſſimum & perfectiſſimum ſeſe præbet: neque eo deſinit & miſericors & longanimis eſſe, eo quod nullus in ipſo ad ſæviendum ſtimulus ſit, cum quo pugnare neceſſe habeat, ſed potius eo major & perfectior eſt ejus miſericordia.

IV. Sic etiam virtutes illæ, quæ ex occaſione peccati & imperfectionis in homine ſunt, ut ex. gr. pudor, Deo non conveniunt.

V. Sunt tamen in Deo virtutes quædam, quæ ut *primæ*, quædam quæ ut *ſecundæ* concipiuntur. Ex. gr. bonitas, ſanctitas, virtutes primæ ſunt; miſericordia autem & juſtitia vindicatrix inter ſecundas recenſentur, cum in actu exercito non ſint niſi præſuppoſito peccato.

VI. Virtus ea, quæ in affectuum omnium directione verſatur, *juſtitia* appellatur. JUSTITIA *ejus.*

VII. Verum ea in Deo ad placita humana exigi non debet; unde in Deo nec commutativa, nec diſtributiva juſtitia, more humano, locum habet. *Quis prior dedit ei, & reddetur ei?* Rom. 11: 35. Imo ubi conſideramus nos à Deo ex nihilo creatos, non difficulter intelligimus, nos ne quidem noſtros, abſque Dei injuriâ, dici poſſe; & per conſequens nullam propriè inter Deum creatorem & nos creaturas dari aut intercedere poſſe juſtitiam. Ut Deus duntaxat pro ſingulari bonitate ſuâ juſtitiam inter ſeſe & nos homines conſtituerit. *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & laborioſæ charitatis, quam exhibuiſtis ipſius nomini.* Hebr. 6: 10. *Repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddit mihi Dominus, juſtus ille judex.* 2. Tim. 4: 8.

VIII. Ponitur ea in Deo vulgo duplex; *univerſalis*, quæ nihil aliud dicit quam ſanctiſſimum iſtum divinarum virtutum complexum, ac veluti chorum, quæ in omnibus dictis ac factis ejus, tum in omni mundum hunc regendi ratione elucet; ita ut nihil agat niſi quod rectiſſimum ſit. *Rupis illius opus eſt perfectum, omnes enim viæ illius ſunt jus.* Deut. 32: 4. *Bonus & rectus eſt Jehova.* Pſal. 25: 8. *Juſtus eſt Jehova, & juſtitiam diligit.* Ibid. 11: 8. & *particularis*, quæ propius ſpectat id quod alteri convenit, & ex lege veluti debetur, quæque in præmiorum ac pœnarum æquabili diſtributione conſiſtit. *Diſtributio illius.*

IX. Commode vero hæc diſtribuitur in *punitivam* & *arbitrariam*.

X. Ut

Digitized by Google

JUS Dei. X. Ut autem juſtitia hæc punitiva intelligatur, conſiderandum eſt tum jus Dei, tum etiam *ſanctitas* ejus, ex qua ea proxime fluit.

XI. *Jus* eſt id quod cuique competit: cumque omnis juris conſtitutio propriè verſetur inter res voluntate prædictas, res autem liberæ ſint vel Deus, vel creatura, hinc duplex jus exoritur *divinum*, & *humanum*.

XII. *Jus divinum* eſt quod Deo competit. *Date Deo quæ Dei ſunt.* Luc. 20: 25. *Qui poſt Dei jus cognitum* &c. Rom. 1: 32. Cum enim ſummus omnium rerum ſit dominus, neceſſe eſt ut ab eo omnia dependeant, non ſolum omnes res exiſtentes, ſed & omnis ordo, veritas, lex, omne bonum, ſanctum, juſtum. Atque illa Dei ſufficientia & in omnes creaturas potentia, jus & fundamentum imperii divini conſtituit. *Ad æmulationem provocamus Deum? Num eo validiores ſumus?* 1. Cor. 10: 22.

XIII. Abſolutum autem illud dominium temperare voluit Deus fœdere gratioſo, quo ipſum non ut dominum, ſed ut patrem revereamur; ex quo fœdere ac jure inde orto non poteſt homo *fruſtra quærere Deum*. Eſai. 45: 19.

hominis. XIV. Huc etiam pertinet *jus hominis*, quod Deus in hoc temperato ſuo dominio obſervat; quod exigit ut Deus id circa hominem faciat, quod perfectione, bonitate & promiſſione ſuâ dignum eſt. Ita creaturam rationalem immerentem æternis cruciatibus addicere non poteſt; ſic enim odiſſe poſſet hominem innocentem, quod contra ejus juſtitiam eſt: neque etiam hominem ad ſimpliciter impoſſibile obligare poteſt; ſic enim poſtularet ab homine quod ſibi non debetur: denique nihil contra rationem & æquitatem, quam ipſe determinavit, de creatura rationali ſtatuere poteſt. Etſi enim quavis creaturâ longe ſit ſuperior, tamen nihil Deo tribuendum eſt, niſi quod ex jure illo ſupremo agnito, cujus principia etiam humanæ naturæ impreſſa extant, quæque inter homines omnis juris & æqui fundamenta ſunt, ipſi competere intelligitur. Unde nihil perículoſius in religione doceri poteſt, quam dicere multa à Deo fieri poſſe, in quibus tamen ratio humana nullam æquitatem agnoſcere poteſt; hoc enim pacto omnis cultus rationalis ſubvertitur: cum è contra Scriptura infinitis locis æquitatem Deo tribuat, vel iniquitatem ab ipſo removeat, juxta legem ac rationes æquitatis naturalis ac humanæ. *Non cum Domino Deo noſtro iniquitas & aſſumptio facierum, & acceptio muneris.* 2. Chron. 19: 7. *Num incredulitas eorum fidem Dei inanem reddet; Abſit; imò eſto Deus verax.* Rom. 3: 3, 4. *Quid igitur dicemus? Num injuſtitia eſt apud Deum? Abſit* Ibid. 9: 13, 14. *Non injuſtus eſt Deus* &c. Hebr. 6: 10. XV.

Digitized by Google

XV. Sicut autem Deus ita ſummè juſtus eſt, ita etiam juſtiſſimæ voluntatis ipſius beneplacitum *ſanctitas* ejus eſt. Quæ in eo conſiſtit, quod actiones ipſius exactè cum ejus voluntate conveniunt: quæ voluntas ejus omnis ſanctitatis regula eſt. Quemadmodum ergo ex voluntatis ſuæ beneplacito conſtituit & præſcripſit homini ordinem ſuum particularem, approbando bonum & improbando malum; ita homo ad illam normam divinæ voluntatis ſe componere debet: quarum prior divina, poſterior autem humana ſanctitas eſt. *Eritis ſancti, ſicut ſanctus ego*. Levit. 11: 46. *Sicut is qui vos vocavit ſanctus eſt, ipſi quoque ſancti in omni converſatione reddamini*. 1. Pet. 1: 15. Per hanc ſanctitatem ſine ullo mali aut labis contagio eſt, inſtar puriſſimæ *lucis, qua tenebras non habet*. 1. Joh. 1: 5. & opera tenebrarum arguit & oſtendit. *Hac eſt autem condemnatio, quod lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem, quia ſunt eorum opera mala*. Joh. 3: 19, 20. *Qua eſt communio luci cum tenebris?* 2. Cor. 6. 14.

SANCTITAS *Dei.*

XVI. Non autem ea ſanctitas Dei unquam prætextu libertatis ejus violanda eſt in iis, quæ ex ipſâ & imagine Dei naturaliter fluunt. Unde non videtur cum ſanctitate ejus convenire contrarium præcipere, ut aliis, ita præſertim 1. 2. & 3. præceptis decalogi. Sic enim poſſet odium ſui & blaſphemiam præcipere, ſeque ut odio dignum creaturæ proponere, & ſeſe odio habentem amare & beare, contraque creaturam ſeſe amantem & deſiderantem abjicere & æternum cruciare. quæ nefanda ſunt.

XVII. A qua ſanctitate ejus fluit ejus *veritas*: quæ tum Deo convenit in ſe ipſo, utpote qui *verus Deus* eſt. Joh. 17: 3. 1. Joh. 5: 20. 1. Theſſ. 1: 9. tum in omnibus ejus operibus, revelationibus ac dictis ejus apparet; ubi fides ac veracitas appellatur. *Fidelis Deus*. 2. Cor. 1: 18. *Eſto Deus verus, omnis verò homo mendax*. Rom. 3: 4. præcipuè in promiſſionibus ejus. *Spem vita aterna promiſit Deus ille ἀψευδὴς mentiri neſcius*: & comminationibus. *Ne fallamini, Deus non irridetur: quicquid enim ſeminaverit homo, hoc & metet*. Gal. 6: 7, 8. tum in factis ejus; ubi *rectitudo* & *veritas* dicitur. *Rupis illius opus eſt perfectum, omnes enim via illius ſunt jus*. Deut. 32: 4. *Rectum eſt verbum Dei, & omne opus ejus in fide*. Pſal. 33: 4. Atque hæc Dei veritas omnis quoque veritatis origo & cauſa in creaturis eſt. Ab ideâ enim illa Dei & ſumma ejus voluntate, qua rerum naturas & eſſentias tales vel tales eſſe voluit, taleſque intelligit, nihil potuit deflectere.

VERITAS *Dei.*

XVIII. Hinc impoſſibile eſt Deum eſſe deceptorem: cumque nobis

Digitized by Google

bis facultatem dederit verum à falſo dignoſcendi, atque præterea nos ita condiderit, ut clarè ac diſtinctè perceptis non poſſimus non aſſentiri, neque aſſenſum noſtrum ullo modo ſuſtinere, non magis ac ſi quis apertis oculis lumen ſolis accipiat, cujus radios excutere non poteſt; clarum eſt, cum hoc facimus, in eo nos non falli, nec falli etiam poſſe; nam ſic à Deo ipſo, qui nos ita condidit, falleremur: atque adeo quicquid nos clarè & diſtinctè percipimus, illud omnino verum eſt.

XIX. Cum autem ſimul habeamus facultatem non aſſentiendi iis quæ obſcura & dubia ſunt, clarum pariter eſt, nos poſſe cavere ne unquam erremus, ſi modo aſſenſum abſtineamus ab iis quæ non clarè & diſtinctè percepimus. Cum autem erramus, illa jam noſtra culpa eſt, per quam facultate à Deo nobis datâ non recte utimur.

Juſtitia Dei punitiva. XX. Atque ex ſummo iſto Dei jure & imperio, ac perpetuo ejus comite, ſanctitate & veritate, ſi peccatum perpetratum ſit, ſequitur *Juſtitia Dei punitiva:* quæ eſt conſtans voluntas divina puniendi peccatum; & ejus effectus, *pœna. Juſtum eſt apud Deum, ut rependat afflictiones affligentibus vos.* 2. Theſſ. 1: 6. *Pro duritia tua theſaurizas tibi iram, in diem iræ & patefactionis juſti judicii Dei, qui unicuique reddet ſecundum opera ipſius.* Rom. 2: 5. *Et ipſe judicabit orbem in juſtitia, jus dicet populis in rectitudinibus.* Pſal. 9: 9. 98: 9. *Qui inſidebat equo albo, vocabatur fidelis & verax, & juſte judicat.* Apoc. 19: 11.

Qua ratione pœnam infligat. XXI. Infligitur autem hæc pœna, non tantum propter damnum illatum, vel ad defenſionem propriam; neque etiam correctionem peccatorum vel aliorum exemplum proprie tantum ſpectat: quæ omnia in pœnis humanis obtinent: ſed reſpicit ipſam peccati vitioſitatem & noxam, quam vindicat, & expiat pro demerito & triſti iſto malo turpe veluti compenſat.

XXII. Unde ea demum propriè locum habebit poſt hanc vitam in ultimo judicio, ubi, ceſſante œconomicâ mundi hujus gubernatione, nulla amplius correctio vel emendatio, nec aliorum exemplum, nec injuriæ propulſatio, locum habebit; ſed omnis pœna ſolum pertinebit ad ſatisfaciendum juſtitiæ divinæ, quæ exæquabit pœnam delicto, & peccatorem, juſto judicio, omnibus malis, quæ commeruit, mactabit & onerabit. Unde ille dies per excellentiam *dies judicii* & *damnationis* appellatur. Matth. 10: 15. 2. Pet. 2: 9. & 3: 7.

Eamque æternam. XXIII. Ubi & pœna ea *æterna* erit, cum ſtatus viatorum tum ceſſaturus, & Deus perſonam judicis aſſumturus ſit, ad ſententiam in peccatores obduratos atque obſtinatos ferendam, cujus effectus durabit

in

in æternum. Cum enim Deus per ſanctitatem ſuam ſeſe neceſſario ſeparet à peccatore; autem à Deo ſegregatus ad eum accedere, & communionem ſui cum Deo inſtaurare non poſſit, verum in æternum peccare pergat, neceſſario quoque in æternum ab eo ſeparatus, & juſtitiæ ejus vindici ſubjectus manere debebit, ex qua eluctari nunquam poterit, cum idoneam ſatisfactionem præſtare nunquam ipſe poſſit. *Ubi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur.* Marc. 9: 43. *Conjici in ignem illum æternum.* Matth. 18: 8. *Qui pœnam pendent æterni exitii, à facie Domini, & gloria virium ipſius.* 2. Theſſ. 1: 9. ita tamen, ut diverſi pœnarum gradus pro delicti gravitate locum habeant; quæ tamen à ratione humana definiri aut determinari nullo modo poſſunt.

XXIV. Atque hinc patet diſcrimen inter *juſtitiam humanam & divinam:* etſi enim homines etiam ex juſtitia puniant, tamen illi proprie *damnum* tantum per peccatorem illatum conſiderant (ſive illud ſequatur ex naturâ ipſius delicti, quale eſt ex. gr. latrocinium, ſive metuatur ex ratione gubernationis divinæ, quæ judicum negligentiam ſæpe ſeveriter caſtigare ſolet) non autem peccatum ipſum in proximo propriè puniunt, quatenus nempe malitia & vitioſitas eſt in ejus actione (hoc enim propriè eſt, peccatum punire) neque etiam punitio eorum à ſanctitate ulla aut dominio proficiſcitur, aut ex jure judicandi & vindicandi peccatum naturaliter nobis in proximum competente; hoc enim Deus nulli homini in proximum commiſit, & id ad ipſius Dei ſummum judicium, in quem unice peccatur; ſolum pertinet: ſic enim fas non eſſet ipſis vel ullum peccatum impunitum dimittere, multo minus, quod ſæpe fieri neceſſe eſt, graviſſimos peccatores ſummis in repub. honoribus fungi permittere. Verum homines tantum propter bonum ſui, & reipub. cui cavere debent, pœnas inferunt, vel ad ſtatuendum exemplum, vel ad corrigendos ipſos peccatores, vel ad populſandam eorum injuriam ab aliis: unde pœnas, non pro magnitudine malitiæ & vitioſitatis, quæ in delicto eſt, ſed pro ratione damni, quo iſtud ſua natura aptum eſt hominum ſocietates afficere, intendere vel remittere, ſæpe etiam, ubi ſecuritati reipub. ſatis cautum eſt, prorſus intermittere ſolent; quod in Dei judicio nefas foret. Atque ita origo & fundamentum pœnarum humanarum propriè eſt ex defenſione & conſervatione ſui, tam in ſtatu naturali, quam civili: cum pœna divina in ipſam peccati vitioſitatem feratur.

Diſcrimen illius à juſtitia humana.

XXV. Inde Deus nomini ſuo adſcripſit נַקֵּה לֹא יְנַקֶּה ἀθωῶν ἐκ ἀθωοῖ. Exod. 34: 7. hoc eſt, quod *non dimittet impunitum qui nomen ſuum in vanum*

Aſſerta juſtitia hujus neceſſitas.

Digitized by Google

num tulerit. Exod. 20:7. quodque peccatori non ſit *ſimilis*, nec eum ad communionem ſui admittere poſſit, Pſal. 50: 21. quod nihil aliud foret quam ſe *ipſum abnegare*, 2. Tim. 2: 13. & atteſtari abnegationi nominis ſui, quæ in omni peccato eſt. Econtra, cum non poſſit non eſſe exemplar creaturæ ad imaginem ſuam conditæ, ſanctitatem ſuam teſtari debet, eamque peccatori declarare, ut ille ſanctitatem Dei & odium ejus erga peccatum clarè perſpiciat & pervideat.

XXVI. Unde ad peccatum Dei *zelus* exardeſcere, & *inſtar ignis omnia conſumere*. Exod. 20:5. Hebr. 12:29. atque *odium* ejus ſe exerere & oſtendere dicitur. *Odiſti omnes qui operam dant iniquitati. Virum ſanguinum & doli abominabitur Jehova* Pſal. 5:6, 7. *Purior es oculis, quam ut aſpicias malum, & intueri moleſtiam non potes*. Hab. 1:13. Unde & peculiari indigitamento & emphaſi *Deus vindictæ* appellatur. Pſal. 94:1. *Ultor*, ἔκδικος, 1. Theſſ. 4: 6. *cujus* ſolius *eſt vindicta*. Hebr. 10: 30. Quod & peccatoris *conſcientia*, & occulti illi laniatus ac verbera, quæ ſceleratos homines exagitant, teſtantur.

XXVII. Quin *univerſa Chriſtianorum religio* & cultus juſtitiam hanc punitivam infert, atque illi fundamento unice innititur, cum omnis ille ſacrificiorum apparatus & pecudum lanienæ in Veteri Teſt. quibus vera expiatio olim futura promittebatur; tum præcipuè ipſa Filii Dei mors & diriſſimi cruciatus: quæ omnia fruſtra fuiſſent, ſi peccatum impunitum maneret; ita enim Chriſtus fruſtra fuiſſet mortuus. Gal. 2: 21.

An ex natura Dei profluens, an ex ejus voluntate?

XXVIII. Diſquiri vero ſolet, inter ipſos quoque orthodoxos Theologos, an neceſſitas illa juſtitiæ Dei punitivæ fluat ex ipſa Dei natura, cui repugnat peccatori ſimilem eſſe & ab eo ſe non ſeparare; an vero ex divina duntaxat conſtitutione & ex rerum præſcripto ordine? Durum videtur, Deum ex naturæ neceſſitate agere circa ullam rem quæ extra ipſum eſt; cum *omnia operetur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Eph. 1: 11. Præcipuè cum ad firmitatem & immobilitatem juſtitiæ divinæ punitivæ, & per conſequens ad neceſſitatem ſatisfactionis Chriſti peccatori teſtandam ſufficiat, ſi ex immutabili ordine à Deo conſtituto illam profluere appareat. Unde Deo quoque nulla cum peccatore eſt communio aut ſimilitudo. Quæ etiam non eſſet, etiamſi peccatori reſipiſcenti ſine pœnarum inflictione Deus peccatum remittere poſſe ſtatueretur. Peccator enim cui reſipiſcentiam largitur Deus, jam emendatus eſt, & per reſipiſcentiam Deo iterum ſimilis fit, imaginemque ejus redintegrat: ut nulla videatur eſſe cum na-

natura Dei repugnantia, ſi cum tali peccatore communionem habeat. Ita ut ſententia hæc, ſi ipſa vera non ſit, ſaltem ſine veritatis & pietatis diſpendio ab Orthodoxis quibuſdam, cæteroquin eadem contra heterodoxos ſentientibus, defendi poſſit.

XXIX. Vitanda autem hic *duo extrema* ſunt. Ab *unâ parte*, ne putemus, Deum *creaturam rationalem innocentem* æternis cruciatibus *affligere* poſſe. Quod & Scripturæ & rationi adverſum eſt, cum juſtitia Dei punitiva nil niſi peccatum puniat; & creatura innocens, quæque Deum quærit, id fruſtra facere, atque ſancta iſta deſideria vana, & ſtulta, & irrita eſſe non poſſint. Ab *aliâ parte* eorum error, qui per *acceptilationem* nos juſtificari poſſe contendunt. Cum enim quodlibet peccatum nos æternæ pœnæ reos faciat, prorſus implicat, alicui vitam æternam, quæ tantum perfectæ obedientiæ præmium eſt, propter opera imperfecta largiri. *Veritatis hujus extrema.*

XXX. Longius abeunt *Sociniani* & *Judæi*, qui juſtitiam & judicium Dei ſubſannant: dum Deum odiſſe quidem peccatum, ſed non neceſſario id punire volunt; quæ contradictoria ſunt: dum in Deum peccari ut in privatum contendunt, qui videlicet judicium non habeat, & cujus ſanctitas non exigat ut judicet; quod de Deo cogitare impium eſt: dum eam in Deo ſanctitatem negant, quæ faciat ut peccator prorſus alienus ſit à vitâ Dei: dum non tam peccatum, quam quidem perſeverantiam & contumaciam in peccato punibilem ſtatuunt, ut alicubi Socinus; quæ ſe mutuo jugulant: atque adeo dum, ordine rerum jam conſtituto, abſque ulla ſatisfactione Deum peccata remittere poſſe, imo revera remittere ſtatuunt. Ita nimirum illi glorificant Deum, & de ſanctitate ejus judicant. Nec longe abeunt *Remonſtrantes*, dum juſtitiam Chriſti non adeo proprie eſſe juſtitiam noſtram contendunt, ac quidem fidem noſtram, quam ad juſtitiam imputari, proque eâ à Deo accipi volunt; contra dictum Apoſtoli: *Comperiar in eo, non habens meam juſtitiam, ſed eam, quæ per fidem eſt Chriſti, id eſt, juſtitiam, quæ eſt ex Deo per fidem.* Phil. 3: 9. *Pontificii* autem ab alia parte non quidem juſtitiam Dei negant, ſed eam non ſatis rectè intelligunt, dum aliud ſacrificium præter Chriſti domini ponunt, atque alia merita & ſatisfactiones redemtioni ejus adjungunt.

XXXI. Alia juſtitia Dei, ut ita quodammodo appelletur, eſt *arbitraria*, ſive *Oeconomica*, quâ Deus in mundi hujus gubernatione utitur, ubi frequenter judicia ſua exercet; quibus tam bonos quam malos involvi ſinit, non adeo ut malum morale, quod in peccato eſt, vindicet, *Juſtitia Dei arbitraria.*

Digitized by Google

quam in generis humani correctionem, & exemplum, ne illud vitiorum pondere peſſum eat, & pulcherrima hæc hominum ſocietas mutuis flagitiis diſſolvatur ac pereat. Atque huc pertinent calamitates, quæ integris populis immitti ſolent. *Sic ait Jehova: ecce me contra te exerturum gladium meum è vaginâ ſuâ, ut exſcindam ex te juſtum & improbum.* Ezech. 21: 3. ac præcipuè caſtigationes piorum præ improbis, Pſal. 73. Job. 21. & peculiaris eorum gubernatio in N. T. ubi pleraque aſpera & adverſa ipſis prædicta ſunt. *Omnes qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* 2. Tim. 3: 12. *Oportet enim per multas oppreſſiones nos ingredi in regnum cælorum.* Act. 14:22. Atque hæc juſtitia ac vindicta Dei longe differt ab illa quæ erit in ultimo judicio, ubi Deus unicuique reddet ſecundum opera ſua. Et *juſte judicaturus eſt orbem terrarum.* Act. 17:31. *Pro duritia tua theſaurizas tibi ipſi iram, in diem iræ, & patefactionis juſti judicii Dei.* Rom. 2: 5.

XXXII. Talis juſtitiæ ratio eſt, ubi Deus peccata peccatis punit: item, ubi innocentes, ſed partem alicujus ſocietatis conſtituentes, aſſociat pœnis totius ſocietatis: item, cum ejuſdem ſocietatis peccatores & propter ſua & propter parentum peccata ſimul punit: item, ubi poſteri per accidens pœnæ parentum ſunt participes; & rurſus, cum proximi rei alicujus iiſdem cum illo implicantur malis, ut ita majori metu à malo deterreantur.

Diſcrimen ejus à punitiva.

XXXIII. Et diſcrimen inter utramque juſtitiæ ſpeciem apparet. Nam 1. arbitraria juſtitia ſæpe graviſſimos peccatores impunitos dimittit, & minores, imo ſibi maximè dilectos, graviter caſtigat, ut convertantur, atque ita pœnam futuram effugiant; at juſtitia Dei punitiva nec bonum nec malum futurum ſpectat, nec Dei arbitrio, aut occultis divinæ providentiæ regulis, ex Dei beneplacito inſtitutis, nititur, ſed Dei ſanctitate, & ordine ſemel à Deo præſcripto, adeoque pœnarum gradus gradibus vitioſitatis attemperat. Unde ſub Vet. & N. T. æquales gradus pœnarum peccatis ſunt propoſiti. 2. pœna juſtitiæ Dei punitivæ conſiſtere non poteſt cum amore Dei, ſed ſemper cum odio ejus qui punitur conjuncta eſt; pœna autem juſtitiæ arbitrariæ, ſeu divinæ, ſeu humanæ, amori oppoſita non eſt, & ideo ea non eſt propriè vindicta, vel iræ effectus, nec caritati repugnat.

MANSUETUDO & LONGANIMITAS *Dei.*

XXXIV. *Virtutes iræ* & pœnarum in Deo *moderatrices*, χρηςότητος, μακροθυμίας, ἀνοχῆς, *Manſuetudinis, longanimitatis* & *tolerantiæ* vocabulis in Scripturâ exprimuntur. Rom. 2: 4. & 3: 26. Ibid. 9: 22. 2. Pet. 3: 9. Per illam non libenter punit. *Iraſcetur ad faciendum opus ſuum,*

ſuum, extraneum opus ſuum: & ad operandam operationem ſuam, alienam operationem ſuam. Eſai. 28: 21. raro ſummo jure utitur in pœnis inferendis. *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.* Pſal. 103: 10. & facilis eſt ad ignoſcendum. *Convertetur gens ipſa à malo ſuo, & pœnitebit me ſuper malo quod cogitavi facere ei.* Jer. 18: 7. *Ædificabo vos, & non deſtruam, plantabo vos, & non evellam, quia pœnitet me mali quod feci vobis.* Ibid. 42: 10. Per has etiam tardus eſt ad puniendum, pœnam promeritam diu ſuſpendit, & peccatores ad reſipiſcentiam variis beneficiis provocat. *An divitias benignitatis ejus & tolerantiæ contemnis, ignorans benignitatem Dei te ad reſipiſcentiam ducere?* Rom. 2: 4. quod Scriptura appellat ὑπεριδεῖν, Act. 17: 30. παρεῖναι & ἀνέχειν. Rom. 3: 25.

XXXV. Neque enim juſtitia Dei benignitati aut patientiæ ejus adverſa eſt, qua poteſt tolerare peccatorem, & ei inſuper benefacere, quæ πλειότης *perfectio* ejus dicitur. Matth. 5: 45, 48. neque enim quamvis neceſſario puniat, ideo neceſſario punit quantum poteſt, & ſtatim atque poteſt, neque in ipſo ſemper peccatore pœnas exercet; cum hæc variis modis fieri poſſint.

XXXVI. *Severitas* autem qua Deus in hos aut illos peccatores ſubito animadvertit, etſi ita videatur, non tamen repugnat manſuetudini Dei; nam vel antea pro longanimitate ſua eos diu toleravit, & ad pœnitentiam invitavit; vel ſi ad primum aliquod delictum ejus ira exardeſcat, in cauſa eſt, aut quod ingenti beneficio à Deo affecti antea fuere; ut in uxore Lothi, Gen. 19: 26. in filiis Aaronis, Levit. 10: 3. aut quod peccatum eorum facile evitabile, & peſſimi præterea exempli fuerit; ut in illo Sabbati violatore, Num. 15: 32, 35. & adultera, Num. 5: 15. aut quod peccatum ſingulariter grave fuerit propter temporis circumſtantiam & primum exemplum; ut in Anania & Zapphira, Act. 5: 1. &c. & illis qui inter Corinthios S. Euchariſtiam corruperant, 1. Cor. 10: 30. SEVERITAS *Dei.*

CAPUT XXV.

De Omnipotentia Dei.

I. INtellectum & voluntatem Dei excipit ejus *potentia*, qua operatur omnia in omnibus, & facit quicquid vult. *Qui agit omnia ex conſilio voluntatis ſuæ.* Eph. 1: 11. *Ex eo, & per ipſum, & in ipſum ſunt omnia,* Rom. 11: 36. POTENTIA *Dei.*

II. Eſt

Quæ activa eſt. II. Eſt potentia Dei omnis activa. *Qui ſumma cum exuperantia poteſt omnia facere ſupra ea quæ petimus aut cogitamus, pro vi illa agente in nobis.* Eph. 3:20. paſſiva enim, qualiſcunque ea dicatur, à Deo removenda eſt, neque ſine ſumma imperfectione ac mutatione ei attribui poteſt. Atque adeo generatio paſſiva dicta in Filio, & ſpiratio in Sp. S. non impotentiam aliquam, aut paſſionem, ſed ſummam potius potentiam & perfectionem dicunt.

Non differt ab eſſentia Dei. III. Non differt ea propriè ab eſſentiâ Dei, quæ ipſa nihil niſi puriſſimus actus eſt; ſolum denominationem quandam externam, & relationem ad effectum reale ei addit. Unde revera in Deo idem ſunt, intelligere, velle & operari; nec per illud operari aliud in Deo notatur, quam ipſe Dei intellectus & voluntas, prout in rebus creandis, conſervandis, gubernandis efficaciter ſeſe exerunt.

Aut voluntate ejus. IV. Hinc ipſa voluntas Dei ipſiſſima Dei potentia & rerum omnium principium eſt. Voluntas enim Dei potentia ejus dicitur, quatenus nondum per illam res eſt producta, ſed producetur. Sic enim relata res ad voluntatem Dei dicitur poſſe produci, & ſic voluntas Dei ut potentia conſideratur. *Nam ejus voluntati quis obſtitit?* Rom. 9:19. atque ad eam res omnes factæ referuntur. *Quia ipſe præcipit, & ſunt creata.* Pſal. 148:5. *Quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.* Apoc. 4:11. Creatio enim nihil aliud dicit quam efficacem illam voluntatem Dei, quæ ab æterno fuit, additâ tantum nova relatione ad res factas, ſive coexiſtentiam objecti, quod voluntas illa ab æterno in tempore exiturum voluit. Diſcrimen autem voluntatis & potentiæ divinæ à nobis ortum eſt. Quia enim nos per aliam in nobis voluntatem res volumus, ac eaſdem efficimus, ad Deum iſto conceptu pergentes, ea quoque jam in ipſo imprudentes diſtinguimus & diſcerpimus; cum tamen in eo illa idem ſint.

Eſt illa omnipotentia. V. Rectè autem Deo tribuitur omnipotentia, qua potens eſt efficere omnia quæ vult aut velle poſſet. *Nonne tu ipſe Deus in cælis, & in manu tua fortitudo, & potentia, ac nemo tibi poteſt obſiſtere?* 2. Chron. 20:6. *Apud Deum non erit impoſſibile ullum verbum.* Luc. 1:37. *Pro vi illa efficace, qua poteſt ſubjicere ſibi omnia.* Phil. 3:21. Eſtque ea prorſus invicta, utpote cui nihil obſiſtere queat; & infinita, quia nihil limitatum includit divina eſſentia, adeoque nec ejus potentia: quæ neque quoad gradus, quos in illa quaſi concipimus, neque quoad agendi efficaciam, intendi poteſt, adeoque verè infinita eſt.

VI. Ni-

Digitized by Google

VI. Nihil ergo magis abſurdum, quam omnipotentiam Dei, quæ *Adverſariorum circa eam errores.* nihil aliud eſt quam ſumma & abſolutiſſima ipſius voluntas & imperium, creaturis poſſe communicari; quod de humana Chriſti naturâ fingere videntur Lutherani: ineptius autem Sociniani, qui Chriſtum ſtatuunt ψιλὸν ἄνθρωπον, & tamen independenter agentem, & rurſus nihil agentem niſi quod Deus vult: quæ ſibi mutuo contradicunt; ſic enim voluntas ejus dependebit à voluntate Patris, adeoque nec independenter aget.

VII. Male iidem potentiam Dei infinitam eſſe, & infinito modo à potentiâ creaturæ differre negant: ſicut & Vorſtius eam tantum reſpectu noſtri infinitam appellari voluit.

VIII. Objectum hujus potentiæ eſt omne quod *poſſibile* eſt, quod- *Objectum illius.* que eſſe poteſt ad gloriam Dei & perfectionem ejus teſtandam, adeoque quicquid Deus velle potuit. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, abeat à me poculum iſtud; verum tamen non ut ego volo, ſed ut tu.* Matth. 26:39. Solum autem id quod impoſſibile dicitur, hoc eſt, quod nec exiſtere, nec ad gloriam Dei referri poteſt, ſive quod ſub voluntatem Dei cadere non poteſt, ei repugnat.

IX. Sicut autem cauſa, cur aliquid ſit poſſibile, non eſt in ipſâ re, *Radix poſſibilitatis & impoſſibilitatis rerum.* quaſi illa potentiam Dei præcederet (male enim quidam res alias ſuâ naturâ citra decretum Dei poſſibiles, alias impoſſibiles, alias neceſſarias faciunt; cum omnia à decreto Dei abſolutè dependeant, non ſolum rerum exiſtentia, ſed & univerſa earum natura & eſſentia; nec quicquam neceſſarium, imo ne poſſibile quidem ſit citra Dei voluntatem, vel potentiam, quæ eadem cum eo eſt) ita etiam cur aliquid impoſſibile ſit, cauſa eſt non in ipſa re (cum impoſſibile mera ſit negatio) ſed in ipſa Dei potentiâ, quia nempe Deus illud non poteſt velle aut facere; quod tamen non poteſt, non propter potentiæ defectum, ſed abundantiam ejus. Unde potentiſſime talia non poſſe dicitur. Ut merus ſit vocabuli τοῦ non poſſe abuſus.

X. Ita ut hic omnia dependeant à ſolo Dei decreto & voluntate, *Ut & neceſſitatis & contingentia earum.* non ſolum rerum exiſtentia, ſed & univerſus earum conceptus, omniſque ratio eſſentiæ earum. Quamvis ergo quædam neceſſaria videantur reſpectu decreti divini duntaxat, ex. gr. *non eſſe frangenda oſſa Chriſti.* Joh. 19:36. alia vero neceſſaria videantur in ſe, ut ex. gr. tres angulos trianguli æquales eſſe debere duobus rectis; hæc tamen non impediunt quin omnia neceſſaria ſint reſpectu divini decreti tantum:

Digitized by Google

quodque aliter nobis videatur, ex ignorantia noſtra eſt: ſi nempe homines clare totum naturæ ordinem intelligerent, omnia æque neceſſaria reperirent ac illa quæ in Matheſi tractantur: quia vero huc uſque non penetramus, ideo quædam à nobis poſſibilia, vel indifferentia, non vero neceſſaria judicantur. Quocirca dicendum eſt, vel quod Deus nihil poſſit, quia omnia revera neceſſaria ſunt; vel quod Deus omnia poſſit, & quod neceſſitas, quam in rebus reperimus, à ſolo Dei decreto provenerit.

XI. Si autem Deus res aliter fore decreviſſet, & illa quæ jam vera ſunt falſa eſſe feciſſet, procul dubio etiam alium nobis formaſſet intellectum, & alias dediſſet rerum ideas, quibus res omnes, earumque veritatem, non ut nunc ſunt, ſed prout tunc à Deo conſtitutæ fuiſſent, comprehendiſſemus. Nam cum tota rerum natura non ſit niſi unicum ens, adeoque homo ſit pars naturæ, quæ cum cæteris cohærere debet, ſequitur neceſſario ex ſimplicitate decreti divini, quod ſi Deus res alio modo creaſſet, aliaſque earum eſſentias & notiones formaſſet, illum ſimul etiam intellectum noſtrum ita efformaturum, iiſque rerum ideis inſtructurum fuiſſe, ut res omnes rite, prout eæ à Deo creatæ fuiſſent, capere & intelligere potuiſſet.

XII. Cum vero nihil futurum ſit, neque ex decreto Dei poſſit fieri, præterquam id quod actu futurum eſt, ſequitur inde, poſſibilitatem ut & contingentiam non eſſe rerum affectiones, ſed intellectus noſtri defectus. Rem enim poſſibilem vocamus cujus cauſam efficientem quidem intelligimus, an vero illa ad futuritionem determinata ſit ignoramus: ubi verò ſimpliciter ad talis rei eſſentiam, non verò cauſam ejus attendimus, contingentem eam vocamus. Hæc autem nihil reale, ſed tantum perceptionis noſtræ defectus ſunt. Quantum enim ad naturam ipſam & rerum à Deo dependentiam attinet, nihil in rebus ipſis poſſibile aut contingens eſt; cum nihil poſſibile ſit niſi quod vi decreti Dei fieri poteſt; qualia quæ non ſunt, ne contingentia quidem dici poſſunt.

Diſtinctio potentiæ Dei, in abſolutam & ordinatam:

XIII. Unde liquet quid ſtatuendum ſit de diſtinctione omnipotentiæ divinæ in *abſolutam* & *ordinatam*, ſeu actualem. Priorem enim ita appellamus, cum ſolam Dei omnipotentiam, non attendentes ad decreta ejus, conſideramus; quia nimirum Deus potens eſt jubere & vocare omnia, quæ gloriam ejus illuſtrare poſſunt. *Dico vobis, Deum poſſe etiam ex lapidibus iſtis excitare liberos Abrahami*, Matth. 3:9. *An putas me non poſſe precari patrem meum, qui huc ſiſtat mihi plures quam duode-*

cim

cim legiones Angelorum? Ibid.26:53. *Ordinata* vero dicitur, cum reſpicimus ejus decreta; eſtque *actualis*, quia nimirum non ſolum poteſt facere, ſed & reipsâ actualiter facit quicquid vult. Et *Deus noſter in cælis eſt, omnia, quæ voluit, fecit.* Pſal.115:3. & 136:6. *Ipſe enim omnia agit ex conſilio voluntatis ſuæ.* Eph.1:11.

XIV. Eſtque ea cum *ordinaria*, in continua rerum adminiſtratione, tum *extraordinaria*, in miraculorum patratione: quæ tamen poſterior cenſeri non debet major priori; cum potius majus videatur eſſe miraculum, quod Deus mundum eodem ſemper atque immutabili ordine gubernat, quam ſi leges naturæ ſæpe turbaret & interrumperet, vel propter ſtultitiam hominum abrogaret. *Ordinariam & extraordinariam.*

XV. Neque etiam potentia Dei extraordinaria in eo differt ab ordinariâ, quod naturas rerum immutet, & id verum eſſe faciat quod antea verum non erat, aut non verum quod antea verum erat; neque enim potentia extraordinaria aliud quicquam in rebus ponit quam ordinaria (utrobique enim eadem potentia eſt) ſed diverſimodè illa appellatur, quod Deus modo per naturam aliquid exequatur, modo immediatè ipſe idem præſtet. Aut potius Deus ordinariâ potentiâ operatur ſecundum leges naturæ nobis notas; extraordinaria vero ſecundum eas quæ nobis notæ non ſunt.

XVI. Malè autem calumniantur nos Lutherani, quaſi non ſimpliciter crederemus Dei omnipotentiam, quia non agnoſcimus, ex.gr. unum corpus poſſe eſſe in duobus locis. Tales enim Deus creavit rerum eſſentias, taleſque earum ideas nobis indidit, ut id ad contradictoria pertinere intelligamus. Neque extra voluntatem Dei ex ipſius omnipotentia quicquam credi aut ſtatui debet. Si enim ideo aliquid credendum ſit, quia Deus facere id poteſt, viciſſim credendum iſtud non eſt, quia Deus etiam facere poteſt ut res iſta non ſit, vel aliter ſit. Quo animadverſo tranſubſtantiationis & conſubſtantiationis monſtra cadunt.

XVII. Et hactenus Dei potentia. *Poteſtas* Dei eſt, per quam exercitio potentiæ divinæ contradici nec poteſt, nec debet: eſtque τὸ ἀνυπεύθυνον voluntatis ejus, fundans jus & juſtitiam Dei ad extra; ut ab eo omne jus dependeat. *Poteſtas Dei.*

XVIII. Atque hæc poteſtas divina, temperato jure ipſius per fœdus & pactum, quod cum humano genere gratioſè iniit, fundat *adorabilitatem* ejus, Joh:4.24. Hebr.12:9. ut ea ſit attributum relativum, cujus ratio formalis eſt majeſtas Dei, in ſumma naturæ & attributorum ejus perfectione intellecta.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

De Omnipræſentia Dei.

Attributa Dei relativa. I. HActenus attributa Dei interna, quæ actuoſam ejus eſſentiam continent: ſequuntur nunc externa & relativa, quæ modum exiſtentiæ ejus exponunt: vel prout eſſentia Dei refertur ad alia; ut quoad locum, *omnipræſentia*; quoad durationem, *æternitas*: vel prout attributa Dei inter ſe conferuntur; ut ex omnium arctiſſimâ conjunctione & individua unitate oritur Dei *ſimplicitas*; & ex perfectiſſima eorum poſſeſſione ejus *immutabilitas*; & ex hiſce omnibus denique æterna ejus *gloria* & *beatitudo*.

OMNIPRÆSENTIA *Dei.* II. Reſpectu loci Deus *immenſus & omnipræſens* dicitur. *Cælum ipſum ſolium meum eſt, & terra ſcabellum pedum meorum.* Eſai.66:1. *An Deus è propinquo ſum ego, dictum Jehovæ? ac non Deus è longinquo? an non cælos & terram ego impleo?* Jer.23:23,24. *Non longe abeſt ab unoquoque noſtrum.* Act.17:27. *Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero cælos, ibi tu; & ſtratum fecero infernum, ecce tu.* Pſal.139:7,9. *Ecce, cœli & cœli cœlorum non continent te: quanto minus domus hæc quam ædificavi?* 1.Reg.8:27. Unde & ipſe petra & מָעוֹן *habitaculum* dicitur, Pſal.90:1. Hoc attributum ab infinitate ejus differt, quod infinitas Deo abſolutè tribuitur, quatenus ad ejus eſſentiam, qua infinitè perfectus eſt, reſpicimus; immenſitas vero tantum reſpective ipſi attribui ſolet, quatenus reſpicimus ad hoc quod nullum detur ens quo perfectio Dei terminari vel menſurari poſſit; adeoque multo magis quod omnis materiæ dimenſionis ſit expers. Quam Dei immenſitatem non rectè multi cum ejus infinitate confundunt, imo quod pejus eſt, per immenſitatem Deo quaſi quantitatem aliquam tribuunt, juxta quam ubique præſens ſit, & à nullo ſpatio menſurabilis.

III. Ubique autem eſſe Deus, rigide loquendo, non recte dicitur; cum non ſit ubique, qui propriè non eſt in ubi, ſeu in loco; ſpiritus enim non recte in loco eſſe dicitur, utpote qui ab eo contineri nequit: potius ergo omnipræſens dicitur, cum præſentia ſit τῶν πρός τι, & abſentiæ opponatur. Unde & Deo tribuitur, *non longè abeſſe ab unoquoque noſtrum.* Act.17:27.

IV. Omnipræſentia ergo cum relativa ſit, propriè res creatas reſpi-

ſpicit; adeoque ante eas conditas Deus nulli rei propriè præſens, adeoque nec alicubi fuit.

Quæ non concipienda per ſpatia imaginaria.

V. Nec juvat *ſpatia quædam imaginaria* ante mundum conditum concipere, in quibus Deus quaſi extiterit. Nam 1. cum ante mundum nihil fuerit præter Deum, etiam nihil ante mundum concipiendum eſt, adeoque nec ſpatium imaginarium. 2. ſpatia illa imaginaria actu ſunt nihil; ſive *ſpatioſum nihil*, ut Auguſtinus ea vocat: atqui Deus non poteſt eſſe in nihilo; non magis quam in chimæra, centauro & aliis figmentis. 3. neque ad concipiendum inextenſum, quale eſt Deus, opus eſt concipi extenſum quid, quale eſt ſpatium imaginarium; cum illa duo nullam habeant convenientiam, 4. neque ſpatium differt realiter à corpore. Corpore ergo non exiſtente, non debet concipi exiſtere ſpatium. 5. multo minus imaginario adſcribenda ſunt attributa realia, ut extenſio, diſtantia &c. illa enim à ſubſtantia reipſa non differunt, ſed tantum conceptu noſtro. 6. præterquam quod etiam ſpatia hæc ad immenſitatem Dei concipiendam non juvant, ſed potius obſtant; cum neſcio quem conceptum corporeitatis & extenſionis inferant, & Deo, quem iſti ſpatio extenſo quaſi commenſurari volunt, affingant.

Sed per intimam Dei operationem in omnibus rebus.

VI. Cum ergo eſſentia Dei ante mundi conditum non fuerit extenſa, nec ulli ſpatio imaginario quaſi coëxtenſa, cum id non detur, dici non poteſt eum extenſionem acquiſiviſſe per mundi creationem; adeoque Deus per eſſentiæ ſuæ extenſionem mundum replere dici non poteſt. Non enim per eſſentiæ extenſionem & quaſi diffuſionem, ſed ſimpliciſſimo & potentiſſimo cogitandi actu, quo immediatè omnia creat, conſervat & gubernat, quique ab eſſentia ejus non differt, mundo eſſentialiter & intimè præſens eſt. Sicuti non alio modo ſpiritus dici poſſunt eſſe in loco, quam per modum operationis in illis rebus, quibus præſentes eſſe dicuntur.

VII. Ut male Vorſtius Deum verè in loco (quem per ſpatium definit) exiſtere voluerit; ut &, Deo coëxtitiſſe ab æterno immenſum ſpatium increatum, quod pro naturæ ſuæ modo occupaverit, & in æternum occupaturus ſit. Idem enim ille Deo attribuebat quantitatem aliquam (quia in Scripturâ reſpectu ſubſtantiæ ſuæ magnus dicitur) & corpus, ipſumque reverâ finitum & cœlo incluſum latitare docebat.

VIII. Rebus autem creatis Deus præſens eſſe dicitur, vulgato verſiculo, tribus modis, *enter*, *præſenter*, & ubique *potenter*: quod ita ex-

plicatur, ut primo modo Deus præſens ſit per eſſentiam, quæ omnibus rebus intimè conjuncta eſt; ſecundo modo omnibus rebus præſens ſit, quia omnia ſcit & cognoſcit ut præſentia; tertio vero modo, quia ad omnia operatio & potentia ejus pertingit.

Quæ ipſam Dei eſſentiam infert.

IX. Primus autem ille modus præſentiæ divinæ (de quo præcipuè controverſia eſt) patet 1. ex locis Scripturæ ſupra citatis, præcipuè 1. Reg. 8:27. *Ecce, cæli & cæli cælorum non continent te; quanto minus domus hæc quam ædificavi.* Act. 17:27. *Non longè abeſt ab unoquoque noſtrum.* & Jer. 23:24. *Nonne cælos & terram ego impleo?* 2. Ex rerum creatarum conditione, quæ cum ne momento quidem exiſtere poſſint, niſi continuo divina virtute veluti reproducantur, ea reproductio ſine Dei eſſentiâ ne concipi quidem poteſt. 3. ſpecialius ex Dei inhabitatione in fidelibus. *Ad eum veniemus* (Pater & ego) *& apud eum habitabimus.* Joh. 14:23. 4. Præcipuè ex inhabitatione naturæ divinæ in Chriſti naturâ humanâ, tanquam in templo, quod præſenti numine ſuo & ipſa Deitatis eſſentiâ, auguſtiſſimo modo, continuò implevit.

X. Imo niſi præſentiam Dei per modum corporeæ præſentiæ concipiamus, Deumque à ſe ipſo & ſuis attributis quid diverſum ſtatuamus, ne cogitari quidem poteſt, quomodo Deus non ipſe immediatè per naturam & eſſentiam ſuam, ſed ſolâ aliquâ potentiâ aut virtute à ſe diſtinctâ omnibus rebus præſens ſit. Ut etiam minus commode triplex ille modus præſentiæ divinæ vulgo diſtinguatur; cum ille non niſi unicus & ſimpliciſſimus ſit, nimirum per infinitam eſſentiam & naturam ſuam.

non tamen per modum extenſionis, ſed operationis; in qua eſſentia ſpiritus omnis conſiſtit.

XI. Reipſa autem impoſſibile eſt explicare modum quo Deus eſt ubique; cum intima Dei natura, moduſque operandi, quo ſolo concipi poteſt creaturis eſſe præſens, captum noſtrum longiſſimè ſuperet, nobiſque incomprehenſibilis ſit. Hoc unum ſaltem apertum eſt, omnipræſentiam Dei non eſſe concipiendam per modum alicujus extenſionis, & quaſi diffuſionis eſſentiæ divinæ per omnia; ſic enim Deus inſtar corporis conciperetur: ſed potius ea intelligenda eſt more ſpirituum, qui cum non aliter præſentes cogitari poſſint, quam per operationes ſuas, cum citra operationem nullum reſpectum ad ſpatium aut corpora habeant; pariter Deus efficaciſſima voluntatis ſuæ in rebus omnibus operatione, qua eas continuo conſervat, & intimè veluti fovet, iis præſens adeſſe intelligitur: quæ ſimul ipſius eſſentiæ divinæ, quæ à voluntate & potentia ejus diverſa non eſt, præſentiam ne-

neceſſario infert. Ita præclare & ad rem præſentem appoſitè Auguſtinus Epiſt. 57. ad Dardanum monet, *in eo quod dicitur Deus ubique diffuſus, carnali reſiſtendum eſſe cogitationi, & mentem à corporis ſenſibus avocandam, ne quaſi ſpatioſa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, ſicut fumus, aut humor, aut aër, aut lux iſta diffunditur (omnis enim hujuſcemodi magnitudo minor eſt in ſui parte, quam in toto) ſed ita potius, ſicut eſt magna ſapientia etiam in homine cujus corpus eſt parvum: aut ſicut ex omni parte ſani dicimur ſecundum modum præſentis in corpore ſanitatis* &c. Unde in fine Epiſtolæ concludit: *Quando Deum ubique præſentem, & non ſpatiis diſtantibus, quaſi aliqua mole, vel diſtenſione diffuſum, ſed ubique totum cogitare te attendis, averte mentem ab omnibus imaginibus corporum, quas humana cogitatio volvere conſuevit. Non enim ſic ſapientia, ſeu juſtitia, non ſic denique charitas cogitatur, de qua ſcriptum eſt: Deus charitas eſt.*

XII. Eſt ergo omnipræſentia Dei nihil aliud, quam denominatio extrinſeca, nata ex operatione Dei, quâ in omnibus rebus corporeis operatur, & propter illam operationem iis præſens eſſe dicitur. Quemadmodum itaque Deo tribuitur creatio à creationis actione, cum ante creator dici non potuerit; ſic immenſitas ante creationem corporum Deo attribui non poteſt. Denotat enim tantum reſpectum inter corpus, & Dei operationem in illo corpore. Sublato autem corpore, Deus equidem ſpiritibus eſſet præſens, ſicut & nunc iis præſens eſt, cum in iis operetur, & rectè omnipræſentia, non vero ubiquitas ei attribui potuiſſet; quia non fuiſſet ubi, neque ubique. Et cum ſpatia imaginaria nihil ſint, & Deus in iis non operetur, etiam Deus iis præſens non eſt. Fundamentum ergò omnipræſentiæ divinæ eſt ſumma illa eminentia Dei, quâ omnes res corporales & ſpirituales ab ipſo dependent, tam in initio ſuæ exiſtentiæ, quam in duratione, tam quoad ſubſtantiam, quam quoad operationes.

XIII. Ex perverſo autem conceptu præſentiæ divinæ, ad modum nimirum præſentiæ corporum, quaſi Deus partes, vel imaginarias, vel potentiales haberet, ſecundum quas rebus ſit veluti coëxtenſus, oriuntur iſtæ adverſariorum contra omnipræſentiam Dei objectiones: Deum nimirum ſimul eidem rei æqualem & inæqualem fore, dum totus exiſtit in re minimâ atque in re maximâ; & totum ſupra, totumque rurſum infra eandem rem fore; imo, cum infinitus & immenſus ſit, totum tamen fore in minimo pulviſculo: rurſuſque res ipſas maximè inæquales & diſſitas, inter ſe tamen æquales & unitas fore in tertio *Difficultates adverſus eam ſublata.*

illo,

illo, nempe indiviſibili eſſentiâ Dei. In his objectamentis enim partim non diſtinguitur eſſentia divina, quæ indiviſibilis ſemperque tota & perfecta eſt, ab ejus cum rebus coëxiſtentiâ & operatione, quę varia eſt pro diverſitate rerum quibus Deus coëxiſtit, quæque una re non terminatur aut exhauritur, ſed omnibus rebus æque adeſt, ſingulis autem pro diverſo ipſarum modo & ſtatu: partim ipſa Dei, coëxiſtentia perverſe more ſubſtantiæ corporeæ & extenſæ concipitur, & ipſa Dei eſſentia rebus quaſi cœxtendi, & ab iis menſurari, terminari, & quaſi comprehendi fingitur.

Tollunt eam Sociniani. XIV. Perverſe igitur Sociniani Deum in cœlo eſſentiâ ſuâ præſentem eſſe, reliquis autem creaturis ſolum per potentiam & operationem ſuam adeſſe ſtatuunt; per quam non intelligunt attributum aliquod Dei, ſed effectum & operationem potentiæ ipſius, ab eſſentia ejus diverſam.

Ut & Vorſtius, aliique. XV. Idem docuit Vorſtius, Deum nimirum ſubſtantialiter non eſſe in re qualibet, verum in cœlo tantum, in terra autem virtualiter ſolum. Cum quo paria hic faciunt Anabaptiſtæ quidam ex ſecta Flandrica; ut & Remonſtrantium nonnulli, quamvis rectè de hiſce locutus ſit Arminius. Nec ſatisfacit Epiſcopius, dum omnipræſentiam Dei ad ſalutem quidem creditu neceſſariam ſtatuit, verum ſufficere ut de potentia & ſcientia Dei eam intelligamus; & licet Dei eſſentiam in cœlo collocemus, modo eum tamen inde proſpicere in terras & rebus humanis intervenire credamus: quæ cum naturæ Dei ſpirituali & perfectiſſimæ repugnent, repudianda ſunt.

XVI. Non eſt autem hic quæſtio & diſſenſus de modo ſolum omnipræſentiæ Dei, qui dolus adverſariorum eſt, ac ſi rem ipſam concederent, de modo autem ſolo diſceptarent, quem humana mens capere non poſſit. Agitur enim de præſentiæ divinæ *re*, non de *modo*; & ſicut cum ipſi Deum in cœlo, tanquam in ſpecula, collocant, rem, non modum, in eo conſiderant; ita hic quæritur, an Deus itidem in terris ſit? hoc eſt, de re ipſa, non de modo aliquo præſentiæ divinæ quæritur. Dum autem illi Deum eſſentia ſua à terra revera abeſſe, & in ſolo cœlo degere credunt, in ipſo atheiſmi præcipitio conſiſtunt, juxta ejus characterem: *Dicunt, non eſt Jehova videns nos, dereliquit Jehova terram.* Ezech. 8:12. & 9:9.

Origo erroris illius. XVII. Origo erroris eſt conceptus corporeitatis in Deo. Unde & Vorſtius non veritus eſt Deo quaſi corpus adſcribere. Hinc & iſte ejus me-

Digitized by Google

metus, quo veretur Deum ſordibus terreſtribus contaminatum iri, ſi ubique terrarum præſens ſtatuatur: quaſi nimirum ſpirituum præſentia, ut corporum, à circumjacentibus corporibus afficeretur; cum tamen ſpiritus nullam ad corpora relationem habeant, niſi duntaxat quatenus in iis operantur: ut fruſtra ille metus ſit; ſecus enim non tantum terra, aqua & igni, ſed & cœlis ipſis Deus interdicendus eſſet, juxta illud Job. 15:15. *Et cæli non ſunt mundi in oculis ejus.*

XVIII. Nec juvat eum tacitus ille naturæ impulſus & motus, quo Deum implorantes manus ad ſidera tendimus. Hoc enim geſtu ſummi numinis majeſtatem & gloriam, & ſupra omnia quæ ubivis ſunt altitudinem, Gentiles innuerunt: fideles autem præterquam quod cœlum intueantur tanquam thronum cœleſtis Patris ſui, ubi ſe ipſum glorioſum exhibet & adorantibus offert, etiam rerum cœleſtium ſtudium hoc pacto fovere voluerunt, ut inde excitaremur ad quærendam habitationem noſtram & bona in cœlo nobis præparata. *Meliorem expetunt patriam, hoc eſt, cæleſtem. Quapropter non erubeſcit ipſe Deus vocari Deus eorum: paraverat enim eis urbem.* Hebr. 11:16. & ſpecialiter ut in N.T. doceremur expectare adventum alterum Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri, & adventantem quotidie proſpicere, utpote quorum πολίτευμα in cœlis eſt. Phil. 3:20.

XIX. Male quoque Pontificii & rigidiores Lutherani omnipræſentiam Dei creaturæ communicabilem ſtatuunt; neque etiam ſatis recte poſſibilis creaturæ ubiquitas ab aliis defenditur; quod dum de ipſo univerſo tandem intelligunt, in ineptum & tautologum ſenſum hæc ſubtilitas exit.

CAPUT XXVII.

De Æternitate Dei.

I. REſpectu temporis ſeu durationis Deus æternus eſt, quia **ÆTERNITAS** nec principium, nec finem habet exiſtentiæ. *Jehova ſæculi.* Eſai. 40:28. *Ecce Deus, magnus eſt (neque ſcimus) numerus* *Dei.* *annorum ejus.* Job. 36:26. *Quum nondum montes formati eſſent, inde à ſæculo & uſque in ſæculum tu Deus.* Pſal. 90:2. *Per generationem æternam ſunt anni tui, antequam terram fundaſſes* &c. *Anni tui non abſolvuntur.* Ibid. 102: 25, 26, 27. *Æterna ejus tum potentia, tum divinitas.*

Digitized by Google

Rom.1:20. *ex imperio æterni Dei.* Ibid.16:26. *Qui* (Chriſtus) *per Spiritum æternum ſe obtulit.* Hebr.9:14. *Sine patre, ſine matre, ſine genere, nec initium dierum, neque vitæ finem habens.* Ibid.7:3. *Qui ſolus habet immortalitatem.* 1.Tim.6:16. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Apoc.1:4. & 4:8. & 11:17.

II. Quod inde etiam liquet, quia Deus eſt ens ſummè perfectum; unde neceſſariò, atque adeo ab æterno, exiſtit. Conſtat enim perfectius eſſe quod à ſe exiſtit, quam quod ab alio eſt: quod autem à ſe eſt, ſemper & neceſſario eſt. Si enim aliquando non extitiſſet, nulla cauſa id potuiſſet producere. Atque adeo niſi Deus ab æterno eſſet, ne quidem eſſet. Non enim eſſet qui eum producere poſſet; & à ſe ipſo produci non poſſet, dum antea ipſe non eſſet.

Quæ concipienda ſine duratione ſucceſſiva.

III. Sicut autem omnipræſentia à Deo removet omne *ubi*, ita æternitas ab eo removet *quando*; quod Deo non competit, ſicut nec ſucceſſiva duratio, quæ quantitatem quandam & exiſtentiæ continuationem & veluti extenſionem dicit, & non niſi cum reſpectu ad motum concipitur, quo res illæ exiſtentes menſurari atque ei veluti coëxtendi ſolent.

IV. Male ergo Deum concipiunt, qui putant eum diutius duraſſe nunc, quam principio mundi; quaſi Deus continuo à ſe ipſo crearetur & reproduceretur: vel qui eum cum futurâ exiſtentiâ concipiunt. Tales enim perperam diſtinguunt eſſentiam Dei ab ejus exiſtentia, ut in creaturis, & æternitatem ejus concipere conantur ſine conſideratione divinæ eſſentiæ, ac ſi ea quid eſſet præter eam: cumque duratio omnis ſit affectio exiſtentiæ rerum, non verò earum eſſentiæ; in Deo autem exiſtentia non differat ab ejus eſſentia, ſequitur, perverſo conceptu Deo durationem ſucceſſivam & exiſtentiæ fluxum attribui.

V. Duratio tamen, quatenus ſimpliciter ſequitur exiſtentiam, & quatenus quicquid permanet & non interit durare dicitur, hoc ſenſu Deo quoque tribui poſſe videtur. Vere enim permanet duratque, & quidem verius quam ulla res creata, ſeu ſucceſſiva, cui vix momentanea permanentia & continuatio in eodem eſſe, adſcribi poteſt.

VI. *Duratio* autem qualis in creaturis vulgo concipitur, cum exiſtentiæ *continuatione* & *ſucceſſione*, & *tempus*, quod nihil aliud eſt quam collatio durationis rei cum duratione rerum illarum, quæ certum & determinatum motum habent, cum Dei perfectione nullo modo congruit. Nam exiſtentia actu infinita eodem modo illi competit ac actu infini-

Digitized by Google

infinitus intellectus: quæ infinita exiſtentia cum ſemper actu præſens ſit, atque adeo ſine ullo motu aut ſucceſſione aut innovatione concipi debeat, æternitas vocatur : quam non male Boëtius definivit, interminabilem vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem.

VII. Male ergo Sociniani in æternitate Dei propriè partes earumque ſucceſſionem ponunt; quin & tempus æternum eſſe volunt & increatum præter Deum. Sicut & Vorſtius infinitum tempus, non interruptâ ſucceſſione, Deo attribuit. Reſpuit enim illa ſumma Dei perfectio, quâ Deus ab æterno ſeipſum perfectiſſimè & ſimul poſſedit : nec quicquam in ſumma illa perfectione vel præteritum vel tanquam futurum concipi poteſt, ſine illius læſione & diminutione; atque ipſe Deus adhuc quotidie eo perfectior erit, quo diutius durare ſtatuetur.

VIII. Adſcribit quidem Scriptura Deo annos & dies, Pſal.90: 4. 2 Pet.3: 8. verum annos & dies, qui nec numerantur, adeoque momentis numerabilibus non conſtant, nec finiuntur; unde Dan. 7: 9. עתיק יומין *permanens dierum*, μὴ παλαιούμενος, Eſai.23: 18. dicitur. Quod in Deo vitæ perpetuitatem, ſed immutabilem & ſucceſſione carentem, notat.

Quomodo ea tamen temporum diſcrimina complectatur.

IX. Quamvis autem æternitas ita ſit indiviſibilis, recte tamen intelligendum eſt, quod dicitur eam omnia temporum diſcrimina complecti tanquam punctum aliquod. Illud enim verum eſt de exiſtentia Dei ante mundum conditum, cum nullus motus, adeoque nullum tempus eſſet; unde tota Dei exiſtentia inſtar puncti ita conſideratur. Poſt mundum autem conditum æternitas eatenus complectitur omnia rerum diſcrimina, quatenus iis coëxiſtit per durationem connotativam & relativam. Sicut ita hodie coëxiſtit tempori præſenti, non vero futuro. Unde nulla Deo adſcribitur ſucceſſio, ſed denominatio duntaxat à tempore ſucceſſivo, cui Deus coëxiſtit.

Et rebus ſucceſſivis coëxiſtat.

X. Permanens ergo Dei exiſtentia, ſeu potius eſſentia, etſi ſucceſſiva non ſit, neque partes habeat, rebus tamen ſucceſſivis coëxiſtere poteſt, & per eas quaſi menſurari : ita ut per coëxiſtentiam Dei ad res ſucceſſivas (quibus ſingulis ſuo ordine, & quaſi per partes, prout nimirum illæ exiſtent ſecundum omnia temporum diſcrimina, coëxiſtit) eo in ordine ipſi partes quodam modo aſſignari poſſint, ſicut omnibus rebus permanentibus, quæ eſſe ſucceſſivum cæteroquin non habent. Ita ex. gr. non coëxiſtit Deus hodie diei craſtinæ : & rurſus

Digitized by Google

exiſtentia Dei cum tempore menſurari cœpit. Quod tantum novum reſpectum & relationem rerum ad exiſtentiam Dei infert, qua illæ æternitati coëxiſtunt, vel adexiſtunt potius.

XI. Nec inde ullo modo ſequitur, Deum ex. gr. die craſtina incepturum eſſe, eodem modo ut ipſe dies craſtinus. Futura enim alicujus rei coëxiſtentia cum motu futuro non ideo rem illam ipſam futuram eſſe quoad exiſtentiam dicit; ſed tantum coexiſtentiam ejus futuram, & novam relationem & denominationem futuram indicat, ſine ulla ipſius rei mutatione vel ſucceſſione, utpote quæ ipſa extra omnia temporum diſcrimina eſt, neque ideo brevius vel longius durare dici poteſt.

Æternitas ſoli Deo propria.

XII. Eſtque æternitas hæc attributum ſoli Deo proprium, ut nulli alii creaturæ adſcribatur, vel adſcribi poſſit. Hinc etiam Scriptura æternitatem Dei exprimit iſtis phraſibus, quæ Deum ponunt ante mundum conditum. *Ante ullum tempus: ante principium, ante primordia terræ.* Prov. 8:22, 23. *Ante jacta mundi fundamenta.* 1. Pet. 1:20. quod eſſe non poſſet, ſi mundus, ſimiliter ac Deus, æternus foret. Et ſi vel mundus ab æterno à Deo produci potuiſſet, alterius tamen plane generis æternitas hæc mundi, ac illa Dei eſt, fuiſſet.

XIII. Ut male Sociniani Deo aliquid coæternum ponant, materiam nimirum primam informem, quæ ante conditum mundi fuerit; itemque cœlum tertium, domicilium Dei, quod increatum ſtatuunt.

CAPUT XXVIII.

De Simplicitate & Immutabilitate Dei.

SIMPLICITAS *Dei.*

I. VLtimum Dei attributum, ex omnium unione fluens, eſt ſimplicitas ejus; quæ omnium attributorum Dei arctiſſimum nexum, & individuam unitatem & identitatem dicit; unde illa nec ſeparationem nec mutationem ullam pati poſſunt. Exod. 3:14. *Ero qui ero.* Quod & Scriptura innuit, ubi attributa Dei de ipſo non ſolum in concreto, verum etiam in abſtracto enunciat. Amos 4:2. Pſal. 89:36. conf. Hebr. 6:13. Joh. 14:6. 1. Joh. 1:5. & 4:8.

II. Cum enim Deus ſit actus puriſſimus & infiitus, omnem, etiam minimam, compoſitionem reſpuit, nec ulla attributorum ejus cogitari poteſt

Digitized by Google

poteſt diviſio: unaquæque enim ejus perfectio à reliquis ſeparata, vel ſeparabilis, hoc ipſo non omnem perfectionem poſſideret, atque adeo ad Deum, ens perfectiſſimum, conſtituendum inſufficiens foret; niſi ens ſumme perfectum conſtare velimus ex partibus veluti, quæ ſingulæ ſunt imperfectæ.

III. Neque ſolum comparatè & reſpectu aliarum rerum Deus ſimplex dicitur, cum nulla res creata ſit quin multiplici compoſitione atque imperfectione laboret; nulla enim purus actus eſt, nec perfectiones illas omnes in ſe comprehendit quarum nexus ſimplicitatem facit: verum ſimpliciter & abſolutè ſimpliciſſimus eſt, ut nulla omnino in eo compoſitio locum habeat; non *Logica*, ex genere & differentia, propriè ſic dictis; nec *Phyſica*, ex materia & forma, aut partibus quantitativis, aut ex ſubjecto & accidente; nec *Metaphyſica*, ex actu & potentia, ex eſſentia & exiſtentia, aut ex natura & ſuppoſito. *quæ omnimoda eſt.*

IV. Vel ſimplicius: cum in rerum natura nihil detur, niſi ſubſtantiæ earumque modi, & ex eorum unione omnis oriatur compoſitio, Deus neutro iſtorum modorum componitur. Nec enim plures in Deo ſubſtantias ponere licet, niſi plures Deos fingas: nec partes diverſæ in eo ponendæ ſunt; nam ſive finitas eas, ſive infinitas dicas, utrumque repugnabit; & in eaſdem partes, ex quibus compoſita foret, divinam eſſentiam reſolvi poſſe, atque adeo corruptibilem eſſe, conſequetur: neque etiam modi ulli in Deo ſunt, cum Deus per eſſentiam ſuam poſſideat & habeat omnia, adeoque modos vel modificationem eſſentiæ ſuæ non admittat.

V. Non tollit tamen illa ſimplicitas Dei diverſas relationes & reſpectus in eo, tum reſpectu hominis, tum reſpectu ſui ipſius: relationes enim non ſuperaddunt novam perfectionem eſſentiæ, ſed habitudinem tantum eſſentiæ ad alia important. *Non tamen eam tollunt varia divinam eſſentiam ſubſiſtendi, aut operationem concipiendi rationes.*

VI. Nec repugnat ei diſtinctio inter eſſentiam Dei & ejus attributa: eſt enim ea ſolius rationis, nec propriè in Deo eſſe, ſed ratione fingi concipitur, ut res eo facilius intelligatur; adeoque illa ſimplicitatem Dei non tollit, cum eſſentia Dei, ſine attributis ejus ne concipi quidem poſſit, adeoque ea non accidentaliter, ſed eſſentialiter ipſi inſint.

VII. Nec etiam obeſt ipſa attributorum divinorum multitudo: cum illorum omnium individua complexio ipſam conſtituat ſimplicitatem.

Digitized by Google

VIII. Neque eam tollit perſonarum Trinitas : cum enim Deus actu æterno talis fuerit, atque ipſæ illæ perſonæ & inter ſe & ab eſſentia Dei ſint inſeparabiles, compoſitionem & ſeparabilitatem in eo inferre non poſſunt.

IX. Actiones Dei cum immanentes, tum tranſeuntes, magis ab eo ſunt, quam in eo: ſpeciatim immanentes quod ſpectat, ad quas decreta Dei referuntur, non inſunt ipſi per modum alicujus variationis, vel diverſæ modificationis, ſed Deus in iis agit per ſuam eſſentiam, per modum vitalis principii conſideratam; ita ut eæ ab ipſo Deo non differant, qui unico & æterno actu omnia peragit. Quanquam etiam agnoſcendum eſt, modos agendi & operandi in Deo eſſe omnes infinitos, & ideo ſuâ naturâ à nobis incomprehenſibiles, adeoque nos perfectum conceptum de iis formare non poſſe: ut fruſtra laborent, qui modos illos diſtinctè exprimere atque enodare ſeſe poſſe confidunt, & quomodo illi modi operandi in Deo ſint, & nullam ibi compoſitionem aut mutationem inferant plenè explicare.

Negata à Vorſtio aliiſque. X. Erroneè & perverſè ergo Vorſtius, qui in theſibus ſuis de ſimplicitate Dei benè locutus erat, in notis ad diſput. 3. perſonam exuens, negat eſſentiam Dei eſſe omnimodo ſimplicem, ſtatuens quicquid in Deo eſt non eſſe Deum, atque in eo modos & accidentia admittens.

XI. Hunc imitati Remonſtrantes totam hanc quæſtionem metaphyſicam vocant, & ne jota quidem de ſimplicitate Dei in Scriptura occurrere volunt, atque adeo leviter hac diſputatione defunguntur, nec ſatis integrè & caſte eam tractant, nec omnem prorſus compoſitionem à Deo removent: cum tamen plus quam unum jota de ſimplicitate Dei in Scripturâ occurrat; ubi nempe multiplicitas de Deo negatur, vel ſumma ejus unitas aſſeritur, quæ etiam ſinceram & perfectam operum atque attributorum Dei unitatem & immutabilitatem dicit; omniſque adeo mutabilitas & compoſitio ab eo removetur; atque ipſe dicitur perpetuo eſſe, & futurus eſſe qui eſt, ſolus nimirum Jehova. Exod. 3: 14.

IMMUTABILITAS *Dei.* XII. Ex horum omnium attributorum arctiſſima & ſimpliciſſima conjunctione porro reſultat *immutabilitas* Dei, per quam omnia attributa & perfectiones ſuas perfectiſſimo modo poſſidet, ut nec melius, neque aliter ſeſe habere, adeoque nullam variationem recipere poſſit. *Ego Jehova non mutor*. Mal. 3: 6. *Apud quem non eſt tranſmutatio, aut converſionis obumbratio*. Jac. 1: 17. *Regi æterno, incorruptibili* &c. 1. Tim. 1: 17.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Unde omnis prorſus mutatio & mutabilitas à Deo removenda eſt; quippe quæ ſemper aliquam imperfectionem infert, vel præteritam, ſi mutatione illâ perfectior ſtatus acquiratur, vel futuram, ſi deterior: neque ulla res beatiſſimæ ac perfectiſſimæ eſſentiæ magis adverſa eſt, quam illam mutationibus obnoxiam eſſe, eaſque vel aliunde pati, vel à ſe ipſa, ac ſi ea in ſeſe non omni modo beata & contenta foret.

XIV. Cumque omne quod mutatur, vel quoad eſſentiam immutetur, ut eſſe deſinat & in nihilum redigatur; vel in partes, ex quibus compoſitum eſt, rurſus reſolvatur; vel denique ſecundum accidentia ſive modos & formas certas, quibus eſſentia ejus determinatur, immutationem atque innovationem patiatur; nulla horum mutationum ſpecies in Deo locum habet. Non prima, quia Deus per eſſentiam ſuam exiſtit neceſſario: nec etiam reliquæ, quia propter ſimplicitatem ſuam partes & modos omnes reſpuit, atque eſſentiam poſſidet maxime actualem, & talem cujus perfectiones omnes, cogitationes omnes, actuſque omnes ſimul & ſemel exiſtunt, ſemperque ipſi præſentes ſunt; ut in ipſo mutatio, ſive aliter & alio modo eſſe, aliuſve modus exiſtendi, aliive actus, ne cogitari quidem poſſint. Cum quicquid in Deo eſt, vel eſſe poteſt, ſit ipſi ſemper præſens & maximè neceſſarium, nec in ejus eſſentia aliquid, tanquam ſic vel ſic eſſe poſſe, vel tanquam futurum, concipi poſſit, quandoquidem omnia actu ipſo ibi jam ſint exiſtant. *Quæ omnimoda eſt.*

XV. Ita nulla omnino in ipſum cadit mutatio, nec quoad eſſentiam, quod ex Anabaptiſtis quidam ſtatuunt, dum Filium Dei in carnem eſſe mutatum volunt; nec quoad exiſtentiam; nec quoad accidentia vel modos; nec quoad cognitionem; nec denique quoad voluntatem & decreta: unico enim & æterno actu omnia voluit; nec voluit niſi optima, & quicquid voluit eo ipſo optimum eſſe effecit. Ut male Vorſtius cum ſuis, mutationem in Deo ſecundum voluntatem & conſilium locum habere poſſe, docuerit, contra dictum Num. 23: 19. *Deus fortis non eſt homo qui mentiatur, aut filius hominis quem pœniteat: an ipſe dixerit, & non faciet?* Eſai. 46: 10. *Conſilium meum ſtabit, & omne beneplacitum meum facturus ſum.* Hebr. 6: 17, 18. *Deus volens oſtendere immutabilitatem conſilii ſui, fidejuſſit jurejurando: ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non poteſt ut mentitus ſit Deus, validam conſolationem habeamus.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

De Gloria & Beatitudine Dei.

GLORIA *Dei.* I. ATque ex omnibus hiſce attributis & perfectionibus Dei reſultat ſumma ejus *gloria* & majeſtas, quam tum in ſe ipſo ab æterno poſſedit, tum in tempore in creaturis & operibus ſuis oſtendit & exeruit; quæ omnia pariter, atque uno veluti ore, ipſi gloriam & immortales laudes perhibent. *Ego ſum Jehova, illud eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Eſai.42:8. *Omnia in gloriam Dei facite.* 1.Cor.10:31.

BEATITUDO *ejus.* II. Quam neceſſario nexu conſequitur ſumma & perfectiſſima ipſius *beatitudo*, dum omnia in ſe ipſo poſſidet, ſeque ipſo fruitur perfectiſſimè, nullius indigus, omnis boni compos, in quo pleniſſimè acquieſcit. Unde *beatus* appellatur, 1.Tim.1:11. & 6:15. quatenus nimiùm ſe ipſum, ſuamque ſufficientiam, & perfectiones & virtutes cognoſcit, amat, atque omnibus operibus ſuis delectatur; utpote cum omnia agat ex beneplacito voluntatis ſuæ, neque ab alio ingrati vel acerbi quicquam pati, vel aliunde ipſi tale quid accidere poſſit.

& inde noſtra. III. Alia vero eſt creaturæ intelligentis beatitudo, quæ extra ſe illam quærit, & in Deo ſolo tandem quieſcit. Unde fides noſtra firmum habet fundamentum, quia nititur Deo, omnis perfectionis, beatitudinis & gloriæ poſſeſſore & auctore.

LO-

Digitized by Google

LOCUS TERTIUS
De S.S. TRINITATE.
CAPUT XXX.
De S. S. Trinitate & Perſonarum Diſtinctione.

I. QUicquid de unicâ, ſpirituali & immenſa Dei eſſentia concipimus, non dat nobis plenam Dei ideam & verum ejus conceptum, niſi quis ille Deus ſit ſciamus, eumque ſpeciali aliquâ notâ & charactere à falſis diis diſtinguamus. *Quis ſit Deus*

II. Ubi nobis occurrit auguſtum illud S. S. Trinitatis myſterium. Cujus ſumma eſt, unicam eſſe divinam naturam & eſſentiam, tribus perſonis communem, quæ per incommunicabiles proprietates ſunt à ſeſe invicem diſtinctæ. *docet myſterium* SS. TRINITATIS.

III. Ut autem ritè hoc myſterium capiamus, præmittenda ſunt vocabula quædam & notiones, quibus in hoc argumento uti ſolemus. *Naturæ*, *Exiſtentiæ*, *Subſtantiæ*, *Subſiſtentiæ*, *Perſonæ* &c. *Vocabula hic uſitata.*

IV. *Natura ſeu eſſentia*, rei quidditatem notat, atque de Deo rectè uſurpatur. vide Gal. 4: 8. *ignorantes Deum, ſerviebatis iis, qui non naturâ ſunt dii.* Nec abludit Hebræum תּוּשִׁיָּה à יֵשׁ quod *τὴν ὄντως οὐσίαν*, ſeu ὕπαρξιν *exſtantiam* (Macrobii vox *exiſtentiam* Scholæ dicunt) notat. *Cum ipſo eſt* עֹז וְתוּשִׁיָּה *robur & res.* Job. 12: 16. atque illud quoque dicit ipſum nomen *Jehova.* Occurrit quoque θειότης *divinitas*, Rom. 1: 20. & *μορφὴ τοῦ θεοῦ forma Dei*, Phil. 2: 6. quæ æquivalent. *Natura, ſeu eſſentia.*

V. *Exiſtentia* non modus rei, ſed actus eſt; & proprie tantum ſubſtantiarum eſt: cum accidens non habeat exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ ſuæ. *Exiſtentia.*

VI. *Subſtantia* præter eſſentiam quoque ſubſiſtentiam dicit, atque definitur, ens per ſe ſubſiſtens: quod propriè eſt ita exiſtere, ut nullâ aliâ re ad exiſtendum, præter Deum, indigeat. *Subſtantia.*

VII. Atque adeo *ſubſiſtentia* modus ſubſtantiæ eſt, qui tamen nihil poſitivi ſubſtantiæ ſingulari ſuperaddit, nec ab ea diſtinguitur; quo illa proprie ac per ſe exiſtit, ultimoque completa eſt: niſi accedat ordina- *Subſiſtantia.*

Digitized by Google

tio ad aliam ſubſtantiam, ſive divina, ſive humana, per quam ita cum illâ conjungatur, ut actiones & paſſiones utriuſque toti compoſito, communi nomine appellato, attribuantur.

VIII. Falſum enim eſt, ſubſiſtentiam conſiſtere in incommunicabilitate, cum omni rei creatæ ulterior ordinatio ad aliam rem, adeoque communicabilitas accedere poſſit: conſiſtit autem ea in incommunicatione, ſeu quod non ordinetur una res ad aliam, ut cum eâ unum totum conſtituat.

IX. Cum vero duo ſint ſubſtantiarum genera, unum intellectualium, aliud materialium; ex uſu materiales appellantur ſuppoſita, intellectuales autem ſeparatim exiſtentes perſonæ: ita tamen ut propriè loquendo eadem ſit ſubſiſtentia in rebus materialibus, quæ in intellectualibus, quamvis nomine diverſo exprimatur.

Perſona. X. *Perſona* ergo, quâ voce, à ſcenâ primitus tranſlatâ, in ſacris primus uſus eſt Tertullianus, nihil aliud ſignificat quam ſubſtantiam quæ non eſt unita alii. Ita ut perſonalitas ſolum negationem unionis dicat.

XI. Græcis autem vox πρόσωπον circa hoc myſterium uſurpata eſt in concilio Niceno, imo & ante, in elenchum ψιλοῦ ὀνόματος Sabellii; atque alterum vocabulum ὑποστάσεως, quod in Symbolo Athanaſii occurit, præeunte Scripturâ, Hebr. 1:3. ubi Chriſtus dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως *character ſubſiſtentiæ* Patris, q. d. imago ſic Patrem exprimens, quemadmodum id quod in cerâ eſt, exprimit formam, quæ in ſigillo eſt. Ut moroſe nimis Mennonitæ aliique hanc vocem refugiant. Quanquam de nomine nulla erit difficultas, modo quis divinis perſonis ea tribuat, quæ Scriptura de iis pronunciat, nempe talia prædicata, qualia perſonis tribui ſolent, prout à rebus & actionibus vulgo diſtinguuntur: qualia in ſpecie non tantum Patri, verum & Filio, & Sp. S. in Scripturis diſerte attribuuntur.

XII. In ſcholis autem perſonæ hæ divinæ in abſtracto notant in eſſentiâ divinâ ſubſiſtentias quaſdam, proprietatibus incommunicabilibus diſtinctas; in concreto autem, ſubſtantias ſeu ſuppoſita incommunicabiliter diſtincta. Præter ſubſiſtentiam enim conſiderandæ ſunt proprietates perſonales, quas concipere poſſumus tanquam fundamentum trium quas dicimus perſonarum: eſtque illud ſpectandum tanquam analogum quid eſſentiis diverſis, quæ alias fundamentum ſunt diverſarum perſonarum in humanis.

XIII. In ſingulis ergo perſonis conſideranda eſſentia communis, & mo-

& modus ſubſiſtendi proprius. Modus Patris, quod ſubſiſtat habeat-que eſſentiam paternè; filii, filialiter; Sp. S., proceſſionaliter. Quorum modorum, ſecundum quadruplicem in ſummâ ſimplicitate virtutem, quadruplex eſt munus. 1. conſtituere perſonas ipſas, ut per modos ſubſiſtendi. 2. eaſdem referre ad ſe invicem, per relationes mutuas. 3. atque diſtinguere, quatenus proprietates ſunt ſingulis peculiares. 4. tandem indicare & notificare perſonas, per rationes quaſdam characteriſticas. *modi ſubſiſtendi.*

XIV. Hæ perſonæ in eſſentiâ divinâ tres ſunt, cum tribus hiſce quicquid nomine perſonæ exprimi ſolet, quam diſertiſſimè in Scripturâ tribuatur. Eſſentia autem unica eſt. Unde myſterio huic exprimendo commodiſſimum eſt nomen Trinitas: quod quantum ad rem ipſam ἔγγραφον eſt. *Tres ſunt qui teſtantur in cælo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt.* h. e. unam habent θεότητα & θειότητα, ſive θείαν φύσιν. 1. Joh. 5:7. ut male Pontificii ex traditione illud arceſſant. *Perſonarum divinarum Trinitas.*

XV. Tribus autem hiſce perſonis eadem numero eſſentia communis eſt; non quidem ut ſpecies individuis, aut ſubſtantia ſecunda primis, nec ut accidens ſubjectis, nec ut cauſa effectis, nec ut totum partibus, nec denique ut res rebus, ſed ut res ſuis modis qui ſunt in re, ſeu ut natura ſingularis ſuis ſuppoſitis, in quibus varios conſequitur ſubſiſtendi modos. Ita ut ſubſiſtentia vel modus ſubſiſtendi trinus optimè conveniat cum ſubſtantiæ divinæ unitate: neque ubi præter ſubſtantiam concipimus alium ſubſiſtendi modum, inde ulla ſubſtantiæ multiplicitas ſequitur, cum ea unica & eadem in tribus perſonis ſingulariter exiſtat. *in eadem eſſentia.*

XVI. Quod autem eſſentia divina diverſis perſonis communis eſt, non propriè ex infinitate, vel aliqua alia Dei perfectione nobis cognitâ fluit; cum hæc non magis ad trinitatem, quam ad perſonarum in Deo infinitum numerum ſtabiliendum facerent. Solummodo vero credendum eſt ita eſſe, quia ita nobis revelatum eſt; quamvis quo modo aut cur ita ſit, intelligere nequeamus. Ut perperam ab adverſariis inferatur, niſi unicam perſonam in Deo ſtatuamus, infinitas fore ſtatuendas.

XVII. Diſtinguuntur hæ perſonæ, cum ab eſſentiâ, tum à ſe invicem. *Perſonarum divinarum diſtinctio.*

XVIII. Ab eſſentia quidem multi eas diſtinguunt ratione ratiocinatâ; cum nihil in Deo concipi poſſit quod non ſit ipſe Deus, quodque ſalvâ ejus infinitâ eſſentiâ de eâ negari poſſit. *ab eſſentia:*

X 2 XIX.

an modalis? XIX. Cum autem eadem diſtinctio inter attributa Dei & eſſentiam locum habeat, alii modalem diſtinctionem hic ſtatuunt; qualis nimirum eſt inter modum & ſubſtantiam quam modificat.

& quomodo? XX. Verum modus propriè Deo tribui non poteſt, ſicut rebus creatis, quæ, cum finitæ ſint, diverſimodè affici, atque modos, plus quam ratione ab ipſis diſtinctos, admittere poſſint. At Deus, qui eſt ens infinitum, atque omnia per ſuam eſſentiam poſſidet, & infinito modo comprehendit, ita modificari nequit, cum nihil extra ejus eſſentiam, vel quod ab ipſâ aliquo modo diverſum ſit, ipſi attribui poſſit.

XXI. Niſi forte modum latè ſumere velis, ut notet omne quod alicui attribuitur (ſicut & ſic attributa Deo tribuuntur) & ſic imperfectionem in Deo non notabit, cum divinæ eſſentiæ immutabiliter inſit, atque per analogiam quandam id vocabulum ad Deum transferetur. Balbutimus hic enim, & terminos, qui de creaturis proprie uſurpantur, rebus divinis applicamus, quia non habemus aliam linguam. Atque hoc ipſum etiam à Scripturâ fit.

XXII. Hoc ergo unum ſolum de S. Trinitate concipi poteſt, Deum ſe revelaſſe, ut unum eſſentia, ita tamen ut in eâ eſſentiâ ſint quædam, quæ non ſunt diverſa nomina, nec attributa, nec denominationes, ſed alio quodam modo differant: quo autem modo, comprehendere non poſſumus, nec ejus rei conceptum formare; adeoque hic ſubſiſtendum. Et præſtitiſſet omnes Chriſtianos hic ſubſtitiſſe, cum nec revelatio, nec ratio plura de eo doceant, ſicut in aliis dogmatis, ubi ſeu revelatio, ſeu ratio diſtinctè de iis multa docent: quod hic non fit, ubi rem totam intelligere non poſſumus. Et quamvis tutiſſimum ſit loqui Scripturæ verbis, tamen & hæc ipſa dicenda ſunt à nobis non plenè intelligi.

Diſtinctio perſonarum inter ſe: (ubi vitandus 1. Sabellianiſmus. XXIII. Inter perſonas ipſas major videtur eſſe diſtinctio: circa quam duplex vitandus eſt ſcopulus: 1. Sabellianiſmus, unicam tantum ſtatuens perſonam, quæ propter diverſos effectus aut reſpectus modo Pater, modo Filius, modo Sp. S. appelletur; ſicut propter diverſa effecta uni Deo diverſa attribuuntur attributa Qui nuper etiam Serveti fuit error. Verum diverſæ perſonarum notiones, utpote Patris, Filii: *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Pſal. 2: 7. Dei, Sermonis: *In principio erat Sermo; & Sermo erat apud Deum; & Deus erat Sermo. Hic erat in principio apud Deum.* Joh. 1: 1, 2. trium teſtium: *Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus; & hi tres*

unum

Digitized by Google

unum ſunt. 1. Joh. 5:7. & quæ ſingulis earum attribuuntur proprietates & opera, longe aliud quam trinominem duntaxat unitatem efferunt. Unde & Chriſtus ipſe de Patre manifeſtè loquens: *Alius*, inquit, *eſt, qui teſtatur de me*. Joh. 5:32. & de Sp. S. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum* (advocatum) *dabit vobis*. Joh. 14:16.

XXIV. 2. Tritheiſmus Peratarum, Philoponi, Valentini Gentilis, & ſimilium, quaſi in divinis tres forent ſpiritus æterni, eſſentiali numero inter ſeſe differentes. *2. Tritheiſmus.)*

XXV. Quibuſdam ergo perſonæ diſtinguntur à ſe invicem realiter, non ſtrictè, quaſi in Deo ſint res & res, ſed latius, quatenus ea diſtinctio non pendet à conceptu noſtro, neque ficta, aut à nihilo eſt. *quibuſdam realis.*

XXVI. Cum autem hæc latiori ſenſu realis diſtinctio vocetur, alii commodius ſibi loqui videntur, ſi ſtatuant inter perſonas diſtinctionem modalem, cum per modos exiſtendi incommunicabiles ipſæ perſonæ conſtituantur. *aliis modalis.*

XXVII. Verum cum nulla in rebus creatis, à quibus diſtinctionum harum genera deſumuntur ſimilis ſit diſtinctio, qualis hæc inter perſonas divinas eſt, præſtaret forte abſtinere ab iſtis diſtinctionum modis, atque nec realem, nec modalem, nec rationis, vel alio vocabulo eam appellare: ſed potius ſimpliciter dicere, Filium diſtingui à Patre, ut genitus à gignente, imago ab exemplari ſuo, productus à producente. vide Hebr. 1:3. ubi Filius dicitur *fulgor gloriæ & character ſubſtantiæ* Patris. & Col. 1:15. *imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*. & Spiritum S. ut ſpiratus à ſpirante, & procedens ab eo à quo procedit. *Quum autem venerit paracletus ille, quem ego vobis mittam à Patre; Spiritus ille veritatis, qui à Patre ἐκπορεύεται exit; ille teſtabitur de me*. Joh. 15:26. rejectis & repudiatis vulgarium diſtinctionum formulis; cum qualis quantaque ſit hic diſtinctio perſonarum, cum inter ſe, tum ab eſſentiâ divinâ, forte à nobis concipi aut exprimi non poſſit. Diſtinctionem aliquam eſſe novimus, quia Scriptura eam indicat, dum tres nominat, Patrem, Filium & Sp. S. Cum vero nuſpiam explicet, qualis illa diſtinctio ſit, capi ea à nobis non poteſt. Sufficit ergo hic ſcire, intercedere diſtinctionem aliquam, licet qualis vel quanta ea ſit ignoremus. Neque Veteres eo minus ac nos hic ſapuerunt, licet ii recentes noſtras diſtinctionum formulas ignorârint. Cum ergo in ſpecie nullum diſtinctionis genus huic myſterio applicare poſſimus, commodiſſimè fortaſſis diſtinctionem hanc generali vocabulo, quo tamen eam ab omnibus aliis ſejungimus, *perſonalem* appellabimus. *commodiſſima fortaſſis perſonalis*

Cujus fundamentum eſt in proprietatibus perſonalibus:

XXVIII. Conſtituuntur autem hæ perſonæ per *proprietates* ſuas perſonales, quæ hic conſiderantur non in eſſe ſuo denominativo & relativo, ſed in ſuo fundamento, operationibus nimirum Dei ad intra, quæ reſpiciunt perſonas ipſas S. S. Trinitatis, quæque adeo fundamentum quaſi ſunt & ratio, cur perſonæ ſingulæ tali & tali modo ὑπάρξεως ſubſiſtant.

quas perperam perfectiones propriè appelles.

XXIX. Non ſunt autem illæ proprietates perfectiones propriè appellandæ; neque adeo hinc una perſona, ob peculiarem, quam poſſidet, proprietatem perſonalem; perfectior alterâ ſtatuenda. Cum enim omnis perfectio vel ſit abſolutè ac ſimpliciter talis, vel in ſuo genere tantum; primi generis perfectiones non perſonis, ſed eſſentiæ divinæ propriè conveniunt, adeoque omnibus perſonis æqualiter adſunt: poſterioris autem generis (ſi modo perfectiones eas vocare velis, quod non niſi tenui admodum ſenſu fieri poteſt) tantum relativæ ſint, quæ ita ſingulis perſonis conveniunt ut in aliis perſonis perfectiones ponant correlatas; ut tantæ perfectionis ſit eſſe ex. gr. Filium aut Sp. ſanctum, quantæ eſſe Patrem. Præterquam quod in iis, quæ diverſa ac diſtincta ſunt, non procedat, quod carere re aliqua, quæ alii adſit, ſit imperfectio. Sic enim oculus habet quod auris non habet, & vice verſâ; eſt tamen æque perfecta auris in ſuo genere ac oculus. Denique eſſe Patrem, eſſe Filium, eſſe Sp. S. hoc omne perfectio eſt unius Dei.

Ex quibus omne perſonarum diſcrimen.

XXX. Atque hinc varium perſonarum diſcrimen profluit. 1. *ordinis*, juxta quem Pater prima eſt perſona, Filius ſecunda, S. S. tertia. vide Matth. 3:16, 17. ubi Pater è cœlis Jeſum appellat *Filium ſuum dilectum, & Spiritus S. tanquam columba deſcendit & venit ſuper ipſum.* & 28: 19. jubentur fideles *baptiſari in nomen Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* 1. Joh. 5: 7. *Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, ſermo & Spiritus S.* Craſſe autem nimis Epiſcopius hinc etiam dignitatis ac poteſtatis prærogativam in Patre intulit, & perſonas in S. Trinitate non coordinatas, ſed ſubordinatas eſſe, atque inæqualibus veluti portionibus divinitatem poſſidere diſſeruit. 2. *quoad modum operandi*, cum Pater à ſeſe, Filius à Patre, Sp. S. ab utroque agat. *Quum venit plenitudo temporis, emiſit Deus Filium ſuum, naſcentem ex muliere.* Gal. 4: 4. *Sed paracletus, Spiritus ille ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia & faciet vos recordari omnium, quæ dixi vobis.* Joh. 14: 26. *Quum autem venerit paracletus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.* Joh. 15: 26. 3. Unde & diſcrimen aliquod

emergit

Digitized by Google

emergit in *operationibus ad extra,* juxta quas Patri creatio, Filio redemtio, Sp. S. ſanctificatio attribuitur; ut infrà videbimus.

CAPUT XXXI.

De Perſonis divinis in ſpecie.

Nota characteriſtica trium Perſonarum.

I. Cum juxta actiones illas ad intra Deus conſiderari poſſit, vel ut producens (detur venia verbo) ſolum, vel ut producens & productus ſimul, vel ut productus tantum; hæ tres veluti notæ characteriſticæ ſunt, quæ tres perſonas in Deitate conſtituunt.

PATRIS.

II. *Patris* proprietas perſonalis, atque actus ejus veluti notionalis eſt generatio ſeu gignere. *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Pſal. 2:7. *Intuiti ſumus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre.* Joh. 1:14. *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut quiſquis credit in ipſum, non pereat.* Ibid. 3:16. Unde ipſe ἄναρχος, αὐτοφυὴς & ἀγέννητος dicitur; non ſolum eſſentiæ, ſed & perſonæ reſpectu.

FILII.

III. *Secunda perſona* proprietas eſt gigni à Patre, atque per actum iſtum æternum eandum cum Patre eſſentiam indiviſibiliter poſſidere.

Quod nomen ipſi in maxima emphaſi convenit.

IV. Unde nomen *Filii* communiter in N. fœderis libris ipſi attribuitur: quod ex Vet. T. repetitum, ubi aliquoties occurrit, ut 2. Sam. 7:14. *Ego ero ipſi Pater, & illud (*ſemen*) erit mihi Filius.* Pſal. 2:7. & v. 12: *Exoſculamini Filium.* Prov. 30:4. *Et quod nomen Filii ipſius?* Ezech. 21:10 *Virga Filii mei* gladius *ſpernens omnem arborem.* Quo & ſpectat quod אָמוֹן dicitur, qui in ſinu eſt, Prov. 8:30. conf. Joh. 1:18. *ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, qui eſt in ſinu Patris.* Quod nomen ipſi in maxima emphaſi ac plenâ virtute vocabuli convenit, Rom. 1:4. *ἐν δυνάμει* (ſcil. *τῆς φωνῆς* 1. Cor. 14:11.) *in potentiâ* omni & valore, quantum poteſt hoc nomen ſignificare (ut non minus ſignificet, quàm quod notat *filius*, quando homo filius hominis dicitur) & ut *διαφορώτερον ὄνομα præcellentius nomen.* Hebr. 1:4. *Ideo etiam, quod naſcitur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1:35.

unde dicitur 1. Genitus à Deo.

V. Tales enim filiationis tituli hic occurrunt, qui nulli creaturæ aptari poſſunt. Dicitur enim 1. *Genitus* à Deo, Pſal. 2:7. quod Chriſto

applica- *Deo.*

applicatur Act. 4:25, 26. & Hebr. 1:5. *Cui enim dixit unquam angelorum, Filius meus es tu: ego hodie genui te?* 2. *Unigenitus*, μονογενὴς, Joh. 1:14. & v. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in gremio Patris, ille ediſſeruit.* & 3:16. item v. 18. *Qui non credit, jam judicatus eſt: quod non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.* unde & יחיד *unicus* dicitur is, ſuper quo confoſſo flebunt Hieroſolymis Zach. 12:10. *Et plangent ſuper illo, ut planctum ſuper unigenito.* confer Amos 8:10. *Et faciam illud velut luctum unigeniti, & extremum ejus ut diem amarum.* Eodem modo ut Hebr. 11:17. vox illa Iſaaco attribuitur, ubi Abraham obtuliſſe dicitur τὸν μονογενῆ *unigenitum.* 3. *Primogenitus*, πρωτότοκος. *Quum autem rurſus introducit primogenitum in orbem habitabilem, dicit: & adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. 1:6. & πρωτότοκος πάσης κτίσεως *primogenitus omnis creaturæ.* Col. 1:15. ut omnis creatura ab ipſo, ut genito, diſtinguatur, & ipſe cognoſcatur ante omnes creaturas fuiſſe, atque adeo ante omnes filios, qui ſunt creaturæ per ipſum & ad ipſum conditæ. vid. v. 16, 17. unde πρωτότοκος quidem dicitur ſed non πρωτόκτιστος, & Apoc. 3:14. ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ *principium conditionis Dei*; non principium paſſivum, ſed activum, quod in principio, ἐν ἀρχῇ, omnia condidit: aut ſimplicius, *princeps conditionis Dei.* Conf. Col. 1:18. 4. *Proprius* Dei *Filius. Qui quidem proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* Rom. 8:32. in oppoſitione illorum, qui prædeſtinantur ad adoptionem. *Prædefiniens nos ad adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum ſibi, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ.* Eph. 1:5. Sicut & Chriſtus Deum vocat Patrem proprium; quod Judæi intelligebant inferre ἰσότητα: illud autem Chriſtus non negat, ſed multis argumentis adſtruit. *Judæi igitur propterea magis quærebant eum interficere, quod non ſolum ſolveret Sabbatum, ſed & Patrem proprium diceret Deum, æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit igitur Jeſus & dixit ipſis, amen, amen dico vobis, non poteſt Filius facere à ſemet ipſo quicquam, niſi quid viderit Patrem facientem. quæ enim ille facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Joh. 5:18, 19. 5. tandem & abſolutè *Filius Dei* dicitur. Marc. 1:1. *Principium Euangelii Jeſu Chriſti, Filii Dei.* Matth. 16:16. *Tu es Chriſtus, Filius Dei viventis.* Marc. 14:61, 62. *Rurſum Pontifex maximus eum interrogavit, & dixit ei, Tune es ille Chriſtus, Filius illius benedicti Dei? Jeſus autem dixit, ego ſum.* 2. Pet. 1:17. Matth. 3:17. *Et ecce vox è cælis dicens: hic Filius meus, dilectus ille, in quo acquieſco.* quæ omnia ſingulare quid & omni creatura majus de Chriſto enunciant.

2. Unigenitus.

3. Primogenitus.

4. Proprius Dei Filius.

5. abſolute Filius.

VI.

Digitized by Google

Quomodo Pater principium ſit Filii.

VI. Cum autem producens neceſſario diſtinguatur à producto, patet eſſentiam propriè nec producere nec produci, licet ea per generationem communicetur, ſed perſonas. Atque adeo Pater principium eſt, non quidem eſſentiale, ſed conſubſtantiale, perſonæ, ratione ordinis & originis in Filio. Ita tamen ut ratione eſſentiæ Filius æque ac Pater principii expers ſit, & genitori ſuo coæternus.

& quomodo eum genuerit.

VII. Genuit autem Pater perſonam Filii de ſubſtantiâ ſuâ (non enim ex nihilo gigni potuit) quam Filio generationis modo arcano & ineffabili communicavit, juxta Joh. 5: 26. *Sicut Pater vitam habet in ſe ipſo, ſic & dedit Filio vitam habere in ſe ipſo.* & Joh. 6: 57. *Et ego vivo propter Patrem.* Unde non genitus eſt alius Deus abſolutè, ſed alia tantum in Deitate perſona; idque actu naturali, neceſſario & ſimpliciter æterno.

qualis hæc ſit generatio.

VIII. Eſt enim generatio hæc planè ſupernaturalis, ſine ulla mutatione aut imperfectione, quâ Pater Filium ſuum genuit, non extra ſe, ſed intra ſe, eſſentiam ipſi tribuendo, non ſpecie tantum, ſed numero eandem; idque non alienatione, ſed communicatione. Joh. 10: 30. *Ego & Pater unum ſumus.* & 14: 10. *Non credis, quod ego ſum in Patre, & Pater in me ſit? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor. Pater verò, qui in me manet, ipſe facit opera.*

& quibus vocabulis à veteribus expreſſa.

IX. Unde Veteres quatuor vocabulis generationis hujus arcanum expreſſerunt, quod nempe ea facta ſit. 1. ἀκαταλήπτως *incomprehenſibiliter:* quo trahebant locum Eſai. 53:8. *Generationem ejus quis enarraturus eſt?* 2. ἀχρόνως *ſine temporis viciſſitudine*: juxta Pſal. 2:7. *Hodie genui te.* conf. Joh. 8: 58. *Dixit ipſis Jeſus: amen, amen dico vobis: antequam Abraham exiſteret, ego ſum.* item Prov. 8: 22. 23. *Jehova habuit me* (genitam. vide v. 24.) *principium viæ ſuæ, ante molitiones ſuas*, ſive decreta ſua, *pridem, à ſeculo uncta ſum, à capite, à principiis terræ.* Unde Filius Patri eſt coæternus. Mich. 5: 1. *Et egreſſiones ejus de ante, à diebus ſæculi.* Col. 1: 17. *Eſtque ipſe ante omnia, & omnia conſiſtunt per eum:* 3. ἀχωρίστως *inſeparabiliter.* Joh. 1:1. *In principio erat ſermo; & ſermo ille erat apud Deum.* & 14:10, 11. *Non credis, quod ego ſum in Patre, & Pater in me ſit? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor, Pater verò qui in me manet, ipſe facit opera. Credite mihi, quòd ego in Patre, & Pater in me ſit; ſi non* creditis mihi dicenti, quod ego ſum in Patre, & Pater in me, *propter opera ipſa credite mihi.* 4. ἀπαθῶς *ſine paſſione aut mutatione ullâ*, nec in Patre, nec in Filio: cum ipſum generari nullam imperfectionem di-

eat, ſed potius perfectiſſima ſit omnis perfectionis receptio.

Quam enervant adverſarii. X. Enervant atque inane reddunt hoc myſterium adverſarii, dum filiationem hanc leviter adeo explicant, ut nomen iſtud, vi omni atque poteſtate ſuâ exutum, non niſi in tropo ac tenui quodam ſenſu Servatori tribuant.

Judæi. XI. Prævivere hâc in cauſâ *Judæi*, tempore Chriſti; qui Meſſiam quidem filium Dei agnoſcebant. Matth. 26:63. *Reſpondens Pontifex maximus dixit ei, adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis, an tu ſis Chriſtus ille, Filius Dei.* ex Pſal. 2:12. *Exoſculamini Filium.* & 89:27. *Ipſe vocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & rupes ſalutis meæ.* ſed adoptivum duntaxat. cui opponitur confeſſio Apoſtolorum, Matth. 16:16. *Tu es Chriſtus, Filius ille Dei viventis.*

Ebionitæ. *Ariani.* *Photiniani.* XII. Atque ex eo fonte ſua hauſerat *Ebion*, cui Chriſtus erat ψιλὸς ἄνθρωπος: quem ſecutus *Arius*, eum produxit ἐκ τῶν οὐκ ὄντων: cujus blaſphemiam ita interpolavit *Photinus*, ut Ario ne quidem Chriſtum ante mundum conditum fuiſſe largiri voluerit, verum ante nativitatem ex Maria eum nulla prorſus ratione extitiſſe impiè docuerit. Quæ

Sociniani. per omnia hodie *Socini* & diſcipulorum ejus, doctrina eſt.

horum blaſphemia circa Filium Dei. XIII. Volunt enim illi Chriſtum Jeſum ejuſdem prorſus ordinis & naturæ eſſe cum aliis hominibus, qui itidem filii Dei appellantur; verum peculiari quâdam ratione, & propter ſingularem præ-eminentiam, hoc nomen ipſi attribui; atque adeo eſſe eum Filium Dei *proprium*, non quatenus ea appellatio adoptivo, ſed alieno opponitur, & eximium quid dicit; & *quaſi unigenitum.* quo adducunt locum Joh. 1:14. *Intuiti ſumus gloriam ejus, gloriam ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, ut unigeniti à Patre.* cum illud ὡς ibi non aſſimilativum, ſed expreſſivum ſit, ut & Luc. 22:44. *factus eſt ſudor ejus ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος.* Similis eſt uſus particulæ כ apud Hebræos. Vide Zach. 12:8. & ſæpius; ut ſenſus ſit, apud Deum Chriſtum eo eſſe loco, quo ſolent unigeniti eſſe apud parentes, dilectiſſimus nimirum, ut Iſaacus, qui reſpectu matris fuit unigenitus, Gen. 22.2. *Accipe filium tuum, unicum tuum, quem diligis, Iſaacum.* Sicut & Salomo dicit ſe fuiſſe רך ויחיד *tenerum & unicum.* tanquam unigenitum habitum filiis matris ſuæ, Prov: 4:3.

& ſpecialem filiationis ejus rationem. XIV. In ſpecie vero filiationis ejus præ reliquis creaturis cauſas tradunt, *dilectionem Patris*, ex cujus ſingulari amore creatus eſt, *conceptionem miraculoſam* ex Sp. S. & *ſanctificationem ac miſſionem ejus* in mundum, tum etiam *reſurrectionem* ejus, ac denique *exaltationem* ad dextram.

tram Dei,cum tamen ante hæc omnia jam Filius Dei fuerit, atque hoc nomine in S. S. litteris ſine ullo ad ea reſpectu, appelletur. vid. Jeſ. 9: 5. ubi Filius nobis datus,appellatur *Deus victor, Pater æternitatis.* Gal.4: 4. *Emiſit Deus Filium ſuum, naſcentem ex muliere.* Joh. 3: 16. *Ità Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* v. 34. *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur. non enim ex menſura dat Deus Spiritum.* v. 35. *Pater diligit Filium & omnia dedit in manum ejus.* Col. 1: 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Hebr. 1: 3. *Qui cum eſſet effulgentia gloriæ & character ſubſiſtentiæ ejus, & ferret omnia verbo potentiæ ſuæ, per ſe ipſum purgatione facta peccatorum noſtrorum, conſedit ad dextram magnitudinis in altis.* Phil. 2: 6. *Qui quum eſſet in forma Dei, non raptum duxit eſſe inſtar Dei: ſed ſe ipſum exinanivit.*

XV. Non enim propter *nativitatem* ex virgine, ſed propter æternam ex Deo patre generationem, naturalis Dei filius eſt; cum nativitas ejus ex virgine ne quidem angelis eum ſuperiorem faciat. Hebr. 2: 6, 7. *Minorem eum feciſti pauliſper angelis.* quibus tamen ut Filius Dei longe præfertur. Hebr. 1:4. *Tanto major factus Angelis, quanto excellentius præ illis hæreditavit nomen.* *Quæ redarguuntur.*

XVI. Neque Luc. 1: 35. *Spiritus S. veniet ſuper te, & virtus Altiſſimi inumbrabit te: ideò etiam, quod naſcitur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (licet hac auctoritate adverſarii ſe tueantur) Chriſtus Dei Filius propter nativitatem ex virgine appellandus dicitur, ſed propter ἐπέλευσιν Sp. Sancti: quæ ἐπέλευσις divinitatis, atque ejus veluti deſcenſus, non alterius quam ipſius divinæ perſonæ Filii eſt, qui in iſto corpore, quod è virgine fabricaverat, tanquam in templo habitare decreverat. vid. Zach. 6: 12: 13. *Et dices ad illum, dicendo: Sic dixit Jehova Deus exercituum, dicendo: Ecce vir, Germen nomen ejus eſt, & de ſubter ſe germinabit: & ædificabit templum Jehovæ, & ipſe ædificabit templum Jehovæ, & ipſe accipiet majeſtatem, & conſidebit & dominabitur in throno ejus.* Hebr. 3: 6. *Ampliore enim gloria hic præ Moſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domo qui paravit illam.* v. 6. *Chriſtus autem, tanquam Filius ſuper domum ſuam. cujus domus ſumus nos.*

XVII. Reliqua ſimiliter, quæ addunt adverſarii, filiationem ejus à poſteriore monſtrant & oſtendunt, non faciunt, vel præcipua ejus cauſa ſunt. Non Filius Dei eſt, quia ad tale munus *ſanctificatus* eſt. Joh. 10: 35, 36. *Si illos dixit Deos, ad quos verbum Dei factum eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis, blaſphemas:*

Digitized by Google

quia dixi, Filius Dei ſum? alias enim filiationis rationes ibi affert, *quod nimirum cum Patre unum ſit*, v. 30. *quodque eadem cum ipſo opera faciat*. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, ne credite mihi*. v. 38. *Si autem facio, ut mihi non credatis, ſaltem operibus credite: ut cognoſcatis & credatis, quod in me Pater & ego in ipſo*. Imo ne ad munus quidem mediatorium admitti potuiſſet, niſi Filius Dei fuiſſet; ut inde ſolum velut à poſteriori Filius Dei eſſe demonſtretur. Nec quia *dilectus* eſt, ideo Filius eſt. Matth. 3: 17. Sed vero quia Filius eſt, ideo dilectus eſt, ut verborum ſeries docet. Atque ſimiliter *reſurrectio* atque *exaltatio* ejus pleniſſimè eum Filium & Dominum, coram univerſo mundo demonſtrant: ut Act. 2: 36. *Quod Deus ipſum fecerit Dominum & Chriſtum*. & 13: 32, 33. *Et nos vobis evangelizamus eam promiſſionem quæ Patribus facta eſt, quod Deus eam impleverit filiis eorum nobis*, ἀναςήσας Ἰησοῦν *ſuſcitans Jeſum, quemadmodum & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, Filius meus es tu; ego hodie genui te*, κατὰ φανέρωσιν ea tantum de ipſo dicantur.

Remonſtrantes. XVIII. Conveniunt in eo cum Socinianis *Remonſtrantes*, quod quatuor iſtas cauſas filiationis probent; ſed in hoc diſcrepant, quod aliam etiam cauſam videantur agnoſcere, nempe Chriſti à Patre generationem; quamvis non ideo eum ὁμοούσιον velint, ſed cum dignitate, tum poteſtate differentem à Patre, eique non collateralem vel coordinatum, aut conſubſtantialem, ſed potius ſubordinatum. Epiſc. Inſtit. Theol. lib. IV. c. 35.

Adverſariorum adverſus hanc Filiationem argutiæ: ex ratione. XIX. Quæ autem adverſus divinam hanc Filii generationem ab adverſariis adferuntur, meræ argutiæ ſunt, & humanæ ratiunculæ, intermixtis in ſpeciem quibuſdam malè conſutis S. S. litterarum ſententiis, quibus ſummum & præcipuum hoc Chriſtianæ fidei ſacramentum temerare, Deumque ipſum & divina in ordinem redigere nefario auſu moliuntur.

XX. Quale eſt, dum ex æterna & arcana hac generatione vel *mutationem*, vel *imperfectionem*, vel naturæ atque temporis *prioritatem* in divinis inferunt: quin imo, ſi Deo placet, Filium, ſi Patri ὁμοούσιος ſit; *ſui ipſius fore Filium*; & plura ejuſdem commatis cavillantur. Quæ jam pleraque diſcuſſa ſunt. Eſt enim generatio hæc alterius prorſus ordinis, & in æternâ ejuſdem eſſentiæ communicatione, ſine ulla alienatione, vel leviſſima *mutatione*, conſiſtit. Nec major *perfectio* eſt in Patre, ex. gr. generare, quam in Filio generari, hoc eſt, omnium divinarum perfectionem æterno actu participem exiſtere; omniſque in perſona-

rum

rum hiſce proprietatibus & notionibus perfectio (ſi modo perfectio ea propriè appellanda eſt) correlatam ſimul perfectionem in aliis perſonis ſtatuit; eaque omnis in divinâ eſſentiâ tandem terminatur: cujus unius hæc ſumma & præcipua eminentia eſt, quod in tribus perſonis, & terno quaſi ſubſiſtendi modo ſubſiſtat. Imo ne in humanis quidem ſemper temporis *prioritas* in cauſis & principiis, reſpectu eorum quæ ab iis producuntur, locum habet; quod in anima noſtra reſpectu cogitationum illius videmus. Cui productioni illa quæ in divinis eſt, ſi quâ ejus imago in creaturis detur, proximè accedit. Neque tandem *Filius ſui ipſius Filius* dici poteſt, ſi meminerimus eum non eſſentiæ, ſed perſonæ eſſe Filium, non eſſentiatum, ſed genitum: nec in divinis hoc abſurdum eſt, perſonam aliquam gigni, & eſſentiam non gigni, cum omnis hæc generatio ejusdem numero eſſentiæ communicatione peragatur.

XXI. Ex Scripturâ itidem quæ adducunt, quibus Filium Patre *ex Scriptura.*
minorem, imo in rerum creatarum ordine atque ſerie ponere ſatagunt, jejuna & valde exilia ſunt, & à corpore ſuo plerumque divulſa atque lacerata, quo ſolo aliquam ſpeciem habent; cum, ſi in univerſum doctrina Chriſtiana ſpectetur, atque ea tota in divina ſuâ ſpecie animo objiciatur, hoc de Filio Dei, ejuſque æquali cum Patre eſſentiâ & poteſtate myſterium, totius ſalutaris doctrinæ caput, atque pulcherrimi iſtius corporis unica compages & ſacratiſſimum vinculum cenſeri debeat.

XXII. Tale eſt quod urgent, *Filio datum eſſe à Patre habere vitam in* *Joh. 5:26.*
ſe ipſo, ex Joh. 5:26. quod tamen reſpectu arcanæ illius generationis dicitur, quâ Filius eandem Patris vitam & eſſentiam perfectiſſimo modo poſſidet: non enim vitam adeptus eſt ut effectum aliquod à cauſa ſuperiore; imo ne illa quidem ipſa vita diverſa eſt à vitâ Patris. Unde & *potentia vitæ indiſſolubilis* illi tribuitur. Hebr. 7:16.

XXIII. Similiter Hebr. 5:8. *Quantumvis eſſet Filius, didicit ex iis quæ* *Hebr. 5:8.*
paſſus eſt, obedientiam. ita *obediiſſe* Patri dicitur, ut tamen ipſius æqualitas non obſcurè aſſeratur; deque eo ut paradoxum aliquod pronunciatur, quod, cum talis eſſet, *Filius* ipſi æqualis, ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, & cum *non duceret raptum eſſe inſtar Dei.* Phil. 2:6. Patri tamen *obediverit*; quod ineptum foret de eo dicere, ſi Filius non coæqualis intelligatur; ille enim Patri de jure obedientiam debet.

XXIV. Denique cum Col. 1:15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως appella- *Col. 1:15.*
tur, non creaturis, tanquam ejuſdem ordinis, accenſetur, ſed iis oppo-

nitur, ut genitus, non creatus, & genitus ante omnes creaturas, ut æterna & immutabilis Dei imago, omniumque quæ condita ſunt dominus & hæres; quæ vocis primogeniti vis & efficacia eſt.

SPIRITUS S. *Vocis illius varia acceptio.*

XXV. Sequitur *perſona tertia*, Spiritus S. Quæ vox propriè flatum notat. *Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ ventus quò vult ſpirat*, Joh. 3: 8. *Et fecit Deus tranſire ventum* רוח *ſupra terram & deſederunt aqua*. Gen. 8: 1. ſubſtantiam nimirum quæ ſpirat, aut ſpiratur, vel ipſam aliquando ſpirationem. Metaphorice pro ſubſtantia ſpirituali uſurpatur, videl. pro animâ hominis. *Et redit pulvis in terram, ut fuerat, & ſpiritus redit ad Deum, qui dedit eum*. Eccl. 12: 7. *Pater, in manus tuas depono ſpiritum meum*. Luc. 23: 46. vel pro angelis. *Et quoad angelos quidem dicit: qui facit angelos ſuos ventos & miniſtros ſuos ignis flammam*. Heb. 1: 7. *Nonne omnes ſunt λειτουργικὰ πνεύματα miniſtratorii ſpiritus?* ibid. v. 14.

XXVI. In divinis autem vel eſſentialiter ſumitur, pro ſpirituali Dei eſſentia. *Spiritus eſt Deus*. Joh. 4: 24. *Deus manifeſtatus in carne, juſtificatus in ſpiritu*. 1 Tim. 3: 16. vel perſonaliter, pro tertiâ S.S. Trinitatis perſonâ. *Baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Matth. 28: 19. denique etiam pro donis Sp. S. *Et erit poſt illa, effundam ſpiritum meum in omnem carnem*. Joel. 2: 28. quod citat Petrus, Act. 2: 17.

XXVII. Eſt autem hoc nobis revelatum, eſſe in divinis perſonam aliquam, juxta cum Patre & Filio verè ſubſiſtentem, atque ab iis proprio charactere & notâ diſtinctam, quæ appellatur Sp. S.

Oſtenditur Sp. S. eſſe perſonam.

XXVIII. Eum *eſſe perſonam* verè ſubſiſtentem, quod hic maximè in controverſiam venit, hinc conſtat. 1. quod Scriptura eum cum Patre ac Filio ſæpius conjungat, & nullo obſervato diſcrimine pariter de illis agat & loquatur, eoſque pari loco & ordine habeat: quod in Chriſtianorum initiatione in *baptiſmo* illuſtri modo apparet, ubi ſacra iſta actio æque in nomen Spiritus S. ac Patris atque Filii peragitur. Matth. 28: 19. Manifeſtum autem eſt, in rei, quæ perſona non eſt, nomen univerſam fidelium Eccl. baptiſari atque ſacro ritu inaugurari non poſſe. 2. Accedit, quod ipſi tribuantur omnia perſonis propria, attributa nimirum & *proprietates*. *Omnia hæc operatur unus & idem Spiritus, diſtribuens unicuique, prout vult*. ubi notare licet voluntatem & actionem ut perſonæ. 1 Cor. 12: 11. *operationes* omnis generis. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei*. ubi τὸ ἐρευνᾶν ſignificat perfectam cognitionem: ut Job. 28: 27. *Scrutatus eſt eam* ſapientiam, h. e.

in-

intimè cognovit. Joh. 14:26. *Spiritus ille ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia.* & 15:26. *Quum autem venerit Paracletus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.* Rom. 8:16. *Ipſe Spiritus conteſtificatur ſpiritui noſtro, nos eſſe Filios Dei.* v. 26. *Similiter verò & Spiritus opitulatur infirmitatibus noſtris. Nam quid oremus, quemadmodum oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus, qui ſermone non explicantur.* 1. Joh. 5:7. *Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt.* Act. 13:2. *Dixit Spiritus ſanctus, ſeparate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos vocavi.* 2. Pet. 1:21. *Non enim voluntate hominis lata eſt unquam Prophetia; ſed Spiritu ſancto acti locuti ſunt ſancti Dei homines.* atque etiam *appartiones* in ſymbolis corporeis; aliorumque ſuppoſitorum aſſumtiones; quod ſolum à re quæ ipſa per ſe ſubſiſtit, fieri poteſt. Matth. 3:16. Luc. 3:22. *Spiritus ſanctus σωματικῷ εἴδει corporea ſpecie deſcendit in Jeſum ut columba.* 3. Denique quod à donis, quæ etiam ſpiritus nomine ſæpe veniunt, Spiritus S. eorum auctor, apertè diſtinguatur. 1. Cor. 12:11. *Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, diſtribuens privatim illa ſingulis ſicut vult.*

XXIX. Violentum autem prorſus eſt, per *proſopopœiam* hæc omnia explicare: per nullam enim proſopopœiam, qualiſcunque ea ſit, rei, quæ perſona non eſt, talia attribui poſſunt, qualia Spiritui S. Scriptura attribuit. Nunquam etiam ſolent accidentia cum ſuis ſubjectis, vel res inanimes cum animatis pari paſſu conjungi, & ſimilia de iis prædicari, & per diverſas rurſus actiones eadem à ſe invicem diſtingui; quod circa Sp. Sanctum & Patrem hic tam crebro fit. Sed & Scriptura hic diſerte utitur enallage generis, & neutro πνεῦμα adjungit maſculinum ἐκεῖνος, ut perſonam exprimat. Joh. 16:13. *Quum autem venerit ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ille, Spiritus veritatis, ducet vos in omnem illam veritatem.* Eph. 1:13, 14. *In quo etiam credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.*

XXX. Neque ſolum perſona eſt, verum ea à Patre & Filio *diſtincta.* *eamque à Patre & Filio diſtinctam.* Unde in Scriptura *alius* dicitur. Joh. 14:16. *Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in ſæculum.* Zach. 9:12. מַגִּיד מִשְׁנֶה *Indicem alterum reſtituo tibi.* conf. v. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Et *Patris ac Filii Spiritus* appellatur. Gal. 4:6 *Quia verò eſtis filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, qui clamat, Abba, Pater.* Rom. 8:14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Ab iiſque, veluti *miſſus ab iis*, diſtinguitur. Joh. 15:26. & 14:16.

XXXI.

Quibus adverſantur Pneumatomachi. *Judæi.* *Macedoniani.* *Sociniani.*

XXXI. Impiè ergo *Pneumatomachi* eum *virtutem Dei* eſſe dicunt, non diſtinctam à Patre perſonam: quorum Patriarchæ fuêre *Judæi*, qui vel magnifica quædam Dei dona, vel motus heroïcos, non-nunquam etiam divinæ majeſtatis in templo præſentiam, quam שכינה appellant, ſpiritus nomine accipiunt; aliquando etiam eum infimo inter prophetiæ gradus loco ac numero ponunt; unde Hagiographos, quos appellant, ſcriptores à S.S. actos fatentur, pro prophetis autem non habent: quos ſecuti fuerunt in Veteri olim Eccleſiâ *Macedoniani* hæretici, & hodie infauſta Arianorum & Macedonianorum propago, *Sociniani.*

Qui Sp. S. variè diſcerpunt.

XXXII. Variant autem hæretici in exprimendo quid ſit Spiritus S. dum eum nonnunquam Deo aſſignant, atque eo nomine ipſius Dei attributum aliquod ſeu *virtutem* intelligunt; aliquando eum afflatum, & quaſi *medium quid inter Deum & hominem*, ſeu inter potentiam Dei & effectus manifeſtiores eſſe volunt; tandem illum in ipſo *homine* ponunt, & ſpirituales animi dotes, fidem, ſpem, charitatem, vel etiam inſignius aliquod Dei donum, præſertim vim miracula patrandi, ſpiritum appellant; denique, manifeſta nimis catachreſi, ipſum *Euangelium, & ſpem vitæ æternæ* in eo revelatam Sp. Sanctum vocant, quia nimirum ſanctificandi vim habent: atque ita ſpiritum nobis dant, qui ante aſcenſionem Chriſti non extiterit, & ſine quo Vet. T. Patres fideles eſſe potuerunt.

quod refellitur.

XXXIII. Scriptura autem Spiritum *alium* dicit eſſe à Patre, quod de *virtute* aliquâ Patris dici non poteſt, quæ à Patre diverſa eſſe nequit; atque ipſi potius Spiritui virtutem & potentiam adſcribit. Multo minus *qualitas* vel accidens aliquod in Deo poni debet, vel *intermedium* aliquod, neſcio quid, inter Deum & creaturam effingi, quod nec Deus, nec creatura ſit, & res aliqua increata ſit, & Spiritus appelletur. Nec denique ille cum *ſpe*, vel fide, aliiſque qualitatibus in homine debet confundi; quas tamen animi dotes homines excutere poſſint. Egregium ſcilicet Spiritum, qui tam potens ſit, ut eum homines non admittere, & admiſſum vel uno peccato extinguere poſſint! & præclarum Dei donum, cujus ortus, ſtatus & occaſus à liberrimo hominis arbitrio unicè dependeat! ut male Sociniani *ſpem certam* vitæ æternæ appellent, cum ſpes iſta ſæpe fallere, atque ea aliquando nihil falſius atque fallacius eſſe poſſit.

Sp. S. proceſſio.

XXXIV. Tribuitur autem Sp. ſancto *ἐκπόρευσις proceſſio*; quæ à generatione Filii diſtinguitur, cujus tamen diſtinctionis modum nos

nec

nec capere, nec explicare poſſumus; quanquam hæc per modum intellectionis, illa per modum dilectionis, ſeu volitionis; ut Spiritus à Patre & Filio ut amor eorum mutuus procedat, declarari, licet non ſatis convenienter, ſoleat.

XXXV. Certum tamen eſt duo iſta vel maximè diſtingui; unde Spir. S. ſemper *procedere*, nunquam autem *genitus* à Patre dicitur: ſicuti neque ejus imago unquam appellatur. Cumque principium Filii ſit Pater ſolus, principium Sp. S. eſt Filius cum Patre, unicâ tamen ſpiratione, utpote ὁμοούσιοι, Sp. Sanctum producentes: Filius enim ſicuti à Patre exiſtit, ita nihil ſine Patre facit vel operatur. *Non poteſt Filius facere à ſemetipſo quicquam, niſi quid viderit Patrem facientem. quæ enim ille facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Joh. 5 : 19. quod ſimilitudine imaginis in ſpeculo adumbrari ſolet, quæ faciem hominis, quam intuetur, omneſque ejus actiones & motus unicè imitatur, neque aliud quicquam facit. *à Patre & Filio:*

XXXVI. Eſt autem hic imprimis celebris illa quæſtio, *an Spir. S. procedat à Patre Filioque?* quæ olim mota inter Græcos & Latinos in ſchiſma tandem erupit, atque illos etiamnum utcunque à ſenſu Reformatæ Eccleſiæ diſtinet. *inter Græcos & Latinos controverſa.*

XXXVII. Occaſio ejus primitus fuit, quod in recitatione ſymboli Conſtantinopolitani, A. C. 381. ubi ad articulum de Sp. S. hæc verba tantum audiebantur, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, Latini addiderint, ex Patre *Filioque:* quod eo magis doluit Græcis, quod Latina Eccl. non modo publicos Eccl. Canones atque communes orthodoxæ fidei formulas privato conſilio immutare ac violare fuerat auſa; ſed & in fidei arbitram ſupra reliquas ſe efferre, quinimo Scripturam ipſam, ex qua verba Symboli deſumta erant: *Quum autem venerit Paracletus ille, quem ego mittam vobis à Patre.* Joh. 15:26. emendare videbatur.

XXXVIII. Accedentibus porro aliis cauſis, quæ Græcos ſupercilii Romani impatientes male urebant, illi in alia omnia vergere, & tandem prorſus negare Sp. S. à Filio, tanquam origine ὑπάρξεως, procedere; quam Theophylacti ſententiam A. C. 1071. reliqui porro amplexi ſunt.

XXXIX. Nec ſanatum illud ſchiſma in concilio Florentino, A. C. 1438. ubi ſtatutum Sp. S. à Patre & Filio æternaliter, tanquam ab uno principio, atque unicâ ſpiratione, procedere; ſed potius auctum fuit: præſertim cum Latini dogma illud, quod ante iſtud Concil. nondum neceſſarium ſtatuerant, jam poſt illud, quod nimirum res à Papa nunc

definita foret, pro articulo fidei neceſſario urgere, & Græcis eo nomine obtrudere cœperunt.

XL. Ut utrumque hic peccatum ſit: à Latinis quidem, quod temere Oecumenici Concilii Symbolo quædam addiderint, atque Eccleſiæ ſuæ & Romani Pontificis auctoritate (præſertim poſt concilium Florentinum) Græcos prægravare, iiſque hunc articulum tanquam creditu neceſſarium veluti imponere annisi ſint. A Græcis autem, quod dogmati huic & in S. literis non obſcure tradito, & à vetuſtioribus Græcæ Eccleſiæ Patribus agnito, nec ab ipſis, quoad rem ipſam, magnopere repudiato (Spiritum enim Sanctum non tantum Patris, ſed & Filii eſſe Spiritum fatebantur) ſolâ Romani nominis invidiâ ducti præfractè nimis obluctati fuerint; cum tamen Eccleſiæ liceat vocabulis Scripturæ ſenſum explicantibus, quibuſque nihil periculi ſubſit, uti, & veritates in Scriptura traditas exponere.

ex Scriptura aſſerta. XLI. Spiritus S. autem in Scripturis 1. non ſolum Patris, ſed & Filii Spiritus appellatur. Cum enim Chriſtus dicat: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*, Joh. 16. 15. *& omnia tua mea ſunt*, Joh. 17:10. ſequitur, Spiritum Patris eſſe etiam Spiritum Filii. Atque hinc ſicut *Spiritus Patris* dicitur, ita quoque *Spiritus Chriſti*. Rom. 8:9. *Si verò quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ipſius*. Phil. 1:19. *Novi enim, quod hoc mihi eveniet ad ſalutem per veſtram petitionem, & ſuppeditationem Spiritus Jeſu Chriſti*. Et *Spiritus Filii*. Gal. 4:6. *Quia verò eſtis Filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, qui clamat Abba Pater*. Et *Spiritus oris ejus*. 2. Theſſ. 2:8. *Quem* (Antichriſtum) *Dominus conſumet Spiritu oris ſui & abolebit illucente adventu ſuo*. quæ non alio quam originis reſpectu poſſunt intelligi. 2. atque dicitur Filius *operari per Sp. S eumque mittere*. Joh. 15:26. & 16:7. *Si non abeam, Paracletus ille non veniet ad vos. Si autem proficiſcar, mittam eum ad vos.* ac *effundere*. Act. 2:33. *Dextrâ igitur Dei exaltatus, cum promiſſionem Spiritus Sancti accepiſſet à Patre, effudit hoc quod nunc vos videtis & auditis.* 3 quod ipſum etiam adumbravit *adhibito externo operationis ſymbolo*. Joh. 20:22. *Et quum hæc dixiſſet, afflavit eos: & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum.* Non poſſunt autem dona Sp. Sancti à Chriſto dependere, niſi ipſe Sp. reſpectu originis à Filio procederet. 4. unde & *Spiritus accipit* de eo quod eſt *Filii Ille me glorificabit; quia ex meo accipiet, & renunciabit vobis*. Joh 16. 14. 5. Quin *& Pater illum mittit in nomine Filii*. Joh. 14:26. Sicut & rurſus Filius illum à Patre mittit, Joh. 15:26 ut ab utroque ſimili ratione procedere intelligatur.

XLII. Nec eſt quod Græci verbis Chriſti Joh. 15:26. *Quum venerit Paracletus ille, quem ego vobis mittam à Patre, Spiritus ille veritatis,*

ὃ παρὰ

Digitized by Google

ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, *qui à Patre exit*, qui quaſi in procinctu ſtat, ut à Patre mittatur, *ille teſtabitur de me*, ſeſe inhærere jactent: non enim loquitur ibi Chriſtus primariò de ὑποστατικῇ ἰδιότητι Sp. Sancti, ſed de ejus datione, ejusque egreſſu ad homines: adeoque non de ἐκπορεύσει φυσικῇ, ſed de οἰκονομικῇ illa propriè agunt; non de egreſſu ejus æterno, ſed de temporali ejus effuſione in N. T. Nam cum Chriſtus veniſſet in mundum, hoc illud tempus erat, ut etiam Sp. S. à Patre egrederetur: quem ſe miſſurum Chriſtus ſpondet. Unde & *Spiritus veritatis* h. e. conveniens veritati & exhibitioni promiſſionum in Chriſto, appellatur: nam & antea fuit etiam Spiritus verax; hic autem majus quid promittitur.

XLIII. Si verò Græci hoc tantum velint, ut quidam eorum ſenſum produnt, procedere Spiritum *à Patre per Filium*, non adeo abſurdi erunt; cum Pater omnia per Filium operetur, atque ita etiam Spiritus à Patre per Filium procedere, idoneo ſenſu dici poſſit: nec amplius de re, ſed de verbis omnis controverſia ac lis erit.

XLIV. Hæc autem perſonarum diſtinctio eſſentiæ divinæ unitatem non tollit, cum eadem numero omnium ſit eſſentia & natura, eaque unica & individua, quæ in tribus perſonis, veluti triplici ſubſiſtendi modo, exiſtit.

Cum hac perſonarum diſtinctione conſiſtit eſſentiæ unitas: unde perſonarum ὁμοουσία.

XLV. Vetus Eccleſia in concilio Nicæno ad hanc unitatem exprimendam uſa eſt vocabulo ὁμοουσίου. Quod ex Euſebii Nicomedienſis Epiſcopi, Ariani, epiſtola exceptum, quamvis & nonnullis retro ſcriptoribus uſitatum fuerit, ita Patribus placuit, ut in uſum Eccleſiæ traductum, & pro certiſſima orthodoxiæ teſſera habitum, & in quatuor antiquiſſimis ſymbolis, Antiocheno, A. C. 272. Nicæno, A. C. 325. Conſtantinopolitano, A. C. 381. & Athanaſiano, A. C. 340. veluti conſignatum fuerit. Præſertim cum ex S. S. literis deductum illarum ſenſum clariſſimè redderet, atque adverſariis, qui loco ὁμοουσίου ſuum illud ὁμοιούσιον ſubſtituebant, detegendis apprimè inſerviret.

XLVI. Infert autem hæc conſubſtantialitas æqualitatem ut eſſentiæ, ita durationis, majeſtatis, cæterarumque proprietatum eſſentialium, nec non honoris & gloriæ: quorum omnium fundamentum eſt eſſentiæ identitas. *Sicut enim Pater vitam habet in ſe ipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſe ipſo.* Joh. 5:26. *Quum eſſet in formâ Dei, non duxit raptum parem eſſe Deo.* Phil. 2:6.

XLVII. Conſequitur eam divina ἐμπεριχώρησις ac *immeatio*, & perſonarum in eadem eſſentia veluti amplexus mutuus, quo una eſt in alia,

earumque ἐμπεριχώρησις.

alia, atque hæc viciſſim in altera, inconfuſis tamen ſingularum proprietatibus; atque omnes unico velut intuitu comprehenduntur, & in externis operibus ſe oſtendunt, Pater in Filio, Filius in Patre, & uterque in Sp.S. atque hic rurſus in utroque: ferè uti exemplar in imagine ſuâ exiſtit, atque intuentibus ſeſe offert.

Fidei hujus neceſſitas. XLVIII. Atque hoc eſt ſublime illud ſacræ Trinitatis myſterium, cujus cognitio & confeſſio ad ſalutem eſt neceſſaria. *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quiſquam novit niſi Filius.* Matth. 11:27. *Quiſquis negat Filium, nec Patrem habet.* 1. Joh. 2:23. ergo qui agnoſcit Filium, etiam Patrem habet. vide & Joh. 17:3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Gal. 1:8. *Sed & ſi nos, aut Angelus ex cælo annunciet vobis præter id, quod vobis annunciavimus, anathema ſit.* 1. Joh. 4:3. *Et omnis Spiritus, qui non confitetur, Jeſum eſſe Chriſtum, qui in carne venit, ex Deo non eſt.* 2. Joh. v 9, 10, 11. *Quicunque tranſgreditur & non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet. qui manet in doctrina Chriſti, is & Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis illum domum, & ave ipſi ne dicite. Nam, qui dicit ipſi, ave, communicat operibus ipſius malis.* Ut male Remonſtrantes, Socinianis adblandientes, dogmatis hujus neceſſitatem elevent, atque Anti-trinitariis anathema dicere recuſent.

CAPUT XXXII.

De S. S. Trinitatis Demonſtratione.

S.S. Trinitatis probatio, non inſtituenda ex ratione: I. FIdem hujus myſterii quod attinet, nonnulli argumentis ex naturâ & ratione adductis comprobare illud ſategerunt: qualia ſunt 1. ex communi ratione *boni*: omne videl. bonum eſſe ſui communicativum, quod Deo, qui ab æterno extiterit, ſummèque bonus fuerit, competere non poſſit modo perfectiſſimo, niſi ipſam eſſentiam ſuam ab æterno alteri communicaverit: & rurſus, nullius boni ſine ſocio jucundam eſſe poſſeſſionem; adeoque Deo ab æterno adjungendas perſonas æquales & ſocias. 2. *ex intellectu Dei:* omne enim ens intelligens ideam aliquam in mente habere, cujus ſibi conſcium eſt, & præterea voluntatem, quæ mentis & cogitationis veluti latio eſt in rem intellectam: ſic in mente divina ideam illam, cum perfectiſſima ſit & omnia repræſentet, eſſe Verbum ſive Filium Dei; alterum vero infiniti iſtius intellectus modum, nimirum volun-

ta-

Digitized by Google

tatem, ſeu tendentiam in ſeſe ut unicum bonum, eſſe Sp. Sanctum: qui conceptus ipſis ſimplicior videtur, quam Trinitatem concipere per tres modos ſubſiſtendi, cum eadem res pluribus modis, illorum judicio, ſubſiſtere non poſſit, quum eſſentia, exiſtentia, ſubſiſtentia &c. inter ſeſe non differant. 3. atque fortius adhuc urgent ex *Dei potentia*: non enim eam otioſam ab æterno debere ſtatui; cumque omni rei aliqua productio, ſive activa, ſive paſſiva, conveniat, eam Deo etiam, tribuendam eſſe, eamque perfectiſſimam & æternam; cumque ea in mundi extra Deum creatione terminari non poſſit, utpote quæ nec perfectiſſima, nec æterna ſit, alterius & perfectioris generis eam debere eſſe, qualis demum eſt ubi productum ipſum & perfectiſſimum, & producenti coæternum, atque adeo ipſi Deo coæquale eſt.

II. Verum hæc argumenta vim nonnullam ad ſuadendum, ad probandum & perſuadendum nullam habent. Atque ejusdem generis ſunt illæ *ſimilitudines* quæ deſumuntur ab animâ humanâ, Sole, Iride, Triangulo, Sphæra, Fonte; præſertim autem à Luce, cui Deus in ſacris litteris ſæpius aſſimilatur: cumque tria in hoc univerſo corpora eadem luce condecorentur, ſol, qui lucem emittit, ut fons ejus; cœlum, quod eam tranſmittit, ſolemque nobis oſtendit; & terra, quæ à cœlo ſoleque pariter colluſtrata lumen remittit: non abſurdam S. S. Trinitatis imaginem in eâ extare volunt. *aut ſimilitudinibus naturalibus.*

III. Pariter incerta ſunt, quæ ex Gentilium ſcriptis, Platonis imprimis & Platonicorum (ut de Pſeudo-Triſmegiſto & fabuloſis Sibyllarum foliis nihil dicam) huc adferuntur. Quæ, ſi quid certi habeant, ex Judæis eorumque ſacris libris hauſta ſunt; ut non naturæ, ſed traditioni ex revelatione adſcribenda veniant. *nec ex gentilium ſcriptis.*

IV. Unica ergo eaque certa ſanctiſſimi hujus dogmatis probatio ex revelatione petenda eſt: unde eam Eccleſia à primis ſuis incunabilis hauſit. *Sed ex revelatione.*

V. Ut enim *Angelos* prætereàm, qui Deo tam prope adſunt, & adorandæ Trinitati æternas laudes canunt, Jeſ. 6. Vix dubitandum, *Adamum* in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio hoc myſterium cognoviſſe: cum vel imprimis ad integritatem ipſius pertineret rectas de Deo ejusque cultu ſententias habere, eaſque poſteris tradere; cumque crebræ ipſi contingerent revelationes, & Filius Dei in ſacramento arboris vitæ ipſi proponeretur, & procul dubio ipſi quoque innotuerint ea quæ deinceps Patriarchis, forte ex ipſius traditione, de Deo nota fuerunt. *Quæ facta ab ipſo mundi exordio.*

& inde porro Veterum Eccleſiæ.

VI. Similiter *Patriarchis*, atque univerſæ *Veterum* Eccleſiæ, illud ignotum fuiſſe non potuit, cum relicto tenebris ſuis mundo Deus ipſos ſolos luce ſuâ dignaretur; & tum in Patrum familiis, tum in Tabernaculo, atque utroque Templo, verbo, apparitionibus & perpetuis miraculis ſeſe Jehovam, Creatorem, Redemtorem & Sanctificatorem Eccleſiæ ſuæ oſtenderet; & vel præſens, vel per Prophetas populum ſuum de cultu ſuo edoceret.

VII. Neque Chriſtus alium Deum, ac diverſum ab illo, quem ut Deum Patrum ſuorum venerabantur, Judæis annunciavit: nunquam enim hoc illi vel Apoſtolis ejus objectum fuit: qui tamen Triuno hoc nomine diſcipulos ſuos obſignari, atque in fidem ejus adigi voluit. Et Paulus pariter, Triunius Dei præco, non alium quam *Patrium Deum colere, atque omnibus quæ in Lege ac Prophetis ſcripta ſunt, ſeſe aſſentiri* ſancte affirmat. Act. 24: 14.

VIII. Unde conſtat eodem modo ſeſe Deum ſub V. T. revelaſſe, neque myſterium hoc Judæis prorſus incognitum fuiſſe: imo credibile eſt Iſraëlitarum Eccleſiam, melioribus ſuis temporibus, longe ſanctius atque reverentius illud habuiſſe, quam poſtea Gentium Eccleſia; quæ indecoris ſuper hoc capite certaminibus exercita ſanctitatem ejus non uno modo pollui ac violari paſſa eſt.

Quod apparet ex Scriptura V. T.

IX. Sed & manifeſta ſatis in Vet. T. codice occurrunt teſtimonia ac documenta, fidei S. S. Trinitatis adſtruendæ ac ſtatuminandæ.

X. Omittimus argumentum, quod ex voce Elohim, in plurali numero Deo attributa, ejusque inuſitata cum verbis & affixis conſtructione, quidam deſumunt; quod infirmius videtur: cum 1. idem nomen, pari ſtructurâ, etiam aliis rebus ſingularibus, ut inter alia Dagoni: *Dedit Deus noſter* נָתַן אֱלֹהֵינוּ Jud. 16: 23, 24. homini, Exod. 4: 16. וְאַתָּה תִּהְיֶה־לּוֹ לֵאלֹהִים *tu eris ipſi in Deum* &c. attribuatur. 2. quin & de unica perſonâ divinitatis in plurali uſurpetur. Pſal. 45: 8. *Propterea unxit te* אֱלֹהִים אֱלֹהֶיךָ *ô Deus, Deus tuus oleo alacritatis.* 3. Et ſi vis vocabuli valeret, non magis plures perſonas quam plures Deos, imo hoc potius, inferret. 4. Neque etiam ab iſta anomaliâ linguæ Hebrææ genius adeo abhorreat, cum id etiam in aliis vocabulis, præſertim dominium denotantibus, obſervetur: ut in voce *Bchalim*. Exod. 21: 29. וְהוּעַד בִּבְעָלָיו *Et admonitus eſt Dominus ejus*. Eſai. 1: 3. *Novit aſinus præſepe* בְּעָלָיו *domini ſui. Adonim*. Gen. 40: 1 *Peccarunt pincerna regis Ægypti & piſtor* לַאֲדֹנֵיהֶם *domino ſuo.* & 42: 30. *Loquutus eſt vir,* אֲדֹנֵי *dominus terræ, nobiſcum dura.* Quæ vox

Digitized by Google

vox pariter Deo tribuitur. Deut. 10: 17. Ubi appellatur, אֲדֹנֵי הָאֲדֹנִים *dominus dominorum*. vide etiam Mal. 1:6. *Si* אֲדוֹנִים אָנִי *dominus ego, ubi timor meus?* ut alia nomina pluralia prætermittam, quæ ſimiliter cum ſingularibus conſtruuntur. vide Joel. 1:20. בַּהֲמוֹת שָׂדֶה תַּעֲרוֹג *pecudes agri glocitant.*

XI. Fortius urgent 1. illa loca, ubi Deus ad ſe ipſum, vel de ſe ipſo in plurali loquitur, ut Gen. 1:26. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Gen. 3:22. *Ecce homo factus eſt ut unus ex nobis.* Gen. 11:7. *Deſcendamus & confundamus linguam eorum.* Quibus in locis veteres Judæi ſingulare quid animadverterunt, atque Deum cum *domo Judicii*, h. e. ſanctæ Trinitatis concilio egiſſe dicunt. Non ferendi enim recentiores, qui Deum familiam cœleſtem, id eſt, angelos, vel cœlum ac terram, ac elementa denique ipſa allocutum, vel denique more ac ſtylo magnatum uſum cavillantur. Cum enim homo creandus, vel idem cum univerſo mundo judicandus foret, creaturæ nullæ in divini operis conſortium accipi potuerunt. Nec ſtylus ille, quem magnatum dicunt, Scripturis familiaris eſt, & ab Hebrææ linguæ proprietate abhorret: neque etiam mos iſte in Oriente iſtis temporibus obtinebat, ſed poſtea demum in Occidente uſurpari cœptus eſt: neque denique ipſa illa phraſis & loquendi forma, quam Reges uſurpant, per omnia noſtræ ſimilis eſt; non enim dicunt, nos Caroli ex. gr. vel nos Reges mandamus, qualis hæc, de qua agimus, loquendi ratio eſt; ſed nos Rex Galliæ, ex. gr. jubemus &c. Similia loca ſunt Hoſ. 12:4,5. *In viribus ſuis tanquam dux exercitus certavit cum Deo. Et certavit cum angelo, & obtinuit; ploravit & ſupplicavit ei: Bethele invenit ipſum, & ibi loquebatur* עִמָּנוּ *nobiſcum.* Eſai. 6:8. *Et audivi vocem Domini dicentis: quem mittam? & quis ibit nobis?* conf. v. 9, 11.

Idque ex variis locorum claſſibus; in quibus tum de pluralitate perſonarum agitur.

XII. 2. Illa loca, in quibus Dominus de Domino loquitur, aut à Domino diſtinguitur; aut Deus Deo, & Dominus Domino, tanquam perſona perſonæ opponitur. Gen. 19: 24. *Et Jehova pluit in Sodomam ſulphur & ignem à Jehova ex cœlo.* Exod. 34:5. *Et deſcendit Jehova in nube, & conſtitit cum ipſo ibi, & pronunciavit nomen Jehovæ.* 2. Sam. 12:24, 25 *Et vocavit nomen ejus* (David) *Salomoh, & Dominus diligebat eum. Et miſit per manum Nathanis Prophetæ & vocavit nomen ejus Jedidjah propter Jehovam.* Pſal. 45:8. *Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo alacritatis ultra conſortes tuos.* quod citat Paulus Hebr. 1:8,9. Pſal. 110:1. *Dixit Dominus Domino meo; ſede ad dextram meam.* conf. Matth. 22:43,44. Dan. 9:17.

Digitized by Google

9:17. *At nunc exaudi, Deus noſter, orationem ſervi tui & ſupplicationes ejus, propter Dominum.* Hoſ.1:7. *Et domum Juda miſerabor, & ſalvabo ipſos in Jehovah Deo ipſorum.* Eſai.6:8. modò citatum.

XIII. 3. Loca illa, in quibus nomen Dei in eadem ſententia tribus diſtinctis vicibus repetitur: quæ certe tautologia cenſeri nequit. Vide Num.6:24-26. *Benedicat Jehova. Faciem lucere faciat Jehovah. Tollat faciem ſuam Jehovah ad te* Deut.6:4. *Jehovah, Deus noſter, Jehovah eſt unus.* Exod. 3: 15. *Deus Patrum veſtrorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Jacobi miſit me ad vos.* Joſ.22:22. *Omnipotens, Deus, Jehova, omnipotens, Deus, Jehovah, ipſe novit, & Iſraël ipſe ſciat, ſi rebellione aut prævaricatione in Jehovam, ne ſervato nos hodie.* Pſal. 67:6, 7, 8. *Confitebuntur, te populi, ô Deus. Benedicat nobis Deus, Deus noſter. Benedicat nobis Deus, & timebunt eum omnes fines terræ.* Dan. 9: 19. *Domine audi, Domine condona, Domine attende & fac, ne tardes propter te, Deus mi.* Eſai.6:3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehovah* Deus *exercituum.* & 33:22. *Jehova eſt judex noſter, Jehovah legiſlator noſter, Jehovah eſt Rex noſter.; is ſalvat nos.* Zach.1:3. *Sic dixit Jehovah* Deus *exercituum; revertimini ad me; ait Jehovah* Deus *exercituum; & revertar ad vos: ait Jehovah* Deus *exercituum.*

XIV. 4. Nec rejicienda illuſtris illa apparitio trium virorum Abrahamo facta. Gen.18. & 19. quæ ex analogia myſterii S. S. Trinitatis uniformiter explicanda eſt, cum & honor, & nomen, & opera Deo propria ipſis attribuantur.

XV. 5. Sed omne dubium ſuperant teſtimonia illa, in quibus diſerta & expreſſa Filii & Sp. Sancti reperitur mentio. Sicut nominetenus tres perſonæ exprimuntur Pſal.33:6. *In verbo Domini cœli facti ſunt, & in Spiritu oris ejus omnis exercitus illorum.*

tum ſpeciatim de Filio. XVI. De *Filio* Dei ſermo eſt Pſal.2:7. *Tu es Filius meus.* coll. Hebr. 1:7. Zach. 3:8, 9, 10. ubi vocatur *Servus Dei.* & *Germen* & *Lapis in quem ſunt ſeptem oculi.* Prov. 8:22, 23, 24. dicitur. *Principium viæ Dei, unctus à ſæculo, genitus antequam montes figerentur.* & 30: 4. *Et quod nomen Filii ejus?* Pſal. 45: & 110. coll. Matth. 22.

XVII. Nec alius intelligitur per *Angelum* iſtum, cujus crebræ adeo atque illuſtres occurrunt in V. T. apparationes fidelibus factæ: ut Hagaræ, quæ etiam *nominavit nomen Jehovæ qui ſecum loquebatur. Tu es Deus viſionis.* Gen. 16:7, 10, 13. Abrahamo. Gen. 22: 11, 12. Jacobo. Gen. 28: 13. & 31:11, 13. conf. v. 31. & 32:24, 28. conf. v. 30. Hoſ. 12:

4, 5.

Google

4,5. & Gen.48:15,16. ubi appellat eum *angelum* הַגֹּאֵל *aſſertorem*. Moſi Exod.3:2,4,6. &c. Bileamo. Num. 22:22. conf. 28. Joſuæ 5:13,14, 15. dictus ibi *princeps exercitus Jehovæ*. Gideoni. Jud.6:11,14. conf. v. 6. Zach. 1:19,20. & 2:3,4,5. idem *Angelus* dicitur, & *Jehova*. Ac præſertim auguſtiſſima illa apparitio in monte Sinai in ferenda lege, & ſollemni fœdere cum Iſraële faciendo. Exod. 20. conf. Act.7:38. ubi Moſes dicitur fuiſſe *in Eccleſiâ in deſerto, cum Angelo qui loquebatur ipſi in monte Sinai*. Similiter montem *Sinai ſtillaſſe à facie Dei, qui aſcendit in altum & captivam egit captivitatem*, narrat Pſalmus 68:8,9,19. & ejus *vocem tunc moviſſe terram*, Epiſt. ad Hebr. 12:26. Sicut & idem Euangelium prædicavit, ſed non ut angelus, verum ut *primogenitus Patris*. Joh.1:14. quæ Euangelii ſupra Legem prærogativa eſt, λαλεῖσθαι nempe διὰ τοῦ Κυρίου *dici per Dominum*. Hebr. 2:2,3,4. neque enim, ut ait Apoſt. v. 5. *habitabilis futura itidem Angelis ſubjecta eſt, ſed ipſi ſoli*.

XVIII. Appellatur autem in apparitionibus illis *Angelus Jehovæ*. Exod. 3:2,4,6. In *cujus medio eſt nomen Dei*. Exod. 23:21. h. e. quicquid Deus eſt & nominatur, univerſa ipſius gloria ac majeſtas. *Angelus faciei*, h. e. qui faciem Dei videt, & in quo Deus videtur. Jeſ.63:9. *Facies mea ibit*. Exod. 33:14. quippe expreſſiſſima Patris *imago* ac *exemplar*. Hebr.1:3. *Princeps exercituum Jehovæ*. Joſ.5:14. *Angelus aſſertor*. Gen.48:16. Et in legiſlatione, *Rex populi ſui*. Deut.33:2-6. *Dilectus Jehovæ*. v. 12. *Habitans rubum*. v. 16. conf. Exod. 3:2. atque Mal. 3:1,5. *Angelus Fœderis*, in quo Fœdus gratiæ nobiſcum inivit Deus, quique eſt ἀπόστολος ὁμολογίας ἡμῶν, *legatus aſtipulationis noſtræ*. Hebr. 3:1. miſſus à Deo, qui fidem à nobis ſtipuletur, & cui per fidem adſtipulari atque adjungi poſſimus, ut in ipſo ſalvi evadamus. Quæ omnia ſublimiora ſunt, quam ut in creatum aliquem Dei angelum ac legatum conveniant: cum ille Dei nomen, honorem, & gloriam ſine infando piaculo aſſumere non poſſit. *Ego ſum Jehovah, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alii* (diverſo) *non dabo*. Eſai. 42:8. Præterquam quod ex ipſa Judæorum hypotheſi Deus Moſi ſine interventu Angeli internuncii locutus ſit.

XIX. Similiter *Spiritus* S. fit mentio in ipſo creationis initio. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquis*. Gen.1:2. non enim illa appellatio vel aëri, vel vento eo in loco competit, quæ nondum erant, neque auguſto adeo *Spiritus Dei* nomine venire poſſunt. Ita *Spiritu oris Dei facti ſunt omnes cælorum exercitus*. Pſal. 33:6. *Dominus miſit me, & Spiritus ejus*; *& de Sp. Sancto.*

ſive malis, *& Spiritum ejus.* Eſai. 48: 16. *Et cœpit Spiritus Jehovæ pulſare eum.* Jud. 13: 25. *Spiritus Domini locutus eſt ad me, & verbum ejus eſt in lingua mea. Dixit Deus Iſraëlis, de me locuta eſt rupes Iſraëlis.* 2. Sam. 23: 2, 3. *Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos. dolore affecerunt Spiritum Sanctum ejus. Ubi, qui poſuit in medium ipſius Spiritum Sanctum ſuum? Spiritus Jehovæ faciebat ipſum acquieſcere.* Eſai. 63: 9, 10, 11, 14. *Quieſcet ſuper ipſo Spiritus Jehovæ.* Eſai. 11: 2. *Spiritus Domini Jehovæ ſuper me eſt.* Eſai. 61: 1. *Ego vobiſcum ſum, ait Jehova, cum Verbo, quod promiſi vobis, & Spiritus meus ſtat in medio veſtri.* Hagg. 2: 4, 5.

XX. Atque hæc luculenta ſatis ſunt in V. Fœdere divinæ Trinitatis teſtimonia, ex quibus non ſacerdotes ſolum, ſed & reliquus fidelium populus, quantum nempe iſtis temporibus fas erat, Deum in adoranda iſta luce adire, ac ritè colere atque venerari poterat.

Clarius autem id apparet ex Scriptura N. T.

XXI In N. autem T. Deus propius Eccleſiæ ſeſe oſtendit, & trinum ſuum numen clarius explicuit, atque ejus in terris veluti ſpectaculum & imaginem in baptiſmo Salvatoris exhibuit. *Spiritu Dei deſcendente inſtar columbæ*, Patre autem *ex cœlis* proclamante, *hic eſt Filius meus dilectus ille.* Matth. 3: 16, 17. unde illud Veterum: *abi ad Jordanem, Ariane* &c. Atque omnes deinceps fideles in ternum hoc nomen initiari, atque hoc veluti ſacro ſigillo univerſum Chriſtianum populum obſignari juſſit. *Baptiſantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. 28: 19.

ſpeciatim ex Matth. 3: 16, 17.

Matth. 28: 19.

XXII. Manifeſtum autem eſt nullius niſi Dei nomen in ſacro iſto ritu uſurpari poſſe, cum iſte ſolum aſſertor populi ſui ſit; atque hic rurſus in nullius, niſi Dei ſolius nomen atque cultum ſollemni modo ſacrari poſſit. *An in nomen Pauli baptiſati eſtis?* 1. Cor. 1: 13. Neque enim, quod adverſarii fruſtra urgent: *Et omnes in Moſen baptiſati ſunt in nube & mari.* 1. Cor. 10: 2. Iſraëlitæ *in nomine Moſis* baptiſati leguntur, ſed in *Moſem*, h. e. juxta Syrum & Arabem, per manum & miniſterium Moſis, vel in doctrinam atque fœdus, cujus teſtis, interpres atque legatus Moſes fuerat. Similiterque qui *in baptiſma Johannis baptiſati* leguntur. Act. 19: 3. non in nomen ipſius, quod factum nefas atque ſacrilegum, ſed in doctrinam, quam prædicabat, adacti, atque in auſpicium ejus ſacris aquis abluti ſunt.

1. Joh. 5: 7.

XXIII. Sed & iidem teſtes, qui in terrâ ſe oſtenderant, in cœlo rurſus producuntur & diſertis verbis tres numerantur. *Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt.* 1. Joh. 5: 7.

ne

ne quis forte ibi angelos vel alios teſtes creatos intelligat, qui quidem innumerabiles forent, & quorum teſtimonium in re tanta etiam accipi non poſſet; cum hic de teſtimonio infallibili & divino: *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*. v. 9. agatur. Atque hi tres unum eſſe dicuntur: quod ne quidem de neceſſariâ teſtimonii & conſenſus unitate intelligi poteſt, niſi pariter & eſſentiæ inter teſtes iſtos identitas atque unitas reperiatur. Quicquid enim eſt non Deus, cum mutabile atque fallibile ſit, ac deficere atque aliud velle poſſit, ejus teſtimonium divinum, ac cum Deo unum dici non poteſt.

XXIV. Neque obſtat, quod locus hic in quibuſdam codicibus non exſtet, uti nec apud Syrum atque Arabem Interpretes, atque in aliis paulum immutatus legatur: cum in pleriſque, iiſque probatiſſimis codicibus reperiatur, ac jam antiquitus à Cypriano aliiſque ante Arii tempora lectus ſit, atque Apoſtolici ſermonis nexus atque filum manifeſto eum poſtulet. Unde nec Antitrinitarii, in verſione ſuâ Germanicâ Racovienſi, A. C. 1630. eum expungere auſi fuêre; qui veritatis quidam triumphus eſt. Corruptus autem & inductus in quibuſdam codicibus videtur, non quidem ab Arianis; neque enim codices Eccleſiæ atque orthodoxorum in ipſorum poteſtate erant, in quorum nonnullis tamen jam illo tempore locus hic vel prorſus deſiderabatur, vel vitioſus extabat, ut in codice Athanaſii atque aliorum; neque ab orthodoxis hoc ipſis objectum legimus: ſed potius ab anterioribus hæreticis, quales fuêre Artemon, Theodorus coriarius, eorumque diſcipuli, qui ſub Commodo, Pertinace & Severo imperatoribus ſeſe Scripturas corrigere gloriabantur.

XXV. Similiter trium perſonarum diſtincta mentio occurrit, & nominetenus illæ exprimuntur. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*. Joh. 14:16. *Quum autem venerit Paracletus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre exit, ille teſtabitur de me*. Joh. 15:26. *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit Jeſum anathema, & nemo poteſt dicere Jeſum Dominum, niſi in Spiritu Sancto*. 1. Cor. 12:3. *Gratia Domini Jeſu Chriſti, & amor Dei, & communio Spiritus Sancti ſit cum omnibus vobis*, 2. Cor. 13:13. *Quia vero eſtis Filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, qui clamat, Abba, Pater*. Gal. 4:6. *Per ipſum* (Chriſtum Jeſum) *habemus utrique acceſſum in uno Spiritu ad Patrem*. Eph. 2:18. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut det vobis potentia corroborari per Spiritum ſuum in interiorem hominem*. Eph. 3:14, 16. *aliiſque loca.*

Electis ſecundum præagnitionem Dei Patris in ſanctificatione Spiritus, ad obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti. 1. Petr. 1, 2. *Salvavit nos* Deus *per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti; quem effudit ſuper nos copioſe per Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum.* Tit. 3:5, 6. *Pax vobis ab eo qui eſt, & erat, & venit: & à ſeptem ſpiritibus qui ſunt coram throno ejus, & à Jeſu Chriſto, teſte illo fideli, qui fecit nos reges ſacerdotes Deo & Patri ſuo.* Apoc. 1:4,5,6. eædemque, ne quis forte & τριώνυμον Sabellii Trinitatem cogitet, inter ſeſe comparantur, & diſtinctæ ſingulis operationes attribuuntur.

CAPUT XXXIII.

De DEITATE FILII.

S. S. Trinitatis probatio ex Deitate Filii & Sp. S.

I. OMnem autem pertinaciam vincit, quod à Deitate Filii & Spir. S. argumentum ducitur. Si enim illi ſunt verus Deus, jam manifeſto in unica ac individuâ Dei eſſentia tres perſonæ agnoſci debent, aut fatendum erit, tres revera eſſe Deos; quod dictu impium eſt.,

quæ quadruplici argumentorum genere evincitur.

II. Quadruplici autem argumentorum ſerie tum Filii, tum Sp. S. Deitas probari ſolet; quibus omnia comprehenduntur quæ in Deo ſunt, ut cui omnia illa ac ſingula conveniunt, ille eo ipſo neceſſario Deus ſit agnoſcendus.

Et primo quidem Filii.

1. ex divinis Nominibus.

III. Ac Filii quidem Deitas (de Patre enim res extra controverſiam eſt) probatur 1. *ex divinis Nominibus*, quæ illi ſenſu proprio, & ſingularibus cum epithetis, & divinis prorſus elogiis attribuuntur. Ut imprimis ſacratiſſimum iſtud nomen *Jehova*. *Regem Jehovam* Deum *exercituum viderunt oculi mei*. Eſai. 6:5. *Eſaiam* verò *tunc vidiſſe gloriam Chriſti & de eo locutum eſſe*, affirmat Johannes c. 12:40, 41. & Num. 21:5, 6. ubi dicitur *Iehova* immiſiſſe ſerpentes ignitos in populum locutum adverſus Deum & Moſen. Iſraëlitæ etiam dicuntur tentaſſe Jehovam. Num. 14. 22. Pſal. 95:9. & *inobedientes fuiſſe* angelo *faciei* Dei. Eſai. 63:10. at hoc Paulus Chriſto tribuit. 1. Cor. 10:9. *Neque tentemus Chriſtum, ut & quidam eorum tentarunt, & à ſerpentibus perierunt.*

in V. T.

Ita Pſal. 102:17, 26, 27. *Quum Iehova apparuerit cum gloria ſua. ante terram fundaſti, & opus manuum tuarum eſt cœlum; illa peribunt & tu permanebis.* quæ ad Chriſtum refert Paulus, Hebr. 1:10. Sic Pſal. 68:19. de *Deo*, cujus *currus ſunt myriades, millium iteratorum*, dicitur: *Aſcendiſti*

in

Digitized by Google

in altum, egiſti prædam, accepiſti dona in hominibus. quod Paulus de Chriſto dictum teſtatur. Eph. 4: 8. 9. item Geneſ. 16:7, 13. & 18: 1. aliiſque locis, ubi Angeli iſtius apparitiones recenſentur. & apertiſſime Jer. 23:5,6. *Et hoc nomen ejus, quo appellabunt* (imperſonaliter) *ipſum* (ſemen Davidis) *Jehova juſtitia noſtra.* De Meſſia enim ibi agi univerſa loci ſeries atque appellatio *germinis*, ac *Regis*, tum beneficiorum ejus commemoratio evincit. Cui ſimilis eſt locus Jer. 33: 16. וְזֶה אֲשֶׁר יִקְרָא־לָהּ *Et hoc eſt, quo vocabunt ipſam* (Hieroſolymam:) *Iehova juſtitia noſtra.* Ubi quidem affixum fœmineum לָהּ occurrit, quod ad Jeruſalemum refertur, ſed eodem prorſus ſenſu: non enim urbs ipſa eo nomine appellanda foret; ſed vel *ſymboli* loco hoc de eâ uſurpandum erat, Meſſiam, de quo proximè iſto loco actum, eſſe Jehovam juſtitiam noſtram; ut Ezech. cap. 48: v. 35. *Iehova ibi*, ut urbs vel Eccleſia illa à Meſſia fuerit denominanda: hæc enim eſt veri Iſraëlis & Hieroſolymæ profeſſio & gloriatio, gloriari in Jehova juſtitia ſua. Vel etiam ita reddenda hæc ſententia; ejus, qui urbem iſtam vocabit, nomen fore, Jehova juſtitia noſtra. *Et hic, qui vocabit eam: Iehova juſtitia noſtra.* ut de ſolo Meſſia hæc dicantur: cui tam apertè hic titulus tribuitur Jer. 23:5,6. cum quo hic locus per omnia ſimilis eſt.

IV. Ita etiam appellatur *Elohim.* Pſal. 45: 7. *Solium tuum, ô Deus, in ſæculum* & v. 8. *propterea unxit te,* אֱלֹהִים *ô Deus, Deus tuus.* ubi προσφώνημα eſt ad Regem Meſſiam; univerſus enim ille Pſalmus ad eum dirigitur. vide v. 2, 3, 4, 5, 6, 9, 18. vel Judæis teſtibus. Item *Deus* אלהים dicitur *egreſſus coram populo ſuo,* & *à facie Dei cœli dicunt ſtillaſſe.* rurſus. *pluviam liberalem agitas, ô Deus. Currus Dei ſunt myriades. aſcendiſti in altum. Benedictus ſit Dominus. Omnipotens eſt ſalus noſtra.* Pſal. 68: 8, 9, 10. 19, 20. *Deus in medio deorum judicat.* Pſal. 82: 1. אֵל גִּבּוֹר Eſai. 9: 5. *Reliquum Iacobi convertetur ad Deum victorem.* Eſai. 10: 21. *Adonai. Dominus ad dextram tuam deſlexit in die iræ ſuæ reges.* Pſal. 110: 5. *Dominus dat dictum.* Pſal. 68: 12. *Vidi Dominum ſedentem in throno celſo.* Eſai. 6: 1. *Dominus ille. Et derepente veniet ad templum ſuum Dominus ille.* Mal. 3: 1. *Coram Domino terrere, ô Terra, coram Deo Iacobi.* Pſal. 114: 7. *Dominus Davidis.* Pſal. 110: 1. conf. Matth. 22: 43. ſuntque hæc præcipua Meſſiæ elogia, quod ſit Deus Iſraëlis, Deus Zebaoth, Iehova &c. quæ toto Vet. T. occurrunt.

V. Atque in N.T. *Deus* appellatur; tum ſubjectivè. *Sermo erat Deus.* *in N. T.*
Ioh. 1: 1. Conf. Joh. 4: 24. Hebr. 11: 10. *Deus Eccleſiam proprio ſanguine ac-*

acquiſivit. Act. 20:28. *Deus manifeſtatus eſt in carne.* 1. Tim. 3:16. *Et dixit* (Thomas) *Domine mi, & Deus mi.* Joh. 20:28. quo in loco non Thomas admirabundus exclamat, & rei quaſi novitate perculſus parum ſancto ritu Deum Patrem appellat, quod parum piè Apoſtolo adverſarii affingunt; ſed manifeſto Jeſum, in cujus amplexus ruebat, compellat, atque his ipſis verbis fidei ſuæ confeſſionem edit, ut ex v. ſeq. ex Chriſti verbis patet: tum attributivè. Rom. 9:5. *Ex quibus eſt Chriſtus, quod ad carnem attinet, qui eſt ſupra omnes Deus benedictus in ſæcula.* Ubi non eſt apoſtrophe ad Patrem, ſed δοξολογία illa ad Chriſtum omnino pertinet: quod præcedentia arguunt, & limitatio ibi facta, quod ſit ex patribus τὸ κατὰ σάρκα, cui mox ſubjicitur, ὁ ὢν &c. cum nempe nihilominus pariter eſſe Deum. Eodem modo ut Rom. 1:3, 4. *Qui extitit ex ſemine Davidis ſecundum carnem; qui definitus eſt Filius Dei in potentia ſecundum Spiritum ſanctitatis.* Ita *Deus & Servator* dicitur. Tit. 2:13. *Dominus & Servator.* 2. Pet. 1:1, 11 & 2:20. & 3:2. item Jud. v. 4. *Verus Deus & vita æterna.* 1. Joh. 5:20. conf. Joh. 17:3. *Hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant ſolum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* *Dominus.* Pſal. 110: 1. conf. Matth. 22:43, 44. Κύριος. Luc. 1:16, 17. Ubi angelus de Johanne Baptiſta: *Et multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Cum Baptiſta ante Chriſtum præceſſerit, & ad Chriſtum converterit Filios Iſraël. & 2:11. *Hodie vobis natus eſt Servator, qui eſt Chriſtus, Dominus.* cui reſpondet nomen Jehova. *In deſerto vacuam facite viam Jehovæ.* Eſai. 40: 3. *Mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ magnus ille & terribilis.* Mal. 4:5. *Dominus dominantium.* Apoc. 17:14. & 19:16. *Dominus gloriæ.* 1. Cor. 2:8. cui reſpondet *Rex gloriæ*, cujus nomen eſt Jehova. Pſal. 24:7, 8, 9, 10.

VI. Quo etiam pertinet, quod ipſi *forma Dei* adſcribitur. *Qui quum eſſet in forma Dei, non raptum duxit eſſe inſtar Dei.* Phil. 2:6. quod Sociniani tenuiter, ut ſolent, de gloria miraculorum explicant, quam videlicet in paſſione Chriſtus depoſuerit: cum ipſo tamen exinanitionis ſuæ tempore, quo formam Dei quaſi depoſuit, ac humilitatis velo majeſtatem obtexit, maximè miraculis claruerit; ut hæc longe aliud dicant: neque enim miraculorum poteſtas, qua & alii pollebant, *forma Dei* vel μορφὴ θεοῦ appellari mereretur; ſed eodem modo hic forma Dei dicitur, ut mox *forma ſervi*, quam deinceps Chriſtum aſſumſiſſe

ſiſſe Apoſtolus docet: quo ipſo ſupponit, eum jam ante extitiſſe, atque aliam formam, Dei nempe formam, habuiſſe, atque Deum fuiſſe. Hæc enim illa in Chriſto fuit exinanitio; cum creaturæ, ita à Deo conditæ, exinanitio non ſit, vel hominis, vel ſervi formam aſſumere. Hic autem ſcopus Apoſtoli eſt oſtendere, quo ſe demiſerit Chriſtus, & ex quo faſtigio deſcenderit; eum nempe, diſſimulatâ majeſtate ſua, in contemtiſſimi hominis atque ſervi formâ ſeſe mundo oſtendiſſe, cum antea in forma Dei exiſteret, inque divino iſto decore & fulgore in terris potuiſſet apparere, & palam fateri Deum; quod alii, verbi gr. Antichriſtus, qui ſacrilego auſu poteſtatem divinæ æmulam ſibi vendicavit, non ſine raptu, ac injuria, atque horrenda in Deum contumelia facere potuerunt. Sed & forma illa Dei de *æqualitate* ac paritate cum Deo eodem commate explicatur, quod de non Deo ſine ſacrilegio dici non poteſt; cum Deus ſanctè affirmet, *ſe ſolum eſſe Deum fortem, & neminem ſibi eſſe parem.* Eſai. 46:9. & 2.Sam.7:22. Dicere autem, Chriſtum Deo æqualem eſſe ex participatione, & propter dona quædam eximia ac divina, eſt in re ſanctiſſimâ ludere, ac perinde eſt, ac ſi eum inæqualitate ipſa Deo æqualem dicas, & cum longe inferior ſit, tamen ei eſſe parem.

VII. Neque minoris emphaſis eſt, quod Col. 2:9. *Omnis plenitudo Deitatis in Chriſto corporaliter inhabitare* dicitur. Quem locum pari arte emaſculant adverſarii, dum hunc ejus ſenſum reddunt, quicquid ad verum Dei cultum requiritur, pleniſſime & ſine ullis umbris ac nebulis, in ſanctiſſima Chriſti doctrinâ reperiri. Quæ meræ præſtigiæ ſunt, per *Deitatem* divinum cultum, per *Chriſtum* Chriſti doctrinam intelligere, ac ſimiliter reliquarum vocum vim frangere; cum non de doctrina Chriſti, ſed de perſona ejus agi, ſequens verſus manifeſtò oſtendat: *Et in eo eſtis completi, qui eſt caput* &c.

VIII. Huc faciunt etiam loca, quæ docent, Filium per omnia & in omnibus æqualem adeoque ὁμοούσιον eſſe Patri. *Judæi quærebant interficere Jeſum quod Patrem proprium diceret Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Joh. 5:18. *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus eſt: & nemo poteſt rapere ex manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus.* Joh. 10:29. 30: *Creditis in Deum, etiam in me creditis.* Joh. 14:1. *Si cognoviſſetis me, etiam Patrem cognoviſſetis; & à modò cognoviſtis eum & vidiſtis eum.* v. 7. *Qui videt me, videt Patrem: & quomodo tu dicis: oſtende nobis Patrem?* v. 9. *Non credis quod ego in Patre, & Pater in me ſit? verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor: Pater verò, qui in me manet, ipſe facit opera.* v. 10. *Om-*

Digitized by Google

Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. c. 16: 15. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea, & glorificatus ſum in eis,* c. 17: 10. *Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus S.; & hi tres unum ſunt.* 1. Joh. 5: 7.

11. Ex divinis attributis. IX. Ad ſecundam argumentorum claſſem pertinent *attributa divina,* quæ Filio tribuuntur: qualia ſunt, *ſpiritualis ac ſimpliciſſima eſſentia,* ejuſque *immutabilitas. Illa peribunt, & tu permanebis. Illa mutabuntur, ſed tu idem es,* Pſal. 102: 27, 28. confer Hebr. 1: 12. *σὺ ὁ αὐτὸς εἶ. Per Spiritum* *qualia ſunt divinus ejus Spiritus.* *æternum Chriſtus ſe ipſum obtulit immaculatum Deo.* Hebr. 9: 14. *Qui definitè notatus eſt Filius Dei in potentiâ, ſecundum Spiritum ſanctitatis.* Rom. 1: 4. Quem locum perperam accipias de *Spiritu ſanctificationis,* per quem Chriſtus videlicet ſanctificatus, atque inunctus, atque iſto demum pacto Dei Filius fuerit. Longe enim alia ratione eſt Dei Filius, uti ſupra oſtenſum. Nec quod à Spiritu ſacratus & in mundum editus fuerit: opponitur enim hic manifeſtò Spiritus ſanctitatis nativitati ejus ex ſemine Davidis; in quo tamen miraculoſo ortu magna pars ſanctificationis hujus conſiſteret, utpote præcipuo Spiritus hujus opere: ſed Filius Dei declaratus dicitur ſecundum divinam ſuam naturam, quæ hic *πνεῦμα ἁγιωσύνης Spiritus ſanctitatis* appellatur, ſæpiuſque iſto vocabulo venit. ut Chriſtus cognoſcens *Spiritu ſuo eos ita ratiocinari apud ſe.* Marc. 2: 8. *Chriſtus juſtificatus eſt in Spiritu.* 1. Tim. 3: 16. *Vivificatus eſt in Spiritu. In quo abiens iis ſpiritibus qui in carcere ſunt prædicavit.* 1. Pet. 3: 19. atque hoc in loco præſertim ſine articulo occurrit; & adeo diſtinctè *τὸ κατὰ σάρκα* & *τὸ κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης* conſideratur, atque ea in Chriſto diſtinguuntur, & ex æquo ſibi mutuo opponuntur.

Æternitas. X. *Æternitas. Hodie genui te.* Pſal 2: 7. *Jehova habuit me initium viæ ſuæ ante molitiones ſuas à tunc.* Prov. 8: 22. *In principio erat ſermo.* Joh. 1: 1. *Nec initium dierum nec finem vitæ habens.* Hebr. 7: 3. Factus ſacerdos *κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου ſecundum potentiam vitæ indiſſolubilis,* v. 16. & propterea dicitur *manere in æternum.* v. 24. & ſe *obtuliſſe Spiritu æterno.* c. 9: 14. *Jeſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſæcula* c. 13: 8. *Egreſſiones ejus ab ante ſunt, à diebus ſæculi.* Mich. 5: 1. Eſt *principium & finis, qui eſt, qui erat, & qui venit.* Apoc. 1: 8. & 11: 17. qui *eſt ante omnia.* Col. 1: 17. *Pater æternitatis,* Eſai. 9: 5. Et Chriſtus de ſe ipſo Joh. 8: 58. *Priuſquam Abrahamus exiſteret ego ſum.* Quod non niſi de divina ejus natura intelligi poteſt. Meræ enim ſunt tenebræ quas hic ſpargunt adverſarii, dum explicant, priuſquam Abraham fiat, ſcil. Abraham, h. e. Pater multarum gentium, ego eram, vel ſum, Meſſias: quæ non ſimplex &

Digitized by Google

nativa, ſed, quales pleræque adverſariorum, ex ingenio improbe effi-
cta explicatio eſt, nec ad præſentem locum quicquam faciens: ageba-
tur enim an Chriſtus verè potuerit dicere, Abrahamum diem ſuum vi-
diſſe; quod Iudæi, in iſta ætate, de Chriſto negabant; Chriſtus autem
affirmabat: ut de exiſtentia Chriſti jam ante Abrahamum actum fuerit.
Neque etiam de Chriſto quærebatur qualis vel quis eſſet, ſed quando
fuiſſet: nec de futuro, ſed de præterito tempore tota erat diſputatio.

XI. *Immenſitas* ſeu *Omnipræſentia. Sermo erat apud Deum.* Ioh. 1: 1. *In* Omnipræſentia.
mundo erat lux, & mundus per eam factus eſt. v. 10. *Talis nos decebat Ponti-*
fex, altior cœlis factus. Hebr. 7: 26. *Quis aſcendit cœlum & deſcendit? quis*
collegit ventum in ſinum ſuum? quis conſtrinxit aquas in toga? quis conſtituit fi-
nes terræ? quid nomen ejus, & quid nomen Filii ejus, ut id noris? Prov, 30: 4.
Quis menſus eſt pugillo ſuo aquas? & cœlum ſpithama aptavit? & menſuravit
trientali pulverem terræ? & appendit in libellâ montes & colles in bilance?
Eſai. 40: 12. *Cœlum eſt thronus meus, & terra ſcabellum pedum meorum: quæ*
eſt domus quam ædificabitis mihi? & quis locus requies mea? c. 66: 1. *Ego*
vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Matth. 28:
20. *Vos ex iis, quæ infra ſunt, eſtis: ego ex iis, quæ ſupra ſunt, ſum. vos ex hoc*
mundo eſtis: ego non ſum ex hoc mundo. Ioh. 8: 23. vide & Eph. 4: 9, 10.
Quod aſcendit, quid eſt, niſi quod & deſcendit? qui deſcendit, ipſe eſt & qui
aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia. Ioh. 3: 13. *Nullus enim aſcen-*
dit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo: nimirum Filius hominis qui eſt in cœlo.
Ubi, quamvis in hunc mundum deſcenderit, tamen in cœlo eſſe Chri-
ſtus dicitur: quod, pro more, tenui ſenſu explicant adverſarii per *cœ-*
leſtia cogitare. Sed quid *deſcendere de cœlo*, quod hoc verſu itidem de
Chriſto dicitur, an contrarium forte ſignificabit? Clarum autem eſt,
aſcendere in cœlum, *deſcendere* è cœlo, de perſona Chriſti in Scripturis
ſolum dici, & tum de ejus in terram adventu, tum de locali ejus in cœ-
los adſcenſione debere intelligi. Eph. 4: 9. unde Socinus maluit red-
dere, qui *erat* in cœlo, quod iterum ſuo ſenſu intelligit; cum tamen in
textu ſit, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ ut cap. 1: 18. *ὁ ὢν qui eſt in ſinu Patris.*

XII. *Sapientia* & *omniſcientia.* Unde ipſa Sapientia dicitur. Prov. 8: Omniſcientia.
& 9. *Iuſtificatur ſapientia à Filiis ſuis.* Matth. 11: 19. *Propterea Sapientia*
Dei dicit: mitto vos Prophetas & Apoſtolos. Luc. 11: 49. coll. Matth. 23:
34. *Ego ad vos mitto*, inquit Chriſtus, *Prophetas & ſapientes. Vocatis* Chri-
ſtus *eſt Dei ſapientia.* 1. Cor. 1: 24. *Super quo*, ut capite & fronte, *eſt ſpiri-*
tus ſapientiæ & prudentiæ? qui non ſecundum viſum oculorum judicat; qui

Digitized by Google

odoratur timorem Domini. Eſai. 11:2,3. Qui *cognoſcit Patrem.* Matth. 11: 27. & *cogitationes hominum.* Matth. 9: 4. & Joh. 2:24,25. qui *novit omnia.* Joh. 21:17. qui *vidit, quæ teſtatur.* Joh. 3:11, 32. qui *videt quæ Pater facit.* Joh. 5: 19, 20. *Coram cujus oculis nihil eſt occultum.* Hebr. 4: 13. qui denique *ſcrutari renes & corda dicitur.* Apoc. 2: 23. qui ipſius Dei character eſt. 1. Reg. 8: 39. Jer. 17: 9, 10. unde Prophetæ, quamvis, à Spiritu Dei admoniti, cogitationes atque intima cordium aliquando intellexerint; nunquam tamen ea ſcrutari ac perrimari dicti ſunt.

Sanctitas. XIII. *Sanctitatis* divinæ perfectio. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehovah* Deus *exercituum.* Eſai. 6: 3. confer. Joh. 12: 41. *Hæc dixit Eſaias cum videret gloriam ejus, & loquutus eſt de ipſo. Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt -- ad ungendum ſanctum ſanctorum.* Dan. 9: 24. *Pater cum ſanctificavit & miſit in mundum.* Joh. 10: 36. *Definitus eſt Filius Dei in potentia ſecundum Spiritum ſanctitatis.* Rom. 1: 4. *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes.* Hebr. 2: 11. *Et erit* Jehova *in ſanctuarium.* Eſai. 8: 14.

Omnipotentia. XIV. Denique *potentia. Facit omnia ſimiliter ac Pater quæ videt Patrem facientem;* & ut Pater *ita Filius vivificat quos vult.* Joh. 5: 19,20,21. *Poteſt ſibi ſubjicere omnia.* Phil. 3: 21. *Fert omnia verbo potentiæ ſuæ.* Hebr. 1: 3. & *παντοκράτωρ omnipotens ille* dicitur. Apoc. 1:8. *Vitam æternam do eis, & non rapiet quis eas ex manu mea. Pater & ego unum ſumus.* Joh. 10. 28 Quo referenda eſt ἐξουσία, *poteſtas*, quam Chriſtus habet *in cælo & in terrâ.* Matth. 28:18. *Dignus eſt agnus mactatus ut accipiat potentiam.* Apoc. 5: 12. *Quieſcet ſuper ipſo Spiritus conſilii & roboris.* Eſai. 11: 2.

XV. Imperceptibilia autem & pugnantia loquuntur adverſarii, cum poteſtatem hanc in Chriſto independentem faciunt in exercitio, & tamen à Patre donatam, atque ſic rurſus dependentem. Poteſtatem enim independentem ſolus Deus tanquam proprium decus ſuum poſſidet, neque eam non-Deo largitur: ſimiliter Chriſtus non ut vicarius ac legatus Dei, ſed ut Deus ipſe & verus *peculii* ſui Dominus omnem poteſtatem in populum ſuum exercet. Tit. 2: 14. *Purgavit ſibi populum peculiarem.* Pſal. 2: 8. *Dabo gentes hæreditatem tuam.* Nec dependentiam, ſed unitatem cum Patre habet, eamque non voluntatis ſolum, ſed & potentiæ, ut iſta loca diſertè tradunt, & maximè eſſentiæ, quæ cæteri conſenſus cauſa eſt: cum alioqui quicquid creatum, & a Deo diverſum eſt, deficere atque aliud velle poſſit. Qualis naturæ unitas etiam Ioh. 17: 21. *Ut omnes unum ſint, quemadmodum tu, Pater*

Digitized by Google

Pater, in me, & ego in te: ut & ipſi in nobis unum ſint, intelligi debet: ubi Patrem rogat Chriſtus, ut ſicuti una eſt natura Patris & Filii, illius unitatis atque myſticæ communionis, quatenus nimirum id fas eſt, etiam fideles in hâc vitâ participes evadant; quod etiam impletur, quando Pater & Filius ſpirituali modo in iis inhabitant. Tenue enim nimis eſt unitatem illam de animorum mutuo conſenſu & concordiâ intelligere; quo ſenſu Chriſtus exauditus non fuiſſet, cum innumeræ adhuc vigeant contentiones, atque hoc perpetuum Eccleſiæ in terris ſtatum ſit.

XVI. Nec poteſtati huic adverſatur, quod ſceptrum veluti poſiturus, atque regnum Patri traditurus dicatur. *Deinde erit finis cum tradiderit regnum Deo & Patri.* 1. Cor. 15: 24. Hoc enim non faciet niſi regno pacato, & debellatis extinctiſque hoſtibus, cum Eccleſiam ſuam triumphali veluti in curru cœlo invehet, atque victricem Patri ſiſtet; quæ non minuendæ, ſed extollendæ ejus potentiæ faciunt. Neque hic regni ejus finis, ſed beatioris ſtatus auſpicium erit. Sic enim non incongruè per *regnum* Eccleſia Catholica toto orbe ex mediis hoſtibus collecta & redempta intelligitur: quam Chriſtus *Patri tradet*, h.e. cœlo ovantem inferet, & ad Patrem ſuum adducet. Conf. Eph. 5: 27. *Ut ſiſteret eam ſibi glorioſam, Eccleſiam, non habentem maculam aut quicquam talium, ſed ut ſit ſancta & ſine vitio.*

III. Ex divinis operibus: qualia ſunt, creatio rerum &c.

XVII. Sequuntur *tertio opera divina*, quæ Filio tribuuntur, cum *naturæ*, tum *gratiæ*: ut *creatio*. *In verbo Domini cœli facti ſunt.* Pſal. 33: 6. *Quum firmaret cœlos, ibi ego eram, quum delinearet circulum ſuper facie abyſſi; quum firmaret ætherem ſurſum; quum invaleſcerent fontes abyſſi; quum poneret mari modum & delinearet fundamenta terræ; & eram apud ipſum ἐγκόλπιος in ſinu, & eram deliciæ quotidie, ludens coram ipſo omni tempore, ludens in frugifera terræ ipſius, & deliciæ meæ cum filiis hominis.* Prov. 8: 27-31. *Dic oppidis Judæ; ecce Deus veſter! ecce Dominus Jehovah cum fortitudine veniet -- ut Paſtor gregem ſuum paſcet -- quis menſus eſt pugillo ſuo aquas? & cœlum ſpithamâ aptavit? & menſuravit trientali pulverem terræ? & appendit in libella montes & colles in bilance?* Eſai. 40: 9-12. *Jubilemus Domino; clangamus Petræ ſalutis noſtræ -- in cujus manu ſunt perveſtigationes terræ, & altiſſima montium ipſius ſunt. cujus eſt mare & ipſe fecit illud, & cujus manus aridam formarunt -- ingenieulemus coram Domino factore noſtro, nam ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſtus ejus & oves manus ejus.* Pſal. 95: 1-7. vid. & Ioh. 1: 3. Col. 1: 16. 17. & mundi creati

Digitized by Google

conſervatio ac *gubernatio*. *Pater meus huc uſque operatur : & ego operor.* Joh. 5:17. *Et omnia in ipſo συνέστηκε ſubſiſtunt*, Col. 1: 17. *Fert omnia verbo potentiæ ſuæ.* Hebr. 1: 3.

Joh. 1: 3. XVIII. Fruſtra autem laborant adverſarii primarium illum locum Johannis c. 1: 3. *Omnia per hunc facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil quod factum ſit*, nobis eripere, atque perverſe eum de creatione ſecundâ, & mundo per Euangelium renovato, interpretantur. Egerat enim Euangeliſta de æternâ Filii apud Patrem præſentia, antequam quicquam fieret vel exiſteret. Hinc in principio rerum, & ante mundi ortum ipſum introducit, & diſertè *omnia* per ipſum facta teſtatur; & poſtea demum de primo Euangelii præconio, & Chriſti in carne apparitione agit, quando in mundum à ſe factum deſcendit; *qui* tamen *non agnovit ipſum*, v. 10. quod quidem nullo modo de mundo à Chriſto renovato accipi poteſt,

Col. 1: 16. XIX. Gemellus prorſus huic locus eſt Col. 1: 16. ubi *per Chriſtum condita dicuntur omnia, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes* &c. quæ verba illuſtriora ſunt, quam ut corruptorem ſtilum admittant; niſi etiam novam creationem in cœlis atque angelorum reformationem ſomnient, quod aliquando audent, & poſt Chriſti aſcenſionem mutatas Angelorum in cœlo dignitates hariolantur, ut nunc Chriſto ſubjecti ſint, qui antea ſolius Patris imperio ſuberant; ne Smalcii commentum addam, dæmones quoque ipſos per Chriſtum factos eſſe novam creaturam. Hæc nempe ſunt acuta illa & felicia hominum iſtorum interpretamenta. Agit Apoſtolus autem ibi de πάσῃ κτίσει. v. 15. quo nomine ipſa Angelorum ſubſtantia, quæ etiam inter res conditas eſt, continetur. Quanquam vel ipſa hæc ſecunda mundi creatio, quam hic perpetuo oggerunt adverſarii, ſatis illuſtre divinitatis Chriſti argumentum ſit; cum illa creaturæ alicujus opus & gloria eſſe non poſſit; niſi, pro more ſuo, rurſus jejunè nimis

Hebr. 1: 3. hæc omnia capiant. Quale eſt, dum ad Hebr. 1: 3. ubi Chriſtus *omnia verbo ſuo potente*, tum juſſionis, tum interceſſionis ſuæ, *ſuſtinere* dicitur, electorum conſervationem, non per verbum potentiæ, ſed per verbum Euangelii & promiſſa vitæ æternæ (quæ tamen & alius quiſpiam promulgare potuiſſet) intelligunt. Hæc videlicet eſt potens illa conſervatio, quam Apoſtolus appellat, quæ ſæpe irrita & ſine fructu eſſe poſſit, cum in externâ operâ & miniſterio ſolum conſiſtat.

XX. Atque hæc jam altera ipſorum exceptio eſt: Chriſtum in utraque

Digitized by Google

quecreatione, & primâ & ſecundâ, ac toto ſalutis noſtræ negotio, inſtrumenti ſolum vicem ſuſtinere, ideoque dici *per ipſum* omnia condita. *Omnia* δι' αὐτοῦ *per ipſum*, Καὶ εἰς αὐτὸν *& ad ipſum condita ſunt*. Col: 1:16. Non evincit autem hoc particula *per*, non magis quam cum de Patre ipſo uſurpatur. *Ex ipſo* Καὶ δι' αὐτοῦ *& per ipſum & ad ipſum ſunt omnia*. Rom. 11:36. Conf. Hebr. 2: 10. 1. Cor. 8:6. Gal. 1:1. ubi διὰ de cauſa principali immediata accipitur: ut & particula ב Num. 36: 2. Pſal. 18: 30. 60: 14. Eſai. 26: 13. Tùm in textu etiam eſt ἐν αὐτῷ, ſimiliter ut Act. 17:28. ἐν αὐτῷ *in eo, vivimus, & movemur, & ſumus*. Ac talia etiam de Chriſto in opere creationis prædicantur, quæ inſtrumento non conveniunt; appellatur enim *ſapientia* Patris, nec aliter in eo opere interveniſſe dicitur, Prov. 8. & dicitur *finis* creationis. *propter quem omnia ſint*. Col 1:16. quæ de inſtrumento mero dici non poſſunt. Similiter quæ in ſecunda creatione ipſi attribuuntur, longe auguſtiora ſunt, veluti cum *princeps* & *cauſa* ſalutis appellatur, & ſummum illud nomen eſſe dicitur, in quo ſolo ſalutem ſperare liceat. *Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*. Hebr. 5: 9. *Hunc principem & Salvatorem exaltavit Deus dextra ſua*. Act. 5:31. *Decebat ipſum, multis Filiis in gloriam introductis, principem ſalutis ipſorum per paſſiones conſummare*. Hebr. 2: 10. Denique ne quidem inſtrumento in hiſce ſemper locus eſt; nec in primâ creatione, veluti primæ rerum materiæ, angeli aut animæ rationalis; nec in ſecundâ, veluti in effuſione S. Spir. in fideles: quæ nihilominus Chriſto tribuuntur: ut ſublimius quid de ipſo in patratione divinorum operum cogitare neceſſe ſit.

XXI. Similiter *opus gratiæ* & *redemtionis* ipſi adſcribitur. *Qui crearunt te, habent te in matrimonio: Jehova Deus exercituum nomen ejus eſt: & vindex tuus ſanctus Iſraëlis, Deus totius terræ vocabitur*. Eſai. 54:5. *Ego pro iis rogo; non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea, & glorificatus ſum in eis*. Joh. 17:9, 10. Omneſque ejus partes: *Sponſio. In tantum melioris Teſtamenti extitit Sponſor Jeſus*. Hebr. 7: 22. *Electio. Angeli colligent electos ejus ex quatuor ventis*. Matth. 24: 31. *Deus elegit nos in ipſo*. Eph. 1: 4. *Ego novi quos elegi*. Joh. 13:18. *Benedictio. Non dimittam niſi benedicas mihi*. Gen. 32:26. *Sanctificatio. In qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Chriſti ſemel factam*. Hebr. 10: 10. *Juſtificatio. In cognitione ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos*. Eſai. 53: 11. *Peccatorum remiſſio. Filius hominis in terra poteſtatem habet remittendi peccata*. Matth. 9: 6.

Redemptionis &c.

XXII. Quo pertinent *miracula* ipſius. Matth. 8:2,3,8,13. Marc. 5. 30. Matth. 15:28. quorum patrandorum poteſtatem aliis quoque conceſſit. Matth. 10:8. Marc. 6:7. & 16:17,18. præſertim quæ circa ſe ipſum patravit, præcipue in corporis ſui reſuſcitatione. *Solvite templum hoc, & intra tres dies excitabo illud.* Joh. 2:19. & 10:18. *Poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem habeo recipiendi eam.* Quæ dum Sociniani non propriè ab ipſo, cum mera creatura eſſet, patrata eſſe aſſerere audent, apertè Judaiſant. Et tandem quæcunque deinceps circa Eccleſiam ſuam egit; in qua palam vitæ æternæ verba prolocutus eſt, fata ejus ad ultima uſque tempora diſertiſſimis oraculis expoſuit, Spir. S. effudit, Miniſtros inſtituit, Sacramenta dedit; fideles potenter vocat, convertit, ab omni labe & exitio cuſtodit, mortuos denique vivificabit, & vitâ ac gloriâ in æternum beabit & coronabit.

IV *Ex honore divino.* XXIII. Tandem argumentamur *ab honore & cultu*, qui Chriſto attribuitur. Summa enim majeſtas & gloria à Patre ipſi collata legitur. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* Joh. 3:35. *Pater diligit Filium, & omnia monſtrat ipſi quæ ipſe facit.* c. 5:20. *Neque Pater judicat quenquam, ſed judicium omne, vel totum, dedit Filio.* v. 22. *Ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem. qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui eum miſit.* v. 23. *Ego non quæro gloriam meam. Eſt, qui quærit & judicat.* c, 8:50. *Si illos dixit Deos, ad quos verbum Dei factum eſt; & non poteſt ſolvi Scriptura; quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis, blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum?* c. 10:35,36. *Pater, glorifica nomen tuum. Venit vox è cælo: & glorificavi & denuo glorificabo.* c. 12:28. *Ille* (Spiritus) *me glorificabit.* c. 16:14. *Glorifica Filium tuum, ut & Filius te glorificet.* c. 17:1. *Et nunc glorifica me tu, Pater, apud te, gloria, quam habebam, antequam mundus eſſet, apud te.* v. 5. *Quamobrem & Deus ipſum ſuperexaltavit, & in gratiâ donavit ei nomen, quod ſupra omne nomen eſt: ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, & omnis lingua profiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus, ad gloriam Dei Patris.* Phil. 2:9,10,11. unde & *Dominus & Rex gloriæ* appellatur. 1. Cor. 2:8. Pſal. 24:7-10. Atque adeo inter *creaturas* adorant eum ipſi Angeli, & principes populi. *Tanto major factus Angelis, quanto excellentius præ illis hæreditavit nomen. Quum autem rurſus introducit primogenitum in orbem habitabilem, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Hebr. 1:4,6. *Eſt in dextra Dei,* ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων, καὶ ἐξουσιῶν, καὶ δυνάμεων. 1. Pet. 3:22. Joh. 10:35,36. *Servite Domino in timore. Exoſculamini Filium.* Pſal. 2:11,12. *Ego dixeram vos eſtis Dii. Sed ut homo*

mo-

moriemini. Surge, Deus, judica terram. Nam tu hæreditatem cernes in omnibus gentibus. Pſal. 82: 6, 7, 8, atque univerſa in cœlo & terra *Eccleſiâ* ipſi preces, laudes, omnemque cultum offert. *Dignus eſt agnus ut accipiat potentiam, & vires, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnis creatura, audivi dicentes, ſedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & gloria; & ceciderunt illi viginti quatuor Presbyteri, & adorarunt viventem in ſecula ſeculorum.* Apoc. 5: 12, 13, 14. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis.* c. 22: 21. *Ut omnes honorent Filium.* Joh. 5: 23. *Adorant* eum Apoſtoli Luc. 24: 52. Stephanus Act. 7: 59. *Cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in omni loco.* 1. Cor. 1: 2. Saulus habebat poteſtatem vinciendi *omnes qui invocabant nomen Chriſti.* Act. 9: 14. *Perſequere pacem cum illis qui invocant Dominum ex puro corde.* 2. Tim. 2: 22. *Gratia vobis ab eo qui eſt, & erat, & venit: & à ſeptem ſpiritibus, & à Jeſu Chriſto, teſte illo fideli.* Apoc. 1: 4, 5. *Gratia Domini Jeſu Chriſti, & amor Dei, & communio Spiritus S. ſit cum omnibus vobis.* 2. Cor. 13: 13. & ſinguli denique *fideles* in ſacrum ipſius nomen baptiſantur. Matth. 28: 19. & *domus ipſius* appellantur. Hebr. 3: 6. Apoc. 21: 22. eorumque amor: *Qui diligit patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus.* Matth. 10: 37. *Si quis non diligit Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* 1. Cor. 16: 22. fides: *Omnis qui credit in eum, non perit, ſed habet vitam æternam.* Joh. 3: 15, 16. *Quin lucem habetis, credite in lucem, ut Filii lucis fiatis.* c. 12: 36. *Creditis in eum, & in me creditis.* c. 14: 1. ſpes: *Erit radix Jeſſæ, & qui exſurgit, ut ſit princeps gentium: in eum gentes ſperabunt.* Rom. 15: 12. omniſque pius ac religioſus animæ affectus in Chriſtum unicè dirigitur. Quali honore hominem ullum dignari nefas eſt, cum *maledictum* eum Propheta pronunciet, *qui fiduciam habet in homine.* Jer. 17: 5. Ubi fruſtra argutantur adverſarii, in talem ſolum Prophetæ verba & diras competere, qui ita fidit in homine, ut recedat à Jehova, quod in iis qui in Chriſto confidunt, non habeat locum: cum hoc ipſum divinus vates addat; eum, qui in nudo homine confidit, qui fragilis *caro* eſt, qualis iſtis hominibus Chriſtus ante ſeſſionem ad dextram Patris erat, recedere à Jehova, quia Deus rivalem ferre non poteſt, *à Jehova autem recedit animus ejus;* ſicut contra v. 7. benedictum pronunciat illum, *qui fiduciam habet in Iehova,* inque eo ſolo recumbit. *Jer. 17: 5.*

XXIV. Conjungitur hæc adoratio Filii cum adoratione Patris & Sp. S. in auguſtiſſimo illo Triſagio, Eſai. 6. & Apoc. 4. *Sanctus, Sanctus*

ſtus &c. Quem hymnum Seraphicum Vetus Eccleſia, præſertim Conſtantinopolitana, veluti miraculo acceptum, ac ab angelis puerum in templo edoctum celebri in uſu, ac ſummâ in veneratione habuit; atque ſacro iſto carmine individuæ Trinitatis fidem contra hæreticorum fraudes & perfidiam conſtantiſſimè profeſſa eſt.

XXV. Atque in ejuſdem fidei teſtimonium atque teſſeram preces ac hymnos ſuos doxologiâ hac claudere ſoliti erant Veteres: *Gloria Patri, Filio, & Spiritui S.; ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Quam ab Arianis corruptam in hæc verba, *tibi Patri gloria, & honor, per Filium tuum unigenitum*, quo ſecundas tantum partes Filio tribuebant, Orthodoxi inviolatam ſervabant, & in cœtibus ac conventibus ſacris ac conciliis, tanquam publicam Eccleſiæ vocem conſtanter ingeminabant.

XXVI. Eſt autem una & indiviſa trium perſonarum adoratio, ut ex Matth. 28:19. 2. Cor. 13:13. ſimilibuſque locis apparet; neque ſupplicationem uni perſonæ factam ad aliam iterari neceſſe eſt; ſed cum Patre, in ſuo mediatoris nomine, ſimul invocatur Filius, qui ſimul etiam exaudit. *Et quod petiveritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.* Ioh. 14:13. nec ſeparatus eſt Sp. S. qui utriuſque ineffabilis eſt communio. Atque adeo licet pleræque orationes ad Patrem dirigantur, non tamen cæteræ perſonæ excluduntur, ſed potius includuntur, cum Pater adiri non poſſit ſine Filio, & hi duo non ſint ſine ſpiritu ſuo, per quem nos ipſi quoque Filii Dei facti ſumus in Filio. *Accepiſtis Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater.* Rom. 8:15.

Quem variè detorquent Sociniani.

XXVII. Fœdè autem hæc detorquent Sociniani, quique inter eos *invocantes* dicuntur. Non enim inter ſe conveniunt in maximo hoc Chriſtianæ religionis capite, atque eo impietatis quidam inter eos proceſſere, ut Chriſtum ne adorandum quidem cenſeant; quales Franciſcus Davidis, Chriſtianus Francus, & alii: cæteri autem non meliori auſpicio Salvatorem, ut ψιλὸν ἄνθρωπον, tamen ſummo honore coli atque invocari debere contendunt, quatenus nimirum ipſe ſalvator atque mediator eſt; atque adeo præter unum naturâ Deum, qui in Vet. T. colebatur, nunc in N. T. etiam alium, qui natura non ſit Deus, adorari debere docent; atque hoc vel maximum Chriſtianæ fidei myſterium eſſe volunt, duos habere Deos, unum ſummum, qui eſt Pater, alium inferiorem, qui eſt Filius; qui quidem mera creatura eſt, & ante na-

Digitized by Google

nativitatem ex Virgine ne quidem fuerit, ſed à Patre, propter ſumma & divina planè in ipſum collata dona in iſtud culmen jam evectus ſit, ut diviſum cum Patre imperium & cultum obtineat.

XXVIII. Ita hi homines creaturæ apotheoſim moliri audent, & novum in cœlum ſebaſma ac numen invehunt, quod vetus fidelium Eccleſia ignoravit. Hoc enim manifeſtè fatentur: unde cum urgentur locis: *Audi Iſraël, Iehovah, Deus noſter, eſt unus.* Deut 6:4. *Et cecidi coram pedibus ejus ut adorarem eum:* & *dicit mihi, vide ne* feceris. *Conſervus tuus ſum. Deum adora.* Apoc. 19:20. & 22:9. improbè ſub cultu Moſaico hoc obtinuiſſe excipiunt, nunc vero, præter Iehovam, Deum Iſraëlis, novum Deum Eccleſiæ datum ac monſtratum eſſe, Chriſtum nempe Servatorem. Verum ſi Novi T. tempora non ſpectet lex iſta Moſis, de adorando ſolo Deo Iſraëlis, qui ſolus Iehova & verus Deus eſt, immerito legem illam repetit & urget Chriſtus, nec ad populum Chriſtianum pertinet verbum illud, Matth. 4:10. *Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies:* & non ſatis rectè Paulus creaturam non poſſe divino cultu affici docet. Eos enim *qui coluerunt & ſervierunt rei creatæ præter creatorem*, dicit *commutaſſe veritatem Dei cum mendacio.* Rom. 1:25. & fruſtra idem confirmat, atque ad ultima Eccleſiæ tempora applicat Angelus, *volans in medio cœli, qui habebat Euangelium æternum, dicens voce magna: Timete Deum, & date ei gloriam, & adorate eum, qui fecit cœlum & terram.* Apoc. 14:6,7. & ſimiliter Apoc. 15:1,3. Imo ipſe Chriſtus, ſi verbum hoc mutaſſet atque honorem iſtum rapuiſſet, jam legem Moſis ſolviſſet, & tanquam Apoſtata à lege juſtè occiſus fuiſſet. Deut. 13:5.

XXIX. Non obtinet autem duplex adoratio, *ſuperior* & *inferior*, quam introducunt, non magis quam Pontificiorum idololatrarum diſtinctio inter δουλείαν, ὑπερδουλείαν & λατρείαν: cum cultus religioſus ſit tantum unicus, nec ut Deus coli, & tali animi motu adiri poſſit, quem tamen habeas pro non Deo, quique non ſit niſi Deus metaphoricus & nuncupativus, & Dei tantum legatus: quo nomine etiam Muhammedani Prophetam ſuum in precibus atque hymnis ſuis cum Deo, quem adorant, conjungunt; ut hic Socinianorum cultus Turcicæ Muhammedis ſui venerationi non abſimilis ſit.

Duplex eorum adoratio.

XXX. Atque ejuſdem commatis eſt eorum diſtinctio inter *adorationem*, quæ in pio ac maximè religioſo animi affectu ac ſubjectione conſiſtat, quam ſoli Deo Patri vendicant; & *invocationem*, quæ ſit minor quidam cultus, ac ſolum benignitatis atque opis alterius implora-

Diſtinctio inter adorationem & invocationem.

tio, quam Chriſto attribuunt, idque reſpectu eorum tantummodo, ad quæ largienda poteſtatem à Deo conſecutus ſit. Unde non ab omnibus promiſcuè, ſed in Eccleſiâ ſolum, atque à fidelibus invocari eum poſſe contendunt, idque in terris tantum; non enim æternum fore illum honorem, ſed poſtea depoſito regno exregem eum futurum: atque ita in privatum ordinem eum rurſus redigunt, & in omnem æternitatem Deo pariter ſubjectum inter reliquos fideles, ordine ſolum primum, collocant. Quanquam alii hæc paulo aliter explicent. Sicut etiam ipſum non ſemper iſtum honorem habuiſſe ſtatuunt, ſed poſt exaltationem, ob poteſtatem mediatoriam, quam tum accepit, demum illum nactum eſſe; quo referunt dicta: *Quamobrem & Deus eum ſuperexaltavit, & in gratia donavit ei nomen, quod ſupra omne nomen eſt*. Philip. 2:9. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*. Matth. 28:18. & præſertim Joh. 16:24. *Huc uſque non petiviſtis quicquam in nomine meo: petite & accipietis; ut lætitia veſtra ſit completa*; ubi *petere in nomine Chriſti* explicant petere in poteſtate Chriſti, atque eâ unicè confiſum.

XXXI. Verum Chriſto ſummus honor debetur, & ſumma adoratio. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Hebr. 1:6. *Ut concupiſcat Rex pulchritudinem tuam. Nam ille eſt Dominus tuus. & adora ipſum*. Pſal. 45:12. & nulla parte inferior honore Patris, cum pari majeſtate præditus ſit. *Et ſedeo cum Patre meo in throno ejus*. Apoc. 3:21. imo ipſe Pater ſine Filio ne adorari quidem poſſit. Neque poſt aſcenſionem in cœlum demum hunc honorem adeptus eſt, inſtar factitii alicujus numinis, quod, dum terras habitavit, cœli nondum honore mortales dignati ſint: neque hoc loco illo Johannis evincitur: nam *nomen Chriſti* non de poteſtate, quam videlicet tum primum adepturus foret, ſed de perſona poteſtate iſta prædita accipiendum eſt, ut Act. 3:16. *Hunc quem videtis & noviſtis, firmavit nomen ejus*, h. e. ipſe nominatus & invocatus auctor ſanationis. Sic Matth. 28:19. *Baptiſantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus S.* & ita *in nomine Filii*, id eſt, intercedente invocationi noſtræ perſona Filii Dei, invocandus eſt Deus, ſemperque ita adoratus fuit. Neque enim hoc negat hoc in loco Chriſtus, dum dicit: *Huc uſque nihil petiviſtis in nomine meo* &c. ſed vel ſtatum Eccleſiæ Veteris, quæ de longinquo ſtans per interventum ſacerdotii carnalis Deum hactenus venerata fuerat, & in ſpe redemtoris futuri tantum adoraverat, cum Nova, quæ ſine iſto circuitu in fide Servatoris, quem jam præſentem conſpexerat, Deum familiarius aditura foret, componit: vel diſcipulorum nimium

mium terrenos affectus caſtigat, qui Chriſtum in corpore præſentem, & familiarius inter eos converſantem, nondum adeo precibus ambire, nec in ejus nomine Patrem rogare adſueverant; verum poſtea abſentem frequentiori cultu proſecuturi, & jam cœlo regnantem perpetuis precibus ſollicitaturi erant, atque in ipſius fide atque nomine ſummâ cum libertate omnia à Patre poſtulaturi & accepturi. Similis commatis eſt, quod Chriſtum, uti in tempore factum Deum, ita poſtea finito regimine è faſtigio iſto rurſus removendum docent; cum regnum ipſius æternum ſit futurum, atque victis hoſtibus & triumphato mundo tum verò è ſolio ſuo non deſcendet, ſed tum demum verè Rex ac Dominus futurus eſt, pacatumque reget Patriis virtutibus orbem. Luc. 1: 33. *Et regnabit in domum Jacobi in ſecula & regni ejus non erit finis.*

XXXII. Sed conſiderandum propius eſt, quod adorationis Chriſti, unicum fundamentum ſtatuunt poteſtatem ejus mediatoriam, & gloriam illam ſupremam, quam poſt exaltationem ſuam adeptus ſit. Phil. 2:9. Matth. 28: 18. Unde nata inter ipſos etiam Orthodoxos quæſtio de causâ adorabilitatis Chriſti, an ea foret ſola ipſius Deitas, an vero etiam munus mediatorium. *Fundamentum adorationis eorum, poteſtas Chriſti mediatoria.*

XXXIII Quanquam autem munus mediatorium numen atque majeſtatem veri Dei includat, atque ad nomen ac ἐξοχὴν ejus pertineat, neque meræ creaturæ ac non-Deo attribui poſſit, non magis quam mundi hujus creatio, atque in res creatas ſupremum imperium; ut, qui mediator atque mundi redemtor eſt, etiam eo ipſo neceſſario ſit adorandus: tamen ratio formalis religioſi cultus, & fundamentum quare Chriſtus objectum fidei & ſpei noſtræ ſit, eſt hoc unicum, quod perſona divina ſit, atque verus Deus, nullo autem modo objectum ejus eſt natura humana.

XXXIV. Et Phil. 2: 9. *donatur* quidem Chriſto novus honor (quod verbum ἐχαρίσατο innuit) quem tanquam mercedem obedientiæ ſuæ à Patre acceperit; ſed ille in eo conſiſtit, quod, remoto humilitatis velo, nunc pleniſſimè in carne Chriſti ſe exerat divina majeſtas; atque in eâ palam ſe oſtendat, & tanquam in auguſtiſſimo templo adoretur. Sicut autem olim typicum templum non fuit adoratum una cum Deo in eo inhabitante, ita nunc quidem adoramus Filium Dei in carne, non vero τὸ λῆμμα quod aſſumſit, nec carnem in qua habitat. Et v. 10. ſimiliter ſummam & propriam mediatoris gloriam exprimit Apoſtolus per *nomen quod ſupra omne nomen eſt, quod in nomine Ieſu omne genu ſe flectit:* ſed *Phil. 2:9.*

 illa

Digitized by Google

illa majeſtas non realiter, ſed modaliter diſtincta eſt à majeſtate & gloriâ abſolutè ſuprema & purè divina; adeoque non ita mediatoris eſt propria, ut dicat cultum quendam & honorem peculiarem, qui in re non ſit idem cum cultu, qui Patri & Spiritui S. debetur; ſed eſt idem ille cultus atque eadem gloria, quæ Chriſto ab æterno cum Patre & Sp. S. communis fuit, quæ hic non primum ipſi datur, ſed poſt humilem in terris ſtatum, laboribus omnibus peractis, de novo ipſi aſſeritur atque vindicatur.

Quod arreptum à Remonſtrantibus. XXXV. Nimis avidè autem Socinianorum hoc commentum arripuêre Remonſtrantes, interque eos Epiſcopius, qui docet Filium non proponi ut objectum fidei cum Patre ſecundum eſſentiam divinam, quam cum Patre communem habeat, verum eo potius reſpectu, quatenus in carne manifeſtatus, per mortem ac paſſionem ſuam eam dignitatem acquiſivit, ut in eum tanquam in unicum mediatorem inter Deum & homines æque credere debeamus, ac in Patrem, atque utrumque ſimili honore ac cultu proſequi. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ioh. 17: 3. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis quod Ieſus ſit Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* c. 20: 31. conf. Phil. 2: 5-11. Ut Chriſtum ex dignitate à Patre ipſi collata, etiam qua creatura atque homo eſt, ac remoto æternæ deitatis reſpectu, proprio cultu atque adoratione proſequendum eſſe ſtatuant; imo vix de alia invocatione Chriſti loquantur, quam quæ ipſi ut mediatori h. e. juxta ipſos, etiam ut creaturæ glorificatæ convenit; atque adeo à cultu divino irrefragabile ad probandam æternam Filii Deitatem argumentum peti non poſſe judicent, Apol. c. 3. quippe qui non Chriſtum ſolum, ſed & angelos, ſic volente Deo, ſub V. T. adoratos ſtatuant, quod tamen ſub N. T. non licuerit.

XXXVI. Verum hæc omnia ex Socini lacunis hauſta ſunt, qui Chriſtum ſimiliter objectum fidei atque cultus noſtri ſtatuit, non quia unus cum Patre Deus ſit, ſed ut manifeſtatus eſt in carne. Atque ex ea hypotheſi jam duplex divini cultus objectum exoritur, Deus Pater, & Chriſtus ut mediator & homo; duplex dignitas, ex qua alicui cultus divinus debetur, una quæ Deo ut Deo naturâ convenit, alia quæ homini à Deo communicatur & donatur; pariterque duplex divinitas, quarum una Deo Patri naturâ competit, altera autem ſub meritum cadit & per opus acquiri poteſt.

XXXVII. Concipi autem nequit, quomodo iſtam dignitatem Chri-

Digitized by Google

Chriſto à Patre in tempore collatam dicant: hoc enim vel ſecundum divinam naturam ejus, vel ſecundum humanam intelligendum eſt. Non ſecundum illam, nam hoc pacto iſtum honorem jam ab æterno poſſedit: neque etiam ſecundum humanam naturam, nam ſic juſſiſſet Deus ut coleremus τὴν κτίσιν παρὰ τὸν κτίσαντα, Rom. 1: 25. quæ mera idololatria eſt.

XXXVIII. Multo minus paſſione atque obedientiâ ſuâ eam promeruit. Quo pacto enim talis dignitas in quæſtum venire queat, & quæ proportio inter opus creaturæ & talem remunerationem? certè Deo ſimilem eſſe raptus dici nequit. Et quomodo Chriſtus id promeruiſſe dici poteſt, quod ipſi jam ante ut Filio Dei & Deo naturâ competebat? niſi rurſus humanæ naturæ iſtud divini honoris faſtigium acquiſitum dicas: quod nihil aliud eſt, quam eam in idolum erigere. Et quid ſi non ad plenum obediviſſet Chriſtus (nam eum potuiſſe peccare, & in ipſo opere redemtionis deficere adverſarii ſtatuunt) anne tum Chriſto, ut inobedienti ſervo nullus honor divinus competiiſſet, qui tamen naturâ Deus erat? certè mediatoris præmio caruiſſet.

XXXIX. Verum Scriptura longè aliud adorationis Chriſti fundamentum ſtatuit, quam paſſionis atque obedientiæ ipſius meritum, nempè unitatem ejus cum Patre. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed judicium omne dedit Filio. ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem. qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui eum miſit. Amen, amen dico vobis, qui audit ſermonem meum & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam.* Joh. 5: 22, 23, 24. *Ego & Pater unum ſumus. ſuſtulerunt igitur rurſum lapides Judæi ut lapidarent eum.* c. 10: 30, 31. *Si non facio opera Patris mei, ne credatis mihi.* v. 37. unde cum Patre tanquam objectum cultus atque fidei noſtræ pariter conjungitur. *Creditis in Deum, & in me creditis.* Joh. 14: 1. *Hac eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* c. 17: 3. Et ne per mortem atque reſurrectionem ipſum dignitatem iſtam acquiſiviſſe exiſtimemus, jam ante mortem ac paſſionem ea ipſi attribuitur. Joh. 14: 1. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam. qui autem non obedit Filio, non videbit vitam.* c. 3: 36. *Credo, Domine. ſuccurre incredulitati meæ.* Marc. 9: 24. *Reſpondens Simon Petrus dixit, tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Matth. 16: 16. *Cui angelorum unquam dixit: Tu es Filius meus? Quum autem rurſus introducit primogenitum in orbem habitabilem, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Hebr. 1: 5, 6. Neque per anticipationem, ante mortem, Chriſto iſte honor exhiberi poterat, hoc videlicet nomine quod eum

Digitized by Google

ſibi acquiſiturus foret: hoc enim contra rei naturam eſt, mercedem ex debito alicui perſolvere, antequam opus præſtitum ſit; præſertim cum juxta adverſariorum ſententiam, Chriſtus potuerit non obedire, atque opus imperfectum deſerere.

XL. Et quod præterea addunt, honorem iſtum Filio, qua diximus ratione, attributum eundem eſſe cum illo honore, quo honoramus Patrem, id vero intelligi non poteſt. Honor enim, qui Patri competit, talis eſt, ut nulli debeatur niſi qui naturâ verus & æternus Deus eſt, ut ipſe Pater, quique adeo omniſcius eſt, & renum atque cordium ſcrutator, & omnipotens, & omnipræſens; nam hæc convenire debent in eum, quem cum fiducia exauditionis invocaturi ſumus. Talis autem non poteſt eſſe ille honor, quem adverſarii Chriſto, ut mediatori atque homini, in tempore, tanquam præſtitæ obedientiæ mercedem, tribuunt, niſi pariter, cum Ubiquitiſtis, divina attributa ipſi donata ſtatuant. Quod quum non faciant, & tamen Chriſtum ut hominem glorificatum ſummo honore colunt, revera non Deum colunt, & *ſerviunt iis qui natura Deus non* ſunt, Gal. 4: 8. adeoque nihil niſi idolum cerebri ſui adorant.

XLI. Quod excipiunt, committi idololatriam, non cum aliquid præter Deum divino cultu afficimus, ſed tum demum, cum ex proprio arbitrio & lubitu, atque ex præpoſtero & adultero animi motu, ſine ullo Dei mandato, imo contra voluntatem ejus, huic vel illi rei divinitatem quandam affiugimus, atque ſummo honore illam colimus; iſtud conſiſtere nullo modo poteſt: nam mandatum iſtud Dei, quod fingunt, pro fundamento ſuo habere deberet, vel *ſolam Dei voluntatem & imperium*, vel *aliquam præterea creaturæ iſtius excellentiam & dignitatem*. Sed neutrum dici poteſt: cum, ſi ſola Dei voluntas ſufficeret, vel ſi talis in Deo voluntas eſſe poſſet, jam omne genus creaturæ, etiam inanimes, aurum, argentum puta, quin vel lutum ipſum, ex iſto fundamento divino honore affici poſſet, ſi modo Deus juberet; qui iſtud etiam jubere poſſet: quod dictu infandum eſt, nec ſine horrore intelligi poteſt, religioſis nempe precibus ambire & ſacro cultu venerari creaturas, quæ, non dico divinæ, ſed ne humanæ quidem rationis capaces ſunt, & ne adorantem quidem audire aut intelligere poſſunt. Neque etiam tale mandatum Dei creaturæ ipſius excellentiâ niti poteſt, cum ad cultum religioſum fundandum non quælibet, ſed ſumma excellentia requiratur, atque honor ille divina attributa præſupponat; quæ cum in creaturas cadere nequeant, neque eædem pro objecto adorationis à Deo poni poſſunt.

XLII. Vo-

Digitized by Google

XLII. Voluntatem autem Dei verbo ejus expreſſam quod attinet, occurrit illa Jeſ. 42: 8. *Ego Jehova, hoc eſt, nomen meum, gloriam meam alii non dabo, nec laudes meas ſculptilibus.*

XLIII. Quod ajunt, honorem Dei non vulgari vel alienari, cum aliquem ex Dei præſcripto iſto honore afficimus; nam iſtud Dei ſolius cauſa fieri; & quia ipſe illum cultum jubet ac petit, atque per illum glorioſus eſſe vult, omnem tandem honorem in Deo ipſo terminari: iſtud verò rurſus eſt Sociniano commento evadere, atque eo tandem venire, ut ſolus Pater primario, directè & propriè adorandus ſtatuatur, Chriſtus vero ſolum indirectè & cum reſpectu ad Patrem: quæ indirecta & impropria invocatio, præterquam quod ſummo Chriſti honori deroget, quid rei ſit intelligi nequit, cum fundamentum invocationis unicè ſit infinita aliqua eſſentia & potentia, cui ſoli ea debetur, ut nulli minus principaliter, vel indirectè, vel ſimiti aliquo extenuato ſenſu ea attribui poſſit: neque indirectè & minus principaliter, ſed directè & propriè Chriſtus in Scripturis invocatur, cum ab ipſo petimus, ut fidem nobis augeat, Sp. ſuum largiatur, regnum ſuum venire faciat, ſpiritum noſtrum ſuſcipiat &c.

XLIV. Cum autem Remonſtrantes ita luctentur contra adorationem Filii, ut & Spir. Sancti, ſicut infra oſtendetur, eoſque ſummo illo cultu & honore, quo Pater adoratur, invocari non poſſe ſtatuant, Socinianiſmum, quo univerſam Theologiam ſuam adeo indignè corruperunt, manifeſtè nimis produnt: nec Filium aut Spir. S. ejuſdem cum Patre Deitatis habent: atque adeo SS. Trinitatem reipsâ negant & evertunt.

XLV. Atque ex hiſce omnibus jam patet, Chriſtum verè & propriè Deum eſſe; quod etiam apertè profeſſus eſt, contra ac adverſarii excipiunt, quoties ſibi opera Patris adſcripſit, ſeque Deo æqualem dixit, atque palam ſeſe pro Filio Dei geſſit: non enim ſine cauſa ſeſe *Filium Dei* potius quam diſertè Deum appellavit, tum ut à Patre ſe diſtingueret, tum ne unus putaretur ex illis Elohim, atque Diis λεγομένοις, de quibus Pſal. 82. ſed ut ſummum ſeſe eſſe Deum, atque illum Dei Filium, de quo in V. T. tam crebro agitur, oſtenderet.

XLVI. Nec obſtant objectamenta illorum: quod nimirum Chriſtus *omnia à Patre habeat*, atque hic ipſe *honos ipſi à Patre datus* dicatur. *Omne judicium dedit Filio. dedit etiam Filio habere vitam in ſe. & poteſtatem dedit ipſi & judicium faciendi, quia Filius hominis eſt.* Joh. 5: 22-27. Hæc enim dicunt perſonarum ordinem in eadem tamen eſſentia & deitate,

Objectiones contra Deitatem Filii Dei. Joh. 5: 22-27.

Digitized by Google

deitate, & quæ à Patre habet, vel per æternam generationem ab eo poſſidet, unde pariter cum ipſo Deus eſt; vel per gratiam unionis in tempore, & qua θεάνθρωπος; vel denique quæ ratione officii accepit: quæ tamen ipſa, cum ſummam dignitatem atque divinas planè dotes involvant, ſine æterna Deitate accipere non potuiſſet; ut hæc rurſus

Joh. 14:28. eandem in Chriſto deitatem præſupponant. Similiter, quod *Patrem ſeſe majorem dicit.* Joh. 14: 28. non naturæ, ſed officii, atque humilis illius ſtatus, quo ſeſe exinaniverat, reſpectu intelligendum eſt: loquitur enim ibi ut ſacerdos jam ad aram ſtans, jamque moriturus, & procuratâ hominum ſalute coram Patre appariturus, à quo eorum, quæ in terris ipſius juſſu atque nomine geſſerat, approbatio & conſummatio expectanda foret. Rurſus etiam officium ſuum conſiderat atque Pa-

Joh. 12: 44. tris legatum ſeſe profitetur, cum dicit Joh. 12: 44. *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me:* atque verbis illis, fidem in ſeſe non debere eſſe ſeparatum quid à fide mittentis, docet. Quo & pertinet quod Petrus in 1. epiſt. cathol. c. 1. v. 21. habet: *Per ipſum nos*

1. Pet. 1: 21. *credere in Deum:* non enim ibi ſubordinatur Patri, aut contra diſtinguitur, ut diverſum fidei objectum, ſed tum ordo perſonarum, tum

Matth. 20: 23. officium Chriſti attenditur. Quod autem ipſe Servator dixit Matth. 20: 23. *Non eſt meum dare vobis, ſedere ad dextram Patris*; non Chriſti poteſtatem ſpectat, neque ea negatur: nam jam antea diſcipulis eandem dignitatem promiſerat. *Vos qui ſequuti eſtis me, quum ſederit Filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis etiam in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Matth. 19: 28. ſed eos reſpicit quibus hoc dandum erat, quique neſciebant quid peterent, & nondum peractâ pugnâ triumphos cogitabant: non enim dicit, non eſt *meum*, ſed *Patris*; ſed ſatis clarè, *non eſt meum dare vobis*, ſed *iis quibus à Patre præparatum* eſt, atque eo modo atque ordine quo Pater præparaverat.

An Filius ſit αὐτόθεος. XLVII. Quæri hic etiam ſolet, *an Filius ſit αὐτόθεος.* quod Valentinus Gentilis contra Calvinum negabat, Patrem eſſentiatorem, Filium eſſentiatum vocans; ſicut & Bellarminus, aliique Pontificii eo nomine Calvinum exagitant, & novam Auto-theanorum hæreſin fingunt, quamvis ab ea ipſe Bellarminus alibi nos liberet. Quæ controverſia deinceps inter Gomarum & Arminium quoque mota eſt, & inde ad hujus ſucceſſores tranſiit.

XLVIII. Cum autem Filius eandem eſſentiam habeat quam Pater, quæ prorſus à ſe ipsâ eſt, nec ab alio eſſe poteſt, quæque nec genita, nec creata, nec ullo modo producta eſt; cumque ipſe ſit ſolus ille & verus

rus

Digitized by Google

rus Deus, & *αὐτὸς θεὸς*, *ipſe Deus*, הוא האלהים Deut. 4: 35, 39. Eſai. 45: 18. hoc quidem reſpectu meritò dicitur *αὐτόθεος*, hoc eſt, per ſe ac verè Deus: quanquam perſonæ reſpectu, & quatenus Filius eſt, atque iſto ſubſiſtendi modo, eam à Patre habeat, non quidem ab eo progenitam, ſic enim ab eſſentiâ Patris diverſa foret, ſed arcano modo communicatam, atque adeo eandem cum eſſentia Patris. Eſt ergo *αὐτόθεος* ratione eſſentiæ, non ratione perſonæ; *αὐτόθεος* non *αὐτο-υιός*. Nec tamen ideo ſunt tres *αὐτόθεοι*, ſicut neque tres *ὁμοούσιοι*, ſed tres *αὐτόθεος* & *ὁμοούσιος θεός*, h. e. tres qui ſunt *αὐτόθεος* & *ὁμοούσιος*.

Filii deitatem quomodo Sociniani negent.

XLIX. Atque hactenus veram Filii deitatem vidimus: quam Sociniani, Judæos ſecuti, qui hâc in parte à fide Patrum defecerunt, apertis verbis negant & oppugnant; Chriſto ſolum divinitatem quandam attribuentes, eamque longè alterius generis: unde ipſum *Deum metaphoricum*, & *Deum quendam* blaſphemi homines appellare non erubeſcunt.

Et qualem ipſi divinitatem attribuant.

L. Sic autem illi inſtituunt: poſſe eſſe multos veros Deos: *Et ſi ſunt dicti Dii, ſive in cœlo, ſive in terra, quemadmodum ſunt dii multi & Domini multi.* 1. Cor. 8: 5. & nobis quidem eſſe duos Deos, unum æternum, quique à ſe ipſo ſit, Patrem videlicet; alterum à Patre factum in Novo Teſtamento Chriſtum, unum ſcilicet ſenem, juvenem alterum. Quod adeo urget Socinus, ut iſtud ſummum religionis myſterium ſtatuat, & qui non agnoſcit duos Deos, eum Chriſtiano nomine indignum putet.

LI. Et Chriſtum quod attinet, non tam deitatem, *θεότητα*, quam divinitatem, *θειότητα*, veluti Divo alicui ex hominibus facto, ipſi attribuunt: quam in ipſo collocant, tum *ante nativitatem*, non quidem quod tunc extiterit, docent enim ipſum ante ortum ex Maria matre revera nihil fuiſſe, verum ob æternum Dei conſilium, quo ad hanc dignitatem atque gloriam jam tum deſignatus fuerit. *Præcognitus ante fundationem mundi.* 1. Petr. 1: 20. idque longe alio modo ac fideles, quos contingenter tantum prædeſtinatos ajunt, Chriſtum autem infallibiliter & neceſſario: tum *poſt nativitatem*; partim ob *conceptionem miraculoſam*, qua non à Deo creatus, ut Angeli, ſed ab ipſo veluti genitus fuerit; partim ob *excellens munus*, quod veluti legatus Dei in terris geſſerit; tum potiſſimum, & novo ac potiore jure, poſt *exaltationem*, ratione *muneris regii*, quod ſummo cum imperio exercet, dum Eccleſiam ſuam, omniaque quæ ad eam pertinent, poteſtate & voluntate independente ſolus regit & perficit.

Digitized by Google

quare reſutatur.

LII. Quid aliud autem hoc pacto quam factum Deum, atque fictitium aliquod numen invehunt, atque fœdiſſimâ idololatriâ Chriſtianam religionem contaminant? Quicquid enim contendant, & quantumcunque deitatem Chriſto adſcribant, mera fraus ſunt omnia, nec ultra humanam naturam aſcendunt, omnemque divinitatem in donis ac accidentibus quibuſdam conſtituunt, quæ præſtantiam quidem dicunt, nullo autem modo divinitatem; niſi ſimili modo etiam alios adhuc homines, vel etiam ſeſe ipſos, ob ſingulares quaſdam dotes, pariter evehi in Deos atque ita appellari poſſe concedant: prout ipſorum Theologia multos veros Deos admittit.

LIII. Verum merus hic eſt vocabuli abuſus. Atque hâc in parte adverſariis noſtris contingit, quod etiam aliis perſæpe evenire videmus, quod longe aliter de re judicent ac loquantur, quam ipſi eam percipiunt ac intelligunt. Conceptus enim atque idea Dei, cum de eo ſerio cogitamus, tot atque tantas exprimit perfectiones, ut eæ in hominem cadere non poſſint, manente ideâ atque conceptu hominis. Habet enim Deus propriam atque definitam naturam ac conceptum, æquè atque aliæ res, ſimiliterque homo: neque eorum naturæ vel conceptus alterius rei natura vel conceptus eſſe poſſunt. Non magis ac ex. gr. conceptus auri luto convenire poteſt. Cum ergo illi Deum appellant, quem pro vero ac mero homine habent, quid aliud quam rerum naturas atque ideas confundunt, aut ſaltem aliter loquuntur quam ipſi rem capiunt? qui enim homo eſt, Deus propriè eſſe vel appellari non poteſt, non magis quam aurum poteſt eſſe lutum, manente utriuſque, tum auri, tum luti conceptu.

LIV. In eo autem errant, quod hominem Deo ſummè carum, & per quem Deus multa bona hominibus diſtribuit, quique juxta ipſos Deo adeo ſit unitus, ut quicquid ille habet, atque ipſa ejus omnipotentia, ipſi in obeundo munere ſuo ad nutum veluti famuletur atque præſto ſit, cuique ipſa adeo ejus gloria ac honor communicata ſint, Deum appellent, & quidem Deum verum; cum tamen ab altera parte concedere cogantur, ipſum nihil operari, nihilque poſſidere quod ratione naturali Deo proprium eſſe, atque ad ideam ac conceptum ejus pertinere novimus; quæ ἀσύστατα ſunt. Si enim eum, utcunque homo ſit, tamen propriâ vi divina opera exequi putant; jam perfectiones in Chriſto adeo augent, ut in humanam naturam eæ cadere non poſſint, atque adeo re ipſâ divinam naturam in Chriſto ponunt, etſi id verbis negent, & Dei atque creaturæ ideam rurſus confundunt.

LV.

LV. Atque hoc jam inter ipſos & nos diſcrimen eſt: An Chriſtus in ſe ipſo illa omnia revera poſſideat quæ Pater habet, ut idem natura Deus; ſicut nos docemus: an vero ipſi, ut creaturæ à Deo ſummopere dilectæ, omnia iſta decora aliunde attributa ſint, atque inde verus Deus appellari & divino honore affici poſſit; quod illi ſtatuunt.

LVI. Atque hic quidem graviſſimæ idololatriæ rei ſunt, dum eum, quem naturâ merum hominem fatentur, neque pro creatore cœli ac terræ habent, Deum faciunt, ac pro Deo colunt; atque, nefando commento, duos Deos introducunt, & unum quidem altero majorem: quod ipſi ideæ atque conceptui ſummi numinis repugnat, qui prorſus corrumpitur & perit, ubi quis Deus altero minor introducitur; non minus quam conceptus ſpiritus diſperiret, ſi duos ſpiritus quis introducere vellet, quorum unus magis foret ſpiritus quam alius: quod & de aliis rerum naturis intelligendum eſt.

LVII. Et vero operæ pretium foret ex ipſis intelligere, ubi in Scripturis diſtinctionem Dei ſummi & ſubordinati legerint, præſertim cum omnia fundamentalia in Scripturâ claris verbis contineri adeo contendant. Nam quod 1. Cor. 8:5. dicuntur eſſe *multi Dii ac Domini*, ex eodem verſu intelligendum eſt, & ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum *Dii λεγόμενοι*. Neque Chriſtus in iſto ordine ponitur, neque θεὸς λεγόμενος & Deus nuncupativus eſt, ſed Deorum nuncupativorum dominus, conditor, judex & deſtructor. Pſal. 82. *Et adorarunt ipſum omnes dii*. Pſal. 97:7. quod Paulus citat Hebr. 1:6. Ita ut figmentum hoc ſit antichriſtianiſmo pejus, cum pro mediatoribus ſecundariis & capitibus vicariis ſubordinati & vicarii Dii introducuntur.

LVIII. Inania autem ſunt quæ deitatis in ipſo ponunt argumenta & cauſas. Neque enim *ante nativitatem*, ob quodcunque Dei de ipſo conſilium, Deus dici potuit, cum juxta eos tum nondum extiterit, ac ne homo quidem fuerit. Neque ortus *ac nativitas* ex homine, utcunque miraculo facta, eum Deum facit; non magis quam Adamum ortus ejus ex terrâ virgine: neque enim corporis Chriſti formatio ex matre virgine mirabilius Dei opus fuit, quam primi hominis productio ex pulvere. Neque *munus propheticum*, quod ſolum ipſi in terris largiuntur ipſum magis Deum conſtituit, quam Moſem & alios prophetas, qui ſimilem Dei apud homines legationem geſſerunt. Neque denique exaltatio ipſius atque *munus regium*, quod ſumma cum poteſtate in cœlis gerit, hoc dignitatis faſtigium ipſi confert: præterquam enim quod hoc pacto deitatem, quæ obedientiâ hominis acquiſita ſit, quæ-

Digitized by Google

que ſub meritum cadit, inferant, quæ illa deitas atque poteſtas eſt, quæ ad V. T. fideles, juxta ipſos, pertinere nullo modo poteſt, cum ad eorum ſalutem nihil contulerit, atque adeo iis Deus non ſit? quæque ne adhuc quidem ad omnes pertinet, cum Chriſtus nondum hoſtes omnes pedibus ſuis ſubjecerit, & in Eccleſiâ ſolum regnet: quam denique una cum regno poſt ultimum diem rurſus deponet, in omnem porro æternitatem ex-Rex & ſubjectus unius Patris cum reliquis fidelibus futurus.

LIX. Ita mirabilem nobis Deum effingunt, & fictum prorſus numen: quod cum antea nihil fuerit, in terris cum Chriſto cœperit, in morte rurſus cum eo evanuerit, deinceps vero poſt reſurrectionem excellentiori modo reproductum atque reſtitutum fuerit, idque non in æternum, ſed ad annorum pauca millia, donec Patri regnum tradet. Sic nempe ludunt in re hâc ſanctiſſimâ: dum Chriſtum ex nihilo factum hominem docent, ex homine Deum, rurſus ipſum factum nihil in morte, atque inde reproductum & factum iterum hominem, atque ex homine rurſus & excellentiori modo Deum, verum eum rurſus mortalem, quippe non perpetuum, ſed ad tempus, donec videlicet cum imperio erit, & aſſertis fidelibus ac pacato orbe regnum Patri tradet, cujus legatus ſolum in hiſce terris fuerat.

CAPUT XXXIV.

De DEITATE SPIRITUS S.

Deitas Sp. S. eodem modo aſſerta.

I. POſt Filium ſequitur conſideratio Sp. Sancti, cujus deitas eâdem argumentorum ſerie evincitur.

1. Ex divinis nominibus.

II. Tribuuntur enim ipſi 1. *nomina divina. Jehove. Dixit* Jehovah: *audite audiendo* &c. Eſai. 6:9. quod *Spiritum Sanctum dixiſſe per Eſaiam Prophetam* affirmat Paulus Act. 28:25, 26. Iſraëlitas tentaſſe Jehovam in deſerto in Maſſa & Meriba legitur Exod. 17:1, 7. coll. Pſal. 95:7, 8. quod ad *Spiritum Sanctum* refertur Epiſt. ad Hebr. 3:7, 9. & 4:3, 7, 8. Quod *ſemel in anno ſacerdos ſummus intraret non ſine ſanguine in ſecundum tabernaculum, eo Spiritus Sanctus quid ſignificabat.* Hebr. 9:7, 8. præſcripſerat autem id Jehova Levit. 16:2. *Atteſtatur autem nobis & Spiritus S. poſtquam enim prædixiſſet, hoc eſt Teſtamentum* &c. Hebr. 10:15, 16. conf. Jerem. 31:31. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & pangam cum domo Iſraël fœdus novum* &c. *Dei.*

Act.

Act. 5:3,4. ubi Ananias, cum mentiretur Spiritui S. quem & fallere & tentare volebat, *Deo mentitus* dicitur: neque id ſimpliciter, ſed & oppoſitè ad creaturas, *non homini, ſed Deo.* item *Dei Iſraelis. Spiritus Domini locutus eſt ad me, & verbum ejus eſt in lingua mea. dixit Deus Iſraelis, de me locutus eſt Deus Iſraelis: Erit dominans* &c. 2. Sam. 23:2,3. Ita *benedictus Dominus Deus Iſraëlis locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſaculo fuerunt, prophetarum ſuorum,* ut canit Zacharias Luc. 1:68,70. at Petrus docet, *actos à Spiritu Sancto locutos eſſe ſanctos Dei homines.* 2. Epiſt. 1:21. Item *Domini.* 2. Cor. 3:17. *Dominus vero Spiritus ille eſt:* ubi vox κύριος eſt, quæ nomini tetragrammato reſpondet. Quin ipſa vox Spiritus Domini Deo tam intimum ac proprium notat, quam homini eſt ſuus ſpiritus. *Quis hominum novit ea quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ſic & ea quæ Dei ſunt nemo novit, niſi, ſpiritus Dei.* 1. Cor. 2:11. Ita & verum Deum ipſum eſſe conſtat, quod ſolus annumeratur Patri & Filio in ſacris literis. *Gratia Chriſti, amor Dei, & Communio Spiritus S.* conjunguntur 2. Cor. 13:13. *Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus S.* 1. Joh. 5:7.

III. 2. *Attributa divina. Omnipræſentia.* Pſal. 139:7. *Quo ibo à Spiritu tuo? Si aſcendam cœlos, illic es; & ſternam mihi in inferno, ecce te. Omniſcientia.* Joh. 16:13. *Spiritus ille veritatis dux viæ vobis erit in omnem veritatem.* 1. Cor. 2:10, 11. ubi *ſcrutari profunditates Dei* dicitur: quod per metonymiam antecedentis pro conſequenti ſignificat eas exactè habere cognitas conf. Pſal. 7:10. Jer. 17:10, 11. ubi *Deus explorare renes & corda* dicitur. neque enim explicandum hoc eſt per Rom. 8:27. *Ille vero qui ſcrutatur corda, novit ſtudium Spiritus*; quod eas homines perſcrutari faciat: cum conſilia Dei hominibus ſint ἀνεξερεύνητα Rom. 11:32. *Æternitas:* cum Spiritus ſit, *qui in Deo eſt,* 1 Cor. 2:11. quique à Deo *ἐκπορεύεται emanat.* Joh. 15:26. *Sanctitas. Dolore affecerunt Spiritum Sanctum ipſius. Ubi, qui poſuit in medium ipſius Spiritum Sanctum ſuum?* Eſai. 63:10, 11. Liberrima denique *voluntas* & *omnipotentia.* 1. Cor. 12:8, 9, 11. *Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, diſtribuens privatim illa ſingulis ſicut vult.* Luc. 11:20. *Si digito Dei ejicio dæmonia.* conf. Matth. 12. 28. *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia, pervenit ad vos regnum Dei.* II. *Ex divinis attributis.*

IV. 3. *Opera,* cum naturæ, tum gratiæ. *Creatio. Spiritus Dei ferebatur ſuper aquis.* Gen. 1:2. *In Spiritu oris Domini facti ſunt omnis cœlorum exercitus.* Pſal. 33:6. *Chriſti unctio & miſſio. Spiritus Domini Jehovæ ſuper me* eſt, *quia unxit Jehova me ad Euangelium nuntiandum manſuetis* &c. III. *Ex divinis operibus.*

 Eſai.

Eſai. 61: 1, 2. quem textum explicavit Chriſtus Luc. 4: 18. *Miraculorum patratio. Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Matth. 12:28. *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, cœperuntque loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabat eis effari.* Act. 2: 4. *Non enim auderem loqui quicquam eorum, quæ non effecit Chriſtus per me, ad obedientiam gentium, ſermone & opere, in potentia ſignorum & prodigiorum, in potentia Spiritus Dei.* Rom. 15: 18, 19. *Diſtinctiones donorum ſunt, ſed idem Spiritus:* per quem *eundem Spiritum alii datur donum ſanationum, alii vero operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio linguarum. Omnia vero hæc operatur unus & idem Spiritus, diſtribuens unicuique prout vult.* 1. Cor. 12: 4-11. *Illuminatio. Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.* Joh. 14: 26. imò *ducet vos in omnem veritatem. non enim loquitur à ſe ipſo, ſed, quæcunque audiverit, loquetur, & venientia* ſive *futura renunciabit vobis.* c. 16: 13. *Miſſio prophetarum. Dixit Spiritus Sanctus, ſeparate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos vocavi.* Act. 13: 2. *Benè Spiritus Sanctus loquutus eſt per Eſaiam Prophetam patribus noſtris.* Act. 28: 25. & *miniſtrorum. Attendite ad gregem, in quo vos Spiritus S. conſtituit Epiſcopos.* Act. 20: 28. *Operationes in Eccleſia.* 1. Cor. 12: 9. *Regeneratio. Niſi quis regenitus ſit ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.* Joh. 3: 5. *Juſtificatio. Juſtificati eſtis in nomine Domini Jeſu & in Spiritu Dei noſtri.* 1. Cor. 6: 11. *Reſuſcitatio. Vivificabit mortalia corpora veſtra per Spiritum ſuum in vobis habitantem.* Rom. 8: 11. *Glorificatio. Ne contriſtate Spiritum Sanctum Dei, quo obſignati eſtis ad diem redemptionis.* Eph. 4: 30.

IV. Ex honore divino. V. Denique 4. *honor atque cultus divinus*: dum univerſa Eccleſia in nomen ipſius *baptiſatur.* Matth. 28: 19. quæ prima Chriſtiani hominis initiatio & conſecratio eſt: & ſinguli fideles *templum* ipſius appellantur, atque *ipſius* eſſe dicuntur, qui in ipſis *habitat.* 1. Cor. 3: 16. & 6: 19, 20. Eſt autem templum domus ſoli Deo & perenni cultui ipſius ſacra. Et *Paulus* ipſum manifeſtò adorat, dum fidelibus *communionem* cum iſto Spiritu apprecatur. 2. Cor. 13: 13. Non enim paſſiva illa communio eſt, ſed activa, adeoque invocatur Spiritus, ut ſeſe fidelibus communicet atque fruendum præbeat: pari nempe modo, ut à Filio *gratiam*, à Patre *amorem* Corinthiis apprecatur, ita à Spiritu S. *communionem* & gratiæ Filii & dilectionis Patris petit. Simile adorationis exemplum eſt Apoc. 1: 4, 5. *Gratia vobis & pax --- à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt.* qui ſeptem Spiritus nunquam Deum adorant, cum quatuor animalibus & 24. ſenioribus, c. 4: 5. & 5: 6. verum ipſi juxta cum Patre adorantur, & ab illo diſtinguuntur: καὶ ἀπὸ &c.

Digitized by Google

&c. Inepta enim eſt adverſariorum exceptio, ab Apoſtolo per ſeptem Spiritus non perſonam intelligi, ſed modum & medium exprimi, quo gratiam & pacem à Patre proficiſci vult: ſimiliter enim ut de Patre & Filio, ita & de ſeptem Spiritibus præpoſitio ἀπὸ uſurpatur, diſtinctoque ab utroque loco nominantur. Vide & Matth. 9:38. *Rogate Dominum meſſis, ut emittat operarios in meſſem ſuam.* coll. Act. 13:1-4. ubi *Spiritus Sanctus* dicit, *Separate mihi Barnabam & Saulum*; qui & *emiſſi* dicuntur *à Spiritu Sancto.* Eſai. 6:3. cum Act. 28:25. & Pſal. 95:7,8,9. cum Hebr. 3:7. ſupra vidimus. Act. 1:16. *Oportuit impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Davidis de Juda* &c. confer. Act. 4:24,25. *Domine, tu es Deus ille, qui feciſti cœlum ac terram---qui per os Davidis pueri tui dixiſti, cur fremuerunt gentes* &c. Quo exemplo & vetus Eccleſia continuo ipſum invocavit, hymno de Sp. S. fatente Caſſandro. Quin & peccata, contumeliæ ac blaſphemiæ in Sp. S. committuntur: *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: blaſphemia vero in Spiritum non remittetur hominibus. Et quiſquis loquutus fuerit adverſus Filium hominis, remittetur ei: quiſquis autem fuerit loquutus adverſus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Matth. 12:31,32. *Quanto, putatis, deterius mereri judicabitur ſupplicium,--- qui Spiritum gratiæ contumeliâ affecerit?* Hebr. 10:29. *Dolore affecerunt Spiritum Sanctum ipſius.* Eſai. 63:10. confer Num. 14:13, 14. *ubi Moſes* eum appellat *Jehovam.*

Cum adorationis ejus in Scriptura occurrant, cum præcepta, tum exempla.

VI. Ut inique nimis Remonſtrantes, de adoratione Sp. Sancti ne hilum quidem in S. Scripturâ occurrere criminentur, neque ejus vel præceptum vel exemplum extare, atque adeo inde argumentum pro deitate ejus duci non poſſe afferant: nam & præcepta & exempla cultus ejus vidimus, quæ Eccleſiæ fidei & praxi firmandæ ſufficiant. Quanquam cauſa ſit, cur parcius de ejus adoratione loqui Scriptura ſoleat. Officium enim peculiare Spiritus eſt, quod tanquam paracletus & cauſæ noſtræ ſuſceptor, precum noſtrarum atque omnis pii affectus auctor ſit, eaſque potius dictet & formet, quam accipiat vel terminet, ac potius invocet, h. e. invocare nos faciat & doceat, quam invocetur atque adoretur. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in ſæcula.* Joh. 14:16. *Paracletus, Spiritus ille Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia.* v. 26. *Quum autem venerit Paracletus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.* c. 15:26. *Si non abeam,*

licet parcius & cur?

abeam, Paracletus ille non veniet ad vos. Si autem proficiſcar, mittam eum ad vos. c. 16:7. *Accepiſtis Spiritum adoptionis; in quo clamamus, Abba, Pater.* Rom. 8:15. *Spiritus opitulatur infirmitatibus noſtris, & ipſe Spiritus interpellat pro nobis, gemitibus qui ſermone non explicantur.* v. 26. *Quia eſtis filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, qui clamat, Abba, Pater.* Gal. 4:6. Atque inde eſt, quod *cum Patre & Filio communionem habere* dicimur, 1. Joh. 1:3. non item cum Sp. S. cum ipſe nempe potius communionis illius vinculum atque intima cauſa ſit: quodque fideles *eſſe* vel *manere* dicuntur *in Patre*, vel *in Chriſto*: quæ phraſis itidem de Sp. S. non adeo occurrit, cum ipſe potius maneat atque habitet in nobis. vide 1. Joh. 2:20, 27. ubi dicitur, fideles *habere unctionem à Sancto, & unctionem quam ab eo acceperunt* (h.e. Spiritum gratiæ à Chriſto datum) *manere in ipſis*. Atque hæc quoque cauſa eſt, cur in Apoſtolicis ſalutationibus plerunque omittatur; præſertim cum ipſe & donum, & gratia, & pax illa ſit, quam Apoſtoli Eccleſiis precantur, atque iſto in ordine veniat.

Ut & cur parcius de Sp. S. loquatur Scriptura.

VII. Atque adeo rarius de Sp. loquitur Scriptura, tum quod ipſe ille ſit qui ibi continuò loquitur, atque adeo hoc ipſo ſe ſatis oſtendat; tum quod internis præcipuè operationibus ipſis fidelium animis ſe ingerat atque intimè offerat; tum præſertim ob peculiarem œconomiam atque gubernationem Dei, quam in Eccleſia ſervat, cujus tres veluti ſunt periodi, vel עלמים, ſæcula, in quibus ſingulis ſingulæ Trinitatis perſonæ præcipuè apparuerunt. Prima Patris, in quâ ſe Filius fidelibus oſtendit ut Angelum, ut Pater agnoſceretur; altera Filii; poſtrema Spiritus Sancti; quod erit ſæculum ſæculorum, cum Sp. S. erit omnia in omnibus. Unde & Sp. mentio omittitur. Joh. 17:3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* & Matth. 11:27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, & nemo cognoſcit Filium, niſi Pater; neque Patrem quis cognoſcit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* ubi de iis, qui tum publicè teſtabantur agitur, Patre nimirum & Filio. Nec dum enim teſtabatur Spiritus: cæteroquin eum non excludi, ex 1. Cor. 2:10, 11. *Nobis verò Deus revelavit per Spiritum ſuum; Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei. quis enim novit hominum ea quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Sic ea quæ ſunt Dei, nemo novit niſi Spiritus Dei*, ſatis manifeſtum eſt.

CA-

CAPUT XXXV.

Hæreticorum circa S. S. Trinitatem errores.

I. CUm autem S. S. Trinitas purgatiſſimis tantum mentibus appareat, non mirum eſt eam non infidelibus ſolum, ſed & plurimis aliis hæreticis veluti ſcopulum, tot ingeniorum naufragiis infamem, omni tempore fuiſſe.

S. S. Trinitatis adverſarii.

II. Et maximè quidem eâ offenſi fuêre Judæi, hæreticorum Patriarchæ, *è quibus exivit cogitans contra Jehovam malum*. Nah. 1: 11. qui relictâ veterum Patrum catecheſi, quos huic myſterio initiatos fuiſſe conſtat, dum Chriſtianos putant tres Deos habere, ſeque ſolos Dei monarchiam colere, recitato identidem ſymbolo ſuo Deut. 6: 4. *Audi Iſraël, Jehova, Deus noſter, Jehovah unus* eſt, veluti quotidiano carmine contra hanc fidem ſeſe muniunt.

Judæi.

III. Apud Chriſtianos qui hoc dogma oppugnarunt varii fuêre: atque hi quidem in veteri Eccleſiâ, ut de Manichæorum duobus principiis, & portentoſis Æonum Syzygiis, de Valentinianorum atque Gnoſticorum ingenio, deque Montani paracleto, quem Sp. Sancto opponebat, taceam, *quadruplici* agmine contra ſacratiſſimam hanc veritatem & Chriſtianæ fidei veluti arcem inceſſere.

Inter Chriſtianos olim quadruplici claſſe.

IV. Prima acies fuit *Ebionitarum*, *Cerinthianorum*, *Carpocratianorum* & *Nicolaitarum*, qui Chriſti divinitatem negarunt. quo in agmine etiam fuit *Theodotus* coriarius, & poſt illum *Artemon*, & 60 poſt annis *Paulus Samoſatenus*, ab Antiocheno concilio ſede ſuâ motus; & poſt eum *Photinus*, à Synodo Syrmienſi pariter damnatus.

I. Eorum qui Chriſti divinitatem negabant.

V. Secunda acies fuit *Patri-paſſianorum*: cujus duces fuêre Praxeas, Tertulliano refutatus, Hermogenes, Noëtus, Sabellius, qui expunctis perſonis earumque diſcrimine, non aliam quam trinominem Trinitatem intellexêre.

II. Eorum qui perſonarum diſcrimen tollebant.

VI. Tertiam duxit *Arius*, Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, qui Trinitatem conceſſit, ſed valde imparem, & Filio quidem minorem quandam deitatem, & aliam à Patre eſſentiam, Spiritui S. autem creaturæ nomen adſcripſit; damnatus autem fuit in celebri concilio Nicæno, quod œcumenicum primum fuit. Atque poſt illud in diverſum abiêre hæretici: *quidam* enim cum Ario Filium Patri verbo quidem *ὁμοιούσιον* re ipſa autem per omnia diſſimilem, quippe creatum & ex

III. Eorum qui Filii divinitatem diminuerunt, ut Arius ejuſque aſſeclæ.

non-entibus factum dixêre, qui inde Exoucontiani, & à ſectæ auctoribus Anomæi, Acaciani, Urſaciani, Eudoxiani, Aëtiani atque Eunomiani appellati fuêre: atque cum his idem planè ſenſit *Eraſmus Johannis*, qui cum Socino ſuper hoc argumento biduum palam diſputavit; idemque fere ſentire videtur *Epiſcopius*, qui Chriſtum, Filium Dei, ante nativitatem ſuam ex Mariâ extitiſſe, & ante alia à Patre conditum docet, non tamen ejusdem cum Patre eſſentiæ, ſed ipſum Patri ſubordinatum dicit: qui merus Arianiſmus eſt; niſi ad Semiarianos eum potius referre velis. Nam *alii* inter ipſos Filium quidem Patri per omnia ſimilem docuerunt, & æternum, atque ex ſubſtantiâ ejus genitum, non tamen conſubſtantialem, nam hanc vocem prorſus formidabant; qui inde *Semi-Ariani* dicti, & formulam ſuam in concilio Conſtantinopolitano, Seleucienſi, Syrmienſi (ubi cum Orthodoxis conſpirabant contra Photinum, tum primum hæreſin ſuam diſſeminantem) denique & Nicæno Thraciæ, ſimilitudine nominis fallentes, quaſi Nicęnæ fidei adhærerent, procuderunt, & vocabulorum errore ac mendaciis incautos deceperunt; donec fraude comperta omnes iſti errores ab orthodoxis in crebris conventibus anathemate percuſſi, & ab Eccleſiâ exulare juſſi ſunt.

VII. Atque inter ipſos quoque Orthodoxos non-nulla tum diſſenſio fuit circa voces & modos loquendi. Cum enim Græci tres *hypoſtaſes* in divinis confiterentur, Latini neſcio quomodo hoc refugiebant, venenum in iſtâ voce ſuſpicantes, cum hypoſtaſin pro eſſentiâ & ſubſtantiâ ſumerent; atque adeo, ne cum Arianis ſentirent, non tres hypoſtaſes, ſed potius tres perſonas dicebant: ſimiliterque Græci, Sabellianorum metu, unam Trinitatis hypoſtaſin fateri formidabant. Donec lis in Synodo Alexandrinâ, A.C. 362. compoſita eſt: à quo tempore Græci tres perſonas, & Latini tres hypoſtaſes eodem ſenſu nuncupabant: recentiores tamen Latini, ambiguitatis vitandæ cauſa, loco trium ſubſtantiarum tres ſubſiſtentias dixerunt; quæ vox jam ab Ambroſio uſurpata fuit.

IV. Pneumatomachorum. VIII. Quartam aciem inſtruebant *Pneumatomachi*, auctore *Macedonio*, Epiſcopo Conſtantinopolitano A.C. 360. qui partem Arianæ impietatis repudiabat, de Filio, partem autem amplectebatur, de Spiritu S. quem ſimiliter creaturam eſſe aſſerebat.

Hos omnes imitatus IX. Atque omnes iſtos hæreticorum errores imitatus & ſupergreſſus eſt deinceps *Muhammed*, celeberrimus impoſtor, A.C. 620. imperante

rante Heraclio, qui pariter in eſſentiâ divinâ unam ſolum perſonam, & in Chriſti perſonâ unam tantum eſſentiam & naturam agnovit. *Muhammed.*

X. Præterito autem ſæculo ſepultas jam hæreſes ex orco revocavit *Michaël Servetus*, Hiſpanus, quem ſecuti *Valentinus Gentilis*, *Georgius Blandrata*, *Franciſcus Davidis*, *Fauſtus Socinus*, aliique ex iſto grege, qui in negandâ divinitate Chriſti conſpirantes, in cultu atque adoratione ejus non leviter diſſenſerunt: Spiritus vero non divinitatem ſolum, ſed & perſonam abnegarunt; ac S. S. Trinitatis dogma tartareo ore afflare ac infandis blaſphemiis obruere pro ludo habent, quin & Sathanæ atque Antichriſti commentum vocant, atque à prodromis ejus Chriſtiano populo obtruſum, Tertulliano præſertim, qui ex Montani ſpiritu & fanaticarum mulierum prophetiâ illud hauſerit, atque Athanaſio, qui ex odio in Arium novum dogma procuderit, quod Nicænæ ſynodo omnem ſuam auctoritatem debeat, ut Chriſtus anno 327. demum Deus factus ſit, & Sp. Sanctus A. C. 340. & plura alia calumniantur. Cum tamen veteris Eccleſiæ hiſtoria contrarium teſtetur, atque ante Nicænam ſynodum Arii dogma non communis Eccleſiæ fides fuerit, nec ab ejus doctoribus uſquam tradita, ſed vero Ebionitarum ſimiliumque hæreticorum ſententia, qui publica Eccleſiæ voce damnati in angulis atque circulis apud gregales ſuos hæc videlicet arcana ediſſerebant. *& ſuperioris ſæculi hæretici.*

XI. Socinianos non longo intervallo ſequuntur plurimi *Anabaptiſtæ*; ſed qui ipſi non ſatis inter ſe concordes longe imperitius hoc argumentum tractarunt: alii enim tres eſſe divinas eſſentias, quarum una tantum in cœlis exiſtat, dum reliquæ in terris ſunt; alii ejuſdem eſſentiæ tria tantum diverſa eſſe nomina dixerunt; quidam etiam naturam Dei non eſſentiam, ſed ſapientiam & bonitatem ejus eſſe aſſeruerunt; aliiſque ſententiarum non ſatis inter ſeſe cohærentium ambagibus atque prodigiis ſeſe aliosque intricarunt, atque ipſi, dum incultius in rebus adeo ſublimibus & loqui & ſentire amant, teterrimarum interim hæreſium ſpolium fuêre. *Vt & Anabaptiſtæ.*

XII. Quamvis autem varia adeo hæreſeos hujus conſpiciatur facies, & non uno vultu ſeſe oſtendat, revera tamen in eandem omnes impietatem conſpirant; & Valentini Æones, Sabellii trinominis unitas, Arii creatura, per quam Deus omnia condiderit, Samoſateni, Photini ac Socini homo deificatus, alternantia ſunt unius veritatis adulteria: neque longe adeo diſcrepant Arius & Photinus, cum uterque Chri- *Harum omnium hæreſium conſpiratio.*

Digitized by Google

ſtum rem creatam eſſe contendat;quæ & Socini ſententia eſt:atque adeo omnis Arianus propoſito eſt Photinianus;quamvis propter aperta nimis Scripturæ dicta non auſit palam iſtud fateri,ſed paulo aliter rem inſtituat: atque inde dogma ipſorum quoque plauſibilius eſt, & plures ſemper fuêre Ariani quam Photiniani.

Communis omnium cauſa.

XIII. Eſt autem unica atque eadem in omnibus erroris cauſa *Pelagianiſmus*:ſuppoſita enim arbitrii libertate,& ſalutis cauſa in hominem potiſſimum tranſlatâ,tollitur una potens Chriſti redemtio,& Spiritus S. efficax operatio, adeoque nec pro Deo illos habere opus eſt.

Et contra veritatem ſophiſmata: ex Scripturis.

XIV. Operæ pretium vero erit,præter ea quæ ſuis locis contra ſingulas hujus veritatis partes ab adverſariis objecta vidimus, argumenta quædam ipſorum, quibus in hac causâ utuntur, paucis delibare: pugnant autem tum Scripturis, tum ratione.

Deut. 6:4:

XV. Ex Vet. T. objectant ſollemne illud Deut 6: 4. *Audi Iſraël, Jehovah, Deus noſter, Jehovah unus eſt*: quo quidem loco divinæ eſſentiæ unitas & ſingularitas, exploſâ gentilium Deorum turbâ, docetur, non autem ab ejus participatione perſonæ ὁμοούσιοι excluduntur.(Vide Job.9:8. *Qui extendit cœlum ſolus, & calcat celſa maris*.Eſai. 44: 6. *Sic ait Jehovah, Rex Iſraelis & vindex ejus Jehovah* Deus *exercituum:ego primus, & præter me non eſt Deus.*) Verum eæ potius includuntur: agitur enim de Jehova; cujus nominis menſura unicâ operatione ac beneficio, ac ne ſimplici quidem perſonâ expleri nequit : dicit enim eum qui fit quod eſt,non creando ſolum,ſed & redimendo & regenerando,quique adeo & homo debuit fieri, ac univerſum ſalutis opus peragere. Atque ille Jehova, qui tam variè ſe oſtendit & manifeſtat,tamen Jehova unus eſt:ſic enim melius hæc conveniunt, quam ſi de ſimplici perſonâ id intelligas,eique determinationem unitatis addas;quod & inane & inſulſum foret,& ferè ejuſdem generis ac ſi dicas, David rex noſter David unus eſt.Credimus ergo Deum eſſe unum & ſimplicem;ſed etiam credimus, Deum poſſe fieri redemtorem & juſtitiam hominis peccatoris. *Vindicavit Jehovah Jacobum, & in Iſraele condecorabit ſe*. Eſai. 44:23.Et ſicut credimus non obſtare divinæ unitati & ſimplicitati, quod habet Spiritum,qui mittitur à Deo,& habet voluntatem & potentiam & nomen idem cum Deo; ita etiam credimus cum unitate ac ſimplicitate ejus non pugnare, quod habeat Filium, qui eſt gloria Patris, & unum cum Patre, & eandem voluntatem, gratiam, dominium, potentiam & nomen habet; cui dedit regnum, & cujus nos hæredes ac peculium

ſu-

ſumus, quique per Spiritum ſuum, quem mittit, nos ſibi unit.

XVI. Ex Nov. Teſt. potiſſimum urgent locum Joh. 17:3. *Hæc eſt* Joh. 17:3. *vita æterna, ut te cognoſcant illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Verum iis verbis à Deitate non excluditur Chriſtus; neque enim dicitur *ἵνα γινώσκωσί σε μόνον τὸν ἀληθινὸν θεὸν*, ſed *τὸν μόνον ἀληθινὸν* ut articulus *τῷ μόνῳ* præponatur, atque adeo illa reſtrictio non ſubjectum, ſed prædicatum orationis determinet. Eſt enim Pater ille ſolus verus Deus (quanquam non ſolus, ſed unà cum Filio & Sp.S) excluſis falſis quibuſcunque Diis ac idolis, non autem Filio ſuo: non enim magis ſine Filio exiſtere poſſet, quam ſine ſapientiâ ac imagine ſuâ. Imo manifeſtè hoc ipſo loco Filius cum Patre in ſalutis noſtræ negotio conjungitur, atque in utriuſque cognitione vita æterna conſiſtere dicitur; ut non minor honor Filio quam Patri tribuatur.

XVII. Addunt ſimiliter alia loca, in quibus dicitur nobis eſſe *unus* 1 Cor. 8. *Deus Pater omnium, ex quo omnia; ſicut & unus Dominus, per quem omnia;* 4. 6. *quique eſt Mediator omnium.* 1. Cor. 8:4-6. Eph. 4:6. 1. Tim. 2:5. Verum Eph. 4: 6. iis aliiſque, quæ nonnunquam adducunt locis, vox Deus non ſumitur communiter, ſed ſtricte & ſpecialiter pro illâ perſonâ Patris, qui ibi etiam peculiariter deſcribitur. Unde tamen nullo modo ſequitur vocem Deus latius non patere, nec alias perſonas ſimiliter unum & ſummum illum Deum dici non poſſe; quanquam iſtis locis talibus epithetis ſignetur, ut de Patre ſolo intelligi poſſit. Veluti ſi poëta ponatur pro Homero, non inde tamen ſequeretur ſolum Homerum poëtam dici poſſe. Contra autem iiſdem locis Filius cum Patre conjungitur: & ſicut Pater appellatur unus ille Deus, ex quo omnia, quæ primæ perſonæ deſcriptio eſt; ita Filius pariter appellatur unus ille Dominus, per quem omnia, quod non minoris dignitatis eſt. Ita ut perſonæ hic peculiari ſuo charactere diſtinguantur, & uterque, & Deus, & Dominus noſter, agnoſcatur. In loco autem 1 Tim. 2: 5. *Unus enim eſt Deus,* 1 Tim. 2: *unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus,* ſpecialius non 5. de unitate Dei abſolutâ & eſſentiæ, ſed de unitate reſpectiva & fœderali agitur. Deum nempe, ſublato nunc omni diſcrimine, non alium gentibus quam Judæis eſſe, & eundem ſe omnibus oſtendere, & *totâ terrâ unum ejus nomen eſſe.* Zach. 14:9. unde hic locus manifeſtò deſumtus eſt. Quin, ſi accuratius hunc locum examines per *unum illum Deum* non Pater, ſed ipſe Chriſtus intelligitur, qui ſolus eſt Rex ille ſuper totam terram, cujus unius *nomen* nunc toto mundo celebratur, & in quo ſolo ſalus exiſtit. *Et non eſt in ullo alio ſalus: non enim eſt aliud no-*

Digitized by Google

men ſub cœlo datum in hominibus, in quo nos oporteat ſalvari. Act.4: 12. quique eſt *unus ille Deus, atque unus ille Mediator Dei & hominum, homo* nempe *Jeſus Chriſtus.* Atque ejuſdem commatis errorem etiam in aliis locis committunt, ut in hiſce: *Subintrarunt homines impii, qui ſolum herum Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negant.* Jud. v. 4. *Solia poſita ſunt, & permanens diebus conſedit, cujus veſtitus erat inſtar nivis candidus* &c. Dan.7: 9. *Regi autem ſæculorum incorruptibili inviſibili, ſoli ſapienti Deo honor & gloria.* 1 Tim. 1: 17. in quibus ſimiliter non de Patre, ſed de Filio agitur.

Alia quas ex Scripturâ nectunt difficultates.

XVIII. Potiſſimum autem errant adverſarii, & rationis ſuæ intemperiem & abuſum in perſcrutando hoc myſterio produnt, quod Filii atque Spiritus S. proprietates perſonales, atque operationes perfectiſſimas, quæ deitatem ipſorum validiſſimè adſtruunt, quæque Deo prorſus ſunt dignæ, atque non-Deo convenire non poſſunt, veluti deitati ipſorum adverſas identidem objiciunt. Ex. gr. quod Filius appelletur *Filius Dei, Imago Dei, primogenitus omnis creaturæ, Mediator, ſummus Sacerdos, æqualis Deo, ſanctificatus à Patre, faciens ejus placitum, nihil faciens à ſe ipſo, videns omnia quæ facit Pater*, quippe eorum intimè conſcius, *atque ea omnia ſimiliter*, h. e. eadem voluntate & potentia *faciens, non faciens voluntatem ſuam, non quærens gloriam ſuam, non glorificans ſe ipſum, ſolus non exiſtens, ſciens unde veniat, & quo vadat*, & ſimilia: ſimiliterque quod Spiritus S. dicatur *procedere, mitti, habitare in fidelibus, ſcrutari omnia, non à ſe ipſo loqui, ex iis quæ Chriſti ſunt accipere*: quæ omnia ſupra creaturæ modum ſunt, & Parácleti officium potentiſſimè exprimunt.

XIX. Pari modo fallunt, cum quæ de Chriſto alterius naturæ reſpectu dicuntur, ſimpliciter accipiunt, atque eo prætextu vel ſummas perfectiones de eo negant: ut *quod extremi judicii tempus ignoret, quod non ſit credendum in eum, ſed in Patrem, quod ipſius non ſit dare ſedere ad dextram Dei*; quod tamen petitorum iſtorum reſpectu ſolum dixit: vel rurſus ſummas imperfectiones ipſi ut Deo adſcribunt, ut *mori, reſuſcitari* &c. & quod attributa quædam mixta, quæ utriuſque naturæ reſpectu ipſi conveniunt, quæque pro diverſo ſenſu & divinas perfectiones & humanam imperfectionem dicunt, malignè nimis confundunt & pervertunt: ut ex. gr. *eſſe miſſum in mundum, accipere mandata, omnia à Deo ipſi data eſſe, ipſum reſurrexiſſe, eſſe Dei, Deum eſſe ipſius caput*, & ſimilia. Atque hiſce obſervatis, difficultates, quas ex ſacris litteris adverſarii nectunt, facile diſſolvi poſſunt.

XX.

Digitized by Google

XX. Verum rationem potius jactant, atque in eo campo impotenter exultant. Sed dum profanè nimis ea abutuntur, & ad cœleſtem hanc lucem illa ſola duce accedere & infirmos oculos attollere non verentur, omnis eorum fulgor in fumum & meras tenebras abiit, quibus tamen ſe involvunt, & ſtellis nebulam ſpargere candidis improbè audent. Et revera, ac ſi de nugis quibuſdam ſcholaſticis ageretur, identidem collectiones quaſdam logicas, ac ſcholare murmur, & vix in pueris ferendas næniás accinunt, & non ferendo in rebus tam ſacris auſu, ſyllogiſmis quibuſdam Chriſti Dei ſolium tentare ac ſceptrum ejus laceſſere non formidant: qualia ſunt trita iſta, *unum non poſſe eſſe tria: quæ conveniunt in uno tertio, ea & convenire inter ſe*, ſimileſque quædam ipſorum concluſiones, non ſatis ex arte factæ, & inſana ſophiſmata, tot ingeniorum labor, quas veluti ignis ſui ſcintillas ac faculas jactant, quibus ſeſe ipſos infeliciſſimè amburunt, juxta illud Eſai 50: 11. *Ecce omnes vos ardetis igne, accingitis vos ſcintillis; ite in luce ignis veſtri, & in ſcintillis, quas accendiſtis, à manu mea exſtitit hoc vobis: in cruciatum decumbetis.* *Sophiſmata eorum ex ratione.*

XXI. Nos autem ad argutias eorum breviter reſpondemus, male inferri ex orthodoxa fide, *ſimul fore unum & tres Deos*: nam hoc quidem ſequeretur, ſi tres perſonæ realiter inter ſeſe forent diſtinctæ, quarum unaquæque foret ſummus Deus; in divinis vero eadem numero in omnibus à nobis ſtatuitur eſſentia. Neque etiam ſequitur, *divinam eſſentiam fore ſimul unam rem & plures*, ſi res nempe accipiatur pro eſſentia, quæ hic unica eſt; ſi vero latius iſtud vocabulum ſumas pro modo ac relatione ſubſtantiali, nulla contradictio eſt, unam eſſentiam abſolutam habere tres modos ſubſtantiales. Pariter peccat illatio, *eſſentiam divinam fore plura numero, cum pluribus communicetur*; hoc enim ſolum locum habet in iis, quæ pluribus cum ſui diviſione atque multiplicatione communicantur. Atque ejuſdem ſophiſtices eſt, *quamlibet perſonam ſingularem fore trinam, cum quælibet perſona ſit Deus ille ſummus, qui trinus eſt.* Habet enim quidem unaquælibet perſona totam eſſentiam divinam, non tamen eam habet omni & quovis ſubſiſtendi modo, ſed proprio tantum, & peculiari charactere ſignatam. Axioma denique, *quæ conveniunt in eodem tertio, ea & inter ſe conveniunt*, limites ſuos habet, atque intelligendum eſt, eatenus illa tantum inter ſe convenire, quatenus in iſto tertio conveniunt: atque adeo ſi extrema cum illo tertio adæquatè & omni modo conveniunt, ſimiliter ea & inter ſeſe prorſus convenient; ſi vero aliquo ſolum modo cum illo tertio conveniunt,

Digitized by Google

veniunt, iſto etiam modo inter ſe convenient: quod hic fit, cum perſonæ in communi atque eâdem numero eſſentiâ conveniant, ſingulæ autem inter ſeſe proprietatibus perſonalibus diverſæ ſint.

XXII. Peccant etiam contra leges dialecticas *ſyllogiſmi* eorum *expoſitorii*, quos vocant, cum medius terminus ibi non ſit incommunicabilis; nam eſſentia divina, licet naturâ ſuâ ſit ſingulariſſima, in prædicatione tamen de perſonis ad modum univerſalis ſeſe habet: atque adeo non ſequitur: *Eſſentia divina eſt Pater*; *Eſſentia divina eſt Filius*; *ergo Filius eſt Pater*: aliud enim ſonat eſſentia divina in majori, aliud in minori, atque adeo præter vitium oſtenſum etiam quatuor ibi termini reperiuntur. Quæ etiam fraus eſt hujus collectionis: *Pater eſt verus Deus*; *Filius non eſt Pater*; *ergo non eſt verus Deus*: præter vitium enim formæ ſyllogiſticæ, *verus Deus* in majori ſumitur reſtrictè, in concluſione vero latè & communius. Idem fucus eſt, cum inferunt: *Pater eſt verus Deus, Filius eſt verus Deus, Spiritus S. eſt verus Deus. At Pater, Filius & Sp. S. ſunt tres. Ergo tres ſunt veri dii.* Peccat enim concluſio; nam inferendum foret ex antecedenti, non, *tres ſunt veri dii*, ſed, *tres ſunt, qui ſunt verus Deus*: & ita veriſſima eſt illatio: cum illi omnes ita ſint verus Deus, ut tamen eſſentia divina non multiplicetur (veluti in humanis, ubi Jacobus, Petrus, Johannes, tres numero diſtinctos homines efficiunt,) ſed eadem numero maneat. Neque plus denique efficiunt, cum hoc enthymema torquent: *Perſona eſt ſubſtantia individua intelligens*: Ergo, *ubi plures perſonæ, ibi plures quoque ſubſtantiæ ſunt*. Etſi enim unaquæque perſona ſit ſubſtantia, non tamen quot perſonæ tot numero ſubſtantiæ ſunt; hoc enim, ut jam oſtenſum eſt, in divinis fallit.

XXIII. Atque hæc ſunt illa videlicet arma & tormenta, quibus illi homines S. S. Trinitatem de throno deturbare conniſi ſunt; quod titanico prorſus faſtu in libri cujuſdam in Tranſylvaniâ editi titulo præſcripſerunt: cum tamen tantum ludicra quædam tela jactent, verborum nimirum laqueos & præſtigias, & indignas viris argutias, quibus arcem ipſam divinitatis invadentes ſacratiſſimæ huic veritati, quæ non niſi purgatis mentibus ſeſe offert, tantum non ſtuprum inferre immaniter auſi ſunt.

Nec veritati S. S. Trinitatis obſtat myſterii ſublimitas.

XXIV. Reliqua autem ipſorum argumenta fere deſumta ſunt à rebus naturalibus & finitis, ad quarum naturam myſterium hoc exigere, atque conſequentiis & abſurdis gravare, ac contradictiones in eo oſtendere nituntur; aut etiam à quibuſdam noſtrorum conceptibus parum accuratis, & modis loquendi, quibus vix ullus ſenſus aut notio ſub-

ſubeſt, quæ fidei catholicæ imputari non debent. Agnoſcendum enim eſt in hac re Chriſtianæ fidei myſterium, in quo explicando ipſis Scripturæ verbis aut æquivalentibus contenti eſſe debemus, nec ullum iis conceptum, qui pariter revelatus non ſit, ſuperaddere, vel infinitis ſpeculationibus & conſequentiis nos dare; ſed omnis inventio humana procul ab eo myſterio arcenda eſt: cum abſurdum ſit, velle de re conſequentias formare, quam ex parte & confusè tantum cognoſcas. Certum enim eſt, nobis naturâ inditam non eſſe S. S. Trinitatis ideam, & novam planè naturam à Deo nobis manifeſtari, unius nempè & trium in unâ eſſentiâ, quæ cum iis quas cognoſcimus nullam cognationem habeat; ita ut de eâ tales conceptus formandi non ſint, quales de aliis naturis lumine naturali nobis notis formamus, neque ex iſto capite myſterium hoc examinandum vel etiam negandum ſit.

XXV. Neque etiam movere nos debet difficultas, quod intellectus humanus divinam unitatem cum Trinitate conciliare nequeat; atque adeo cum Dei unitas in Scripturis teſtatiſſima ſit, illam potius ſacroſanctè tuendam, quam cum ejus labe ac periculo ex obſcuris quibuſdam S. litterarum ſententiis Trinitatem inferendam. Nam & teſtimonia de S. S. Trinitate adeo clara ac frequentia ſunt, ut ante oſtendimus, ut nullo prætextu ea effugere liceat. Nec valida ſatis cauſa eſt, quod intellectus noſter myſteria iſta non capiat: quis enim infiniti entis naturam perſcrutari valeat? *Quis aſcendit in cœlum & deſcendit? quis collegit ventum in ſinum ſuum? quis conſtrinxit aquas in toga? quis conſtituit fines terræ? quid nomen ejus, & quid nomen Filii ejus, ut id noris?* Prov. 30:4. *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* 1. Cor. 13:9. quis non ad lucem iſtam cæcutiat? quis vel opera ejus, quæ ipſi ſentimus & quorum conſcii ſumus, comprehendit? An non in ſolâ Dei in nobis operatione cum arbitrii libertate concilianda, ferè ad deſperationem adigitur humana ratio? & in quo Theologiæ capite ea non laborat? tum etiam Trinitas non ſolum conferenda eſt cum unitate Dei, cum qua tamen optimè conſiſtit, ſed & cum aliis ejus perfectionibus, cum æternâ ejus ſapientiâ & potentia, & univerſo ſalutis noſtræ negotio, quod ſine trium perſonarum œconomiâ expediri nequit. Ut prætercam, nos haud paulo rectius in divina eſſentia diverſas perſonas concipere poſſe, quam illi Deum cum accidentibus vel veris, vel analogis, cum partibus quaſi & adjunctis, & attributis inter ſeſe diſtinctis, imo adverſis, nobis exhibent. *aut ejus difficultas.*

XXVI. Sed neque repugnat rationi unum diverſo reſpectu poſſe eſ-

Quod nec vera rationi repugnat. ſe trinum: quod vel unico exemplo *extenſi* patet, in quo eſt longum, latum & profundum; quæ inter ſeſe adeo unita ſunt, ut trinum iſtud in uno, & unum in trino exiſtere dici poſſit; in longo nempè latum, in lato longum, & in profundo utrunque: neque ibi unum eſt extra aliud, quamvis etiam unum non ſit aliud. Et ſicut longum, latum & profundum, ſunt verè extenſa, non tamen ideo tria extenſa, ſed unum; & ſicut eſſentia extenſi tota eſt in longo, & non minus tota in lato & profundo: ita hæc imago & umbra quædam ſunt ejus quod in divinis reperitur; quâ eo magis uti liceat, quod Scriptura ipſa longitudinis, latitudinis & profunditatis vocibus & ſimilitudine, ubi de ſpiritualibus Dei operationibus agit, utatur: *In charitate radicati & fundati, ut valeatis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & profunditas & altitudo: & cognoſcere eam, quæ cognitionem excedit, charitatem Chriſti.* Eph. 3: 18, 19. *Numquid perveſtigationem Dei aſſequeris? an uſque ad finem omnipotentis pertinges? altitudine cœli quid facies? profundius inferno quid noſces? Longior terra eſt menſura ejus, & latior mari.* Job. 11: 7, 8, 9. atque natura hæc inferior Dei ac eſſentiæ ejus aliquo modo ſpeculum ſit. Quod in mundo atque univerſo hoc, inque ejus indefinitâ longitudine, latitudine & profunditate (*Si menſurabuntur cœli ſuperne, & perveſtigabuntur fundamenta terræ infra.* Jer. 31: 37.) clarius patet, utpote quod Dei opus eſt: indefinita enim & indeterminabilis ibi eſt longitudo & latitudo & profunditas; atque eadem, ſi mundus infinitus poneretur, eſſent ibi infinita, nec tamen tria infinita & extenſa, ſed unum tantum, quod æqualis & indefinitæ, vel infinitæ etiam eſt longitudinis, latitudinis & profunditatis; ſimiliter ut in perſonis divinis, infinito Patre, Filio & Sp. S. non tria ſunt infinita, ſed unum ſolum ens infinitum.

XXVII. Atque etiam, ſi infinitus foret ſol, & infinita noſtra mens, concipi ſimiliter illa non poſſent ſine operationibus & productionibus ſuis infinitis, quarum tamen una produceretur interveniente altera. Et ſunt hæc quidem, fatemur, non niſi attributa quædam, quæ proclive eſt plura in uno concipere; non vero perſonæ ſubſiſtentes. Verum nulla ratio eſt, cur in divinis illud de perſonis intelligi non poſſit, cum Deo perfectiſſima quæque tribuenda ſint, atque ubi in ipſo ponuntur productiones, ut ſapientiæ, imaginis, ſpiritus &c. eædem ſimul perfectiſſimæ intelligendæ ſunt: ut Sermo, Imago, Spiritus Dei, non minus æterna & ſubſtantialia ſint quam ipſe Deus; unde ipſorum ſubſiſtentia in unitate Dei & perſonalitas ultro reſultant. Præſertim

cum

Digitized by Google

cum non rectè ſupponeretur, perſonas perfectius quid eſſe quam ſunt attributa:ſed quod hiſce convenire concipimus, id in illis quoque nullam repugnantiam dicere, inde aliquo modo colligere poſſumus.

XXVIII. Multo minus *perſonarum* nomen quemquam abſterrere debet: cum de Filio & Spiritu Dei ſimiliter loquatur Scriptura ac de Patre, quam perſonam eſſe nemo negat, & eodem prorſus modo, ſicut vulgo omnes de perſonis loqui ſolemus, quas ab aliis rebus & attributis & actionibus diſtinguimus.

XXIX. Atque hinc jam patet, quam verè Arianæ hæreſeos nos inſimulent quidam ex Pontificiis, incommoda quædam noſtrorum dicta accuſantes, & peſſimos iſtos homines è noſtro ſinu prodiiſſe criminantes: cum Gribaldus, Gentilis, Blandrata, aliique nebulones, non noſtri fuerint; ſed cum à Pontificiis ad noſtros tranſiiſſent, & impietatem ex Scholaſticorum, quorum oſſa impuri hi canes perpetuo obrodebant, nec barbaras & inſanas eorum locutiones & quæſtiones concoquere ſatis poterant, lacunis hauſtam prodidiſſent, à noſtris primum detecti, & tanquam ſanctiſſimæ religionis purgamenta ab Eccleſiæ liminibus ejecti, & noſtrorum ſcriptis potentiſſimè expugnati ſint: ut Socini ſtercora ac ſordes, & impiæ Racovienſium argutiæ, quæ tanto prius cum plauſu ſe efferebant, jam dudum fœtere cœperint, neque ullis, niſi quibus mens læva fuerit, placere jam amplius poſſint.

CAPUT XXXVI.

De Oeconomia trium Perſonarum, illarumque ſecundum eam attributis & operibus.

I. CUm Trinitatis myſterium ſaluti noſtræ unicè inſerviat, atque ea fine trium perſonarum Oeconomiâ & operationibus expediri ac procurari non potuerit, de eo etiam, ut præcipuo myſterii hujus ſcopo ac fine, paucis videndum. *S. S. Perſonarum* OECONOMIA

II. Eſt autem una perſonarum eſſentia, & dignitas, & operatio, ac ſimiliter unus & indiviſus totius Trinitatis cultus, ſive nominetur Pater, ſive Filius, ſive Spir. S. ſive Deus abſolutè. *In qua eſt unitas eſſentia & cultus.*

III. Ordinis tamen primatus quidam eſt: qui Patri tribuitur, *tum relate ad alias perſonas, atque operationes internas*; quo reſpectu ipſe, omnis originis ac principii expers, fons Deitatis ab orthodoxis appella- *Diſtinctio autem ordinis.*

tur; atque antonomaſticè Deus dicitur. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in gremio Patris, ille ediſſeruit.* Joh. 1: 18. *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* c. 3: 16. Filius autem ac Spiritus S. Filius & Spiritus Dei appellantur. *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ad ipſum; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* 1. Cor. 8: 6. *Diſtinctiones donorum ſunt, ſed idem Spiritus, & diſtinctiones miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus, & diſtinctiones operationum ſunt, ſed idem eſt Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 1. Cor. 12: 4, 5, 6. *Unum corpus & unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnibus & per omnes & in omnibus vobis.* Eph. 4: 4, 5, 6. *tum ad externa opera & cultum*: unde etiam eſt, quod in precibus Deum Patrem plerunque ſalutamus, non ſolum eſſentialiter, ſed & perſonaliter eo vocabulo ſumto, & ad perſonam Patris appropriato, quod ipſi ut perſonæ primæ conveniat prima creationis & adoptionis auctoritas: ſicut & in ſymbolo in ordine ad reliquas perſonas ipſi divina attributa, & proprietates, & opus omnipotentiæ in creatione cœli & terræ attribuitur. Cum autem hæc ordinis ſolum diſtinctio ſit, nullam perſonarum præ-eminentiam, aut primatum, vel majoritatem ullo modo infert.

IV. Conſideranda vero earum eſt perſonarum divinarum in operibus, quæ omnibus ex æquo communia ſunt, cum *cooperatio*, tum diſtinctus ſingularum *cooperandi modus*.

Unde Perſonarum datur circa opera ad extra cooperatio.

V. Et *cooperatio* quidem earum circa omnes operationes ad extra eſt. *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor.* Joh. 5: 17. *Non poteſt Filius facere à ſemet ipſo quicquam, niſi quid viderit Patrem facientem. quæ enim ille facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* v. 19. *Spiritus vos ducet in omnem illam veritatem (non enim loquetur à ſemet-ipſo, ſed quæcunque audiverit, loquetur) & ventura annunciabit vobis. ille me glorificabit, quia ex meo accipiet, & renunciabit vobis.* c. 16: 13, 14. eſtque ea individua & indiviſa, unde unaquæque perſona totius operis immediata & perfecta cauſa eſt, cum unica & eadem totius Trinitatis potentia & operatio ſit. Quin & in ipſis Chriſti operibus theandricis divina operatio totius trinitatis operatio fuit, & Patri æque & Sp. S. ac Filio attribuitur. Joh. 5: 19. *Non credis, quod ego ſum in Patre, & Pater in me ſit? verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor. Pater verò, qui in me manet, ipſe facit* opera. c. 14: 10. *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia, utique pervenit ad vos regnum Dei.* Matth. 12: 28. ut male hæretici quidam ſingulis perſonis ſeorſim proprias ſuas operationes adſcripſerint: illa autem quorundam diſtinctio

Digitized by Google

ſtinctio, qua Pater ad extra operari dicitur mediatè per Filium & Sp. S. Filius mediatè per Sp. S. & Spiritus S. immediatè per ſe, de modo agendi tantum intelligenda eſt: cæteroquin ſi de eſſentiali operandi virtute intelligeretur, proba non eſſet; illa enim cum una, & ſimplex, & immediata ſemper ſit, pro diverſis perſonis ſimul mediatè & immediatè agere non poteſt.

etiam in operibus perſonarum œconomicis.

VI. Neque obſtat, quod externa quædam opera quibuſdam perſonis peculiariter approprientur, vel earundem inviſibilibus quibuſdam ſignis peculiaris apparitio, vel etiam ad nos adventus & in carne manifeſtatio memoretur. Opus enim nihilominus, per quod ex. gr. illa perſona venit vel manifeſtatur, eſt ſemper totius Trinitatis, quæ in eo inſeparabiliter præſens eſt, quamquam hæc vel illa perſona peculiarem in eo modum habeat, nec univerſa Trinitas eo modo in carne viſa ſit, ut ex. gr. Filius.

VII. Eſt enim in illa cooperatione *modus cooperandi* in perſonis paululum diverſus, ſive potius diſtinctus; idque juxta diverſum modum ſubſiſtendi, qui ſingulis proprius eſt, quem proximè conſequitur modus agendi.

Diſtinctio tamen ſingularum perſonarum cooperandi modo.

VIII. Atque adeo diſtinctus eſt in ſingulis cooperandi modus. 1. propter *agendi ordinem*: cujus reſpectu prioritas Patri tribuitur, quemadmodum & in ſubſiſtendo, ut Pater agat à ſe, per Filium & Sp. S.; ſicut Filii, operandi modus eſt à Patre, per Sp. S.; Spiritus autem operandi modus à Patre & Filio per ſeſe. Atque hinc Patri rerum adſcribitur inchoatio, Filio continuatio, Sp. S. conſummatio & perfectio, h. e. creatio, redemtio, & regeneratio. Sic *Pater* dicitur *Dominus cœli & terræ*. Matth. 11: 25. & Chriſtus qui *deſcendit & aſcendit*, *alios quidem dedit Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios verò Paſtores & Doctores*. Eph. 4: 11. & *Salvavit* nos *Deus per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti*. Tit. 3: 5. *Diſtinctiones donorum ſunt, ſed idem Spiritus*. 1. Cor. 12: 4. nempe propter ſimilitudinem quandam interni iſtius operandi modi, atque ſingularum perſonarum in humanæ ſalutis diſpenſatione peculiarem reſpectum & ordinem. 2. propter *terminum actionis*, & certæ perſonæ, cujus operatio in aliquo opere potiſſimum elucet, peculiarem ad illud habitudinem: ſicut eo pacto incarnatio ad Filium refertur; licet enim illud opus effectivè totius ſit Trinitatis, terminativè tamen Filii duntaxat eſt. 3. quibus quidam addunt, ob proximum *immediatumque agendi principium*: quo pacto ſanctificatio ad Sp. S. refertur.

 IX. Ne-

IX. Neque hæc imperfectionem in divinis dicunt, cum contra perfectiſſima Trinitatis ratio hoc poſtulet, ut Pater omnia per Filium, neque ſine eo quicquam agat, & interveniente denique Spiritu ſuo omnia potentiſſimè perficiat. Atque hoc ordine iſta ſeſe habent, ut propter æqualem perſonarum cooperationem earum tamen nulla ſequatur confuſio; ſicut etiam ex diverſo earum cooperandi ordine nulla earum ſequitur ſeparatio.

Sicut & ſingulis peculiares tribuuntur actiones.

Ut Patri Creatio.

X. Atque ut jam ſingularum perſonarum actiones, quæ peculiariter ipſis tribuuntur, luſtremus: *Patri*, ut primæ perſonæ, primum tribuitur opus, nempe *Creationis*, quâ in Filio, ut Verbo ſuo, vocavit omnia. *Credidit Abraham Deo, qui vivificat mortuos, & vocat, qua non ſunt, tanquam ſint*. Rom. 4:17. *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nec unum, quod factum eſt*. Joh. 1:3. *Omnia per ipſum & ad ipſum condita ſunt*. Col. 1:16. Ac deinde etiam univerſi operis *redemtionis* initium & gubernatio: idque tum propter æternum ipſius decretum & teſtamentum, quod reſpectu Filii & electorum fecit. *Ego Teſtamento vobis do, quemadmodum Pater mihi teſtamento dedit regnum*. Luc. 22:29. *Qua in re abundantius volens Deus demonſtrare hæredibus promiſſionis immutabilitatem conſilii ſui, interceſſit jurejurando*. Hebr. 6:17. tum quatenus in tempore peculiariter omne hoc negotium diſpenſavit, & Filium in mundum miſit. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicaret mundum, ſed ut ſalvaretur mundus per ipſum*. Joh. 3:17. aptato ipſi corpore. *Intrans in mundum dicit, Sacrificium & oblationem non voluiſti; corpus autem aptaſti mihi*. Hebr. 10:5. in mortem tradidit. *Ita enim dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Joh. 3:16. mundumque ſibi *in Chriſto reconciliavit. Enim eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit; ut nos fieremus juſtitia Dei in ipſo*. 2. Cor. 5:19, 21. quippe qui in ſalutis noſtræ œconomia perſonam judicis propriè expreſſerit, qui peccatum damnare ejuſque accuſationem tollere ſolus poterat; unde etiam juſtificatio illi magis tribuitur, cum Filio & Spir. S. interceſſio potiſſimum conveniat.

Filio Redemtio.

XI. *Filio* in œconomiâ operum ſpeciatim attribuitur operis redemtionis peractio; utpote qui ſolus Mediatorem, Sponſorem & Sacerdotem egerit, & in carne venerit, ac ſacrificio pro humano genere peracto in cœlos rurſus redierit, & hæreditatem poſtulaverit, & poteſtatem omnem in cœlo & terrâ acceperit, atque mundi etiam judex conſtitutus ſit, & Eccleſiæ ſuæ in æternum rex futurus ſit: unde quæcun-

que

que in Scriptura de Jehova Deo & Sancto Iſraëlis, Aſſertore ac Vindice populi ſui, Salvatore ac Juſtitia ejus, & unicâ ſalutis Rupe, in quo tuto gloriari liceat, Angelo teſtamenti vel Fœderis &c. dicuntur, de Filio ſpeciatim intelligenda ſunt.

XII. Qui peculiariter quoque vocatur in Scriptura, cum Chaldæo interprete, *Verbum* ſeu Λόγος. Non tam, quia reſpectu originis procedit à Patre, tanquam mentis & intellectus ejus imago; ſicut verbum internum imago quædam & fœtus noſtræ mentis eſt: quam potius 1. quia Deus in eo locutus eſt, & conſilia ſua formavit ab æterno; atque per eum æterno juſſu & nutu quaſi omnia condidit. quo ſenſu Parœmiaſtes illum *Sapientiam* Patris vocavit. Prov. 8: 12. 2. rurſus quia omnia, quæ unquam ad gloriam ſuam & ſpem noſtram promiſit & dixit, ea in ipſo, & de ipſo, & per ipſum, dicta ſunt. Hebr. 10: 7. Pſal. 40: 8. Unde ille *loquens* dicitur. Eſai. 52: 6. 3. tandem quia ſicut verbum & ſermo mentis eſt interpres, ille etiam Deum & divina nobis, cum dictis, tum factis & operibus ſuis ediſſeruit, atque omnia in eccleſiâ ſuâ locutus eſt.

XIII. Similiter *Spiritui S.* quo ad ordinem agendi tribuitur rerum *Spiritui S.*
conſummatio; cum in *creatione*: ubi *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquis.* *rerum*
Gen. 1: 2. nempe in mundi exordio indigeſtæ huic moli veluti incu- *Conſummatio.*
babat, potenti atque vivifico fotu rerum omnium ſemina in iſtum, qui poſtea ſecutus eſt, ordinem ac ornatum diſponens atque animans; tum in *redemtione* (idem enim qui rerum conditor eſt, noſter quoque Paracletus & interceſſor eſt. *Similiter verò & Spiritus opitulatur infirmitatibus noſtris; & interpellat pro nobis, gemitibus, qui ſermone non explicantur. ille verò, qui ſcrutatur corda, novit ſtudium Spiritus: quia ſecundum Deum interpellat pro ſanctis.* Rom. 8: 26, 27.) atque creatione ſecundâ, & hominum ac totius mundi innovatione. *Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in medio veſtri: & auferam cor illud lapideum ex carne veſtra & dabo vobis cor carneum.* Ezech. 36: 26. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum Dei. quod ex carne natum eſt, caro eſt; & quod ex ſpiritu natum eſt Spiritus eſt.* Joh. 3: 5, 6. Ita ut quicquid uſpiam pii ac ſancti eſt, atque omnia quæ in Eccleſiâ ac regno Chriſti geruntur, huic Spiritui accepta ferenda ſint. Quin omnia, quæ in creaturis egregia ſunt, cunctæque ipſorum dotes, ingenium, ſapientia &c. illa omnia operatur idem Spiritus. *Et tu dices omnibus ſapientibus corde, quos implevi ſpiritu ſapientiæ, ut faciant veſtes Aharoni* &c. Exod. 28: 3. *Et implevi eum Spiritu Dei, in ſapientia & in prudentia, & in omni opere,* ſive re faciunda. cap. 31: 3.

XIV.

XIV. Et ſicut à Patre & Filio operatur, atque fidelibus eorum voluntatis & amoris veluti arrhabo ac ſponſor atque obſes eſt, ita in iſtâ œconomiâ *mitti* dicitur à Patre & Filio. *Dominus miſit me & Spiritum ſuum*. Eſai. 48:16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in ſæculum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere*. Joh. 14:16, 17. à Patre quidem, ut Deitatis prima perſona eſt; à Filio vero, non ſolum ut Deus, verum etiam ut Mediator eſt, h.e. ut Deus-homo, qui hoc ſuo merito impetravit.

XV. Speciatim autem mittitur in Nov. Teſt. quando miſſus eſt ut Spiritus adoptionis filiorum. *Subjectus fuit legi Filius Dei, ut eos qui ſub lege erant, emtos liberaret: ut adoptionem filiorum acciperemus. quia vero eſtis Filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, qui clamat, Abba, Pater*. Gal. 4:5, 6. ad lætitiam & gloriationem in animis fidelium creandam, qualis nempe beatiſſimo iſti tempori, procuratâ jam ſalute & expuncto mundi reatu, conveniebat, talemque affectum & fiduciam in iis generandam, qualis filiis jam conſummatis & in paternâ domo ſummâ cum libertate verſantibus competebant. Unde nobis non amplius ut Spiritus ſervitutis, qualem in Vet. Fœderis Patribus ſe exhibuit, ſed ut Spiritus filiationis datus dicitur. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis rurſus ad metum; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis; in quo clamamus, Abba, Pater*. Rom. 8:15. Atque hoc reſpectu antea nequidem fuiſſe dicitur. *Hoc dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus Sanctus; quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Joh. 7:39. cum iſto nempe modo in fidelibus in hac terrâ vulgo non operaretur; ſed in N.T. effundendus demum erat. *Et Spiritum meum dabo in medio veſtri, & faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis*. Ezech. 36:27. *Et dabo Spiritum meum in vobis, & vivetis, & conſtituam vos in terra veſtra. & cognoſcetis, quod ego locutus ſum, & fecerim: ait Jehovah*. c. 37:14. *Ego vobiſcum ſum, ait Jehovah, cum Verbo, quod promiſi vobis, cum exiretis ex Ægypto; & Spiritus meus ſtat in medio veſtri*. Hagg. 2:4, 5. nempe paratus ſe effundere in omnem carnem. quod impletum eſt Act. cap. 2. atque illuſtriori modo tum, cum etiam in gentes effuſus eſt. *Comederunt*, ſcil gentes (& *adorarunt*) *omnia opima terræ. coram ipſo curvantur omnes deſcendentes pulverem; &* eſt, qui *animam ſuam non vivificavit*. Pſal. 22:30. *Et cum adhuc loqueretur Petrus verba hæc, illapſus eſt Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant hunc ſermonem*. Actor. 10:44. qua effuſione Chriſtus unctus, & publicè ut Chriſtus ac Dominus de cœlo monſtratus ac veluti inauguratus eſt.

Dex-

Digitized by Google

Dextra igitur Dei exaltatus, cum promiſſionem Spiritus Sancti accepiſſet à Patre, effudit hoc quod nunc videtis & auditis. Certò igitur ſciat tota domus Iſraël, quod Dominum & Chriſtum eum Deus fecerit. Act. 2: 33, 36. Uti in Oeconomiâ N.T. illud latius exhibebitur. *Unxit eum Deus Spiritu & potentiâ.* Act. 10: 38.

XVI. Eſt ergo ille perpetuus Eccleſiæ cuſtos & rector, ac veluti Spiritus ejus, quo animante ea vivit, atque ſancta ac egregia omnia perficit, & ſanctiſſimis inſtitutis impio huic orbi, in quo peregrina degit, veluti accenſâ de cœlo face, prælucet: eſtque individuus ejus in terris hiſce comes ac dux, & Paracletus ac advocatus, cum apud Deum, religioſos motus atque affectus in fidelibus ciendo, & tenerum balbumque ipſorum os figurando, preceſque ipſis veluti præformando. Rom. 8: 26, 27. tum Dei apud homines. Joh. 14. & 15. & 16. quibus divini amoris ſigillum ac pignus eſt. *Ne contriſtate Spiritum Sanctum Dei, quo obſignati eſtis ad diem redemtionis.* Eph. 4: 30. *Qui & obſignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* 2. Cor. 1: 22. Ut id faciat Spiritus apud nos, quod Filius apud Deum: ſicut enim ille pro nobis intercedit apud Patrem, nobiſque ipſius animum & amorem conciliat; ita reconciliationem & pacem jam factam nobis applicat & ſuaviſſime inſinuat Spiritus.

XVII. Quem Spiritum fideles nonnunquam *contriſtant.* Eph. 4: 30. dum parum reverenter eum habent, ut non poſſit ſolitas delicias ipſis facere, atque eos ſolari & Spiritum lætum atque bonum ſeſe præbere. *Spiritus tuus bonus ducet me in terram planam.* Pſal. 143: 10. Infideles autem *dolore afficiunt*, ipſique *reſiſtunt. Vos ſemper Spiritui Sancto ἀντιπίπτετε reſiſtitis, ut patres veſtri, ita & vos.* Act. 7: 51. *Et ipſi inobedientes extiterunt, & dolore affecerunt Spiritum Sanctum ipſius, & verſus eſt ipſis in inimicum.* Eſai. 63: 10. Apoſtatæ vero *blaſphemant* & ſingulari modo in eum peccant. *Quanto, putatis, deterius ſupplicium mereri judicabitur, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo Sanctificatus eſt, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit?* Hebr. 10: 29. *Quiſquis fuerit loquutus adverſus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Matth. 12: 32. Sicut contra noſtri officii eſt, eum glorificare, colere, ipſique collætari, ipſum in omnibus ducem ſequi, & nos ipſos in templum ipſi conſecrare, ut ita communionem ſuavitatis pleniſſimam, ſublato omni reatu & effectibus ejus, cum Patre & Filio & Spir. S. habeamus; quæ fidelium in hac vitâ con-

Digitized by Google

XIV. Et ſicut à Patre & Filio operatur, atque fidelibus eorum voluntatis & amoris veluti arrhabo ac ſponſor atque obſes eſt, ita in iſtâ œconomiâ *mitti* dicitur à Patre & Filio. *Dominus miſit me & Spiritum ſuum.* Eſai. 48:16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in ſaculum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere.* Joh. 14:16, 17. à Patre quidem, ut Deitatis prima perſona eſt; à Filio vero, non ſolum ut Deus, verum etiam ut Mediator eſt, h.e. ut Deus-homo, qui hoc ſuo merito impetravit.

XV. Speciatim autem mittitur in Nov. Teſt. quando miſſus eſt ut Spiritus adoptionis filiorum. *Subjectus fuit legi Filius Dei, ut eos qui ſub lege erant, emtos liberaret: ut adoptionem filiorum acciperemus. quia vero eſtis Filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, qui clamat, Abba, Pater.* Gal. 4:5, 6. ad lætitiam & gloriationem in animis fidelium creandam, qualis nempe beatiſſimo iſti tempori, procuratâ jam ſalute & expuncto mundi reatu, conveniebat, talemque affectum & fiduciam in iis generandam, qualis filiis jam conſummatis & in paternâ domo ſummâ cum libertate verſantibus competebant. Unde nobis non amplius ut Spiritus ſervitutis, qualem in Vet. Fœderis Patribus ſe exhibuit, ſed ut Spiritus filiationis datus dicitur. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis rurſus ad metum; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis; in quo clamamus, Abba, Pater.* Rom. 8:15. Atque hoc reſpectu antea nequidem fuiſſe dicitur. *Hoc dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus Sanctus; quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Joh. 7:39. cum iſto nempe modo in fidelibus in hac terrâ vulgo non operaretur; ſed in N. T. effundendus demum erat. *Et Spiritum meum dabo in medio veſtri, & faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Ezech. 36:27. *Et dabo Spiritum meum in vobis, & vivetis, & conſtituam vos in terra veſtra. & cognoſcetis, quod ego locutus ſum, & fecerim: ait Jehovah.* c. 37: 14. *Ego vobiſcum ſum, ait Jehovah, cum Verbo, quod promiſi vobis, cum exiretis ex Ægypto; & Spiritus meus ſtat in medio veſtri.* Hagg. 2:4, 5. nempe paratus ſe effundere in omnem carnem. quod impletum eſt Act. cap. 2. atque illuſtriori modo tum, cum etiam in gentes effuſus eſt. *Comederunt*, ſcil gentes (& *adorarunt*) *omnia opima terræ. coram ipſo curvantur omnes deſcendentes pulverem; &* eſt, qui *animam ſuam non vivificavit.* Pſal. 22:30. *Et cum adhuc loqueretur Petrus verba hæc, illapſus eſt Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant hunc ſermonem.* Actor. 10: 44. qua effuſione Chriſtus unctus, & publicè ut Chriſtus ac Dominus de cœlo monſtratus ac veluti inauguratus eſt.

Dex-

Digitized by Google

Dextra igitur Dei exaltatus, cum promiſſionem Spiritus Sancti accepiſſet à Patre, effudit hoc quod nunc videtis & auditis. Certò igitur ſciat tota domus Iſraël, quod Dominum & Chriſtum eum Deus fecerit. Act. 2: 33, 36. Uti in Oeconomiâ N.T. illud latius exhibebitur. *Unxit eum Deus Spiritu & potentiâ.* Act. 10: 38.

XVI. Eſt ergo ille perpetuus Eccleſiæ cuſtos & rector, ac veluti Spiritus ejus, quo animante ea vivit, atque ſancta ac egregia omnia perficit, & ſanctiſſimis inſtitutis impio huic orbi, in quo peregrina degit, veluti accenſâ de cœlo face, prælucet: eſtque individuus ejus in terris hiſce comes ac dux, & Paracletus ac advocatus, cum apud Deum, religioſos motus atque affectus in fidelibus ciendo, & tenerum balbumque ipſorum os figurando, preceſque ipſis veluti præformando. Rom. 8: 26, 27. tum Dei apud homines. Joh. 14. & 15. & 16. quibus divini amoris ſigillum ac pignus eſt. *Ne contriſtate Spiritum Sanctum Dei, quo obſignati eſtis ad diem redemtionis.* Eph. 4: 30. *Qui & obſignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* 2. Cor. 1: 22. Ut id faciat Spiritus apud nos, quod Filius apud Deum: ſicut enim ille pro nobis intercedit apud Patrem, nobiſque ipſius animum & amorem conciliat; ita reconciliationem & pacem jam factam nobis applicat & ſuaviſſime inſinuat Spiritus.

XVII. Quem Spiritum fideles nonnunquam *contriſtant*. Eph. 4: 30. dum parum reverenter eum habent, ut non poſſit ſolitas delicias ipſis facere, atque eos ſolari & Spiritum lætum atque bonum ſeſe præbere. *Spiritus tuus bonus ducet me in terram planam.* Pſal. 143: 10. Infideles autem *dolore afficiunt*, ipſique *reſiſtunt*. *Vos ſemper Spiritui Sancto ἀντιπίπτετε reſiſtitis, ut patres veſtri, ita & vos.* Act. 7: 51. *Et ipſi inobedientes extiterunt, & dolore affecerunt Spiritum Sanctum ipſius, & verſus eſt ipſis in inimicum.* Eſai. 63: 10. Apoſtatæ vero *blaſphemant* & ſingulari modo in eum peccant. *Quanto, putatis, deterius ſupplicium mereri judicabitur, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo Sanctificatus eſt, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit?* Hebr. 10: 29. *Quiſquis fuerit loquutus adverſus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Matth. 12: 32. Sicut contra noſtri officii eſt, eum glorificare, colere, ipſique collætari, ipſum in omnibus ducem ſequi, & nos ipſos in templum ipſi conſecrare, ut ita communionem ſuavitatis pleniſſimam, ſublato omni reatu & effectibus ejus, cum Patre & Filio & Spir. S. habeamus; quæ fidelium in hac vitâ con-

ſumatio eſt: quem in finem myſterium Trinitatis & admiranda illa perſonarum Oeconomia nobis revelata ſunt.

Vt myſterium S. S. Trinitatis ad praxim maxime faciat.

XVIII. Ut myſterium hoc *uſus ſuos practicos* præcipuè etiam habeat: cum Patrem ut Creatorem, Filium ut Redemtorem, Spiritum S. ut Paracletum, atque amoris divini arrhabonem & pignus, dulciſſimo affectu ſuſpicimus ac colimus, & in perfectiſſimâ Trinitate acquieſcimus: in quâ fides noſtra tantum non gloriatur, de divinâ gratiâ ac benevolentia deque æternâ ſalute unicè ſecura. Longe aliter ac miſeri gentiles, qui in tam immenſa Deorum turbâ de eorum amore ac erga ſeſe ſtudio & affectu ſemper incerti degebant, nullum habentes Deum fœderatum, & cui tanquam fideli creatori animas ſuas credere poterant, nullam cum eo exercentes communionem, quæ creaturæ intelligentis unicæ deliciæ ſunt; unde perpetui terrores, & nunquam ſecurus ac gaudens animus, ſed ſemper pavitans ac trepidus, & de ſumma rei ac æterno ſtatu ſuo deſperabundus. *Recordamini quod fueritis in tempore illo ſine Chriſto, abalienati à republica Iſraelis, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis, ſpem non habentes, & ſine Deo in mundo.* Eph. 2:12.

Quam ejus adverſarii evertunt.

XIX. Unde & Sociniani, myſterium hoc & perſonarum divinarum operationem negantes, Chriſtianorum ſpem ac fidem non parum concutiunt; quin omnem ipſorum conſolationem tollunt, cum *Chriſtum* ſolo exemplo Salvatorem faciunt, qui nobis viam ſalutis monſtraverit, non vero ipſi noſtra ſalus exiſtat; & *Spiritum S.* pium animi motum & affectum interpretantur, cui tamen reſiſtere poſſumus, atque eum extinguere, adeoque una cum hoc ſpiritu perire; & ſimiliter *Patrem*, cum nec ab æterno homines amaverit, aut de æterno eorum ſtatu infallibiliter decreverit, nec in tempore aliter quam per Filium ac per Sp. hunc, eo quo vidimus eos velle modo, operetur, nec in æternum & ad finem denique eos amet, non ſatis idoneum ac præſentem ſalutis auctorem faciunt, ſed imbecillem prorſus, & conſilii atque electionis ſuæ ſemper dubium ac incertum, & Deum aliquem inſtar Jovis Homerici, ipſos deorum filios ad Trojam laborantes liberare plerunque imparis & invalidi, adverſantibus videlicet fatis; & tandem *hominem* ipſum præcipuum ſalutis ſuæ architectum ac fabrum conſtituunt. Ita luxato hoc capite omnem religionem veluti emaſculant, & ipſum ſalutis noſtræ opus prorſus evertunt: cum hoc myſterium ritè agnitum, ut Eccleſiæ Catholicæ eſt vexillum & Orthodoxorum τεκμήριον, ita ſpei noſtræ rupes ac firmamentum ſit immobile, ſine cujus fide nemo ſervari poteſt.

LO-

Locus Quartus
De Conſilio & Prædeſtinatione divinis.
Caput XXXVII.
De Conſilio & Decreto Dei in genere.

I. Poſt naturam Dei ſequuntur conſideranda ejus *opera*: quæ vel *perſonalia* ſunt, vel *eſſentialia*: atque hæc rurſus duplicis generis; *immanentia*, ſeu *interna*, & *tranſeuntia*, ſive *externa*. Priora nomine conſilii & decreti Dei de creaturis veniunt; poſteriora ſunt Dei in creaturis vel circa illas operationes, & proprie dicta ejus opera: illa æterna ſunt, hæc fiunt in tempore. De illis ergo prius nunc agendum. *Operum Dei diviſio.*

II. Tribuitur Deo *conſilium*. *Qui definiti ſumus ſecundùm propoſitum ejus, qui omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Eph. 1: 11. *Dicens, Conſilium meum ſtabit, & omne meum beneplacitum faciam. vocans ab oriente volucrem, à terra longinqua virum conſilii mei. Simul loquutus ſum, ſimul adducam illud; formavi, ſimul faciam illud.* Eſai. 46: 10, 11. *Hunc definito illo conſilio & præcognitione Dei deditum quum accepiſſetis, manibus ſceleratis* cruci *affixum intereміſtis*. Act. 2: 23. diciturque Dei *manus & conſilium determinare*, quid *fieri* habeat. ibid. c. 4: 28. *Qua in re abundantius volens Deus demonſtrare hæredibus promiſſionis immutabilitatem conſilii ſui, interceſſit jurejurando.* Hebr. 6: 17. nimirum non ratione inquiſitionis vel deliberationis; ſed reſpectu judicii, quo omnia conſultò facit, & ſapienter ac decorè ordinavit. Quo ſenſu Deo פֹּעַל molitio & machinatio adſcribitur (ut cum *Jehovah* dicitur *habuiſſe* ſapientiam *initium viæ ſuæ* קֶדֶם מִפְעָלָיו *ante molitiones ſuas*, Prov. 8: 22.) in ordine ad opus externum, quod מַעֲשֶׂה in Scripturis appellatur. *Et* פֹּעַל *machinationem Jehovæ non intuentur, &* מַעֲשֵׂה *opus manuum ejus non vident.* Eſai. 5: 12. *CONSILIUM Dei.*

III. Vulgo *decretum* Dei appellatur: quæ vox à Vulgato interprete interdum pro divino præcepto, 1. Reg. 8: 61. interdum pro ritibus Moſaicis, Eph. 2: 15. uſurpatur; hîc autem definitam Dei ſententiam notat de rebus omnibus pulcherrimo ordine efficiendis & ad finem ſuum deducendis. *Quod Decretum dicitur.*

IV. Cum vero decretum in ſuo conceptu tria involvat: 1. conce- *In quo conſideranda.*

tum rei in mente. 2. voluntatis complacentiam. 3. finem ac ſcopum propoſitum: tria hæc in divino decreto quoque conſideranda ſunt.

1. Divinæ mentis conceptus, qui idea dicitur.

V. *Conceptus mentis divinæ*, qui in decretis ejus intelligitur, nomine *ideæ* venire ſolet: ſicut in artifice extra ſe agente ex conſilio idea præexiſtere ſolet, juxta quam agit; ita in Deo omnium rerum efficiendarum exemplaris eſt cauſa, voce illa deſumtâ ex loco Exod. 25:40. *Et vide & fac* בְּתַבְנִיתָם *in forma illorum, quæ tibi demonſtratur in monte.* conf. Hebr. 8:5. *Oraculo monitus eſt Moſes, quum erecturus eſſet Tabernaculum, vide, inquit, facito omnia* κατὰ τ̃ τύπον *ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte.*

Et à Scholaſticis ſtatuitur ipſa Dei eſſentia.

VI. Scholaſticis idea omnium rerum ſtatuitur ipſa eſſentia Dei, prout à Deo intelligitur ut imitabilis à creaturis: quod eatenus verum eſt, quatenus eſſentia divina continet omnes perfectiones, ut inde Deus omnium creaturarum ideas formandi poteſtatem habeat; ita ut eſſentia Dei omnium rerum idea ſit, non ut cognita, quod Scholaſtici videntur velle; unde & fabuloſum Trinitatis ſpeculum excuderunt, in quo ipſi in cœlo beati, ſi Deo placet, rerum omnium imagines & eventum contemplentur; ſed potius ut cognoſcens, ſive potius ut volens; quæ Dei de omnibus rebus poſſibilibus cognitio, vel volitio, perfectiſſimum rerum exemplar eſt.

Quæ ab eſſentia Dei non differt.

VII. Non ergo idea hæc, vel ideæ in Deo, ab eſſentia ejus revera, vel inſtar modorum aliquorum diſtinctæ ſunt, quemadmodum eæ, quas homo, dum artificiosè aliquid molitur, in mente ſibi præformat; ſed ſunt ipſa Dei eſſentia, ratione tantum ab illa diſtinctæ. Neque eædem aliunde ipſi adveniunt, vel à rebus deſumuntur, ut in hominibus fieri ſolet; ſed res potius ipſæ ad eas efformantur & exprimuntur, atque ſummi iſtius exemplaris imago & ſimilitudo ſunt. Omnia enim prius ſunt in mente divina, quam in ſemet ipſis. Quo ſolo errores omnes de merito, fide prævisa &c. collabuntur.

Unde idea unica tantum eſt.

VIII. Unde etiam eſt unica tantum rerum omnium idea; quæ tamen propter varios ad res ideatas reſpectus varia & multiplex concipitur: atque iſto ſenſu verum eſt, ideam unius rei non eſſe ideam alterius; eaſdemque inter ſeſe eſſe connexas, ac ordinem prioris atque poſterioris ad ſe mutuo habere.

Et quidem ſolarum perfectionum.

IX. Et quidem tantum omnium in creaturis perfectionem in Deo dantur ideæ: non vero imperfectionum, qua talium; quæ ex oppoſitis perfectionibus à Deo cognoſcuntur.

X.

Digitized by Google

X. *Voluntatis* autem actum, ſeu complacentiam in Deo quod attinet, illa ſimiliter non inſtar accidentis alicujus, ſed perfectiſſimo modo in eo concipi, nec ab eſſentia ejus divelli debet. Sunt enim ibi hæc tria diſtinguenda: 1. actus voluntatis divinæ, quæ eſt ipſa Dei eſſentia, per modum actus vitalis, quæ eſt intellectio & volitio, conſiderata, quæque ab eâ ne quicquam differt; cum Deus in ſua ipſius eſſentia omnia & velit & videat. 2. tendentia & relatio ejus ad extra, ſine ulla tamen Dei mutatione, vel eſſentiæ ejus perfectione: illa enim nihil niſi externum reſpectum & relationem ad creaturam, ſine ulla internâ vel additione vel alteratione, Deo ſuperaddit. 3. ipſum objectum & res decreta. Priori modo decretum Dei eſt neceſſarium, & æternum, & unicum; aliter ac in homine, ubi non ſolum mutabilis eſt actus ſecundus, ſeu tendentia voluntatis ad res objectas, verum etiam ipſe actus primus, quatenus in homine eſt: ſi vero tendentiam ad objecta reſpicias, idem decretum Dei, noſtro conſiderandi modo, eſt liberum & multiplex: ferè inſtar circuli, cujus centrum unicum eſt, lineæ autem inde eductæ variæ & ſibi mutuo nonnunquam contrariæ.

2. Voluntatis complacentia in qua tria diſtinguenda.

XI. Cumque voluntas Dei prima omnium rerum cauſa ſit, hinc ſequitur, cauſam quidem dari poſſe effectuum divinæ voluntatis, non vero ipſius voluntatis Dei, ſive illa ſumatur ſecundum entitatem ſuam increatam, ſive ſecundum terminationem ad effectus inde profluentes: atque hinc Deus quidem voluit omnia ex cauſis & propter cauſas exiſtere, ſed ipſum velle Dei non exiſtit ex cauſis præter ipſum, nec aliunde moveri vel regi poteſt, cum in Deo dependentia à cauſis locum non habeat: unde figmenta voluntatis Dei antecedentis & conſequentis, & quæcunque in creaturis prævisa, quæ ipſius voluntatem impellant vel moveant, cadunt.

XII. *Finis & ſcopus* Deo propoſitus, quatenus ille ipſi tribui poteſt, eſt ipſius gloria. *Omnes tractat Jehovah* למענהו *ad reſponſum ſuum*, cum omnibus agit convenienter, vel ut ſibi reſpondeat omnium exitus, & laudem ejus publicet, *etiam improbum* tractat, parat, format *ad diem mali.* ita illum regit, ut per convenientiſſimas rationes & occaſiones tandem incurrat in ſuum exitium, q. κατηρτισμένος & omnibus modis aptus. Prov. 16:4. *Definivit nos ad adoptionem filiorum, ad laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Eph. 1: 6.

3. Finis.

XIII. Conſilii divini proprietates ſunt. 1. *Æternitas. Sicut elegit nos in ipſo ante fundationem mundi.* Eph. 1: 4. *Nota* & ſcita, ſive judicata à

Conſilii divini

 ſæculo

PROPRIETATES. Æternitas

ſæculo ſunt Deo omnia opera ipſius. Act. 15 : 18. *Salvos nos fecit ſecundùm proprium propoſitum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu* πρὸ χρόνων αἰωνίων *ante tempora ſæcularia.* 2. Tim. 1:9. *Sed loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quæ recondita fuerat, quam prædefinierat Deus ante ſæcula ad gloriam noſtram.* 1. Cor. 2:7. Conſilium enim Dei non differt ab eſſentia, intellectu, voluntate & ſapientia ejus, quæ ab æterno fuerunt. Quod notandum contra Vorſtium & Socinum, qui Deo decreta horaria tribuunt, quas ex rerum humanarum occaſione vel ſumat, vel mutet ad omnes rerum motus veluti intentus, eoſque de cœlo continuo obſervans: contra eſt Num. 23: 19. *Deus fortis non eſt homo, qui mentiatur, neque Filius hominis, ut pœniteat eum; num quid ipſe dixerit, & non faceret?* ſimiliter *Perpetuitas Iſraëlis* (h. e. is, in quo vitam æternam Iſraël habet) *non mentitur, & non pœnitet eum: non enim homo eſt, ut pœniteat eum.* 1. Sam. 15:29. *Non cogitationes meæ ſunt cogitationes veſtræ, & non viæ veſtræ ſunt viæ meæ, ait Jehovah.* Eſai. 55 : 8. Quod autem de cœlo res hominum videre & inſpectare in S. litteris dicitur, non ad formanda demum vel mutanda pro occaſionibus conſilia facit; ſed id jugem Dei providentiam dicit, & continuam mediorum adminiſtrationem, per quæ res jam decretæ ad præſtitutos fines promoveantur.

Sapientia. XIV. 2. *Sapientia*; cujus tamen ratio nobis eſt imperveſtigabilis. *O altitudo divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei! quam imperſcrutabilia judicia ejus & imperveſtigabiles viæ ejus! quis enim cognovit mentem Domini? aut quis conſiliarius ejus extitit?* Rom. 11. 33, 34.

Libertas. XV. 3. *Libertas* ſumma & independens. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eâdem maſſa ut faciat aliud quidem ad honorem vas, aliud verò ad ignominiam?* Rom. 9 : 21. *An, ut figulus hic, non potero facere vobis, domus Iſraël? ait Jehovah. Ecce, ut lutum eſt in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael.* Jer. 18 :6. *Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Matth. 11 : 26. Quæ libertas tamen non ipſum decreti divini actum reſpicit, quaſi is indifferens fuiſſet, ac potuiſſet non eſſe; Deus enim ſine ullo actu eſſe non poterat, non magis quam ſine voluntate; atque neceſſarium erat ut aliquid decerneret, ſaltem hoc, ſe non velle creaturam producere: verum qua in re illa libertas Dei poſita ſit, vid. Cap. XXII. §. VI.

Amplitudo. XVI. 4. *Amplitudo.* Unde omnia ambitu ſuo complectitur, atque ipſa adeo *peccata*, quæ Deus ſaltem permittere decrevit; nam quamvis illud quod permittitur malum ſit, permiſſio tamen & gubernatio ejus bonum

Digitized by Google

bonum quid eſt. Neque etiam quidquam, vel minimum, exiſtere vel fieri poteſt, quod non à Deo dependeat, atque ejus nutum obſervare non debeat; alioquin enim illud ipſum notionem Dei ad ſe traheret, atque ita vel duo, vel plura principia introducerentur.

XVII. 5. *Immutabilitas. Conſilium meum ſtabit, & omne meum beneplacitum faciam.* Eſai. 46: 10. *Ut facerent quæcunque manus tua & conſilium tuum prædefinivit ut fierent.* Act. 4: 28. *Conſilium Domini, hoc ſtabit.* Prov. 19: 21. unde decretum Dei ſummè *efficax* eſt. *Deus noſter eſt in cælo. Omnia, quæ voluit, fecit.* Pſal. 115: 3. *Omnia, quæ vult, Dominus facit in cælo, & in terra, & omnibus abyſſis.* Pſal. 135: 6. *Juravit Jehovah* Deus *exercituum*, dicendo: *Si non, quemadmodum cogitavi,* vel *delineavi, ita exſtitit, & quemadmodum conſului, illud ipſum ſtabit* vel *ſtat.* Eſai. 14: 24. Quæ tamen vis ac efficacia nullam rebus futuris imponit neceſſitatem, ſed eventus tantum certitudinem infert. Imo tantum abeſt, quod voluntas Dei res omnes durâ ac fatali neceſſitate conſtringat, quod ea potius omnis libertatis & contingentiæ, quæcunque in rebus eſt, unica cauſa ſit: nam niſi Deus atque ſupremum aliquod numen foret, & niſi ipſe foret agens ſummum ac liberrimum, ne umbra quidem libertatis in creaturis foret, ſed omnia cæca neceſſitate ferrentur, & nulla cauſa liberè ageret. *Immutabilitas.*

XVIII. *Objectum* decreti Dei, ſi in genere conſideretur, tanquam decreto Dei præ-exiſtens, eſt purum nihil, nec aliud quicquam concipi poteſt: ſi vero objectum intelligatur illud, de quo adducendo decretum Dei factum eſt, tum illud eſt omne id quod Deus fecit & faciet, ſive poſſibile, ſive actuale & futurum, cum à Dei decreto omnes rerum conceptus, ſive poſſibiles, ſive futuri, pendeant. OBJECTUM.

XIX. Quod attinet res poſibiles nunquam futuras, ex hypotheſi tamen aliqua conſecuturas; ille nexus, cum quid poſitivum ſit, non poteſt à Deo independens eſſe, atque adeo ab aliquo decreto Dei, in quo continetur, fluit, ac voluntati ejus ſubeſt: videt enim Deus, ut eſt ſapientiſſimus, & approbat omnem veritatem, ex conſilio ſuo profluentem. Atque hinc etiam promiſſiones vel comminationes conditionatas creaturis proponere poteſt, utpote veriſſimas, quamvis forte conditio, ad quam ſequuturæ ſunt, nunquam extitura ſit.

XX. Atque conſilium hoc in Deo *unicum* tantum eſt, idque abſolutum: non enim longæ deliberationum moræ, *δεύτεραι φροντίδες*, ſecundæ ac meliores curæ, aut *μεταμέλειαι* ac pœnitudines in Deum cadunt: *Decretum hoc in Deo unicum & abſolutum eſt.*

dunt: neque rerum momenta denique ac occaſiones ſpeculatur, atque ex iis pendet; non enim *videt* Deus ac conſilia agitat *ut homo*. Job. 10:4. Sed ipſe ſibi tempora creat & format. *O altitudo divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei!* &c Rom. 11: 33. *Tunc vidit eam* (ſapientiam) *& recenſuit eam & diſpoſuit & perſcrutatus eſt*. Job. 28: 27. *Videre* in poſſibilitate, eſt ſapientiæ; *recenſere & diſponere*, conſilii, ſive προθέσεως; *perſcrutari τῆς γνώσεως* ſcientiæ ſive cognitionis. Ut peſſimè Epiſcopius, poſt Vorſtium, multas & diverſas, quin contrarias in Deo ponat volitiones, quarum aliquæ certo tempore deſinant; ſive effectus ſuos jam attigerint, ſive potioribus cogitationibus obliterentur.

licet objectivè varium. XXI. Objectivè tamen & terminativè varia conſilia (*Domine confitebor nomen tuum, quia feciſti mirum*, עֵצוֹת *conſilia à longinquo, veritatem, fidelitatem.* Eſai. 25: 1.) & diverſæ cogitationes (*Nam non* מַחְשְׁבוֹתַי *cogitationes meæ ſunt cogitationes veſtræ*. Eſai. 55:8.) & מִפְעָלִים h. e. laborantis atque operi ſeſe accingentis animi molitiones, (*Jehova habuit me principium viæ ſuæ* קֶדֶם מִפְעָלָיו *ante molitiones ſuas.* Prov. 8:22.) Deo attribuuntur, *Hinc decretorum ordo.* quæ pulcherrimo & ſapientiſſimo ordine inter ſe cohærent. Quin pro noſtro concipiendi modo non ſolum ordinem in rebus ipſis decretis, ſed & in cogitationibus ac molitionibus Dei quaſi concipimus; non quod diverſi ibi revera actus ſint, vel unus altero prior, ſed quod ejuſdem conſilii Dei diverſas quaſi partes concipimus, & illos debito ordine inter ſe connectimus, quo omnem Dei ſapientiam perfectius luſtremus ac exhauriamus. Cumque nec rectum, neque decens Deo ſit, unum ſine altero decernere, humanum ex. gr. genus, ſine ullo conſilio ſeſe in ejus conditione glorificandi; ſic enim non ſapienter, ſed fruſtra illud condidiſſet: vel etiam finem abſque mediis, vel media abſque fine; hinc diverſas ejuſdem decreti partes diſtinguimus, atque unam quaſi cogitationem Dei cauſam eſſe alterius dicimus: atque adeo ab una ad aliam argumentari licet, exemplo Apoſtoli. *Qui proprio Filio non pepercit, quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Rom. 8:32. item: *Quos prænovit, etiam prædefinivit conformes imaginis Filii ſui; quos verò prædefinivit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, hos & glorificavit*. ibid. v. 29, 30.

Qui eſt finis & mediorum. XXII. Cumque in decretis Dei non alius ordo concipi poſſit, quam finis & mediorum, hinc ita & concipere & loqui ſolemus, Deum prius velle finem quam media ad eum, & inter media prius illa quæ finem propius attingunt; atque iſta etiam humanæ prudentiæ regula de ipſo uſurpatur, *quod primum eſt in intentione, ultimum eſſe in executione*: quod

tamen

Digitized by Google

tamen non de diverſis in Deo volitionibus & cogitationibus intelligendum eſt, quaſi alia ibi ſit prior, alia poſterior, atque una alterius cauſa ſit; ſed de re volitâ, ut apud Deum volitio & ſapientiſſima coordinatio ſit prioris & poſterioris rei, præcipuè mediorum & finis, quæ aptiſſimè & liberrimè inter ſe connexuit, ut tamen nec ipſe, nec decretum ejus ab ullâ re, vel conditione, vel mediis pendeat. Unde decretum ejus, ſicut unicum eſt, ita hinc neceſſario ſummopere *abſolutum* eſt, quamvis conditionata poſſit eſſe executio, & effectus, & prædictio: quæ tamen omnia ex decreto Dei unico & abſoluto dependent.

Adverſariorum errores, imprimis SOCINIANORUM.

XXIII. Sequuntur nunc adverſariorum errores, præcipuè Socinianorum, in quibus reliquorum eſt compendium, qui Dei conſilia ad humani ingenii modulum exigunt, & divitias ac profunditates ſapientiæ ac cognitionis ejus improbè, contra Apoſtoli monitum, perſcrutari conantes, vias ac cogitationes ejus non multò ſapientiores nobis exhibent quam eæ quæ ſunt hominum. Sic autem inſtituunt.

Quibus Dei decretum eſt accidens.

XXIV. 1. Decretum Dei *ipſis accidens eſt*: cum tamen ſit ipſa ſapientia & voluntas Dei, ſine quâ nunquam eſſe poteſt, quæque ab ejus eſſentia nec differt, nec etiam differre poteſt. Atque adeo ſe ipſo & ſuis divitiis perfectus & beatus eſt, non perfectione aliunde accedente.

Negant decretorum Dei æternitatem.

XXV. 2. Negant *decreta Dei eſſe æterna*, præter pauca quædam, hæc tria videlicet, de condendo mundo, eoque regendo & conſervando, Chriſto mittendo, & ſalute danda iis qui ipſius legibus obediunt; reliqua autem, circa hominem præcipuè & res ſingulares, temporaria eſſe volunt. Ita Deum ab æterno multarum rerum incogitantem & ignorantem faciunt, ut nec ab æterno quicquam certi apud ipſum fuerit, atque plurimæ & maximæ perfectiones in tempore ipſi demum acceſſerint: cum tamen *Deo ab omni ævo omnia opera ſua cognita* dicantur. Act. 15: 18. tantaque ejus ſemper fuerit ſapientia ac ſcientia, ut ſine flagitio ſtatui non poſſit, eam in tempore ex quotidianis rerum eventibus incrementum capere poſſe; quod ab adverſariis tamen ex iſta hypotheſi affirmari debet.

& ea perperam diſtinguunt in abſoluta & condi-

XXVI. 3. Diſtinguunt ea in *abſoluta*, ut ex. gr. creare mundum, & *conditionata*, qualia præſertim ſunt ea, quæ circa hominem ejuſque ſalutem æternam verſantur: item in *efficacia* & *peremtoria*, ut quæ ſunt prioris generis, atque *inefficacia* & *infirma*, quæ videl. aliqua conditione nituntur, quæ non ſemper præſtetur. Verum hæc in varias Dei perfectiones impingunt. Cum enim ſit primus & ſummus, atque ipſe re-

tionata, efficacia & infirma.

rum omnium ſtatum atque ordinem ſupremo arbitrio diſponat, atque omnia ſolus ſciſcat ac diſpenſet, ut ab eo ſolo rerum fata ducantur, hic contra inverſo planè ordine à rebus extra ſeſe, præſertim ab incertâ creaturæ voluntate, ipſi non ſubjectâ, dependere, & tantum non neceſſitari ponitur: quin & in tempore conſilium capere, idemque pro diverſo rerum eventu mutare, atque aliter decernere ſtatuitur; ut nihil in ejus conſilio manſurum vel fixum ſit; neque etiam rerum, quæ ab hominis arbitrio pendent, eventus antequam fiant certo præſciri atque prædici poſſint. Contra autem omnia apud Deum ſunt abſoluta & certa. *Omnia, quæ voluit, fecit.* Pſal. 115: 3. *Conſilium meum ſtabit, & omnem meam voluntatem faciam.* Eſai. 46: 10. *Cognovi, quod omnia potes; & non eſt ardua præ te cogitatio.* Job. 42: 2.

(Remonſtrantium decretum commodum ad circumſtantias.)

XXVII. Neque magis congruit Remonſtrantium decretum, quod ponunt, *congruum ad circumſtantias*; ſicut & gratiam & vocationem congruam ſimiliter ponunt: quia nempe Deus præviderit, ad has vel illas circumſtantias commodas, hominem ſeſe converſurum, atque hinc decreta ſua ordinaverit. Verum illa æquè manebunt incerta: cum quæcunque ponantur circumſtantiæ congruæ, illæ tamen neceſſario hominis voluntatem determinare non queant, ſalvâ ejus libertate, pro qua adeo pugnant adverſarii; unde omnia, ipſumque adeo decretum Dei, manebunt maximè incerta.

in antecedens & conſequens, generale & ſpeciale.

XXVIII. 4. Pari arte diſtinguunt decretum Dei in *antecedens* & *conſequens*; *generale* & *ſpeciale*: prioris generis eſt, Ex. gr. omnis qui crediderit, ſervabitur; alterius, Petrus, quia credidit, ſervabitur. Verum hæc pariter doloſa ſunt. Prius enim decretum, antecedens videl. & generale, nulli uſui eſt, cum illud ſubſecuturum ponatur aliud & ſpecialius decretum, ad prius illud reſtringendum & tantum non corrigendum: nec quicquam in rerum naturâ ponit: imo tale ab adverſariis ponitur, ut Deo penitus indignum ſit: apud illum enim nihil generale, nihil indeterminatum & pendulum eſt: neque perfectioni ejus convenit, antecedenti & generali decreto, ex. gr. omnibus hominibus ex æquo deſtinare ſalutem; quod nunquam eventurum eſt.

Hinc decreta Dei mutabilia, & ſibi contraria ſtatuunt.

XXIX. Atque juxta hæc omnia decreta Dei ſæpe *mutari* ajunt, quin & ſibi mutuo nonnunquam *contraria* ponunt: quod ſine multiplici imperfectione de Deo affirmari non poteſt; cum ipſe, ut eſt perfectiſſimus, nec ab aliquâ re extra ſe pati quicquam poteſt, ita quoque ſit immutabilis. *Ego Jehovah* לא שָׁנִיתִי *non ſum diverſus factus*, ut veritas mea, ita

ita gratioſa mea voluntas mutata non eſt. Mal. 3:6. Eſt *Pater luminum, apud quem non eſt παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.* Jac. 1:17. Quod ipſum de decretis ipſius, quæ ſemper ſunt ſapientiſſima, peculiariter affirmatur. *Conſilium meum ſtabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Eſai. 46:10. *Conſilium Domini in æternum conſtat; cogitationes cordis ejus in ætatem & ætatem.* Pſal. 33:11. *Deus demonſtravit hæredibus promiſſionis τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς immutabilitatem conſilii ſui, quum interceſſit jurejurando.* Hebr. 6:17.

CAPUT XXXVIII.

De divina Prædeſtinatione & ſpeciatim Electione.

I. DEcretum Dei in genere conſideratum excipit ſpecialior conſideratio Prædeſtinationis: quo nomine venit peculiare Dei conſilium circa creaturas rationales. Qui communis omnium errantium fuit ſcopulus: cum tamen ex hoc capite univerſa ſalutis humanæ œconomia & methodus pendeat; ita ut eo malè explicato non parum ea perturbetur, & multiplici errore Chriſtiana religio defœdetur; recte autem explicatum veræ fiduciæ, humilitati & gratitudini generandæ unicè inſerviat. PRÆDESTINATIO.

II. Vox Prædeſtinationis, προορισμοῦ, abſtractè ſumta eſt ἄγραφος, quamvis verbum προορίζειν ſit ἔγγραφον; quod ab ὁρίζειν deductum notat certum aliquem finem determinare, vel de re aliquâ in ordine ad finem ſuum antequam exiſtat ſtatuere. Sumit autem Scriptura vocem illam interdum latius, pro decreto providentiæ: *Ut facerent quæcunque manus tua & conſilium tuum προώρισε prædefinivit ut fierent.* Act. 4:28. *Quam* ſapientiam *προώρισεν prædefinivit Deus ante ſæcula ad gloriam noſtram.* 1. Cor. 2:7. interdum ſtrictius pro decreto electionis. *Quos prænovit, καὶ προώρισε etiam prædefinivit conformes imaginis Filii ſui. οὓς δὲ προώρισε quos vero prædefinivit, hos & vocavit.* Rom. 8:29, 30. *προορίσας ἡμᾶς dum definivit nos ad adoptionem filiorum.* Eph. 1:5. *προορισθέντες qui definiti ſumus ſecundum propoſitum ejus, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* v. 11. Commode autem medio ſignificatu pro decreto circa creaturas rationales vel ſalvandas vel damnan- *Vocis illius acceptio varia.*

Digitized by Google

das apud Theologos accipitur; ut inde duæ prædeſtinationis, ſive ſpecies, ſive partes emergant, electio & reprobatio. Appellatur etiam πρόγνωσις. Chriſtus deditus eſt *definito conſilio* καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ *& præcognitione Dei* Act. 2: 23. *Electis* κατὰ πρόγνωσιν *ſecundum præagnitionem Dei patris.* 1. Pet. 1: 2. οὓς προέγνω *quos ante agnovit, etiam ante definivit.* Rom. 8:29. πρόθεσις, propoſitum. *Omnia cooperantur ad bonum illis, qui* κατὰ πρόθεσιν *ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Rom. 8: 28. ubi harum vocum veluti ſedes eſt. *Notum fecit nobis arcanum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ſuum*, ἣν προέθετο *quod propoſuerat in ſeſe.* Eph. 1: 9. *Qui definiti ſumus* κατὰ πρόθεσιν *ſecundum propoſitum ejus, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* v. 11. *Secundùm propoſitum ſæculorum, quod fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* c. 3: 11. εὐδοκία, beneplacitum. *Etiam Pater, quia* οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου *ita placuit tibi.* Matth. 11: 26. & prædeſtinati τεταγμένοι, Act. 13:48. & προγεγραμμένοι. Jud. v. 4. dicuntur.

Quæ etiam ad reprobationem pertinet.

III. Licet autem vox Prædeſtinationis electioni potiſſimum accommodetur, tamen eam ad reprobationem quoque pertinere, cum uſus ipſius vocabuli in Scripturis (*Filius hominis abit* κατὰ τὸ ὡρισμένον, *ſecundum definitum.* Luc. 22: 22. *Hunc definito illo conſilio & præcognitione Dei deditum quum accepiſſetis.* Act. 2: 23.) tum ſimilium vocum uſus, atque adeo res ipſa evincit. *Non* ἔθετο *poſuit nos Deus ad iram, ſed ad lucrandum ſaluti per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* 1. Theſſ. 5: 9. *Confiteor tibi, Pater, quod hæc occultaveris à ſapientibus & intelligentibus, & revelaveris ea infantibus.* Matth. 11: 25. *Deus tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum.* Rom. 9: 22. *inobedientes, ad quod etiam poſiti ſunt.* 1. Petr. 2: 1. *Subintrarunt homines impii, qui olim ante ſcripti ſunt ad hoc judicium.* Jud. v. 4. Ut non rectè inter Pontificios & Lutheranos quidam Prædeſtinationem de ſolis electis accipiant, reprobos autem potius præſcitos dicendos velint: quæ controverſia olim acriter agitata fuit in cauſa Godſchalci, ſæculo nono, tuente Johanne Erigenâ Scoto, in libro de unicâ Prædeſtinatione, eam electioni tantum convenire; rectius autem Godſchalco ac Lugdunenſibus, atque eorum nomine Remigio Epiſcopo ad reprobationem eam quoque extendentibus.

Pontificiorum quidam cenſent eam tantum

IV. Similiter non ſatis recte quidam ex Pontificiis Prædeſtinationem volunt tantum eſſe *intellectus*, non vero *voluntatis*; quod ad reprobationem à Scholaſticis præſertim applicatur, qui illam ideo potius appellant præſcientiam: cum tamen, ſi uſum vocabuli ſpectes, πρόγνωσις,

Digitized by Google

γνωσις, ſive prævisio & præſcientia de electione potius uſurpetur, vide Rom. 8:29. *Quos praenovit, etiam prædeſinivit.* Ita Petrus ſcripſit *electis ſecundum praagnitionem Dei.* 1. Epiſt. c. 1:2. ſicut & verbum *noſſe* procurare & amare ſumitur. *Nam cognovi eum, Abrahamum, ut præcipiat.* q.d. ideo ipſius rationem habui & eum non præterii, ſicut multos alios, *ut præcipiat* &c. Gen. 18:19. *Tantum vos cognovi*, vos aſpexi, veſtri rationem habui, *ex omnibus familiis terræ.* Amoſ. 3:2. *Novit Dominus viam juſtorum.* Pſal. 1:6. *Tunc profiteor eis, nunquam novi vos.* Matth. 7:23. *In hoc glorietur, qui gloriatur, animadvertere & noſſe me.* Jerem. 9:23. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te.* Joh. 17:3. *Malum non cognoſco.* Pſal. 101:4. Non enim dicit Apoſtolus, quorum fidem prævidit, ut neceſſe fuiſſet, ſi adverſariorum ſenſum exprimere voluiſſet, ſed de perſonis, quos prævidit, h. e. ab æterno dilexit: ita ut præcognitio illa & æternus Dei amor ſit ratio conſequentis decreti, prout in mente divina exiſtit; præſupponit enim illum actum voluntatis, ita ut prædeſtinatio ipſa propter illam facta ſit. Similiter & reprobatio non præſcientiam ſolum & prævisionem aliquam, ſed & decretum voluntatis dicit, idque non ſolum de actionibus, ſed & de perſonis ipſis. vid. Jud. v. 3, 4. ubi *ſanctis, quibus fides tradita* eſt, opponuntur *homines impii, qui olim ante ſcripti ſunt ad hoc judicium.* atque hoc ſenſu etiam πρόγνωσις de illis uſurpatur. *Hunc definito illo conſilio & præcognitione Dei deditum quum accepiſſetis, manibus ſceleratis* cruci *affixum interemiſtis.* Act. 2:23.

eſſe intellectus; quod refellitur.

V. Eſt ergo Prædeſtinatio decretum Dei de ſpeciali gloriæ ſuæ manifeſtatione in creaturarum rationalium ſtatu æterno. *Non poſuit nos Deus ad iram, ſed ad περιποίησιν σωτηρίας ad lucrandum ſaluti, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* 1. Theſſ. 5:9. *Si verò volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum; & ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam*: non habet poteſtatem? Rom. 9:22, 23. eſtque quaſi deſtinatio mediorum in ordine ad iſtum finem. *Quid ſit?*

VI. Eam dari cum Scriptura docet, in genere: *Deo ab ævo cognita ſunt omnia opera ipſius.* Act. 15:18. & in ſpecie ac explicite: *Prædefiniens nos ad adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum ſibi, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ.* Eph. 1:5. *Quos praenovit, etiam prædefinivit conformes imaginis Filii ſui ad hoc, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8:29. tum ratio: cum enim Deus ſit perfectiſſimus, idemque ſummus, & ab alterâ parte creaturæ, earumque actiones, à ſe ipſis provenire non poſ-

Eam dari docet, cum Scriptura; tum ratio.

Digitized by Google

ſint, ſed à cauſa majori pendeant, manifeſtum eſt, ſapientiſſimo Dei conſilio; cui omnia ſunt præſentia, quique omnem æternitatem intuetur & pervidet, omnia ordinata & diſpoſita eſſe.

Eſt ea Angelorum & hominum iduabuſque partibus conſtat.

VII. Cum autem creaturæ rationales ſint vel angeli, vel homines, ad *angelos* etiam pertinere prædeſtinationem liquet ex 1. Tim. 5: 21, ubi *Angeli electi* dicuntur, Jud. v. 6. ubi agitur de *Angelis*, *qui non ſervarunt ſuum principium*, *& ad judicium magnæ diei vinculis æternis ſub tenebris ſervantur.* Prolixius autem Scriptura agit de hominum prædeſtinatione; quæ duabus quaſi partibus conſtat, *electione* videlicet & *reprobatione*.

ELECTIO *quo ſenſu veniat in Scriptura?*

VIII. Cum autem electio hæc fiat vel æternâ prædeterminatione, vel actuali vocatione & ſeparatione (*Dominus* הִפְלָה *ſeparavit pium ſibi.* Pſal. 4: 4.) utroque ſenſu iſta vox in Scripturis occurrit. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Joh. 15: 16. *Quia ex mundo non eſtis, ſed ego vos elegi ex mundo, ideo odit vos mundus.* v. 19. *Ego novi quos elegi.* Joh. 13: 18. *Non multos nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundo elegit Deus, ut pudefaciat ſapientes* &c. 1. Cor. 1: 27, 28. Poſteriori modo ſumitur à Petro: *Electis ſecundum præagnitionem Dei Patris in ſanctificatione Spiritus* &c. 1. Epiſt. 1: 1, 2. Frequentius vero apud Paulum priori modo pro electione æternâ, ſeu decreto Dei accipitur, ut cum dicit: *Sicut elegit nos in ipſo ante fundationem mundi.* Eph. 1: 4. *Scientes, Fratres dilecti, à Deo electionem veſtram.* 1. Theſſ 1: 4. *Ut quod ſecundum electionem eſt, Dei propoſitum maneret.* Rom. 9: 11. *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ exſtiterunt.* c. 11: 5. *Quis accuſationem intentabit electis Dei?* c. 8: 33. *Induimini, ut electi Dei, viſceribus miſerationum.* Col. 3: 12. *Omnia perfero propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur.* 2 Tim. 2: 10. *Paulus Apoſtolus ſecundum fidem electorum Dei.* Tit. 1: 1. *Multi vocati, pauci vero electi.* Ita & Matth. 20: 16. 22: 14. *Propter electos dies illi* κολοβωθήσονται *mutilabuntur.* Matth. 24: 22. Marc. 13: 20. *Non poſſibile eſt ſeduci electos.* Matth. 24: 24. *Vindicabit Deus electos ſuos.* Luc. 18: 7. *Cum agno ſunt vocati & electi & fideles.* Apoc. 17: 14. *Studete firmam facere vocationem & electionem veſtram.* 2 Petr. 1: 10. Unde & metonymicè electi ἐκλογὴ appellantur: *Electio conſecuta eſt; reliqui verò occalluerunt.* Rom 11. 7. ut male Remonſtrantes electionem æternum Dei decretum notare negent.

Eius definitio.

IX. Definiri poteſt, quod ſit prædeſtinatio certorum quorundam hominum, ut in iis manifeſtetur gratia Dei glorioſa. *Sicut elegit nos in ipſo ante fundationem mundi, eſſe nos ſanctos & inculpatos coram ipſo in charitate, prædefiniens nos ad adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum ſibi, ſecun-*

Digitized by Google

cundum beneplacitum voluntatis ſuæ, ad laudem gloriæ gratiæ ſuæ, qua nos gratia cumulavit in dilecto. Eph. 1: 4, 5, 6.

X. Conſideranda autem in eâ ſunt hæc quatuor. 1. *Actus* in Deo. 2. ejus *objectum*. 3. *cauſa*. 4. *attributa* & adjuncta. *Conſiderantur in eâ,*

XI. Ante omnia vero removenda eſt vocis ambiguitas. Quidam enim electionem, & analogicè reprobationem, latius accipiunt, pro omni decreto Dei circa hominem, in ordine ad ſummum ejus finem: alii ſtrictius eam ſumunt pro decreto de hominibus ex communi lapſu erigendis. Priori ſenſu in electione Dei concipi poſſunt duo quaſi actus, 1. decretum de fine, de manifeſtandâ videlicet in certis hominibus glorioſâ ſuâ gratiâ, juſtitiâ temperatâ. 2. decretum de medio, quoad finem iſtum pervenitur: quo pertinent, hominum creatio, permiſſio lapſus, redemptio per meritum Chriſti, vocatio efficax, juſtificatio, ſanctificatio, glorificatio; quæ omnia partes ſunt unius medii integri ſeu aggregati, cum vel uno eorum deficiente Deus finem ſuum non obtineat. Quamvis enim illa inter ſeſe comparata ordinem aliquem & ſucceſſionem, quin etiam mediorum ac finis ſubalterni rationem habeant, reſpectu tamen actus divini, atque finis ultimi, nempe manifeſtationis gloriæ Dei, omnia iſta media ſibi invicem coordinantur, atque tantum unici & completi medii rationem habent; nullum autem eorum, nec tota eorum collectio reſpectu decreti divini finis notionem accipere ullo modo poteſt. *remotâ vocis ambiguitate;*

XII. Atque ita eſt hic duplex quaſi actus, quorum prior exprimitur Prov. 16: 4. *Omnes tractat Jehovah ad reſponſum ſuum, etiam improbum ad diem mali.* Item: *Definiti ſumus ſecundum propoſitum ejus, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Eph. 1: 11. poſterior Rom. 8: 30. *Quos autem prædefinivit, eos & vocavit; & quos vocavit, eos & juſtificavit; quos verò juſtificavit, eos & glorificavit.* 2. Theſſ. 2: 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper de vobis, fratres dilecti à Domino, quia legit, ſive aſſumſit, vos Deus ab initio ad ſalutem in ſanctificatione Spiritus & fide veritatis.* Electio juxta priorem actum notat deſtinationem certorum hominum ad miſericordiam juſtitiâ temperatam; poſteriori modo notat deſtinationem eorum ad ſalutem; quæ plurimum differunt. Itemque prædeſtinatio, quantum ad primum actum, prout dicit decretum de fine, non propriè actus miſericordiæ & juſtitiæ, ſed beneplaciti & libertatis ſeu independentiæ divinæ eſt: aliud enim eſt deſtinare ad exercitium juſtitiæ & miſericordiæ, aliud juſtitiam & miſe- *Actus quaſi duo.*

ri-

Digitized by Google

ricordiam exercere; hoc juſtitiæ & miſericordiæ, illud vero beneplaciti & independentiæ divinæ eſt: & ita vox miſerandi metonymicè pro deſtinatione ad miſericordiam ſumitur: *Cujus vult, miſeretur; quem autem vult, indurat*, Rom. 9: 18.

Ejus OBJECTUM,

XIII. Atque hinc jam patere quoque poteſt, quodnam ſit prædeſtinationis, & ſpeciatim electionis, *objectum*: quod *ſublapſarii* ſtatuunt eſſe hominem creatum & lapſum; *ſupralapſarii* autem homines creabiles, non quidem omnes, quos pro abſolutâ ſuâ potentiâ creare Deus poteſt, ſed indefinitè iſto vocabulo ſumto, homines nempe duntaxat creabiles, hos videlicet & illos, pro beneplacito eligentis.

ſi latiori ſenſu vocabulum prædeſtinationis accipiatur, eſt homo creabilis:

XIV. Et quidem ubi prædeſtinationem accipimus pro omni decreto Dei circa hominem, in ordine ad ſupremum ejus finem, atque adæquatum ejus objectum quærimus, illud non aliud erit quam homo prædeſtinabilis ad omnia, homo nempe creabilis, ſeu poſſibilis tantum: includit enim hoc decretum ipſam creationem, & reliqua omnia, quæ tanquam media ad ſupremum iſtum finem ordinata ſunt. Ubi vero ſtrictiori ſenſu prædeſtinationem conſideramus ad ſingulos ejus actus, atque eam denominamus à peculiaribus ejus quaſi partibus, quas in eâ concipimus, ut ex. gr. cum electionem vocamus voluntatem quoſdam ſalvandi è miſeriâ ſuâ, tum objectum prædeſtinationis iſto ſenſu illud debet ſtatui, quod eſt objectum illorum actuum, quodque neceſſe habemus præſupponere in creaturâ, ut Deus actus iſtos dignè circa eam exequi, atque etiam decernere poſſit: & ita objectum electionis, ſive voluntatis ſalvandi, erit homo miſer; ſine eo enim electio iſta nequidem concipi poteſt. Priori autem ſenſu Apoſtolum ad Rom. cap. 9. prædeſtinationis decretum conſiderare, ex omnibus circumſtantiis liquet.

ſi ſtrictiori, homo miſer.

Priori ſenſu conſideratur ad Rom. 9.

Qui præferendus.

XV. Atque etiam commodius ita ordinatur objectum prædeſtinationis, quam ſi illud inchoetur à lapſu, ut quidam faciunt; creationem & lapſum, quia cum electioni, tum reprobationi communes ſunt, non tanquam media prædeſtinationi ſubordinantes, ſed per modum conditionis in objecto requiſitæ illi præſupponentes. Verum non ſatis rectè iſti opera Dei ordinant. Nam creatio & lapſus hominis, cum ipſa quoque prædeſtinata ſint, non poteſt prædeſtinatio inde demum inchoari; niſi Deum nullo fine & ferme fruſtrà iſta decreviſſe, & humanum genus condidiſſe, & lapſum ejus ſiviſſe dicamus; cui ipſe eventus repugnat. Finis autem Deo dignus iſtorum operum ne cogitari

gitari quidem poteſt, niſi illa ut media partialia, ad ſummum prædeſtinationis finem ducentia conſiderentur, quo etiam manifeſtò tetenderunt. Dicere enim finem creationis atque lapſus fuiſſe in communi manifeſtare gloriam Dei & infirmitatem creaturæ, non ſatisfacit: cum poſterius illud non Dei propriè, ſed hominis potius finis ſit; & communis ille conceptus de illuſtrandâ Dei gloriâ in genere nimis vagus eſt, atque Deum æque incertum ponit, nec cum naturâ ejus convenit; cum Deus intenderit ſpecialiter miſericordiæ atque juſtitiæ ſuæ gloriam exercere, ad quem ipſe quoque lapſus ſpecialem reſpectum atque ordinem habuit; quo in ordine una cum reliquis mediis poni, atque illi fini ſubordinari debet.

Sublatis eorum, qui aliter ſtatuunt, ſcrupulis.

XVI. Neque magni adeo momenti ſunt quæ ab adverſa parte producuntur. In peccato quidem concepti erant gemelli iſti, quos Apoſtolus Rom. 9: 11. tanquam prædeſtinationis typos & exempla producit; verum tales eo loco non conſiderantur, ſed ut *qui necdum boni nec mali quicquam feciſſent*; & merum tantum Dei beneplacitum *ac propoſitum ſecundum electionem* Apoſtolus ibi urget. Similiter *vaſa iræ & miſericordiæ* appellantur; verum etſi ira vel miſericordia circa hominem actu exerceri non poſſit, niſi creatus & lapſus ſit, ad miſericordiæ tamen & juſtitiæ Dei gloriam deſtinari poterat, etſi nondum creatus vel lapſus, nec ut talis conſideratus fuerit.

Utriuſque ſententiæ collatio.

XVII. Atque hactenus quidem diſcrepant duæ iſtæ ſententiæ, in ordinandis videl. & diſponendis decretis Dei, vel ejuſdem decreti quaſi partibus: cæteroquin neutra pars decretum creationis & permiſſionis lapſus negat, verum altera illud ad prædeſtinationem, ut mediorum ejus partem, altera verò alio pertinere ſtatuit, atque alio tantum ordine digerit. Ita etiam utraque ſententia homines Deo prædeſtinanti objicit tanquam pares & æquales; & ita à Pelagianiſmo pariter longiſſimè abſunt: eſtque in hac re ſummus Orthodoxorum conſenſus; ut levem, qui apud eos in altiſſimo hoc doctrinæ capite reſtat, diſſenſum, non adeo extollere & criminari Remonſtrantes debuerint.

Electionis CAUSA efficiens,

XVIII. Sequitur Electionis *cauſa*. Efficiens ejus eſt Deus, Pater, Filius, & Sp. S. Cum enim conſilium hoc gratiæ exercendæ à Deo ab æterno diſpoſitum ſit per modum Teſtamenti ſeu voluntatis immutabilis, & quaſi ultimæ, quâ apud ſe ipſum deſignavit hæredes juſtitiæ & regni ſui; Teſtamentum hoc reſpectu Patris eſt Electio, reſpectu Filii Sponſio; de qua, ut & de Teſtamento hoc, ſuo loco:

Pater.

unde Patri paſſim tribuitur electio. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, quemadmodum elegit nos in ipſo ante jacta mundi fundamenta* &c. Eph. 1: 3,4,5. *Omne quod dat mihi Pater*, Teſtamento, propoſito gratiæ, *id ad me veniet.* Joh. 6: 37. *Quemadmodum dediſti ipſi poteſtatem omnis carnis, ut, quodcunque dediſti ipſi, ei det vitam æternam.* c. 17: 2. Ut

Filius, & Filio. *Ego novi quos elegerim.* Joh. 13: 18. *Non vos me elegiſtis, ſed*

Sp. S. *ego elegi vos.* c. 15: 16. *Ego vos elegi ex mundo, ideo odit vos mundus.* v. 19. De Sp. S. idem ex obſignatione & divinis ejus circa electos operibus colligitur. *In quo etiam credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Eph. 1: 13. *Ne contriſtate Spiritum Sanctum Dei, quo obſignati eſtis ad diem redemtionis.* c. 4: 30. *Quod genitum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt.* Joh. 3: 6. *Dixit Spiritus Sanctus, ſeparate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos vocavi.* Act. 13: 2. *Sed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini Jeſu, & in Spiritu Dei noſtri.* 1. Cor. 6: 11.

Cauſa ejus impulſiva non in homine. XIX. Cauſa electionis impulſiva nulla quoque eſt præter Deum, cum primum Dei opus & voluntatis ipſius actus ſit, atque inde alia omnia dependeant ejuſque effectus ſint. Non enim in homine illa quærenda eſt, ſive dicatur cauſa, ſive ratio, ſive conditio, ſive qualitas aliqua in homine requiſita; ſed omnia in ſolidum divino beneplacito adſcribenda ſunt. *Confiteor tibi Pater quod occultaveris hæc à ſapientibus & intelligentibus, & revelaveris ea infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Matth. 11: 25, 26. *An non licet mihi facere quod volo in meis?* c. 20: 15. *Ergo igitur non volentis eſt, neque currentis, ſed gratificantis Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te vim meam, & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra. Igitur, cui vult, gratioſus eſt; quem autem vult, indurat.* Rom. 9: 16, 17, 18. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa ut faciat aliud quidem ad honorem vas, aliud verò ad ignominiam? Si verò volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum; & ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam*: non habet poteſtatem? ibid. v. 21, 22, 23. *Ne metue parve grex, quia libuit Patri veſtro vobis dare regnum.* Luc. 12: 32. Atque hæc Auguſtini, ac perpetua Eccleſiæ ſententia fuit, oſtendente id præcipuè Corn. Janſenio, in libro cui titulus, Auguſtinus: quam ſecuti ſunt Thomas Aquinas, Durandus, ac Dominicani; fruſtra repugnatibus Jeſuitis.

XX. Nihil ergo Deus in electis prævidere potuit, quo moveretur ad

ad eorum electionem, ſive id minoris malitiæ, ſive ceſſationis à malo, ſive congruentiæ ad auxilium, ſive probitatis, ſive parvitatis & humilitatis, ſive fidei & bonorum operum, ſive quocunque alio boni nomine appelletur.

XXI. Ac proinde fides & perſeverantia non fuit electionis conditio antecedens, ſed eam conſequens; non illius cauſa & fundamentum, ſed medium duntaxat ex eâ fluens, ad ſalutem hominum ordinatum; eodemque decreto ſimul electi ſumus ad finem & media eo requiſita, ad gloriam & ad gratiam; pariterque ad fidem & perſeverantiam. *Quos prænovit, etiam prædefinivit conformes imagini filii ſui, --- quos vero prædefinivit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Rom. 8: 29, 30. *Elegit vos Deus ab initio ad ſalutem in ſanctificatione ſpiritus & fide veritatis; ad quod vocavit vos per Euangelium noſtrum.* 2. Theſſ. 2: 13, 14.

XXII. Finis electionis in ſua latitudine ſumtæ eſt gloriæ Dei manifeſtatio, qualem ſupra indicavimus. Eph. 1: 5, 6. media autem licet in ordine ad hunc finem ſibi mutuo non ſubordinentur, ſed coordinentur potius, ut partes unius medii integrales, tamen aliunde non repugnat ea inter ſeſe comparata, mediorum quoque ac finis ſubalterni rationem induere. Unde de electis non dubitat dicere Apoſtolus, *iis omnia ad bonum* (h. e. ad ſalutem) *cooperari.* Rom. 8: 28. Et *ad lucrandum ſaluti poſiti* dicimur, 1. Theſſ. 5: 9. *ad ſalutem electi.* 2 Theſſ. 2: 13. *Electi ut eſſemus ſancti & inculpati in conſpectu ejus in charitate*, Eph. 1: 4. & *creati in Chriſto Jeſu propter bona opera, quæ ante præparavit Deus, ut in iis ambularemus.* Ibid. c. 2: 10. *Prædefiniti conformes imaginis Filii.* Rom. 8: 29. Sicut & *præagnitio Dei Patris in ſanctificatione Spiritus.* 1. Pet. 1: 2. & *finis fidei noſtræ ſalus animarum* eſſe dicitur, ibid. v. 9. uterque autem finis conjungitur. Rom. 9: 23. *Ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* — *Finis.*

ATTRIBUTA *Electionis, 1. quod ſit unica, Chriſti & noſtrûm.*

XXIII. Attributa electionis hujus ſunt; quod unica fuit reſpectu totius Chriſti myſtici, h. e. Chriſti, & eorum qui ſunt in Chriſto. Secundùm rationem autem diſtinctè concipimus primùm Chriſtum electum fuiſſe ut caput, deinde nos ut membra in ipſo. *Sicut nos elegit in ipſo.* Eph. 1: 4. *Qui ſalvos nos fecit & vocavit vocatione ſancta: non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum proprium propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia.* 2. Tim. 1: 9. *Quos prænovit, etiam prædefinivit conformes imaginis Filii ſui ad hoc, ut ſit ipſe primogeni-*

Digitized by Google

tus in multis fratribus. Rom. 8: 29. Conſilium enim hoc exercendæ gratiæ à Deo diſpoſitum eſt, ut diximus, per modum Teſtamenti; Teſtamentum autem de hæredibus Dei ſine Mediatore & Sponſore Teſtamenti factum non eſt, cui primo diſpoſitum eſt regnum, & in illo ac per illum nobis. *Et ego diſpono vobis, ſicut Pater mihi diſpoſuit, regnum*. Luc. 22: 29. *Potioris Teſtamenti eſt Mediator*. Hebr. 8: 6. *In tantum melioris Teſtamenti* ἔγγυος *Sponſor extitit Jeſus*. Ibid. c. 7: 22. *Propter hoc Teſtamenti Novi Mediator eſt, ut morte obita, ad redemtionem, quæ ſub priori Teſtamento erant, transgreſſionum, promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis*. c. 9: 15.

non tamen intuitu meriti ejus: ut Lutherani volunt.

XXIV. Non quaſi meritum Chriſti ſit cauſa electionis noſtræ, quatenus eſt decretum & actus voluntatis Dei, prout *Lutherani* hæc concipiunt; qui Chriſtum cauſam electionis ipſius meritoriam ſtatuunt, quam factam volunt intuitu meriti Chriſti, & propter ipſum: cum non ſolum actus ille voluntatis Dei nullam cauſam externam, à qua moveatur, admittat; ſed & diſerte Chriſtus *datus* dicatur ex *dilectione Dei erga homines*, Joh. 3: 16. ut Deus jam ante humanum genus dilexerit, & decretum electionis fecerit, cujus exequendi Chriſtus miniſter deſtinatus eſt, & ſimul *electus Dei ſervus*, Eſai. 42: 1. qui electionem non præcedit ut cauſa, ſed eam conſequitur ut ſimul electus. Atque ita *in ipſo electi* ſumus, Eph. 1: 4. h. e. in ipſo benedicendi & ſervandi, & ſimul cum ipſo, ut primogenito & capite noſtro, qui propterea *Princeps ſalutis* noſtræ dicitur Hebr. 2: 10. *Præcognitus ante jacta mundi fundamenta*. 1. Pet. 1: 20. quique gratiæ ac gloriæ nobis deſtinatæ cauſa meritoria eſt, & ſalutis nobis conficiendæ ſummus auctor & arbiter.

Quibus pejus ſentiunt Remonſtrantes.

XXV. Pejus autem hæc detorquent Remonſtrantes, qui Chriſtum, prout vel fide admittitur, vel infidelitate rejicitur, electionis pariter & reprobationis faciunt fundamentum: cum non ſolum prædeſtinatio præcedat deſtinationem Chriſti, ut vidimus; ſed multo magis hominum in ipſum fidem, quæ pariter prædeſtinationis hujus fructus & conſequens eſt, & ſine ea in homine nec produci nec concipi potuit.

II. quod detur certitudo ejus objectiva.

XXVI. Electio hæc quoque immobilis eſt, *certa, & immutabilis*. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: novit Dominus, qui ſui ſunt*. 2. Tim. 2: 19. unde ἀμεταμέλητον dicitur hoc decretum Dei, h. e. ſine pœnitentia Dei, etiam metaphorica. Ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα

Digitized by Google

ϰαρίσματα ϰαὶ ἡ ϰλῆσις τοῦ θεοῦ *Sine pœnitentia* ſunt *dona gratiæ & vocatio Dei.* Rom. 11: 29. quo facit ſimilitudo inſcriptionis in libro. *Tempore illo evadet populus tuus, omnis inventus ſcriptus in libro.* Dan. 12: 1. *Gaudete potius quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Luc. 10: 20. *Deleantur ex libro viventium & cum juſtis non ſcribantur.* Pſal. 69: 29. *Opitulare ipſis --- quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Phil. 4: 3. *Qui vincit, hic amicietur veſtibus albis, & non delebo nomen ejus ex libro vitæ.* Apoc. 3: 5. *Adorabunt eam* (beſtiam) *omnes habitantes in terra; quorum nomina non erant ſcripta in libro vitæ agni.* Ibid. c. 13: 8.

XXVII. Unde & electorum numerus certus & determinatus eſt, nec incrementi nec decrementi capax, cujus typus quidam fuit in Iſraëlitarum recenſione in deſerto, quâ iteratò factâ idem utrobique capitum numerus, cum ſingulari proportione, repertus fuit. vide Exod. 38: 26. cum Num. 1: 46. quam imaginem Sp. S. & uſurpat & ſequitur, Apoc. 7: 4. ut manifeſtum ſit electionem vel ſalutem noſtram non dependere à voluntate ipſorum hominum, cum ab eorum conſpiratione certus ille numerus, & proportio illius, proficiſci non potuerit.

XXVIII. Datur ſimiliter electionis certitudo ſubjectiva (ſicuti illud ſuo loco oſtendetur) eaque non conjecturalis, ſed firmiſſima. *Gaudetis quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Luc. 10: 20. *Elegit* Nos *in ipſo.* Eph. 1: 4 ex ſignis videl. infallibilibus aliiſque electionis in nobis effectis, qualia ſunt vocatio efficax, fides, regeneratio &c. Ut hic analytica methodo procedere oporteat, ab effectis ad decretum ipſum. Cauſæ enim electionis in cœlo, ſigna autem ejus in terrâ quærenda ſunt: ſicut perverſa methodo alii ſalutis cauſas in terra, & rurſus indicia ac ſigna ejus in cœlo requirunt. Lutherani autem, ſicut rectè electionis certitudinem tuentur, ita dum eam à finali electorum perſeverantiâ ſuſpendunt, quam incertam & dubiam faciunt, nimis manifeſto ſibi ipſi contradicunt. *& ſubjectiva.*

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

De divinâ Reprobatione.

Electioni opponitur REPROBATIO.

I. SEquitur divina reprobatio, quam Scriptura una cum electione repræſentat, eique opponit. *Nonne frater Eſavus Jacobo* erat? *ait Jehovah; & dilexi Jacobum. At Eſavum odi.* Mal. 1: 2, 3. *Necdum enim natis, quumque non egiſſent quicquam malum aut bonum (ut, quod ſecundum electionem eſt, Dei propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante) dictum eſt: major ſerviet minori. Sicut ſcriptum eſt Jacobum dilexi, Eſavum autem odio habui.* Rom. 9: 11, 12, 13. *Igitur, cui vult gratioſus eſt; quem autem vult, indurat.* v. 18. vide & 22, 23. *Electio autem conſecuta eſt; reliqui verò occalluerunt.* Rom. 11. 7. *Non poſuit nos Deus ad iram, ſed ad lucrandum ſaluti.* 1. Theſſ. 5: 9. *Qui offendunt ad ſermonem non obedientes; ad quod etiam poſiti ſunt. vos autem eſtis genus electum.* 1. Pet. 2: 8, 9.

II. Ut ſupervacuum ſit quærere, an detur reprobatio? & an in Deo ſit conſilium non miſerendi, ſicut in ipſo eſt voluntas miſerendi. *Quemadmodum & in Oſea dicit: vocabo non populum meum populum meum, & non dilectam dilectam.* Rom. 9: 25. conf. Hoſ. 1: 10. 2: 22. Præterquam enim quod ex electione manifeſtò ea ſequatur, cum illa ſine reprobatione reliquorum, qui electi non ſunt, intelligi non poſſit; Deus ſine ſummâ imperfectione ſine tali conſilio ſtatui non poteſt: ſic enim de maximâ parte humani generis, deque præcipuis ſuis operibus, deque exercenda juſtitiâ & judicio, nihil ab æterno decreviſſet, & temporaria tantum ex datis occaſionibus conſilia ſumeret; quod dictu indecens eſt.

III. Eſt autem reprobatio certorum quorundam hominum prædeſtinatio, ut in iis juſtitiæ divinæ gloria manifeſtetur. *Volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum.* Rom. 9: 22. *Qui pœnam pendent æterni exitii, à facie Domini & gloria virium ipſius.* 2 Theſſ. 1: 9. *Subintrarunt homines impii, olim ante ſcripti ad hoc judicium.* Jud. v. 4.

Ejus definitio.

IV. Ad naturam ejus intelligendam conſiderabimus itidem 1. ejus *actus.* 2. *objectum.* 3. *cauſam.* 4. *attributa* ſeu adjuncta.

ACTUS

V. *Actus* hujus decreti. ſimiliter ac in electione vidimus, duplex intelligi poteſt: unus de fine, alter de mediis ad finem iſtum ducentibus.

Digitized by Google

Prior eſt, deſtinatio hominis ad exercitium juſtitiæ divinæ; ita ut finis Dei propriè non ſit perditio creaturæ, ſed manifeſtatio juſtitiæ Dei, quæ in meritâ creaturæ perditione elucet: alter eſt, deſtinatio ejus ad damnationem; quo pertinent & reliqua media juſtitiæ Dei in reprobis manifeſtandæ, quæ pleraque ſunt negativa, ut non-redemtio. *Sed vos non creditis: non enim eſtis ex ovibus meis.* Joh. 10: 26. non-vocatio, vel ſaltem non-efficax vocatio. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 20: 16. 22: 14. non-datio fidei. *Propterea non poterant credere, quia rurſus dixit Eſaias, Excæcavit ipſorum oculos, & obſtupefecit eorum cor, ut non videant oculis, & animadvertant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Joh. 12: 39, 40. peccati permiſſio & derelictio in eo. *Igitur, cui vult gratioſus eſt; quem autem vult, indurat.* Rom. 9: 18. *Et propterea mittet Deus ipſis efficaciam erroris, ut credant mendacio: ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed beneplacitum habuerunt in injuſtitia.* 2. Theſſ. 2: 11, 12. & peccatorum non-remiſſio. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo* Matth. 18: 18. *Quorum peccata retinueritis, retenta ſunt.* Joh. 20: 23. quæ tamen omnia per actum voluntatis divinæ poſitivum decreta ſunt. *hujus decreti duplex.*

VI. Atque hinc jam patet ſimiliter, quodnam ſit reprobationis *objectum*. Si enim primum ejus actum intelligas, prædeſtinationem nempe hominis ad manifeſtationem juſtitiæ divinæ, & decretum hoc latiſſimo ſenſu accipias, pro toto decreto Dei circa hominem in ordine ad ultimum iſtum finem, ejus objectum erunt homines creabiles, hoc eſt, poſſibiles tantum: ſin vero intelligas actum ejus ſecundum, ſeu deſtinationem ad mortem æternam, & decretum hoc cum quibuſdam ſtrictius ſumas, pro conſilio peccatorem in communi lapſu & promeritâ damnatione relinquendi, jam objectum ejus eſt homo creatus & lapſus. Nos autem priori & latiſſimo ſenſu illud potius accipimus: neque tamen alterum illud decretum, quod pro objecto habet hominem lapſum, negamus, ſed de mediis tantum eſſe arbitramur ad finem illum ultimum ducentibus. Non ergo peccatum ſolum hominem reprobabilem facit, cum & citra illud homo reprobabilis, h. e. ad exercitium juſtitiæ divinæ deſtinabilis fuerit, omneſque ab æterno Deo prædeſtinanti objecti fuêre tanquam pares. OBJECTUM.

VII. Neque tamen omnes homines creabiles adæquatum reprobationis objectum ſunt, ſed hi & illi, pro beneplacito reprobantis: & quidem *multi*, tum in ſeſe, tum reſpectu electorum. *Lata eſt porta & ſpatioſa via quæ adducit in exitium, multique ſunt qui introeunt per eam.* Matth. 7: 13.

Digitized by Google

7: 13. Iique præſertim ex *ſapientibus* & potentibus hujus ſæculi. *Cernitis vocationem veſtram, fratres, vos* videlicet *non eſſe multos ſapientes ſecundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, verum quæ ſtulta* ſunt *mundo elegit Deus ut pudefaciat ſapientes: & quæ ſunt infirma mundi, elegit Deus, ut pudefaciat valida:* & *quæ ignobilia ſunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt aboleat.* 1. Cor. 1:26,27,28. Neque illi ſolum *poſitiva incredulitate* Chriſtum rejecturi, ut Remonſtrantes ex falsa hypotheſi, qua omnes & ſingulos jubent credere ſe à Chriſto eſſe redemtos, aſſerunt; unde & gentilibus in peccatis morientibus non aliam quam pœnam damni decernunt; ſed & omnes ex adultis *negativè increduli*, quanquam nihil unquam de Chriſto audiverint: hoc enim ipſum de Chriſto nihil inaudiviſſe, certiſſimum reprobationis ſignum eſt. *Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.* Joh. 3: 18. *Qui Filio non obedit, non videbit vitam, ſed ira Dei manet in ipſo.* v. 36. *Confiteor tibi, Pater, quod hæc occultaveris à ſapientibus & intelligentibus.* Matth. 11: 25. *Quemadmodum ſcriptum eſt: dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos, ut non videant;* & *aures, ut non audiant.* Rom. 11:8. Deus enim in morte æternâ, per peccatum ingreſſa, ſummo jure potuiſſet omnes relinquere, ſi voluiſſet, & revera plurimos in eâ reliquit; quod ex locis Joh. 3:36. *Qui non obedit Filio, ira Dei manet in ipſo.* 1. Joh. 2: 9. *Qui fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.* & 3: 14. *Nos ſcimus nos tranſiviſſe ex morte ad vitam, quia diligimus fratres, qui non diligit fratrem, manet in morte*, patet.

de infantibus quid ſtatuendum?

VIII. De *infantibus* fidelium benè ſperandum eſt. *Sanctificatus eſt vir infidelis in muliere, & ſanctificata eſt mulier infidelis viro. alioqui liberi veſtri impuri eſſent. Sed ſancti ſunt.* 1 Cor. 7: 14: h. e. ad ipſos *pertinet promiſſio*, Act. 2: 39. quæ Abrahamo edita eſt, *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* Gen. 17:7. De infidelium autem liberis quanquam noſtrum non ſit definire, quid Deus pro liberrimâ ſuâ poteſtate de iis ſtatuerit, cum tamen talia promiſſa de iis non occurrant, atque illi extra fœdus naſcantur, & propter peccatum originale Deo reprobabiles ſint, atque adeo nullum ſignum, ex quo eorum electio probabiliter poſſit colligi, in Scripturâ extet, male Remonſtrantes, etſi eos cœlo aſſerere non audent, propter dictum 1. Cor. 7: 14. tamen nullam eorum reprobationem agnoſcunt; peccatum videlicet originis, propter quod reprobabiles ſint, negantes; ſed medium potius ſtatum & pœnam damni iis aſſignant: ſicut & alii, cum ex veteribus, tum ex recentioribus, illis cœlum

lum addivêre; contra 1.Cor.7:14.& Rom 5:14.*Sed regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſen, etiam in eos, qui non peccaverant ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami : qui eſt typus futuri.*

IX. *Cauſa* reprobationis *efficiens* principalis eſt Deus. *Necdum enim natis, quumque non egiſſent quicquam malum aut bonum (ut quod ſecundum electionem eſt, Dei propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante) dictum eſt ei: major ſerviet minori. Sicut ſcriptum eſt: Jacobum dilexi, Eſavum autem odio habui.* Rom.9:11,13. *Argentum improbum vocati ſunt, quia reprobavit Jehova ipſos.* Jer. 6: 30. *Reprobationis* CAUSA *efficiens,*

X. Et ſimiliter cauſa ejus *impulſiva* nulla eſt præter divinum beneplacitum. *impulſiva.* *Quem vult indurat. Dices igitur mihi: quid adhuc queritur? voluntati ejus quis reſiſtit? Enimvero, ô homo, tu quis es, qui reſponſas Deo? Numquid dicet figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? Aut an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa ut faciat aliud quidem ad honorem vas, aliud vero ad ignominiam?* Rom.9:18,19.20,21. *Pater, occultaſti hæc à ſapientibus, quia ita tibi placuit.* Matth.11:25,26.& Luc.10:21. *An non licet mihi facere quod volo in meis?* Matth.20:15. Non autem peccatum propriè ejus cauſa eſt: hoc enim negat Apoſtolus Rom. 9: 11, 12, 13. Atque illud poſt ipſum hoc decretum demum conſequitur; adeo ut ante illud præſupponi, & à Deo prævideri, & cauſa ejus eſſe non potuerit; præviſio enim Dei decreto ejus ordine poſterior eſt.

XI. Diverſi tamen in hoc decreto Dei actus diſtingui poſſunt; tum actus Dei ut *αὐτοκράτορος & domini*, tum ut *judicis*: tum actus *negativus*, ſive præteritio, tum *affirmativus*, vel prædamnatio: tum etiam *abſolutus*, tum *comparatus*, reſpectu hujus potius quam illius: tum denique conſiderari hic poteſt actus Dei vel *primus*, deſtinatio videl. ad exercitium juſtitiæ, vel *ſecundus*, deſtinatio ad damnationem. Et quidem ſi reprobationem ſumas pro actu *primo*, & pro actu Dei ut *ſummi domini*, hominem ad exercitium juſtitiæ ſuæ ordinantis, & in donanda miſericordia ſua liberrimè eum *prætereuntis*, peccati nulla omnino in eo habetur ratio: ſi autem eam ſumas pro actu *ſecundo*, pro actu Dei *judicis*, hominem ad damnationem deſtinantis, pro actu quaſi *affirmativo*, & pro prædamnatione, ſic adſcribenda ea eſt peccatis: ſi quidem ea *abſolutè* ſumatur; cum Deus neminem damnet, neque etiam damnare decreverit, niſi peccatorem. *Exſecrati, abite à me in ignem æternum, eſurivi enim & non dediſtis mihi quo veſcerer* &c. Matth.25:41,42. *Stipendia peccati mors.* Rom. 6:23. *Deus tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum.* Rom.

 9:22.

9:22. *Propter hæc enim venit ira Dei in filios inobedientiæ.* Eph. 5:6. Si autem idem ille actus rurſus *comparate* ſumatur, & ratio quæratur, cur Deus hunc præ illo reprobarit, nullam habet iterum cauſam præter merum Dei beneplacitum & *εὐδοκίαν*, ſine ulla prævisione, vel incredulitatis, vel peccati, in hoc homine præ alio.

Finis, gloria Dei.

XII. Cauſa reprobationis finalis eſt gloria Dei, in declaranda poteſtate ſua ac jure, & liberrima voluntate, ac ſpeciatim juſtitia & ira ſua, in vindicandis peccatis. *Omnes tractat Jehovah ad reſponſum, etiam improbum ad diem mali.* Prov. 16:4. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te vim meam, & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra.* Rom. 9:17. *Aut an non habet poteſtatem figulus luti?* &c. v. 21. *Volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum.* v. 22. *Non licet mihi facere quod volo, in meis?* Matth. 20:15.

non verò damnatio hominis.

XIII. Ut mera ſit adverſariorum calumnia, finem nobis reprobationis aut etiam creationis eſſe hominis damnationem, atque adeo etiam hominem in tempore eſſe creatum ad damnationem & exitium æternum. Aliter enim loquitur Scriptura, Prov. 16:4. ac finis illius tantum eſt oſtenſio gloriæ divinæ in executione juſtitiæ ſuæ, non vero damnatio hominis propter peccata. Nec enim reprobatio propriè eſt ad damnationem, ſed ad gloriæ divinæ demonſtrationem, in juſta peccatorum damnatione; creatio autem, peccatorum permiſſio, atque hominis propter ea damnatio ſunt pariter media reprobationis ad finem illum ultimum ducentia: neque etiam creatio ad peccatum & damnationem ordinata eſſe dici poteſt, cum illa omnia inſtar unius medii aggregati conſideranda ſint, neque medii & finis inter ſeſe rationem habeant, ſed omnia illa pariter unicum ſint medium ad communem finem deducens.

ATTRIBUTUM

Reprobationis, quod ſit immutabilis.

XIV. *Attributum* reprobationis eſt, quod decretum hoc ſit *immutabile*; tum ex parte Dei, qui *permanet*, & ſemper *idem eſt*. Pſal. 102:27, 28. *Ego Jehovah non ſum diverſus factus.* Mal. 3:6 tum ex parte hominum reprobatorum. *Qui non obedit Filio, non videbit vitam, & ira Dei manet in ipſo.* Joh. 3:36. *Ex nobis exierant; ſed non erant ex nobis: nam, ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum; ſed ut manifeſti fiant; quia non ſunt omnes ex nobis.* 1. Joh. 2:19. Unde & reproborum certus & definitus eſt numerus, Deo tantum notus. *Et congregabuntur coram eo omnes gentes, & ſeparabit eos, alteros ab alteris, ut paſtor ſeparat oves ab hædis.* Matth. 25:32.

Sed

Sed vos non creditis; non enim eſtis ex ovibus meis. Joh. 10: 26. vide etiam Rom. 9: 11, 12.

XV. *Signa* autem ejus reſpectu hominum ſunt negatio beneficiorum, quæ electionem neceſſariò conſequuntur, ut vocationis, cum externæ, tum præcipuè internæ, fidei ſalvificæ &c. contra in peccatis induratio & excæcatio, denique de miſericordiâ divina deſperatio, & ſimilia; quæ tamen reprobationem non arguunt infallibiliter, niſi ad extremum uſque vitæ perdurent. Ut alia hic reprobationis ſit ratio ac electionis, cujus quis in hac vita prorſus certus eſſe poteſt, quod in reprobatione, excepto peccato in Sp. S., locum non habet. Similiter ab alia parte cum ea conſiſtere poſſunt dona quædem eximia, ut naturæ lumen, vocatio externa, fides ſimulata, hiſtorica, temporaria & miraculorum. vide Matth. 13: 19. & ſeqq. ut & *guſtus doni cœleſtis* &c. Hebr. 6: 4, 5. *Ejus ſigna.*

XVI. Atque hæc quidem hujus doctrinæ ſumma eſt, quam brevi compendio ex Scriptura, quæ de ea parcius agit, traditam adverſarii infandum in modum, ut duram, crudelem ac Deo indignam, calumniari non deſinunt: & reproborum adverſus Deum ſuſcepta cauſa, ipſum injuſtum, tyrannum, acceptorem perſonarum, peccati auctorem, ſimulatorem denique immani convitio criminantur: atque doctrinam hanc ut conſolationi, pietati, & religioni omni inimicam proſcindere non verentur. *Hæc doctrina adverſariorum calumniis expoſita.*

XVII. Verum etſi noſtrum non ſit rationes judicii Dei perſcrutari; cum hic obtineat illud Davidis: *Mirabilis eſt cognitio præ me, ſublimis eſt, non valeo ad ipſam pervenire*. Pſal. 139: 6. & v. 14. ubi ſe *tremendis modis ſeparatum* fatetur; atque modum oſtendere quo pacto juſtitia cum miſericordia ejus contemperetur ac conveniat, quæ utraque infinita atque humano intellectui impervia ſunt, & ne ſingula quidem à nobis pervideri poſſint, multo minus modus ac concurſus utriuſque; neque etiam Deus hominibus pro ſeſe reſpondere teneatur; facile tamen eſt ab iſtis hominum criminationibus Deum liberare; & rationem humanam inſanientem ac obſtreperam compeſcere. *licet ſublimis, ab eorum criminationibus vindicatur.*

XVIII. Non enim *injuſtus* eſt Deus: ut qui neminem damnet, nec ad damnationem ordinet, niſi propter peccatum, ac ante habito reſpectu ejus; atque ſic juſtitiam ſuam ſatis tuetur. Alterius autem generis eſt reprobatio, ſive præordinatio ad exercitium juſtitiæ ſuæ, quæ non eſt actus judicii, ut damnatio, ſed ſummi dominii Dei, cujus jus *Non ſatis Deum injuſtum,*

Paulus, ut modò vidimus, Rom. 9: 18, 20, 21, 22. abunde conteſtatur: ut illud nullo modo, ab homine ſaltem, qui ex nihilo creatus eſt, quique ita à Deo creatore dependet, ut ne ſuus quidem propriè dici poſſit, in controverſiam vocari poſſit; cum inter ipſum & creatorem ſuum tale juris commercium, quale inter homines ſibi mutuo æquales intercedit, locum non habeat.

crudelem, XIX. Nec *crudelis* eſt Deus: cum crudelitas oriatur à metu, metus à propriæ imbecillitatis ac alterius potentiæ conſcientia; quæ in Deo omnipotente, beatiſſimo, nulliusque egeno locum non habent.

perſonarum acceptorem, XX. Nec *perſonarum acceptor*: liberrimè enim dona ſua diſtribuit, nec ulla re hominum movetur, nec quicquam in iis tanti facit, ut ideo huic præ illo gratiam ſuam largiatur, ſed qualeſcunque externas prærogativas, qua homines à recti ac juſti tramite abduci ſolent, veluti *ſtercora* reputat. Phil. 3: 8.

peccati auctorem. XXI. Nec *auctor peccati* eſt: cum reprobatio ejus cauſa non ſit; quamquam peccati permiſſionem decreverit, ut juſtitiam ſuam in ejus glorioſa condemnatione oſtendat: longè enim illa differunt, peccatum ipſum, & permiſſio ejus. Et quanquam neceſſario peccatum atque hominis damnatio ad illud decretum conſequantur, illa tamen non niſi interveniente hominis libera voluntate & arbitrio, idque ex eodem illo decreto, conſequuntur:, quod unum ad omnem peccatori excuſationem demendam ſufficit.

aut hypocritam. XXII. Nec *ſimulatorem* agit Deus, reprobis nihilominus gratiam ſuam ac ſalutem offerendo: præterquam enim quod eadem difficultas adverſarios tangat, quorum reprobi non minus à Deo prævisi ac noſtri ab ipſo deſtinati ſunt, quibus tamen nihilominus ſalutis & vitæ promiſſa offeruntur; valeret hæc objectio, ſi Deus homines reſipiſcentes, vel reſipiſcere conantes, à ſalute excluderet, eo ſolo quod æterno decreto ad exitium deſtinati forent: nunc vero reprobis ſerio officium eorum proponit, quod facere debent ut vitam habeant, & ſerio ipſis illam conditionem offert, in qua cum ipſi deficiant, nulla equidem ſimulatione falluntur.

nec querela homini cauſa eſt; XXIII. Nec habent quod *querantur* improbi, vel *impotentiam ſuam* cauſentur, & immite ac crudele fatum accuſent, quod ferrea veluti vi ipſos conſtrictos teneat, quo minus officium faciant: valerent enim iſta, ſi vel per ſubtractionem virium injuſtè factam, vel per impedimentum actionum externarum, manente nihilominus inclinatione ad ipſos actus,

Digitized by Google

actus, peccarent: nunc vero & liberrimè & ſumma cum delectatione peccant, & naturæ ſuæ ſemina ſequuntur, ac protervè gratiam Dei conculcant, nec aliter ſecum ſeſe rem habere velint. Ut, ſi qua hic querela audiatur, illa ſit ſervi iſtius nequam & μεμψιμοίρου, *qui dicit Domino: noveram te hominem durum eſſe, qui metas ubi non ſeviſti, & inde cogas ubi non ſparſiſti* &c. Matth. 25:24. cui reſpondendum eſt ex Eſai. 5:4. *Quid faciendum amplius vineæ meæ, quod non fecerim in ea? quare, exſpectavi ut faceret uvas & fecit labruſcas.*

Nec conſolationi vel pietati inimica.

XXIV. Nec etiam *conſolationi* vel *pietati* hæc doctrina inimica eſt: nam contra nihil aliud æque afflictum animum ſolari poteſt, quam quod Dei amorem æternum & immutabilem, & decretum ejus de æterno hominum ſtatu certum ac immobile eſſe cogitemus; quæ illi omnia verſabilia & ab incerta hominis fide ac perſeverantia pendentia ſtatuunt. Atque ſi quis jam electionis ſuæ ſigna in ſe ipſo deprehendat, maxima hinc conſolatio orietur: ſin eam non deprehendat, ad ſalutis ſuæ ſtudium acuetur; cui ſi digno affectu incumbat, ad ſenſum amoris divini & ſummam in hac vita conſolationem ſenſim proficiet; ſi vero illud negligat, & veluti re deſperata omnem ſalutis curam abjiciat, atque illam tanti non ducat, ille vero ne minima quidem conſolatione dignus eſt, atque ea juſtiſſimè carebit.

Ejus ut duræ accuſatio, veritatis argumentum.

XXV. Denique ſi nihilominus *dura* & humano intellectui gravis videatur hæc doctrina; hoc ipſum non erroris, ſed veritatis in ea argumentum eſt, cum eandem invidiam paſſa ſit Apoſtoli de hoc capite doctrina. *Quid igitur dicemus? numquid injuſtitia eſt apud Deum? abſit.* &: *Dices igitur mihi: quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Rom. 9:14, 19. Quam accuſationem cum adverſariorum doctrina non ſuſtineat, quæ ad captum humanum tanto artificio accommodata eſt, demto & negato quicquid in hoc fidei capite triſte & inamabile & humano intellectui ingratum occurreret (quod ipſorum etiam in reliquis fidei capitibus perpetuum ſtudium fuit, unde quicquid in fide myſticum ac ſublime erat abnegando religionem tandem omnem corruperunt atque emaſcularunt) hoc ipſum non levem erroris ſuſpicionem contra ipſos præbet.

CAPUT XL.

De Erroribus circa Prædeſtinationem.

Huic doctrina adverſantur

I. EXplicatâ Eccleſiæ de æternâ Dei Prædeſtinatione doctrinâ & fide, ſequitur præcipuorum circa eam errorum *ἀνασκευὴ* & ἔλεγχος.

(miſſis Origeniſtis)

II. Atque inter veteres; ut *Origeniſtarum* ſomnia de animarum antequam corporibus unirentur in cœlo ſtatu & earum demeritis vel bonis vel malis, unde earum prædeſtinatio ad vitam vel mortem conſecuta ſit, prætermittam; damnandi ab una parte *Pelagius* & *Pelagiani*, qui prædeſtinationem à prævißs hominis meritis & operibus, quæ per liberum voluntatis ſuæ uſum patraturus erat, ſuſpendebant: quo aurigabantur reliquæ eorum hypotheſes, in negando peccato originali, ſimiliterque efficacia gratiæ divinæ, & aſſerendis naturæ humanæ viribus, ac perfectione hominis in hac vita. Quæ à Pelagio, Cœleſtio, Juliano, eorumque ſequacibus, aſſerta, ab Auguſtino, Proſpero, Fulgentio, aliiſque Eccleſiæ doctoribus potenter dejecta ſunt.

Pelagiani,

III. Secuti hos ſunt *Maſſilienſes*, Pelagianæ hæreſeos tradux, qui, mutata pauliſper velificatione, admittebant quidem peccatum originale, & gratiam Dei; cui ſaltem initium boni in homine adſcribebant; in quo à Pelagio differebant: tamen Deum, cum in animo haberet univerſis hominibus ſine exceptione gratiam ſuam & ſalutem per Chriſtum offerre, prædeſtinationem ac electionem ordinaſſe ſtatuebant, prout prævidebat hos vel illos credituros, & in bono perſeveraturos; continuationem enim in bono liberi arbitrii viribus, per bonum uſum gratiæ, à Deo, in ejus initio videl. jam datæ, cum Pelagio rurſus adſcribebant: ſicut & parvulos hoc pacto prædeſtinatos volebant ex prævisa eorum fide vel infidelitate, ſi ad idoneam ætatem ſupervixiſſent: & ut admonitionibus locus eſſet, prædeſtinatorum numerum augeri & minui poſſe docebant. Hic *Semi-pelagianiſmus* erat, qui utcunque ſe tegebat, ſalutem tamen non ex ſalvante, ſed ex iis qui ſalvantur, deducebat; unde ab Eccleſia conſtanter rejectus eſt.

Maſſilienſes Semi-pelagiani.

IV. Ab altera parte repudiandi ſunt *Prædeſtinati*, ſeu *Prædeſtinatiani*, ſi modo tales in V. Eccleſia unquam fuerint hæretici, ſtatuentes, piè viventibus non prodeſſe bona opera, ſi ad mortem prædeſtinati ſint;

Prædeſtinatiani.

nec

Digitized by Google

nec improbis obeſſe flagitioſam vitam, ſi ad vitam fuerint electi. Meminerunt eorum Gennadius Maſſilienſis, Hincmarus, Godſcalci adverſarius, quem iſtius videl. hæreſeos invidia pariter gravabant, A. C. 840. Sigebertus Gemblacenſis, in Chronico ad A. C. 415. ac nuper in ſcenam rurſus eos produxit Jacobus Sirmondus Jeſuita, ex auctore anonymo M. S. S. à ſe edito.

V. Verum hæreticos tales in Eccleſia nunquam fuiſſe, ſed ipſam Auguſtini doctrinam ab adverſariis, quo eam cum orthodoxis ſuis ſectatoribus odioſam redderent, hoc infami titulo traductam eſſe, à viris doctiſſimis, non ſolum ex noſtris, verum ex ipſis quoque Pontificiis, multis argumentis, hic brevitatis cauſa non repetendis, pridem demonſtratum eſt, & ſimul turpis Sirmondi impoſtura, qua ementitum auctorem in ſua ipſius officina cuſum orbi propinare & ſcruta ſua divendere conatus eſt, in lucem protracta. Ut cauſam non habuerint Remonſtrantes, quod avide adeo calumniam hanc exciperent, nobiſque iſtam videlicet hæreſin in veteri Eccleſia damnatam objicerent. *Quales tamen hæretici in Eccleſia non fuerunt.*

VI. Sequuti ſunt ſequioribus ſæculis *Scholaſtici*; quorum alii aperte ad Pelagium deflectunt, prædeſtinationem ex prævifforum meritorum & bono liberi arbitrii uſu ſuſpendentes; alii excogitatis diverſarum diſtinctionum ſtrophis, præſertim inter prædeſtinationem ad gloriam & ad primam gratiam, quarum priorem operibus, alteram divino beneplacito deputant, verum ita, ut reliqui gratiæ effectus rurſus hominis viribus & meritis nitantur, non ſatis ſe expediunt. *Scholaſtici:*

VII. In duas autem præcipuè partes ac familias diviſi fuêre, *Dominicanorum* nempe & *Franciſcanorum*; quorum lites & controverſias callido conſilio præteriit *Concilium Tridentinum*, & argumentum hoc generalibus & ambiguis verbis comprehendit. Hodie Pelagianis & Semi-pelagianis accedunt *Scotiſtæ* & *Jeſuitæ* plerique, atque iſtas partes contra *Thomiſtas*, *Dominicanos* & *Janſeniſtas* acerrimè tuentur, & de veritate veluti victa, ac ipſo Auguſtino, tantum non damnato, triumphant: ſed inglorio triumpho: quemque revera in maximam ſui cladem vertere quotidie magis magiſque experiuntur. *& quidem duplici claſſe.*

VIII. Peſſimè autem imprimis ſentiunt *Sociniani*, qui ſic procedunt: *Prædeſtinationem* primò diſtinguunt, vel potius divellunt ab electione, & ante mundum conditum factam eſſe ſtatuunt; atque eſſe decretum Dei generale, quo ſtatuit credentes & mandatis Euangelicis obtemperantes ſalvare, atque inobedientes damnare, non denotatis *Sociniani.*

tamen

tamen certis perſonis in individuo; quippe cum futurorum præſcientiam Deo auferant; ita ut prædeſtinatio illis ſit potius rei, quam perſonarum, conditionis, quam hominum. *Electionem* autem fieri in tempore volunt, ubi quis videl. actu credit: quia autem electi deficere poſſunt, ea ipſis tota vita infirma & conditionalis eſt; donec Deus aliquos ad finem perſeverantes electione demum firma & peremtoria beet. Prædeſtinationem, quam ſic ab electione diſtinguunt, à mero Dei beneplacito, talem vitæ donandæ conditionem eligentis; electionem autem à bono liberi arbitrii uſu, deducunt. Plura dicere omittimus.

IX. Quæ inſana dogmata, è Pelagii lacunis hauſta, multa præterea abſurda invehunt: ut inter alia electionem quandam *indefinitam*, quæ nihil de perſonis ſingulatim ſtatuerit, quod Deus ne quidem potuerit, cum futurorum præſcientiâ careat; quaque omnes non magis ad vitam quam ad mortem prædeſtinati intelliguntur. Contra dictum Eph. 1: 4, 5. *Sicut elegit nos in ipſo ante fundationem mundi, ut eſſemus ſancti & inculpati in conſpectu ejus in charitate; dum definivit nos ad adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum ad ſe, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ.*

X. Pariter inferunt illa electionem *conditionatam* ac mutabilem, quæque, cum ex hominis obedientia pendeat, tota *in hominis poteſtate* ſit, qui potius ſe ipſum eligere & diſcernere dicendus eſt, cum in eo prorſus ſitum ſit vel elegi vel non eligi, imo cum pro arbitrio ſuo Dei electionem refugere & mutare poſſit: contra dictum Act. 15: 18. *Nota à ſeculo ſunt Deo omnia opera ejus.* Ut Deo nihil prorſus relinquatur, quam conditionis iſtius electio, & viæ ad ſalutem ducentis manifeſtatio. Ut decreta temporaria & horaria, atque alia iſtius ſententiæ probra omittam.

Anabaptiſtæ. XI. Pariter aberrant *Anabaptiſtæ*, qui illud ex Pelagii ſchola de electione conditionata & incerta etiam ſervant; atque decretum de danda certis perſonis ſalute non aliter à Deo factum eſſe, quam intuitu fidei ac perſeverantiæ ſtatuunt; electionem autem ipſam, quæ firma & immutabilis ſit, in tempore fieri; unde conſequenter nullos agnoſcunt ad ſalutem electos niſi adultos, eoſque non ante mortem, nullos vero in infantia morientes. Atque ſimili modo de reprobatione quoque ſentiunt.

Lutherani, triplice claſſe. XII. Nec ſatis recto pede incedunt *Lutherani*; qui pariter ſuos errores hic habent. *Craſſiſſimi* inter ipſos æternum in Deo conſilium de omnium homium ſalute per Chriſtum fide apprehendendum at-

que

Digitized by Google

que adeo univerſalem electionem ſtatuunt; quæ nitatur tribus veluti fundamentis, univerſali Dei miſericordia & amore, univerſali Chriſti merito,& univerſali vocatione:quorum coryphæus fuit *Huberus*. *Craſſiores*, ut *Jacobus Andreæ*, *Hunnius*, *Mylius* &c. electionem à fide prævisa ſuſpendunt,cum Pontificii aliique urgeant prævisa opera;& mortem Chriſti omnibus vindicant;atque electionem mutabilem faciunt, volentes numerum electorum augeri & minui poſſe: cum longè aliter docuerint primi Reformatores uſque ad *Ægidium Hunnium*, circa A. C. 1580. & *Lutherus* hominem ut nondum lapſum conſideraverit, nedum ut fidelem, quod faciunt degeneres ipſius diſcipuli. *Saniores* nobiſcum faciunt, niſi quod nullam reprobationis cauſam præter peccatum agnoſcant; & in ordine potius decretorum, quem non ſatis benè diſponunt, quam in re ipſa impingant.

XIII. Verum multipliciter errant,præſertim priores illi. 1. ponunt falſum fundamentum univerſalis Dei atque Chriſti miſericordiæ, in vocandis ac ſalvandis hominibus. 2. cui neceſſario ſubjungunt voluntatem antecedentem,qua omnes illos elegerit;cujus voluntatis impletio à voluntate humana prorſus ſuſpenditur;& conſequentem qua voluit tantum ſalvare fideles & damnare infideles. 3. perperam decreta ordinant, cùm volunt Deum prius decreviſſe Filium dare, antequam reprobaret vel eligeret. 4. Nec rectè loquuntur, cum dicunt Deum paratum omnibus, qui verbum audiunt, largiri fidem & Spiritum, niſi ei reſiſtant:ita enim fides ab hominis arbitrio ſuſpenditur,atque homo ipſe ſalutis ſuæ architectus & faber conſtituitur; cum ipſi tamen omnia gratiæ tribuant.Semper enim manebit quæſtio,quid hominem diſcernat ab alio, & cur gratiam oblatam accipiat vel repudiet hic magis quam ille. Si homini hæc tribuamus, jam Pelagio accedimus: ſi Deo, quod & ipſi faciunt, jam electio univerſalis & voluntas conditionata prorſus concidunt. 5. Nec ipſorum fides prævisa magis ſtare poteſt. Nam vel prævidit eam Deus ex nobis orituram, vel à ſe donandam: prius non admittent adverſarii;tum enim homo ſalutem ſuam ſibi ipſi deberet. *Quis te diſcernit? quid autem habes quod non receperis? quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* 1. Cor. 4:7. *Gratia ſalvati eſtis per fidem. & hoc non ex vobis. Dei donum eſt*. Eph. 2:8,9. *Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle & operari, propter beneplacitum*. Phil. 2:13. Si autem poſterius, ſicuti aſſerunt, atque hoc à Remonſtrantibus ſeſe diſtinguunt, Deum quidem elegiſſe hominem ex fide præ-

Varii horum errores.

prævíſa, ſed quam ipſe Sp.S. producturus foret, jam ſibi obloquuntur: nam hoc pacto electio fidei cauſa eſt, non vero fides, utcunque prævíſa cauſa electionis, verum ejus effectus. Si vero electionem ſecundum præſcientiam fidei perſeverantis factam dicentes, ut in nupero colloquio Caſſellano loquebantur, intelligunt de fide perſeverante antecedenter ad ipſam glorificationem, concedi hoc poteſt; non verò ſi eam ipſum prædeſtinationis decretum præcedere velint: cum econtra ex illo fides ipſa, & quicquid in nobis boni eſt, dependeat. 6. Atque *ἀσύ-ςατα* præſertim loquuntur, cum ab una parte electionis in fidelium animis certitudinem docent; & nihilominus electorum numerum mutabilem ponunt: quod tamen in colloquio Caſſellano mitigare annisi ſunt, ubi affirmabant, excidere poſſe *ſanctificatos*; non vero *electos* ſecundum præſcientiam fidei: in quo hactenus bene, quod amorem Dei & conſilium ejus immutabile faciebant; verum male fidem ab electione divellebant, ac ſi non omnis fides foret electorum, nec omnis perſeverans, neque etiam omnes Dei Spiritu ſanctificati atque ab eo apprehenſi forent electi.

XIV. Verum etſi non leviter in hiſce ceſpitent Lutherani, longè tamen alia erroris ipſorum facies eſt ac Remonſtrantium, quibus ſeſe accenſeri quoque non patiuntur. Cum ſi alicubi in dogmate tam ſublimi aberrent, errorem proſerpere non ſinant; & ſicubi ille maximè virus ſuum exerceret, ut in negotio de gratia & libero arbitrio, mox obicem illi ponant, atque omnia in ſolidum gratiæ denuo adſcribant. Quanquam hoc ipſo tamen ſibi ipſis ſæpius obloquantur, atque *ἀσύ-ςατα* doceant; quod in hoc argumento non ſemel ipſis accidere neceſſe eſt.

Arminiani, XV. Succedunt ultimo loco qui hanc controverſiam poſtremum tantis animis renovarunt, à duce ſuo *Arminio* dicti *Arminiani*; atq; a Remonſtrantia, ſeu libello ſupplice, Ordinibus Hollandiæ A.C. 1610. oblato, cui ſummam doctrinæ ſuæ de prædeſtinatione & capitibus anne-*(Controverſia origo,* xis quinque articulis incluſerant, *Remonſtrantes* appellati. Quorum articulorum hæc erat ſumma: non poſſe ſoli gratiæ acceptam ferri ſingulorum electionem divinam, donationem Chriſti in mortem, vocationem ad ſalutem, & perſeverantiam in amore Dei; ſed ſalvandorum ac damnandorum diſcrimen à libero ac recto uſu communis iſtius gratiæ, quæ etiam aliis non ſalvandis æque præſto ſit, præcipuè pendere.

& erroris proceſſus XVI. Primarius autem articulus fuit de Prædeſtinatione; quæ male

le

lè intellecta cæteros quoque errores ſecum traxit. Negata enim tali prædeſtinatione, quæ ſolius Dei liberrimum opus ſit, quæque ſingulares quoſque homines reſpiciat, eorumque ſalutem atque omnem ejus ordinem immobili decreto diſponat; negatur ſimul pro certis hominibus Chriſtum in mortem eſſe traditum, eoſque Deo reconciliaſſe; negatur quoque divinæ gratiæ ex æterna iſta drædeſtinatione efficacia; atque omnis denique perſeverantia tollitur, & hominis arbitrio iſta omnia tranſcribuntur. Prædeſtinatione verò divina rite agnita, reliqua iſta beneficia, tanquam media ex ea profluentia, ſimul agnoſcuntur.

Controverſia prima de voce Electionis.

XVII. Primam autem controverſiam movebant de voce *Electionis*, an illa ex uſu Scripturæ æternum Dei de gratiæ ſuæ diſpenſatione decretum denotet, an verò actualem ſalvandorum in tempore ſegregationem; quod potius volebant Remonſtrantes, quia videl. nullam ponebant electionem peremtoriam, atque ita per electionem ad gratiam nihil aliud quam externam vocationem intelligebant. Quanquam autem actualem ſegregationem illa voce nonnullis locis denotari agnoſcamus, quibus tamen æterni decreti conſignificatio pariter includitur, attamen frequentius pro æterno electionis conſilio illa vox in Scripturis venit; ut ſine omni controverſia ex loco Eph. 1:4. *Sicut nos elegit in ipſo ante fundationem mundi*, apparet: cui ſimiles ſunt alii. *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ exſtiterunt.* & *Electio conſecuta eſt: reliqui verò occalluerunt.* Rom. 11: 5,7. *Ut, quod ſecundùm electionem eſt, Dei propoſitum maneret.* Rom. 9: 11. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 20:16. & 22:14. *Vindicabit Deus electos ſuos.* Luc. 18:7. *Quis accuſationem intentabit Electis Dei?* Rom. 8:33. *Induimini, ut electi Dei, viſceribus miſerationum.* Col. 3: 12. *Omnia perfero propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur.* 2. Tim. 2:10. *Paulus Apoſtolus ſecundum fidem electorum Dei.* Tit. 1:1. *Cum agno ſunt vòcati & electi & fideles.* Apoc. 17: 4. Sicut & voces Synonymæ προορισμὸς, πρόθεσις, πρόγνωσις delertè præexiſtentem & æternam Dei actionem notant.

Altera de re ipſa, fide nempe & infidelitate præviſis.

XVIII. Maximè autem aberrant circa rem ipſam: ubi præcipuus eorum error eſt; conditionem in homine ad electionem prærequiſitam, & veluti cauſam ejus eſſe fidem, inque ea perſeverantiam; & ſimiliter reprobationis cauſam unicam eſſe in homine, infidelitatem ejus & perſeverantem contra Euangelium contumaciam.

inde reliquorum

XIX. Atque ex hoc errore reliqui profluxêre: hinc enim factum eſt, quod, conceptu admodum vago & indefinito, voluntatem Dei de

ſervandis fidelibus, in fide ejuſque obedientia perſeverantibus, totum electionis decretum eſſe volunt; & rurſus voluntatẽ de infidelibus perſeverantibus ſub ira relinquendis & æternum damnandis, eſſe totum reprobationis decretum. Quodque electionem & reprobationem ſtatuerunt multiplicem, nec unius generis; aliam *indefinitam* & *generalem*, aliam *definitam* & *particularem*, eamque vel *incompletam* & *non-peremtoriam*, vel *completam* & *peremtoriam*, *revocabilem*, vel *irrevocabilem*; *abſolutam* aliam, aliam *conditionatam*; aliam *ad gloriam*, aliam *ad gratiam*, aliam *ad ſalutem*, aliam *ad fidem*. Quod denique ſubjectum prædeſtinationis tam arcte circumſcribunt, nec ullos prædeſtinatos agnoſcunt, niſi quibus gratia Dei in tempore oblata eſt; atque adeo infantes, ſurdos, amentes, rabioſos & pleroſque gentiles ab ea excludant.

errorum profluxus.

XX. Primum autem eorum errorum, & qui reliquorum in hoc argumento caput eſt, quod attinet, Deum, dicunt, hominem in eligendo conſideraſſe non ſimpliciter ut hominem, ſed ut fidelem; fidem, ſi non ut cauſam, ſaltem ut conditionem prærequiſitam, & Deum moventem conſiderantes: unde eam electionis fructum, ex ea promanantem, negant eſſe, ſed electioni eam præſtruunt; & hanc unicam cauſam dant, cur Deus hunc præ illo elegerit, quod in hoc præviderit conditionem fidei, in illo non: ut omnia tandem in hominem & fidem ejus prævifam, quam tantopere ſonant, recedant: qui merus Pelagianiſmus eſt, dum à bono liberi arbitrii uſu, quocunque nomine, ſive præviſorum operum, ut Pelagius loquebatur, ſive fidei, ut Maſſilienſes Semi-pelagiani, hic utantur, omnia tandem ſuſpenduntur.

Qui redarguuntur ex Scriptura.

XXI. Repugnat vero his erroribus S. Scriptura, quæ longè alium rerum ordinem in divina prædeſtinatione nobis ob oculos ponit, & Deum aliter decernentem & de humano genere liberrimè diſponentẽ introducit. Nam 1. electionis cauſa ibi nulla alia ſtatuitur, quam Dei propoſitum, beneplacitum & mera gratia. *Occultaſti hæc à ſapientibus, & revelaſti infantibus; quia ita tibi placuit.* Matth. 11.25, 26. *Ne metue, parve grex,* ὅτι εὐδόκησεν ὁ πατὴρ, *quia beneplacitum eſt Patris veſtri dare vobis regnum.* Luc. 12:32. *Salvos nos fecit & vocavit vocatione ſancta: non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundum proprium propoſitum & gratiam quæ nobis data eſt in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia.* 2. Tim. 1:9. *Necdum natis, quumque non egiſſent quicquam malum aut bonum (ut, quod ſecundùm electionem eſt, Dei propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante) dictum eſt ei,* Rebeccæ: *major ſerviet minori. Sicut ſcriptum eſt Jacobum dilexi, Eſavum autem odio*

habui...

habui.Rom.9:11,12,13.*Moſi enim dicit:*(Exod.33:19.)*Gratioſus ero,cui
gratioſus ero;& miſerebor,cujus miſerebor.Ergo igitur non volentis eſt, neque
currentis,ſed gratificantis Dei.Ergo igitur, cui vult,gratioſus eſt; quem autem
vult,indurat*. Ibid.v.15,16,18. 2.Atque homini omnis prorſus dignitas
adimitur.*Non in juſtitia tua & rectitudine cordis tui tu venis ad hæreditan-
dum terram eorum* &c.Deut.9:5;6.*Effoſſio tua & genitura tua ex terra Ca-
nanæi eſt:pater tuus ille Amorræus,& mater tua Chittæa*.Ezech.16:3.Rom.
9:11.3.Quin fides, obedientia, perſeverantia,& quicquid in ipſo boni
eſt,amore atque electione Dei poſteriores,atque ejus fructus dicuntur.
*Elegit nos , ut eſſemus ſancti & inculpati in conſpectu ejus in charitate ; dum
definivit nos ad adoptionem filiorum*. Eph. 1:4, 5. *Quotquot acceperunt eum,
dedit eis facultatem ,ut filii Dei fierent*, h.e: ut pro filiis Dei ſe gererent,
vel tanquam Filii Dei agerent apud Deum.Joh. 1 : 12. *Ipſius enim ſu-
mus factura , creati in Chriſto Jeſu propter bona opera , quæ ante præparavit
Deus , ut in iis ambularemus*.Eph.2: 10. *Omne quod dat mihi Pater,ad me
veniet*. Joh. 6 : 37. *Sed vos non creditis , non enim eſtis ex ovibus meis*.Ibid.
c. 10:26. *Paulus Apoſtolus ſecundum fidem electorum Dei*.Tit.1:1.*Et cre-
diderunt quotquot erant τεταγμένοι ordinati ad vitam æternam*.Act. 13:48.
*Quos præno vit , etiam prædefinivit conformes imaginis Filii ſui ad hoc , ut ſit
ipſe primogenitus in multis fratribus*.Rom. 8 : 29. Exceptiones eorum ad
præcipuos horum locorum omittimus.

XXII. Verum obſtat etiam univerſæ religionis analogia;cum talis *& ex fidei*
ſit hæc prædeſtinatio , ut præcipua fidei capita non uno modo infrin- *analogia.*
gat , & in Deum hominelque pariter iniqua , ac Deo ſummopere in-
digna ſit. Electio enim illa , quam adverſarii docent , talis eſt , ut ma-
gnam hominum partem excludat, infantes videlicet & immatura
morte interceptos,de quibus Deus nihil gratioſè decreverit,imo ut ne
quidem omnes verè converſos; & in ſeria converſione morientes , qui
non aliquamdiu perſeveraverint, & converſioni ſuæ ſupervixerint,
admittat. Deinde, ubi jam facta ponitur,perpetuo incerta & mutabilis
eſt , cum à re incerta & mutabili , fide videlicet & perſeverantia ho-
minum,dependeat;quod decretis Dei indignum eſt, & Apoſtolo con-
tradicit. *Firmum Dei fundamentum ſtat , habens ſignaculum hoc: novit Do-
minus, qui ſui ſunt*.2.Tim:2:19.*Ut quod ſecundum electionem eſt,Dei propo-
ſitum maneret , non ex operibus , ſed ex vocante*.Rom. 9:11. Imo , cum ho-
minem ad finem uſque perſeverantem & in fide morientem pro ob-
jecto habeat,potius poſt-deſtinatio quam præ-deſtinatio dicenda erit.

Denique nihil ex eâ boni ad hominem profluit, nec tam electio, quam per fidem ad Deum accedentium admiſſio & acceptio eſt : ut nihil magni adeo momenti contineat, cur magnifico iſto gratiæ nomine venire debeat.

XXIII. Utque Deo hominique non uno modo injuria eſt, & amorem ac gratiam ejus tollit vel inanem reddit, ita præſertim corrupto hominis ſtatui unicè adblanditur. Quicquid enim de gratia ut auxilio Dei adverſarii cavillentur, cauſa tamen cur communi iſta gratia Petrus melius uſus fuerit, ex. gr. quam Judas, ſoli homini deputanda erit. Ut talis electio graviſſimum religionis caput de gratia Dei vel maximè violet, & corruptæ naturæ mirificè ſupparaſitetur.

XXIV. Et vero ex iſto capite venenum traxit univerſa Remonſtrantium Theologia, nec quicquam ſani in ea ſupereſſe poteſt: non enim ſolum in decretis Dei explicandis hæſerunt, in qua ſublimi materia excuſatius peccarent, ſed, derivato hinc errore, naturæ corruptionem, Dei gratiam, & quicquid in ſalutis myſterio præclarum ac maſculum eſt enervarunt: atque ipſum fidei noſtræ apicem, juſtificationem hominis peccatoris coram Deo, quo omnis religio collimat, atque ubi unicè vim ſuam explicare debet, defœdarunt, & ſimili labe infecerunt; dum objectum electionis ad vitam poſuerunt tale, quod neceſſario infert juſtificationem, non ex merito Chriſti imputato, ſed ex novæ obedientiæ operibus ad finem uſque præſtitis; unde Chriſto in electione talem quoque ordinem aſſignarunt, qui his erroribus conveniret; nec tam Chriſtum & ejus meritum, quam fidem in Chriſtum & obedientiam in eum, nec tam Dei, ac quidem hominis ipſius opus in electionis ac ſalutis negotio conſiderant.

XXV. Perperam autem ordinem executionis cum ordine intentionis confundunt, cum urgent, quales Deus in tempore ſervat & perdit, tales ab æterno ſervare vel perdere decreviſſe; ſolos autem in fide perſeverantes in tempore ſervare. Alius enim eſt ordo executionis, & diverſæ ibi cauſæ intercedere poſſunt, quæ tamen in ipſo decreto Dei locum non habent: quæ non ſatis diſtinguunt adverſarii; atque hic perpetuus ipſorum in hac materia paralogiſmus eſt. Reliquorum errorum ſecundariorum confutationem nunc miſſam facimus.

LO-

Digitized by Google

LOCUS QUINTUS
De CREATIONE.
CAPUT XLI.
De Creatione in genere.

I. EXpoſito Dei conſilio, quo res omnes ante ſæcula ſibi objecit eaſque deformavit, & velut è longinquo in penitiſſimo ſacrario ſuo adorato numine, progrediendum nunc ad opera ejus externa, & ex iſta immenſæ æternitatis caligine tranſeundum ad tempus, atque ad illa quæ Deus ſecundum conſilium ſuum in tempore facit & operatur; in quibus ſeſe propius mortalium oculis conſpiciendum præbuit. *Deus noſter in cælo eſt, quicquid voluit fecit.* Pſal. 115: 3. *Omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Eph. 1: 11. OPERUM DEI EXTERNORUM

II. Externa illa opera duo ſunt: *Creatio*, & *Providentia* actualis. Primum omnium eſt creatio; in qua ex æternitate ſuâ primum prodit Deus, & omnium eorum, quæ ab æterno ſapientiſſimè molitus eſt, executionem orditur. De qua primo agemus in genere, tum in ſpecie. *Primum* CREATIO.

III. Mundum hunc à Deo conditum eſſe, cum *Dei*, entis perfectiſſimi, præter quem nihil eſſe poteſt, quod ab ipſo non ſit & dependeat; quique ſolus habet exiſtentiam neceſſariam: tum ipſius *mundi*, qui ſeſe tam poſſe non eſſe quam eſſe, & per ſe tantum poſſibilis eſſe exiſtentiæ, atque adeo ſe ab alio factum & productum eſſe, proclamat, natura abunde teſtatur. *Mundum conditum eſſe docet ratio.*

IV. Quod ſpeciatim in præcipuis ejus *partibus* apparet: res enim *corporales*, cum actuoſitatem nullam habeant, ſed ab aliis moveri atque affici debeant, multo minus ſe ipſas producere potuerunt: res autem *ſpirituales*, etſi in ſeſe aliquam agendi potentiam deprehendant, nullius tamen creandi potentiæ ſibi conſciæ ſunt, adeoque nec illam poſſident; alioquin ſi eam in ſeſe deprehenderent, omnes illas perfectiones, quas ſibi deeſſe ſentiunt, ſibi ipſis præcipuè darent, adeoque omnes forent

Digitized by Google

rent perfectiſſimæ, utpote à nullâ externa cauſa cohibitæ & limitatæ. Adeo ut hæc ipſa rerum omnium imperfectio alium mundi atque originis noſtræ auctorem extra nos, qui ſingulas creaturas in proprio ordine ac ſede in hoc rerum creatarum univerſo collocavit, ſingulisque proprias perfectiones dedit, manifeſtò oſtendat.

Tutius tamen fides.

V. Atque ita ex ipſa ratione mundi hujus creatio non difficulter oſtenditur. Tutius tamen & compendioſius eam fides nobis exhibet. *Πίςει νοοῦμεν, fide conſideramus aptata eſſe ſæcula verbo Dei* &c. Hebr. 11:3. Quanquam enim ex ipſis rebus creatis ea pateat, atque hic articulus ex eorum genere ſit, quæ ſimul ſunt πιςὰ καὶ ἐπιςητὰ; attamen νόησις & conſideratio illa, quæ homini naturali & corrupto defuit, per verbum Dei & fidem ejus in nobis excitatur.

Quod oſtendunt Philoſophorum errores.

VI. Quod apparuit ex Philoſophorum erroribus: quorum alii, magnifici adeo operis admiratione perculſi, mundum atque immenſum hoc, quod videmus & palpamus, ipſum eſſe Deum dixerunt, ut *Plinius:* alii etſi auctorem aliquem hujus mundi faterentur, non recte tamen ad eum aſſurgere valuerunt: ſed, cum ex nihilo nihil poſſe fieri arbitrarentur, iſto axiomate decepti, vel mundum hunc æternum eſſe docuerunt, quæ *Ariſtotelis* ſententia fuit, qui Deum non efficientem, ſed finalem mundi cauſam ſtatuit. Cum autem inde ſequeretur, poſita hac mundi diſpoſitione, infinitus atque æternus animarum numerus; *Pythagoras*, iſta difficultate victus, animarum μετεμψύχωσιν commentus eſt, quem plures philoſophi ſecuti ſunt: vel contraria via cum *Epicuro* mundum nec æternum, nec eundem ſemper eſſe dixerunt, ſed eum ex atomis ſæpius conſtruxerunt, atque in eaſdem rurſus diſſolverunt; & non Deum, ſed caſum mundi architectum fecerunt; unde neque Dei, neque etiam propriè hominum cauſa eum factum voluerunt. Cum tamen opus adeo magnum atque elegans longè aliis quam fortunæ manibus extructum eſſe, vel cœcutienti pateat.

Quibus præcipuè medetur Verbum Dei.

VII. Ex hoc autem labyrintho non datur compendioſior exitus, quam apprehenſo filo verbi Dei; quod hac in parte laboranti hominis corrupti rationi ſuccurrit, eamque firmat ac fulcit. Sicuti Moſes ſine ullis ambagibus creati mundi originem atque natales initio ſacræ ſuæ hiſtoriæ pandit, & brevibus verbis infinitas ac moleſtiſſimas hominum cogitationes & quæſtiones in hac materia præſcindit; cujus rudera ac reliquiæ quædam in philoſophorum atque poëtarum ſcriptis adhuc hodie extant.

VIII. Cre-

Digitized by Google

VIII. Creatio in Scriptura, per verbum ברא expreſſum, notat propriè productionem rei novæ, atque adductionem ejus ex non eſſe ad eſſe, idque per meram vocationem & imperium Dei: ut hic omnis alia cauſa operans præter Deum excludatur; ſive ea res ex nihilo, ſive ex materia qualicunque facta ſit (illud enim non ex vi vocis, ſed ex loci & rei circumſtantiis judicandum eſt;) pari enim modo & potentia utrobique Deus agit, ſolo nempè juſſu ac imperio ſuo, vocando res quæ non ſunt, tanquam forent. Atque ita creatio *vocatio* dicitur. *Credidit Deo, qui vocat, quæ non ſint, tanquam ſint.* Rom. 4: 17. qua vocatione illud quod Deus vocat, eo ipſo præſto eſt, & ad nutum ejus comparet: & ita creatio tanquam adductio rei per ſolum Dei imperium paſſim deſcribitur. *Aptata ſunt ſæcula verbo Dei.* Hebr. 11:3. *Omnia fert verbo potentiæ ſuæ.* Hebr. 1:3. *Et dixit Deus, exiſtat lux; & exſtitit lux* Gen. 1:3. *Ipſe dixit, & exſtitit: ipſe præcepit, & ſtetit.* Pſal. 33:9. *Non pane ſolo vivit homo, ſed omni eo quod exit ex ore Domini.* Deut. 8: 3. *Solum loquere verbum,* tantum verbo jube, *& ſanabitur puer meus.* Matth. 8:8. *Qui vocat generationes à capite,* Eſai. 41: 4. *Quicquid voluit, fecit.* Pſal. 115:3. *Tu condidiſti omnia, & propter voluntatem tuam ſunt, & condita ſunt.* Apoc. 4: 11.

Creatio eſt productio per imperium.

IX. Solet autem creatio bifariam conſiderari, *activè* & *paſſivè*. Priori modo de Deo, poſteriore de creaturis uſurpatur.

X. *Activè* conſiderata non differt ab ipſa Dei eſſentia, vel volitione ejus. Non enim concipi debet vis aliqua à Deo veluti exire, vel mundus hic creatus eſſe per virtutem à Deo diſtinctam: hoc enim cum Dei perfectione atque immutabilitate pugnat; nec concipi poſſet, qualis hæc vis foret, an finita an infinita, an creata an vero increata? Eſt autem hic nihil aliud quam ipſa Dei eſſentia, conſiderata in ſua actuoſitate æterna, qua omnia decrevit, voluit & ut in tempore eſſent effecit: quæ ejus æterna voluntas & efficax juſſio eſt ipſa rerum creatio: neque hic quicquam aliud intervenit vel accedit, ſed per eam ſolam in tempore factus eſt mundus; ita ut ipſa creatio hoc pacto æterna ſit, quatenus ille juſſus & illa voluntas Dei æterna ſunt; quanquam nihilominus tum demum creatio appelletur, cum conſideratur in actuali ſua tendentia & relatione ad objecta, ſeu cum coexiſtentia effectus ſui in tempore: & ſic creatio formaliter eſt in tempore, quanquam alioquin re ipſa ab æterna Dei voluntate, ut vidimus, non differat.

Creatio conſideratur activè,

XI. Creatio *paſſiva* conſideratur in creaturis, & per modum mutationis in iis concipitur, quatenus creatura per efficacem Dei volunta-

& paſſivè.

tem juſſa exiſtere jam exiſtit, & à non eſſe tranſit ad eſſe. Quæ tranſitio non dicit aliquid diverſum ab eſſentia creaturarum, ſed dicit ipſam earum eſſentiam, in quantum ea dependet in ortu ſuo à Deo, adjecto ei duntaxat modo conſiderandi. In Deo autem nulla omnino mutatio eſt, utpote qui ſemper manet in ſtatu æternæ ſuæ immutabilitatis & quietis, & cui ex creatione nihil accedit niſi relatio & denominatio externa, qua ad creaturas à ſe conditas refertur.

Mundum conditum EX NIHILO, *Scriptura docet.*

XII. Quum ergo creatio per ſolum Dei juſſum & merum vocantis imperium facta ſit, non ex aliquâ præjacente materia, ſed ex nihilo mundum hunc creatum eſſe apparet: cum Deus, ut infinitum agens, nulla ad operandum materia vel ſubjecto indigeat, ſed omnipotente juſſu ac verbo ſolo *ea quæ non ſunt vocet tanquam ſint*. Rom. 4: 17. unde Apoſtolus, Hebr. 11: 3. mundum dicit compactum & ſtructum *verbo Dei*, ejuſque ſolius efficacia, *μὴ ἐκ φαινομένων non ex apparentibus*, h. e. Scripturæ phraſi, ex iis quæ non ſunt nec exiſtunt, idque *fide percipi*, cum rationi difficile ſit eo penetrare.

Cui non repugnat ratio.

XIII. Quanquam ne eâ quidem invitâ Scriptura hoc doceat: cum quæcunque hic præſupponeretur materia, ea vel creata, vel increata foret; ſi creata, eadem perpetuo redibit quæſtio; increatum autem atque æternum nihil præter Deum ipſum exiſtit. Cum igitur in rerum natura præter Deum & mundum hunc nihil concipi poſſit; mundus autem hic creatus ſit; ex nihilo eum primum prodiiſſe neceſſario conſequitur. Atque adeo falſum eſt, in prima rerum productione, iſtud axioma, ex nihilo nihil fit, ut non aliter quam ex nihilo fieri potuerint omnia.

CAUSA *creationis ſolus Deus.*

XIV. Cauſa creationis efficiens eſt ſolus Deus, eique ſoli attribuitur. *Creavit Deus cœlum & terram*. Gen. 1: 1 *Auxilium noſtrum in nomine Domini factoris cœli & terræ*. Pſal. 124:8. *Quis menſus eſt pugillo ſuo aquas? & cœlum ſpithama aptavit? & menſuravit trientali pulverem terræ? & appendit in libellâ montes & colles in bilance? Quis aptavit Spiritum Domini? & conſiliarius ipſius faciet ipſum gnarum?* Eſai. 40: 12, 13. *An non audiviſti? Deus ſeculi eſt Jehova, creator finium terræ, non defatigabitur*, v. 28. *Sic dixit Deus potens Jehovah, qui creavit cœlos & illos extendit, qui expandit terram & nata ejus, qui dat halitum populo ſuper illa, & ſpiritum ambulantibus in ea. Ego ſum Jehovah: hoc eſt nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo &c.* c. 42: 5, 8. *Ego ſum Jehova, qui feci omnia, qui tetendi cœlos ſolus, qui expandi terram à me ipſo*. c. 44: 24. *Ego Jehova creavi illa*, c. 45: 8.

Digitized by Google

c. 45: 8. *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, peribunt de terra. At Jehova Deus veritas, qui fecit terram viribus ſuis, & intelligentia ſuâ extendit cœlum* &c. Jer. 10: 11, 12, 13. Ut hinc cadant profana veterum hæreticorum ſomnia & fabulæ de duobus principiis, deque Angelis mundi conditoribus; à quo commento etiam hodie *Judæi* & *Antitrinitarii* non abhorrent. Sicuti olim etiam Ariani & Duliani, mundum à Chriſto factum eſſe tanquam Patris inſtrumento, blaſphemabant. Contra eſt: *Et dixit Deus, faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundùm ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. 26. *Celebrent nomen Domini. nam ipſe præcepit & creata ſunt.* Pſal. 148: 5. *Qui extendit cœlum ſolus, & calcat celſa maris.* Job. 9: 8. *Omnes dii gentium ſunt res nihili. Sed Dominus cœlum fecit.* Pſal. 96: 5. *Ego feci terram, & hominem ſuper illa creavi ego, manus meæ extenderunt cœlum, & omnem exercitum illorum imperavi.* Eſai. 45: 12. *Sic ait Jehovah: creator cœlorum is eſt Deus; qui formavit terram & fecit illam* &c. *Ego Jehova & non eſt amplius.* v. 18. *Manus mea fundavit terram, & dextra mea ad palmos extendit cœlum. clamabam ego ad illos, ſtabant pariter.* c. 48: 13. Quibus accedunt *Remonſtrantes* quidam, qui virtutem creandi creaturis ſaltem communicari poſſe docent: ſicut eam ſic ſatis ipſis communicatam eſſe, in Miſſæ ſacrificio, *Pontificii* credunt.

XV. Quanquam autem non facile determinari queat, quid à creatura fieri vel non fieri poſſit, cum creaturæ vires Deus magis ac magis perpetuo augere queat, neque nos ejus fines ac limites capere poſſimus, quod in miraculorum patratione præſertim obſervandum eſt: hoc tamen certum eſt, creaturæ potentiam, quocunque aſſurgat, ſemper fore limitatam & finitam. Atque hæc vera cauſa eſt, cur creatura non poſſit creare; quia ſcilicet ad creandum, h. e. ad ſolo nutu ac verbo vocandum ea quæ non ſunt tanquam ſint, virtus requiritur infinita & omnipotens, quæ in creaturam non cadit.

Creatura non creat.

XVI. Sed & repugnat hic conceptus ſibimetipſi. Si enim creaturæ à Deo facultas creandi conceſſa foret, quandocunque illa creare ponitur, tum vel Deus ſimiliter volet, ut propter voluntatem creaturæ hoc vel illud incipiat eſſe, atque illi vocanti veluti appareat, & præſto ſit; vel quieſcet, ac nihil aget, & non volet. Si prius, jam non creatura, ſed Deus ipſe creabit, cum non ad creaturæ, ſed ad Dei ipſius voluntatem & nutum res illa proventura ſit: imo ipſe potius à creatura atque nutu ejus dependebit, cum ad voluntatem atque juſſum ejus, quandocunque ſe exerit, Deus ſimiliter res illas vocare neceſſario ponatur. Sin

Digitized by Google

contra Deus quieſcat, ac nihil agat, vel non velit, tum nec Deus erit, cum hoc perfectioni ejus repugnet; nec creatio ſuccedet, nec res creata proveniet; cum non volente Deo nihil exiſtat, nec exiſtere poſſit.

Nec inſtrumenti in creatione vicem præſtat.

XVII. Multò minus creatura aliqua ut creationis cauſa *inſtrumentalis* conſiderari poteſt. Talis enim cauſa in creatione locum non habet, cum omne inſtrumentum materiam & ſubjectum aliquod requirat, in quod propria ſua vi operetur, & agenti principali inſerviat: ubi autem nulla materia vel ſubjectum eſt & ſolo voluntatis imperio res agitur, ibi ſi quæ cauſa inſtrumentalis fingatur, ea in principalem neceſſario tranſit, quæ ab uſu & fraude vocabuli ſolo nomine inſtrumentalis eſt.

Unde cadunt Pontificiorum figmenta de Sacramentorum operatione & verbis conſecrationis.

XVIII. Quæ Pontificiorum figmentis de Sacramentorum operatione ad producendam gratiam & verbis conſecrationis in tranſubſtantiatione, applicanda ſunt. Quæcunque enim hic fingatur *potentia obedientialis* in creatura ad quemlibet effectum, etiam creationem, vel *elevatio inſtrumenti*, divina virtute facta, nullus iſtis vocabulis conceptus ſubeſt, & manifeſta contradictione laborant; cum talis potentia obedientialis, quam vocant, nihil aliud ſit quam mera omnipotentia, quæ in creaturam cadere non poteſt; neque inſtrumentum aliquod, quacunque vi adjutum & elevatum, in tali creatione, qualem hic introducunt, locum habere poſſit.

Cauſa proegumena creationis.

XIX. Cauſa creationis impulſiva ſimiliter non eſt quærenda extra Deum; eſtque ſola libera ejus voluntas & bonitas. *Propter voluntatem tuam ſunt, & condita ſunt.* Apoc. 4: 11. *Et vidit Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant valde bona.* Gen. 1: 31. *Quum cernerem cælos tuos, opus digitorum tuorum; lunam & ſtellas, quas diſpoſuiſti. Quid eſt homo, quod memor es ipſius? & filius hominis, quod viſitas ipſum?* Pſal. 8: 4, 5.

Finis creationis.

XX. Finis creationis eſt gloria Dei, h. e. manifeſtatio divinitatis, potentiæ atque omnium virtutum ejus in creaturis. *Propter eum ſunt omnia, & per eum ſunt omnia.* Hebr. 2: 10. *Ex ipſo & per ipſum & ad ipſum ſunt omnia.* Rom. 11: 36. *Jehovah, Domine noſter, quam ingens eſt nomen tuum in tota terra! quod eſt ponere majeſtatem tuam ſupra cælos.* Pſal. 8: 2, 10. *Cæli enarrant gloriam Dei omnipotentis: & opus manuum ejus indicat expanſum.* 19: 1. *Sit gloria Domino in ſæculum; lætatur Dominus in operibus ſuis.* 104: 31. *Celebrent nomen Domini, nam ipſe præcepit & creata ſunt.* 148: 5. *Omnes tractat Jehovah ad reſponſum ſuum.* Prov. 16: 4. *Dignus es, Domine, accipere gloriam & honorem & potentiam: quia tu condidiſti*

Digitized by Google

ſti omnia. Apoc. 4:11. Unde neceſſe fuit, inter res creatas exiſtere quoque creaturam, quæ capere ac intelligere poſſet excellentiam atque virtutes Dei, quas in creatione voluit exerere; cuique reliquæ creaturæ teſtarentur gloriam creatoris, ac laudes ejus enarrarent; quæque creaturis omnibus uti, & Deo ipſo, ut vero bono ac fine ſuo, frui poſſet. *Tollite ſurſum oculos veſtros & videte: quis creavit hac? qui educit in numero exercitum illorum: univerſos nomine citat præ multitudine ſufficientiæ & cognitione virium; nullus deeſt.* Eſai. 40:26. *Nam inviſibilia ipſius à creatione mundi, rebus factis animadverſa conſpiciuntur, ejus tum æterna potentia tum divinitas.* Rom. 1:20.

XXI. Speciatim autem in magnifico hoc opere oſtendere Deus voluit *potentiam*, Rom. 1:20. & *ſapientiam* ſuam, 1. Cor. 1:20, 21. quarum illa primum omnium ſeſe prodit, & ubique intuentibus ſeſe offert; hæc vero ultimo loco; cum pars ſapientiæ Dei ſit ſeſe occultare: ita ut ſtulta interdum videatur, & humanos oculos varia ſua luce non oblectet magis quam offendat; in quo tamen ipſo magnitudo ejus elucescit. *Videtis vocationem veſtram, fratres, quod non multos ſapientes ſecundum carnem, ſed ſtulta mundi elegerit Deus, ut pudefaceret ſapientes.* 1. Cor. 1:26, 27.

XXII. Particularium vero creaturarum fines nec capere nec perſcrutari humana ratio valet; nedum ut ita nos ipſos deamemus, ut propter nos ſolos omnia eſſe condita velimus: cum vaſtum ac immenſum hoc manuum Dei opus, quod videmus ac ſtupemus, & quod ne intellectu quidem capere poſſumus, longè alios ob fines ſeſe conditum eſſe proclamet, quam unius hominis cauſa, qui tam exiguam ejus partem videt ac capit, & cui maxima naturæ pars adhuc latet. Quos fines Deus ſolus novit, ex iiſque omnibus tandem ſummam gloriam ſuam perficit; ad quam homo quoque omnia referre, atque eo reſpectu univerſo hoc mundo aliquo modo quoque uti poteſt.

XXIII. Adjunctum creationis eſt tempus: quod in genere exprimit Scriptura, omnia creata dicens in *principio*; quod ſicut principium eſt operum Dei, ita quoque verborum ejus initium eſt. Novitatem enim mundi omni modo urget Scriptura, atque ראשית & ראש, rerum initium & exordium, & קדמי ארץ primordia terræ commemorat. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Gen. 1:1. *Qui vocat ætates ab initio.* Eſai. 41:4. *à ſeculo uncta ſum, à capite, à principiis terræ, quum nondum eſſent abyſſi, genita ſum* &c. Prov. 8:23, 24. *In principio erat ſermo.* Joh. 1:1. *Glorifica me Pater ea gloria quam habui apud te antequam hic mundus eſſet.* *Creationis* ADJUNCTUM *tempus.*

Digitized by Google

Joh. 17: 5. *Antequam montes gignerentur, & produceres terram & frugiferam, imò à ſæculo ad ſæculum tu es, ô Deus omnipotens.* Pſal. 90: 2. Sicut ejuſdem interitum & finem quoque docet. Quin Judæi tam firmiter eam tenent, contra Sabæorum, quibuſcum Abrahamus diſputaſſe fertur, errores, ut eam fere inter articulos fundamentales numerent, & contra ſentientes pro hæreticis habeant. Quod enim non-nunquam fabulantur de ſeptem rebus, antequam crearetur mundus, conditis, nimirum lege Moſis, Gehenna, Paradiſo, Throno gloriæ, Sanctuario, Reſipiſcentiâ, & nomine Meſſiæ, allegoricè à Magiſtris exponitur; quorum hoc verbum eſt: antequam crearetur mundus, erat ſolus Deus benedictus ac nomen ejus. Ut malè noſtro ſæculo Vorſtius, Ariſtotelem ac Platonem ſecutus, materiæ æternitatem docuerit, eamque Deo coævam ſtatuerit.

An mundus potuerit eſſe ab æterno?

XXIV. Verum alia movetur quæſtio: an mundus ſaltem ab æterno eſſe potuerit? Quod Scholaſtici ingenti diſſenſu in ſcholis ſuis diſputant, in Ariſtotelis ſui gratiam, ut ille, ſi mundus ab æterno eſſe potuerit, & ſola fide ejus ortus ac initium conſtet, ratione ſaltem non aberraſſe cenſeatur, æternum illum ſtatuens. Nos etſi eos qui poſſibilem mundi æternitatem aſſerunt, difficulter refelli putemus, iis tamen aggregare nos malumus, qui abſque principali tempore condi aliquid potuiſſe negant.

Tempus rebus concreatum.

XXV. Una ergò cum mundo creato acceperunt omnia ſuum *αἰῶνα* & *tempus*, quod illis admenſus eſt Deus, quodque ipſis veluti concreavit. *Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ fide conſideramus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Hebr. 11: 3. Inanis enim eſt Socinianorum argutia, tempus non eſſe creatum, cum videl. illud vel in tempore foret creatum, quo pacto in infinitum iretur, vel ab æterno: verum tempus non propriè creatum, ſed rebus concreatum eſt, cum ſit tantum duratio rei creatæ, imò potius modus cogitandi, quo rei creatæ durationem menſuramus: quales etiam ſunt numerus & menſura, quæ quantitatis menſuræ ſunt; ut non ſolum præſupponat res creatas, verum etiã mentem cogitantem atque eas menſurantem. Ita ut ante rerum ortum nullum tempus fuerit, imo ne cogitari quidem poſſit; cum non magis tempus & durationem ſine creaturis exiſtentibus imaginari nobis poſſimus, quam ſpatium ſine corpore. Unde & in Scriptura à principio, vel à ſæculis, ante terram conditam, ante abyſſos &c. fuiſſe, meram æternitatem notat. Pſal. 90. Prov. 8. Joh. 1.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Ad quæſtionem, an Deus mundum non potuerit citius creare, quam fecit? ſi de ætate ipſius mundi id intelligas, equidem indubium illud eſt. Si verò illud citius condere mundum ad æternitatem referatur, cum abſurdum ſit in ea quid citius vel tardius, prius vel poſterius concipere, eo ſenſu Deum citius potuiſſe condere mundum dici nequit. Quod autem ante tam pauca annorum millia magnificum hoc opus ſtruxerit, nec longioris ævi inducias ipſi indulſerit, in eo liberrimam voluntatem ac ſapientiam ſuam oſtendit. *Non eſt veſtrum ſcire tempora aut opportunitates quas Pater poſuit in propria poteſtate.* Act. 1: 7. *Propter voluntatem tuam ſunt & condita ſunt.* Apoc. 4: 11. *Deus noſter in cælo eſt, quicquid voluit fecit.* Pſal. 115: 3. *An mundus non potuerit citius creari?*

XXVII. Etſi autem ipſum mundi conditi initium atque annus ejus veluti natalis, exactè inveniri non poſſit, atque ea res propter moleſtiſſimas Chronologorum controverſias fere deſperata ſit; ſatis tamen è ſacro Moſis & Prophetarum calculo conſtat, mundum non adeo antiquum eſſe, ut ejus ortus ab immenſo ſæculorum intervallo repetendus ſit, ſed eſſe recentiorem, ut juxta chronologorum communem calculum necdum ſex mille annorum ætatem attigerit. Si qui vero populi annales ſuos ulterius extendant, vel meræ illæ fabulæ ſunt, & mentientis famæ ludibria, vel anni menſtrui vel quadrimeſtres, non verò ſolares, intelliguntur. *Mundi antiquitas.*

XXVIII. Quod in ſpecie de tempeſtate anni, in qua mundus conditus ſit, diſceptant, an vere, an verò autumno, quod alii malunt, id in genere, reſpectu univerſi mundi, fruſtra quæritur, cum omnia anni tempora juxta varias mundi plagas ſimul exiſtant. Neque etiam magni adeo uſus eſt, de particulari aliqua regione, vel terrâ Canaan, vel horto Edenis, quæ ipſa loca à ſe invicem diſtant, nec ſub eodem ſidere degunt, illud determinare. Si vero de cœli ſigno, in quo Sol primum conſpectus ſit, illa quæſtio intelligatur, prout convenientiſſimum eſt; communior ſententia eſt autumno mundum conditum eſſe, ſole in librâ verſante: quod ex anno Iſraëlitarum civili, qui & Patriarcharum retrò ad primam mundi ætatem uſque annus fuit, quique menſe Tiſri incepit: *Et obſerva feſtum meſſis primitiarum operum tuorum quæ ſeveris in agro, & feſtum collectionis in exitu anni, quum collegeris opera tua ex agro.* Exod. 23: 16. confer. c. 34: 22. *Et feſtum ſeptimanarum facies tibi, primitiarum meſſis triticeæ, & feſtum collectionis* תְּקוּפַת הַשָּׁנָה *ineunte anno*, & ex annis Sabbaticis, qui æquinoctio autumnali pariter inchoabantur, non im- *Qua anni tempeſtate mundus conditus ſit?*

improbabiliter colligitur. Atque idem anni tempus reſpectu paradiſi fuiſſe pleriſque videtur, utpote quod ex arborum fœtibus, atque omnis generis fructibus tum maturis, conſtat.

Res condita, quæ dicuntur κόσμος, MUNDUS, עולם *αἰῶνες,*

XXIX. Quod ad res conditas attinet, earum univerſa compages ab ornatu κόσμου & *mundi* voce exprimitur. Κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. *occulta à fundatione mundi.* Matth. 13: 35. *ὁ κόσμος mundus per ipſum factus eſt.* Joh. 1: 10. Hebræis autem עולם, ob durationem, non quidem æternam, ſed longam, appellatur: quod Scriptores N. T. imitantur vocabulis *αἰών* & *αἰῶνες*. *Meſſis verò, συντέλεια τοῦ αἰῶνος conſummatio ſæculi eſt.* Matth. 13: 39. *Sic erit in conſummatione ſæculi hujus.* v. 40. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem τοῦ αἰῶνος ſæculi.* Matth. 28: 20. *Per quem τοὺς αἰῶνας ſæcula fecit.* Hebr. 1 1: 3. *Fide conſideramus τοὺς αἰῶνας κατηρτίσθαι ſæcula eſſe concinnata verbo Dei.* Hebr. 1: 3.

non eodem modo creata.

Quæ non tantum ſæculorum ſeriem, ſed & res ipſas, quas ſæculis metimur, id eſt, mundum hunc ipſum, ut eſt in continuo fluxu, notant. Hæ autem res non eodem modo omnes ſunt creatæ. Propriè enim tantum creatum dici poteſt, quod per ſe ſubſiſtit, & per ſe concipitur, quodque nulla alia cauſa præter Deum ad ſubſiſtendum indiget, prout ſoli Deo creatio adſcribitur, ut *corpus*, ſeu extenſum, & *Spiritus*, ſeu cogitatio.

XXX. *Accidentia* & modi, quæ præter Deum præſupponunt ſubſtantiam creatam, cum ad creationem nulla alia concurrat cauſa, concreata, ſive adcreata ſunt; una eâdemque actione cum ſubſtantiâ ſuâ, quæ ſine modis ſuis, nec eſſe nec creari poterat. Similiter concreata ſunt *locus*, ſive ſpatium, quod ab extenſo ſive corpore non differt niſi cogitatione noſtra; ut ſpatium mundo præ-exiſtens aut eo latius patens concipere contradictio ſit: & *tempus*, quod pariter a re durante non diſtinguitur, ſed potius in nobis cogitandi quidam modus eſt. Idemque de omnibus rerum eſſentiis, veritatibus, legibus, ordine, quorum nihil nec actu nec potentia fuit, niſi dependenter à Deo, judicandum eſt.

Mundus UNICUS *eſt.*

XXXI. Atque mundus hic, ſeu rerum creatarum compages, non niſi *unicus* eſt; ac plures mundi, ſive ſucceſſive, ſive ſimul, non niſi ineptiſſimè cogitari poſſunt.

Rabbinorum commentum de mundis ſucceſſivè pluribus:

XXXII. Succeſſive plures mundos exiſtere delirarunt cum aliis quibuſdam Rabbini, atque ex prima littera Geneſeos, quæ ſecunda alphabeti eſt, hunc ſecundum eſſe mundum, atque ſecundam ſemitam, argutantur: quin ſingulis mille annorum ſeptenariis, qui mundo huic

veluti

Digitized by Google

veluti anni Sabbatici ſunt, illum deſtrui ac rurſus innovari fabulantur.

XXXIII. Plures autem mundos ſimul, quin innumeros, invehebant plurimi inter veteres, præſertim Epicurus, Metrodorus, ac reliqui ex iſta familia Philoſophi. Qua in re diſtinctio adhibenda eſt. Vel enim de pluribus mundis ſeu orbibus particularibus terræ, huic noſtræ ſimilibus, hoc intelligebant; in quo nulla abſurditas vel contradictio eſt: vel plura univerſa, ac rerum compages à ſe invicem ſeparatas ac diſtinctas concipiebant; qui conceptus abſurdus & ſibi ipſi repugnans eſt. Cum enim diſcreti ſtatuantur iſti mundi, ſicut Epicurus ſua intermundia ſtatuebat, vel aliquid inter illos interjacebit, vel nihil: ſi nihil, ne quidem diſcreti erunt; ſi aliquid, hoc vero ipſo erunt continui; corpus enim hoc interjacens veluti communi vinculo compagem iſtam conjunget, adeoque rurſus unum tantum erit univerſum. Spatium enim imaginarium, quod inter duo iſta univerſa interjungunt, non ex vero eſt, ſed merum phantaſma & aberrantis mentis ludibrium.

& Epicureorum de mundis ſimul pluribus.

XXXIV. An vero plures ſint mundi particulares, ſive corpora, terræ, quam nos incolimus, ſimilia, in quibus aut homines aut aliæ creaturæ viventes degant; & an non reliqui planetæ, qui circa ſolem feruntur, ejuſdem cum hoc noſtro naturæ ſint; ac an non & aliæ ſtellæ tales orbes ſecum vehant, qualis hic noſter eſt; an vero in immenſo iſto cœlorum ſpatio inanes ferantur; nec temere affirmandum, nec negandum eſt: cum Dei opera ac fines maximam partem ignoremus, neque nimis tenuiter de illis ſentiendum ſit. Lunam ſaltem, quæ propius nobis imminet, terræ noſtræ eſſe perſimilem per artificioſa ſpecula jam dudum deprehenſum eſt. Ut hic tantum præjudiciis laboremus, & proprio amore veluti mente capti nos ſolos Dei delicias putemus, & noſtram terram mundi totius angulum amœniſſimum, & univerſæ naturæ compendium, ac ſolum Deo dignum theatrum ſtatuamus, omniaque unicè propter nos & propter illam facta eſſe temere, & non ſine reliquorum operum Dei contemtu, judicemus. Contra homines tamen, aliorum mundorum incolas, hactenus Scriptura præſcribit, quod cum curatè viſibilia Dei opera recenſeat, nuſquam aliorum hominum meminit: quin & Deum *ex uno ſanguine feciſſe* πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων *totum & omne genus hominum* κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς aſſerat, Act. 17. 26. Vid. & Eſai. 45 : 18.

An plures mundi ſint particulares, ejuſdem cum noſtro natura?

XXXV. Quamvis tamen mundus hic unicus ſit, nihilominus diverſas partes ſuas habet, ex diverſo motu ipſi indito, quo omnia variè cien-

Mundi partes,

entur, & varia corpora efficiunt, factas & coagmentatas. Ut unus ſit ex partium aggregatione, atque omnium inter ſe ordine ac fine à ſapientiſſimo conditore conſtituto.

Rejicitur figmentum de communi mundi anima & natura univerſali.

XXXVI. Atque hic repudiandum eſt iſtud figmentum veterum, quod nuperus Phyſicæ ad verbum Dei reformatæ ſcriptor renovavit, dari mundi, veluti animantis cujuſdam, communem quandam animam ac naturam univerſalem, quæ intima ſua præſentia illum totum permeet, & tot corporum partes ac diverſas naturas particulares arcano nexu colliget, atque incommoda omnia & adverſa potentiſſimè vel vitet vel tollat. Manifeſtum enim eſt, mundum non eſſe totum animatum, ſed per partes quaſdam duntaxat, quæ ſe ultro offerunt & à reliquis diverſæ apparent. Nec anima aliqua aut natura ſpiritualis cogitari poteſt alia quam intelligens, qualis hominum vel angelorum eſt, quæ in præcipuis mundi partibus non apparet; unde nec illis ſpiritus talis communis adſcribendus eſt. Imo ne quidem ulla propriè datur forma materiæ ab ea diſtincta, ut vulgo concipitur, ſed forma cujuſlibet rei eſt ejus eſſentia; multo minus talis forma univerſi ab ipſo mundo diſtincta introducenda eſt. Denique non ſine probro & injuria in Deum ipſum ponitur talis anima, quæ toti mundo cunctiſque ejus partibus infuſa, ac magno ſe corpore miſcens, molem iſtam continuò agitet, & Dei ipſius vices, cum in primâ rerum productione, inſtar fabri (hunc enim iſtum Spiritum volunt eſſe, de quo Gen. 1:2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquis*) tum in quotidina mundi gubernatione ſuppleat; Deus enim ipſe conditor atque artifex hujus mundi eſt, ſoluſque omnibus rebus præſens adeſt, nec tali auxiliari ſpiritu opus habet. Ut reliqua ſententiæ iſtius incommoda & dedecora prætercam: nam ſpiritum hunc per omnia ſparſum pro variis rerum ſpeciebus varium ponunt, imo & animam humanam inde decerptam ajunt, quam gradu duntaxât animis brutorum ſuperiorem ſtatuunt, ita ut ſpiritus naturalis, vitalis, animalis & mentalis ſint idem ille mundi ſpiritus, puritatis & perfectionis gradu tantum differentes.

Mundi FINITUDO.

XXXVII. Adjuncta mundi ſunt 1. *Finitudo*, quæ variè intelligitur. Aliud eſt enim infinitum, aliud indefinitum: atque infinitum rurſus, aliud eſt perfectione, ut ſolus Deus; aliud mole ſive extenſione, de quo proprie quæritur.

qua indefinitus.

XXXVIII. Atque hoc ſenſu, mundum quod attinet, ſtatuendus ille eſt indefinitus, h. e. talis in quo nos nullos terminos deprehendere ac in-

intellectu concipere poſſumus. *Si menſurabuntur cœli ſupernè, & perveſtigabuntur fundamenta terræ infrà; etiam ego rejiciam omne ſemen Iſraelis* &c. Jer. 31: 37. quod non ex mentis humanæ imbecillitate vel impotentiâ proficiſcitur, ſed ex poſitivo conceptu, quo talem mundi ideam in nobis experimur, ut nullos in ea terminos nobis imaginari poſſimus, ſed quocunque mundi fine poſito ſemper ultra tendimus, atque ulteriorem extenſionem concipimus: quod & falſus ſpatii imaginarii extra mundum in infinitum extenſi conceptus teſtatur; cum quodcunque ſpatium concipiatur, illud non niſi ut extenſum, ac ut corpus concipi poſſit. Quæ mundi idea cum non ſit orta ex præjudiciis, nec aliunde hauſta, neceſſe eſt ut à Deo nobis ſit indita, & per conſequens vera, & naturam ejus repræſentans.

XXXIX. Secundum mundi adjunctum eſt, *mutabilitas. Illa peribunt & tu permanebis, & omnia illa ut veſtimentum inveteraſcent, inſtar indumenti mutabis illa & mutabuntur*. Pſal. 102: 27. *Cœli conflagrantes ſolventur, & elementa æſtuantia liqueſcent, ſed cœlos novos ac terram novam ſecundum promiſſum ejus exſpectamus, in quibus juſtitia habitat*. 2. Pet. 3: 12, 13. Ita tamen ut immutabilis maneat ipſius materia ſeu ſubſtantia, & ſingulæ ejus partes ex naturæ lege tam diu ſuam immutabilitatem retineant, donec aliunde de ſtatu ſuo deturbentur. *Mundi* MUTABILITAS.

XL. Tertium, *bonitas*; quæ ſingulis ejus partibus communicata eſt. *Et vidit Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant valde bona*. Gen. 1: 31. *Omnis creatura Dei eſt bona, & nihil rejiciendum*. 1. Tim. 4: 4. quæque illam earum perfectionem dicit, qua ſingulæ aptæ ſunt ad uſum illum, cui à Deo ſunt deſtinatæ; ita ut nihil fruſtra neque temere creatum ſit. *Ex ipſo & per ipſum & ad ipſum ſunt omnia*. Rom. 11: 36. utcumque ſæpe in oculis noſtris creaturæ quidem viles ac contemtæ videantur; non enim ex noſtro judicio, ſed ex creatoris ſapientia & totius mundi ordine ac ornatu omnia æſtimanda ſunt. BONITAS.

XLI. Ad quæſtionem, an Deus non potuerit mundum meliorem ac perfectiorem condere, quam eum condidit? Reſp. Cum rei bonitas ex ſolo Dei juſſu & ordine æſtimanda ſit, & non à rebus ipſis, ſed à ſolâ Dei voluntate pendeat, fruſtra hoc quæri: cum mundus nunc ſit perfectiſſimus & optimus, eo ſolo quod hoc pacto illum condere Deus voluerit; & ſi vel alio modo mundum condidiſſet, vel hoc ipſo pacto rurſus fuiſſet optimus, nec melior effici potuiſſet. In ſpecie vero, mundum ipſum & ejus partes conſiderando, ſi partes mundi ſingulas in ſeſe ſpe- *An Deus non potuerit mundum perfectiorem condere?*

Digitized by Google

ctes, procul dubio unaquæque earum pulchrior & ornatior à Deo condi potuiſſet; ſi vero eas conſideres ut partes mundi, atque ad univerſi hujus compagem pertinentes, & totum mundum ex diſſimilibus partibus conſtantem, oculis perluſtres, dicendum eſt, cum meliorem à Deo effici non potuiſſe; cum maximus ejus ornatus & perfectio ex iſta partium inæquali perfectione reſultet.

CAPUT XLII.

De Operibus Creationis in ſpecie.

Creaturarum SPECIES.

I. DEſcendendum nunc ad creaturarum ſpecies, quas variè dividunt Judæi & Cabbaliſtæ: nos Spir. S. diviſionem ſequemur, qui eas dividit juxta ſingularia ſex dierum opera. Ac de illis prius in genere nonnulla, tum ſingula in ſpecie videbimus.

Creationem omnem momento peractam quidam cenſent.

II. Creationem omnem non ſex dierum interſtitiis, ſed unico momento peractam eſſe, cum veterum multi, tum etiam ex recentioribus quidam opinati ſunt; atque in narratione Moſis dies nobis allegoricos confinxerunt, eoſque juxta cogitationes angelorum vel hominum diſtinxerunt: errcre ex ſcriptore Apocrypho, Syracidâ, c. 18. 1. primum accepto, qui Deum omnia κοινῇ, quod vulgatus reddidit *ſimul*, creaſſe dixit.

Quorum ſententiæ obſtat Moſis hiſtoria.

III. Obſtat autem ſimplex & hiſtorica Moſis narratio, qui ſex dies memorat, & ſingulis diebus proprium opus adſcribit; ac primum quidem terram fuiſſe vacuam & inanem, poſteaque aquarum factam ſeparationem dicit, quod verum non fuit, ſi uno momento conſummata fuerunt omnia. Accedit quod eadem res repetatur in quarto præcepto, atque eo exemplo populus ad quietem ſeptimo die agendam moveatur; quod fieri non poterat, ſi non pariter Deus ſex dies in conditione mundi quaſi occupatus, ſeptimo die demum quieviſſet, & Sabbatum agitaviſſet. Syracides autem, cum omnia κοινῇ condita dicit, non de tempore, ſed de creaturarum omnium collectione, quæ pariter & communiter à Deo conditæ ſunt, intelligendus eſt. Similis ſenſus eſt: *Videt ſapientes mori, ſimul ſtultum & brutum perire.* Pſal. 49: 11.

Quare Deus ſex dierum

IV. Iſto autem ſpatio in creando Deus uſus fuit; tum ut libertatem ſuam teſtaretur; tum ut ſapientiam ſuam in magnifico hoc opere per

par-

Digitized by Google

partes quaſi explicaret, & in creaturarum potiſſimum nexu & ordine maximam partem latentem plenius evolveret; tum ut univerſum mundum, prout inter ipſas formantis Dei manus verſatus eſt, ſingulaque ad ejus nutum ac vocantis imperium in hanc mundi ſcenam prodierunt, ſuo ordine nobis ob oculos poneret, atque amœniſſimo iſto ſpectaculo nos diutius detineret; denique ut in hoc ab imperfectioribus ad perfectiora progreſſu imaginem & exemplar conſummationis noſtræ ſpiritualis exhiberet. *Deus qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſceret, is eſt qui luxit in cordibus noſtris ad illuſtrationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti.* 2. Cor. 4: 6.

Spatio in creando uſus fuerit?

V. Dilutum autem eſt, quod Judæi ex hoc naſcentis mundi ἑξαημέρῳ, velut ex themate ejus γενεθλίῳ, ætatem ac durationem ejus divinare auſi ſunt, atque eam non amplius quam ſex mille annorum, ac ſeptimo millenario mundi Sabbatum & finem futurum dixerunt; quia videl. apud Deum *mille anni ſunt ut dies heſternus*. Pſal. 90: 4.

Judæorum ex hoc de mundi duratione commentum.

VI. Rurſus de diebus ſingulis quæritur, an non ſaltem ſingulorum dierum opera unico momento perfecta ſint? ad quam quæſtionem reſp. creationem ipſius univerſi, ſive materiæ ejus, conſiderando, quæ primo die peracta eſt, eam omnem neceſſario unico momento ſive ſpatio breviſſimo eſſe factam; non ſolum in genere, quia juſſui ac voluntati Dei, ubi momento rem apparere jubet, nihil reſiſtere potuerit, atque ad ejus imperium cuncta ſine ulla mora adeſſe debuerint; ſed &, quod in ſpecie primo diei peculiare eſt, quia creatio prima & immediata, cum dicat tranſitionem à non eſſe ad eſſe, neceſſario momento fiat; nec aliter intelligi queat, cum creatura à non eſſe ad eſſe cum aliqua mora tranſire, & partim eſſe partim non eſſe, non poſſit; denique quod idea corporis & extenſi, quam habemus, non patiatur illud per partes creatum eſſe, cum ejus ſit naturæ, ut ne minima quidem materiæ cogitari poſſit extenſio, quin ſimul major & major, imo ea univerſa à nobis cogitetur. Quod vero mediatam creationem, & materiæ jam conditæ diſtinctionem & exornationem ſpectat, quæ ſequentibus diebus facta eſt, ea non uno momento, ſed tractu aliquo & mora, prout Deus juſſit, perfecta videtur. Alioquin enim Deus non opus habuiſſet ſingulis operibus ſingulos dies dare, & demum ſeptimo quieſcere; cum totidem momentis perficere omnia potuiſſet, imo revera perfeciſſet, & non ſeptimo demum die, ſed ſingulis diebus, abſoluto iſtius diei penſo, interquieviſſet.

An ſingulorum dierum opera unico momento perfecta ſint?

Creatura non eodem modò producta.

VII. Res autem non omnes creatæ ſunt eodem modo: quarundam enim rerum individua omnia perpetuo manſura creata ſunt, aliarum autem aliqua ſolum, ſpeciem per propagationem conſervatura: alia creata ſunt in ſe ipſis, alia in ſuis cauſis; ut meteora, & inſecta multa: alia creatione immediata, alia mediatâ, ex materia jam producta, ſed inhabili, cui Deus certam motus quantitatem indidit, quem juxta leges ipſi inditas temperavit & rexit, & præter leges illius, verbo ſuo ac juſſu per immediatam ſuam operationem & in materiam influxum, ſex illis diebus varie determinavit, donec ex rudi & impolitâ iſtâ maſſâ, Dei, molem iſtam variè cientis, manu pulcherrimus hic mundus tunc temporis tandem prodierit, & nunc etiamnum ſubſiſtat.

VIII. Ita enim creatio mediata non incongruè concipitur: nec audiendum quorundam cavillum, Deum hoc pacto in tornionem converti; cum longe illuſtrius hoc Dei opus ſit quam mechanici alicujus, ut qui & motum & leges ejus ipſe materiæ indiderit, & potentiſſimè temperaverit, ac ex vaſto & informi ejus ſinu ſtupendum adeo opus juſſu ſuo prodire fecerit. Et certe longe concinnius per motum & naturæ leges mundum hunc ordinaſſe ſtatuitur, quam formis ſubſtantialibus, qualitatibus realibus, & ſimilibus fictis entibus ad eum condendum conſervandumque eguiſſe.

IX. Ad perficiendam autem & conſtituendam hanc mundi molem, tum modus, tum ordo à Deo obſervatus, conſiderandus eſt.

Modus conſtitutionis omnium.

X. Modus conſtitutionis hæc quatuor continebat: 1. mandatum Dei ſingulas res producens; *eſto lux*. 2. approbationem rei productæ; *vidit Deus lucem eſſe bonam*. 3. ordinationem ſingulis rebus uſum ſuum aſſignantem. 4. ſanctionem legis ac ordinis in rebus perpetuo obſervandi. In quibus omnibus, juxta ſingulorum ordinem, pariter hæc quatuor Dei attributa elucebant; Dei potentia. *Ipſe dixit & factum eſt; ipſe juſſit & ſtetit.* Pſal. 33:9. Bonitas. *Bonus* eſt *Jehova omnibus.* Pſal. 145: 9. Sapientia. *Aptavit frugiferam ſapientia ſua, & intelligentia ſua extendit cœlum.* Jer. 10: 12. Immutabilitas & conſtantia. *In ætatem & ætatem eſt fidelitas tua; fixiſti terram & ſtat. Ob judicia tua ſtant hodieque, quia univerſa ſunt ſervi tui.* Pſal. 119: 90, 91. *Sic dixit Jehovah, qui dat ſolem ad lucem diei, leges lunæ & ſtellarum ad lucem noctis, qui movet mare, ut fremant undæ ejus, ſi recedent ſtatuta hæc à conſpectu meo, etiam ſemen Iſraëlis ceſſabunt, ut ne ſint gens coram me omnibus diebus.* Jer 31: 35, 36.

XI. Atque ut opera Dei primo condita ſunt, ita etiam perpetuo manent

Digitized by Google

nent & perdurant, & juxta primas illas naturæ leges omnia perpetuo fiunt. Indidit enim Deus ab initio mundo huic motum, certis legibus temperatum, rerum omnium artificem ac fabrum, à quo omnis mundi varietas & ornatus eſt, cum ſine eo univerſa rerum natura iners & bruta jacuiſſet, nihilque fuiſſet niſi ſola in longum, latum & profundum extenſio, nihilque vel ſentiri vel videri potuiſſet: quem motum, licet ab una materiæ parte ad aliam continuo tranſeat, eadem tamen ſui quantitate Deus ſemper conſervat, atque omnes res in ſuo ſtatu, vel motus, vel quietis, perdurare facit, donec externa vi inde depellantur: ut nulla fiat in Dei operibus variatio, niſi quam vel divina revelatio, vel evidens experientia docet; atque adeo pauciſſima fiant miracula.

Operum Dei duratio in eo ſtatu in quo condita ſunt.

XII. Tribus ſaltem vicibus legitur mundi ordo atque naturæ ratio (obſcurum quo modo) immutata fuiſſe. Bis in cœlo, Joſuæ & Ezechiæ tempore, cum polo erraſſe diem non ſine ſtupore mortales ſenſere, conf. Matt. 27: 45. Semel in terra, tempore diluvii, cum integro anno deſolata fuit terra, & ultimo ejus ſemeſtri leges nativitatis & mortis veluti ſuſpenſæ fuerunt.

Mundi generalis ordo tribus vicibus immutatus.

XIII. Cæteroquin una cum creatione & per eam fundata ſunt principia omnium legum. Imo ipſa creatio viſibilis quaſi & loquens rerum lex eſt, ex qua ſola multæ rerum leges deduci & explicari poſſunt; ſicut inde eſt prohibitio polygamiæ, Matth. 19: 4, 5, 8. primatus viri, 1. Tim. 2: 12, 13. quod commixtio animalium diverſæ ſpeciei vetita ſit. Gen. 36: 24. Lev. 19: 19. ut & deletio ac extinctio univerſæ alicujus ſpeciei, quod ne quidem Noacho in arca licuit. Ut vel ex ipſis creationis legibus fictitia panis in tranſubſtantiatione annihilatio redarguatur.

in Creatione omnium legum principia fundantur

XIV. Ordo præterea creationis talis fuit, ut in eâ ſimiliter elucerent varia Dei attributa: præcipue autem ejus *potentia*, dum magnam creaturarum partem produxit ante ſolem & ſidera, ordinarias inferioris mundi cauſas: *Bonitas*, quod antequam homo conderetur ei domicilium inſtruxit, rebus omnibus ad vitã neceſſariis abundans; & reliquis animantibus pabulum, & herbas, & quicquid tellus ipſis alendis profert, jam ante præparaverit: varia denique ejus *Sapientia*, dum per gradus creaturas produxit, & ſimplicia prius creavit quam compoſita; & inter ſimplicia prius perfectiora, ex. gr. lucem, quam imperfectiora; ſicuti in compoſitis rurſus, veluti ducentis naturæ ordine, ab imperfectioribus ad perfectiora progreſſus eſt, à plantis videl. ad animalia, atque hinc tandem ad hominem, operum Dei colophonem & gloriam.

Ordo creationis manifeſtat Dei potentiam, bonitatem, ſapientiam.

XV.

Digitized by Google

Creationis ſimplex & ſuccincta narratio.

XV. Ipſius autem creationis hiſtoria ſimpliciter, & ſine ullo fuco ac pompa, qualem res adeo magna faſtidiret, à Moſe enarratur; ſive ex veteri traditione, ſive ex immediatâ Dei revelatione; idque ſuccinctè & breviter, quamvis alioquin ſapientiæ naturalis fuerit conſultiſſimus; quippe *edoctus omnem Ægyptiorum ſapientiam, potenſque in ſermonibus & operibus*, Act. 7:22. Satis enim habens mundi origines ex fide tradere, ſic ad Eccleſiam tranſit, quæ mundi hujus gloria eſt; qui unicus ipſius ſcopus erat.

De Operibus primi diei.

Opera PRIMI *diei, cœlum, terra, lux.*

XVI. Opera primi diei recenſentur tria, cœlum, terra, lux; juxta prima Geneſeos verba, *in principio creavit Deus* &c. Quæ tamen non uno modo ab omnibus intelliguntur.

Quidam volunt angelos & materiam mundi creatam eſſe ante hexa-emeron.

XVII. Quidam angelos, & materiam mundi creatam volunt ante hexa-emeron; ita ut aliquot ſeculis ante jam angelorum reſpub. viguerit, dum terra jaceret deſolata & inanis, quæ ſex illis diebus demum exornata fuerit. Atque ita verba *in principio* non notant ipſis principium primi diei, ſed in genere principium creationis, primo autem die lucem ſolam creatam dicunt; creationis autem ipſius materiæ in hexa-emero Moſis nullam mentionem fieri. Quæ ſententia, licet reſpectu Angelorum etiam quorundam veterum fuit; ſicut materiæ æternitatem olim hæretici nonnulli & præſertim Philoſophi adſtruxerunt; ita à Socinianis potiſſimum in odium veræ æternitatis Chriſti tenetur, ut argumentum pro ea, ab exiſtentia ejus ante creationem mundi deductum, enervent.

quod refellitur.

XVIII. Quanquam autem opinio hæc cum fide non pugnaret, modo omnia illa, & cœli & terræ materia, & angeli, à Deo creata ponerentur, licet longo intervallo antequam terra hæc ornatum ſuum acceperit: quia tamen nulla certa ad eam probandum argumenta producuntur, nulla ratio eſt cur à communi ſententia diſcedamus. In quem uſum enim moles iſta tam diu informis & indigeſta jacuiſſet? & quam gloriam Deus ex iſto opere habuiſſet? niſi illam increatam & Deo coæternam dicant, quo collimare Sociniani videntur: & ſi jamtum motus aliquis rudi iſti maſſæ inditus fuit, certe longe ante, juxta leges ejus, in diſtincta corpora coiiſſet, nec ſex dierum labore opus fuiſſet. Verum diſerte tradit Scriptura, ſex diebus creata, *cœlum, terram*, juxtaque omnia, quæ in illis ſunt. *Et abſoluta ſunt cœlum & terra & omnis exerci-*

Digitized by Google

ercitus illorum. Et abſolvit Deus in die ſeptimo opus quod faciebat, & ceſſavit die ſeptimo. Gen. 2 : 1, 2. quibus vocibus quicquid uſpiam in rerum naturâ eſt exprimitur. Præſertim cum ante mundum conditum nihil fuerit niſi æternitas, & juxta Scripturæ uſum æquipolleant iſta, ab æterno eſſe, & ante jacta mundi fundamenta extitiſſe. *Antequam montes gignerentur & produceres terram & frugiferam, imo à ſæculo ad ſeculum tu es, ô Deus omnipotens.* Pſal. 90 : 2. *Jehova habuit me principium viæ ſuæ, ante molitiones ſuas, à tunc.* Prov. 8:22. *Deus potens Jehova creavit cælos & illos extendit* &c. *Ego ſum Jehovah: hoc eſt nomen meum* &c. Eſai. 42:5, 8. *Elegit nos in ipſo ante jacta mundi fundamenta.* Eph. 1:4. *Chriſtus agnus inculpatus præcognitus eſt ante fundationem mundi.* 1. Petr. 1:20. *Dilexiſti me ante fundationem mundi.* Joh. 17:24. *Nota ἀπ' αἰῶνός à ſæculo ſunt Deo omnia opera ejus.* Act. 15:18, ut niſi æternam velint eſſe iſtam materiam, in eodem iſto principio creatam eam debeant dicere.

XIX. Alii prima iſta verba non ad certum aliquem diem referunt, ſed pro univerſæ creationis compendio & ſummario ſummunt, quam Moſes deinceps diſtinctius per ſuas dies exponat: ſed obſtant verba proximè ſequentia, *& terra erat informis* &c.

Alii prima verba Geneſeos ut creationis ſummarium accipiunt.

XX. Per cœlum igitur & terram intelligitur univerſa mundi hujus machina non informis ac ἄμορφος, ſicut quidam illud de rudi ac indigeſta totius univerſi materia intelligunt, ac chaos quoddam ex poëtarum fabulis introducunt, ex quo mundum hunc temere exſtruunt; contra omnem Scripturæ auctoritatem: diſtinguit enim illa jam in ipſo rerum initio inter cœlum ac terram, atque in iſtas veluti partes omnia dividit; atque ordinariò duobis iſtis vocabulis univerſum hunc mundum exprimere ſolet. *Benedictus Abram Deo altiſſimo, qui paravit ſibi cælum & terram.* Gen: 14: 19. *Sex diebus fecit Jehova cælum & terram.* Exod. 20: 11. *Benedictus Dominus Deus Iſraelis, qui fecit cælum & terram.* 2. Paral. 2: 12. Per cœlum autem deſignatur totum illud ſpatium, à terra ſurſum verſus in indefinitum extenſum; & per terram orbis hic, in quo degimus, aquis circumfuſus, cui ornatus & alia, quæ ad uſum ejus ſpectabant, primo die deerant; quod verbis Moſis תוהו ובהו tantum dicitur.

Cælum & TERRA.

XXI. Cœlum autem Scriptura in tres partes ſolet dividere, qui inde & cœli appellantur, nimir. Aëra: *Aſpicite volucres cæli.* Matth. 6: 26. Aſtra: *Quum cernerem cælos tuos, opus digitorum tuorum; lunam & ſtellas, quas diſpoſuiſti.* Pſal. 8: 4. denique cœlum ſummum & glorioſum,

COELI *partes tres.*

quod variis nominibus inſignitur. *Cæli cælorum non ſuſtentant*, non faciunt *te* ſubſiſtere, vel *continent*. 1. Reg. 8: 27. *Celebrate eum cæli cælorum*. Pſal. 148: 4. *Ecce Domini Dei tui eſt cælum, & cælum cælorum, terra & omnia quæ in ea ſunt*. Deut. 10: 14. *Paulus raptus fuit uſque in tertium cælum*, 2. Cor. 12: 2. quod *Paradiſum* appellat v. 4. *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Luc. 23: 43. & à Scholaſticis empyræum ſive igneum dicitur, propter ſummam & fulgentem ejus lucem.

Tertium cælum creatum.

XXII. Ac tertium hoc cœlum ſimiliter creatum, ſicut alios cœlos, merito aſſerimus. *Benedicti vos Domino, qui facit cælum & terram. Cælum*, inquam, *cælum Domini eſt, & terram dedit filiis hominum*. Pſal. 115: 15, 16. confer *de cælo fecit te audire vocem ſuam. Jehova ille eſt Deus in cælis ſupra*. Deut. 4: 36, 39. *Et tu audies uſque ad locum habitationis tuæ, uſque ad cælum*. 1. Reg. 8: 30. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Joh. 14: 2. *Tu feciſti cælum, cælum cælorum & omnem exercitum illorum*. Neh. 9: 6. *Et abſoluta ſunt cælum & terra & omnis exercitus illorum*. Gen. 2: 1. *Expectabat eam, quæ fundamenta habet, civitatem, cujus artifex & conditor eſt Deus*. Hebr. 11: 10. Contra errorem Socinianorum & aliorum, qui illud increatum ac immenſum, pulcherrimâ luce perfuſum ponunt, veluti æternum Dei habitaculum, juxta 1. Tim. 6: 16. *Lucem habitans inacceſſam*.

quod Sociniani negant.

Ubiquitarii illud incorporeum ſtatuunt.

XXIII. Ex quo errore alius pullulavit, qui ubiquitariis placuit, cœlum illud illocale & incorporeum facientibus, unde ſupra ſphœras cœleſtes corporeum quid eſſe negant: cum tamen aliter pateat ex variis Scripturæ locis. *Paulus raptus fuit in tertium uſque cælum*. 2. Cor. 12: 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si aliter eſſet, dicerem vobis: proficiſcor, ut parem vobis locum. & ſi profectus fuero, ut parem vobis locum, rurſus venio, & aſſumam vos: ut, ubi ego ſum, ibi & vos ſitis*. Joh. 14: 2, 3. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, etiam illi ſint mecum*. Joh. 17: 24. *Video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem ad dextram Dei*. Act. 7: 56. *Qui deſcendit, ipſe eſt & is, qui aſcendit ſupra omnes cælos, ut impleat omnia*. Eph. 4: 10. *Quem oportet cæli capiant uſque ad tempora repræſentationis*, ſive *exhibitionis omnium*. Act. 3: 21.

Ejus natura nobis latet.

XXIV. Qualis autem ejus natura ſit, humanis quidem mentibus capere nefas eſt: in genere ſaltem novimus, eſſe habitaculum ac templum Deo dignum, angelorum ac beatarum animarum domicilium auguſtiſſimum, & paradiſum omnis boni pleniſſimum. *Quiſquis confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui eſt in cælis*: Matth.

Digitized by Google

Matth. 10: 32. *Adeſte benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento*. c.25: 34. *Qui ſunt coram throno Dei, non eſurient amplius, neque cadet ſuper eos Sol, neque ullus aſtus*. Apoc. 7: 16. *Noſſe me facies iter vitæ, ſatietatis lætitiarum apud faciem tuam, amœnorum quæ ſunt in dextra tua perpetuò*. Pſal. 16: 11. idemque incorruptibile, Apoc. cap. 21. & 22. ac reſpectu reliquarum mundi partium veluti immenſum.

XXV. Re ipſa vero à nobis definiri nequit, an cœlum hoc terminum habeat, nec ne; an cœlum ſidereum undiquaque ambiat, an verò ex parte; & an totum beatorum habitationi deſtinatum ſit, an vero ex quadam ſui parte ſolum? Atque ex mentis noſtræ præjudicio, quæ ab omni indefinito & indeterminato abhorret, & rerum terminos pervidere geſtit, ortum eſt, cœlum hoc ut aſtrorum ignes & globos undiquaque incingens, atque ultimum deficientis naturæ terminum cogitare. *Indefinitum nobis eſt.*

XXVI. Conditum etiam hoc die videtur cœlum, in quo ſtellarum orbes volvuntur, una cum cœlo infimo ſive aëreo, quæ pariter extenſi ſive expanſi nomine in Scripturis veniunt. *Opus manuum Dei indicat expanſum*. Pſal. 19: 1. Gen. 1: 6-8. *Cœlum ſidereum & aëreum etiam primi diei opus.*

XXVII. An cœlum hoc ſidereum terminos habeat, nec ne, æquè ignoramus; cum incertum nobis ſit, an cœlo empyreo undique claudatur, an verò aliquâ ſui parte ſuper-extet, & in immenſum pateat. *Cœli ſiderei terminos & figuram determinare non poſſumus.*

XXVIII. Multo minus figuram ejus determinare licet, quæ ſine terminis ne concipi quidem poteſt. Cumque præterea materia cœli ſit fluida, quæ ab ambiente corpore ſolum figuretur, ac nobis ignotum ſit quodnam corpus cœlum hoc amplexu ſuo ſtringat, & an totum, an ex parte ſolum ambiat, & qualis illud ipſum figuræ ſit, impoſſibile nobis eſt cœli ſtellati figuram deſignare.

XXIX. Alterum primi diei opus eſt *terra*, quo nomine & aquæ comprehendi ſolent. *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram*. Exod. 31: 17. *Tu feciſti cœlum & terram*. 2. Reg. 19: 15. *Manus mea fundavit terram & dextra mea quaſi palmis extendit cœlum*. Eſai. 48: 13. Erat autem terra, ut videtur, aquis undique circumfuſa hoc die, non vero cum iis confuſa, & coëuntibus utriuſque elementi particulis veluti mixta ac macerata, verum ita ut in diluvio factum, Gen. 7: 19, 20. & 8: 3, 13, 14. aquis cooperta. Quæ circumfuſa aquarum moles *abyſſi* nomine intelligitur, Gen. 1: 2. ita ut iſta elementa vulgo dicta, terra, aqua & aër, qualis hoc die erat, ſuis locis ſuper impoſita fuerint, & terra intra denſiſſimas tenebras ſepulta atque aquis immerſa. TERRA.

Digitized by Google

Non fuit primitus chaos.

XXX. Errant igitur, qui hic chaos quoddam & confuſam rerum omnium molem ſibi imaginantur, è qua tam auguſtum opus, ac pulcherrimus hic mundus, Dei ac hominum habitaculum, ſurrexerit. Nunquam enim talis rerum fuit facies, qualem poëtæ confinxerunt, verum longe perfectiora fuerunt Dei opera, & longè auguſtiora rerum primordia. Neque ex vocibus תהו ובהו v. 2. informe illud chaos exſtrui poteſt, cum iis vocabulis exprimatur tantum deſolatio & vaſtitas, qualis eſt in regionibus habitatoribus deſtitutis, & ab omni humano cultu vacuis; ita ut terra vacua fuerit incolis ſuis; herbis, arboribus, ac omni iſto ornatu & decore, quod poſtea acceſſit. In ſpecie תהו notat defectum ornatus, ad quem linea adhibetur; בהו exprimit rem non fundatam cujus fundatio perpendiculo perficitur. *Et tendet ſuper illa* קו תהו *lineam vaſtitatis*, ואבני בהו *& perpendiculum deſtructionis.* Eſai. 34: 11. unde LXX. non male vertunt, ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαςος.

TENEBRÆ.

XXXI. *Tenebræ autem erant ſuper facie abyſſi.* v. 2. cum necdum lux eſſet, qua antiquiores concipiuntur tenebræ, quæ abyſſum ſeu aquas terram obtegentes quaſi replebant, idque omni ex parte, tam verſus unum hemiſphærium, quam alterum.

Spiritus Dei incubans aquis.

XXXII. *Spiritus Deo ferebatur ſuper aquas.* v. 2. ſicut ales ſuper pullos ſuos ſeſe librat, & nidum ſuum confovet. *Ut aquila excitat nidum ſuum, ſuper pullis ſuis* ירחף *fertur; pandebat alas ſuas, accipiebat illum, populum ſuum, ferebat ipſum ſuper alâ ſuâ.* Deut. 32:11. vox enim מרחפת præſentiam affectuoſam & peculiari cura efficacem notat, quæ à creatione non differt. (*Omnia fert* Deus *verbo potentiæ ſuæ.* Hebr. 1:3.) nec creaturæ, utpote vento, qui nondum creatus erat, nec fovet, ſed potius diſſipat, vel igni, vel animæ cuidam mundi, vel angelo denique tribui poteſt. Neque etiam ſufficit, vim & efficaciam Dei in genere intelligere; vis enim illa per vocem *incubandi* potius exprimitur, à qua diſtinguitur Sp. S. qui ejus principium erat. Ut ad conſolationem noſtram videamus, mundum & homines eſſe opus quoque Spiritus Sancti, nos regenarantis & corpora noſtra vivificaturi. *Spiritus Dei fecit me, & halitus omnipotentis vivificat me.* Job. 33:4. *In verbo Domini cæli facti ſunt, & in Spiritu oris ejus omnis exercitus illorum.* Pſ. 33:6. *Et an non unum fecit, quum ipſi ſupereſſet Spiritus?* Mal. 2:15. *Si autem Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis, is, qui excitavit Jeſum Chriſtum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora veſtra per Spiritum ſuum in vobis habitantem.* Rom. 8:11. atque illum ipſis rerum primordiis adfuiſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe, & terram homini condendo, quaſi præparaviſſe: ſicut idem & terram & homines eadem gratiâ in fine mundi tandem perfecturus & conſummaturus eſt.

XXXIII. Tandem creavit Deus & *lucem*. Et *dixit Deus: exiſtat Lux*: LUX. *& exſtitit Lux*. v. 3. ita ut triplex jam eſſet corporum genus, qualia etiam jam nunc in mundo ſunt, lucem nempe emittentia, tranſmittentia, & remittentia, ſeu opaca.

XXXIV. Fuit autem lux illa primigenia non elementum ignis, vulgo dictum, nec accidens ſine ſubjecto, ſed materia ſubtilis copioſiſſima, vehementer mota, quæ tunc per vices utrumque terræ hemiſphærium illuſtrabat; poſtea verò particularum ſubtiliorum appulſu in centris ſuis aucta, in aſtrorum, præcipue autem ſolis, globum videtur collecta. Fuitque illa lux è nihilo ſui producta, ſolo Dei jubentis verbo & imperio, qui *dixit, ut lux è tenebris reſplenderet*. 2. Cor 4: 6.

XXXV. *Diſtinxit autem Deus lucem à tenebris*, v. 4. h. e. in una parte abyſſi creavit lucem, eamque juſſit circumire ad alteram partem, ut ita fieret veſpera abeunte luce, & rurſus mane illa accedente. Quæ dehinc continuo ordine ſibi invicem ſuccedunt, nunquam autem commiſcentur. *Adhuc omnibus diebus terræ ſementis & meſſis,----- & dies & nox non ceſſabunt*. Gen. 8: 22. *Sic dixit Jehova: ſi non eſt fœdus meum diei & noctis, definitiones cœli & terræ non poſui*. Jer. 33. 25. Quod autem *lux nominata* ſit *dies*, & *tenebræ nox*, v. 5. primum nomen eſt, quod Deus ulli ſuorum operum indidiſſe legitur.

XXXVI. Creata autem eſt illa lux die primo poſt tenebras: quod emblema fuit Chriſti eodem illo tempore reſurgentis, & luce ſalutiferâ mortales colluſtrantis. *Deus qui dixit ut lux e tenebris reſplenderet, is eſt qui luxit in cordibus noſtris ad radiationem cognitionis gloriæ Dei in facie Chriſti*. 2. Cor. 4: 6. Atque ita *factus eſt veſper*, abeunte nempe luce, *& factum eſt mane*, accedente rurſus luce, *dies unus*, h. e. primus, v. 5. cum ergo prius facta ſit lux, & deinde factus ſit veſper, cui poſt noctem ſucceſſit mane; ſequitur diem primum non à tenebris aut veſpera, ſed ab ipſo mane initium ſumſiſſe & in illo rurſus finitum. Ita ut non veſpera mane prior fuerit, ſed mane veſperâ. Licet in lege ſecundum rituale nox diem præceſſerit, propter myſterium, ſeu δήλωσιν πνεύματος.

Digitized by Google

DE OPERIBUS SECUNDI DIEI.

SECUNDI *diei opera.* XXXVII. Opera ſecundi diei ſunt. 1. ordinatio expanſi atque ejus adaptatio ad ſeparandas aquas à terræ ſuperficie, & diviſionem faciendam inter aquas ſuperas & inferas. 2. fundatio ipſius terræ, reliquis aquis in vaſtos quoſdam ejus ſinus diſcedere juſſis. *Et dixit Deus ſit expanſum in medio aquarum, & faciat diſtinctionem inter aquas & aquas.* Gen. 1: 6. *Ipſe ſupra mare fundavit terram, & ſupra fluvios firmat illam.* Pſal. 24: 2.

EXPANSUM. XXXVIII. Expanſi nomine in latitudine ſua intelligitur totum illud ſpatium, quod à terreſtris globi ſuperficie ad extremum uſque cœli aſpectabilis terminum extenſum eſt, quod cœlum appellamus. *Et vocavit Deus expanſum cœlum.* Gen. 1: 8.

רָקִיעַ XXXIX. Hebraicè רקיע dicitur, ab expanſione & explicatione, qualis eſt in aulæo vel conopæo. *Operiens ſe luce inſtar togæ, extendens cœlum inſtar cortinæ.* Pſal. 104: 2. Græci vertunt στερέωμα, Latini *Firmamentum*, non quaſi ſolidæ foret ſubſtantiæ; ſed vel reſpectu nubium, quæ firmamentum & fulcrum ſunt vaporum; vel quia aër uniformis & ſtabilis ſemper manet, & ſuperas aquas latiſſimo gremio ſuo veluti ſuſtinet ac firmat. Ita ut hinc cœlos ſolidos eſſe, non autem liquidos & fluidos concludi non poſſit.

στερέωμα, Firmamentum.

quod ſecundo die factum. XL. Expanſum vero ſecundo hoc die factum, non quoad univerſam ſui latitudinem, hoc enim primi diei fuit opus, ſed quoad inferiorem ſui partem, quæ aërem extenſum uſque ad orbitam lunæ, aut circiter, complectitur, accipi debet: factum autem eſt, tum ratione ſubſtantiæ ſuæ, quatenus inibi aëris formam accepit, tum ratione uſus, quatenus divideret aquas ſuperiores ab inferioribus, quod illi ratione imæ ſuæ partis attribuitur. Triplici enim modo de expanſo loquitur S. S. aliquando in ſua latitudine id ſumit pro cœlo, Gen. 1: 8. aliquando pro parte ejus ſuperiori, ut v. 14. 15, 17. aliquando pro ſolâ inferiori, ut v. 20. ac juxta hunc ſenſum aquas ſuperiores & inferiores dividit. v. 6, 7. Quod ſecundo diei, quo Deus expanſo hanc conſtitutionem dedit, huicque uſui illud aptavit, peculiariter tribuitur; cum ad fundationem terræ, quæ præcipuum hujus diei fuit opus, hæc aquarum ſeparatio ſingulariter fecerit: quæ Gen. 2: 6. non incommode per *eductionem vaporum ex terra* explicatur, quos Deus in ſupera aëris regione in nubes collegerit, atque in vaſtis iſtis cœli campis ad terram idoneo tempore irrigandam, agi ac ferri juſſerit.

XLI.

Digitized by Google

XLI. Per aquas igitur ſuperiores non cœlum criſtallinum, nec a- *Aquæ ſu-*
quæ veræ ſupra ſphæram octavam, vel aliæ quædam aquæ ſupra-cœ- *periores.*
leſtes intelliguntur, ſed nubes & vapores in ſuperiori aëris regione, mediâ vulgo dictâ, collectæ. *Contabulans aquis cœnacula ſua, ponens nubes vehiculum ſuum.* Pſal. 104: 3. *Conſtringit aquas in nubibus ſuis, ita ut non findatur nubes ſub ipſis.* Job. 26: 8. *Ponebat tenebras latibulum ſuum,* imò *circa ſe tugurium ſuum*: nimirum *obſcuritatem aquarum,* imò *nubes ætheris.* Pſal. 18: 12. *Ad vocem dat multitudinem aquæ in cœlis, & aſcendere facit vapores à fine terræ: fulgura imbrem facit, & educit ventum ex theſauris ſuis.*
Jer. 10: 13. Sicut per aquas inferiores fluvii, lacus, fontes, maria deno- *inferiores.*
tantur. Inter quas aquas diſterminandi uſum expanſum habuit. Unde & aquæ dicuntur fuiſſe non ſupra univerſum expanſum, ſed potius deſuper ipſi expanſo, vel à regione ſupera expanſi.

XLII. Eodem die, quo ſeparatæ ſunt aquæ ſuperiores ab inferiori- FUNDA-
bus, *fundata* eſt quoque terra, per diviſionem aquarum inferiorum ab TIO *terræ.*
arida. Quod alterum hujus diei opus fuit, quod Gen. 1:9, 10. ante opus tertii diei per ἐπεξήγησιν narratur. Non enim ad tertium, ſed ad ſecundum diem, quæ ibi narrantur pertinent; atque ויאמר v. 9. reddendum eſt per *dixerat autem.* Vid. Cl. Voſſ. de Idol. l. 2. c. 67.

XLIII. Quo obſervato ſolvitur ſimul vexata quæſtio, cur ſecunda dies benedictione caruerit, cujus varii varias dederunt cauſas. Bene autem attendendo patet, diem illum benedictione ſuâ non caruiſſe, cum ea illi diſertè tribuatur, v. 10. cum ad hunc diem non ſolum diſtinctio ſuperiorum ac inferiorum aquarum per expanſum pertinuerit, verum etiam ſeparatio inferiorum aquarum à terra. Quod niſi ſtatuatur, tertia dies habebit duplicem benedictionem, ſecunda autem nullam; quod abſurdum eſt.

XLIV. Facta eſt autem hæc aquarum à terrâ habitabili ſeparatio SEPA-
per collectionem earum in magnas terræ cavitates, ad hunc uſum à RATIO
Deo præparatas, ita ut ex utroque elemento unus fieret globus. Quod *aquarum*
graphicè deſcribit David Pſal. 104: 5-9. ubi docet, per *vocem tonitrui,* *à terra.*
h. e. per vocem & imperium divinum, ſive etiam per tonitrua & terræ motus, aquas terram tegentes ab illa fugiſſe, & in cavitatibus ejus receptas fuiſſe. Vide & Job. 38: 8. *Et clauſit foribus mare, eo erumpente, exeunte ex utero.*

XLV. Atque ita, diſcedentibus undique aquis, conſpecta eſt arida, quam Deus terram appellavit. v. 10. atque inter eam & aquas orbem hunc,

Digitized by Google

Opus ſingularis bonitatis.

& omnipotentiæ.

hunc, in quo degimus, veluti æquis partibus diviſit. Quæ ſingularis Dei bonitas fuit, ut hominum & animantium uſui cederet terra, ab aquis jam vacua, atque iis intra viſcera ſua receptis irrigaretur. Unde eas naturali ſua ſede, ne terrarum orbi nocerent, dimovit, & in quaſdam cavitates ac veluti clauſtra abdidit. Eſtque hoc non minimum omnipotentiæ ejus opus, quod illis limitibus immenſam iſtam aquarum molem coërceat, & tenui ſabulo inſanientis elementi minas & tumorem compeſcat: *An me non timebitis? qui poſui ſabulum terminum mari, modum ſaculi, quem non tranſit: & fatiſcunt & non valent; & ſtrepunt fluctus ejus, & non valent; & ſtrepunt fluctus ejus, & non tranſeunt illum.* Jer. 5: 22. *Et fregi ſuper ipſum* mare *modum meum, & poſui vectem & fores: & dixi; huc uſque venies & non addes, & hic metabitur in elatione fluctuum tuorum.* Job. 38: 10, 11. *Qui eſt colligens tanquam acervum aquas maris; ponens in theſauris abyſſos.* Pſal. 33: 7. imo per perennes fontium liquores, quos continuæ ſub terram venæ alunt & inſtaurant, hominibus eas multis modis ſervire faciat, terramque earum fœcundam reddat. Et ne in ſuo quoque ſinu corruptæ aquæ humano generi nocerent, maris ſalſedine, & continuo motu, à lunæ in anguſtiori orbis ſui ſemita impulſu facto, ſapientiſſimus mundi conditor providit.

Supra mare & fluvios quomodo fundata terra?

XLVI. Atque ita *fundata* fuit *terra ſupra mare & fluvios.* Pſal. 24: 2. Mari videlicet atque aquis intra terræ ſinus acceptis, ac per ſpecus ſubterraneos terram ſubeuntibus, atque veluti ubere ſuo largos fluminum atque fontium meatus in uſum hominum atque animantium ſuppeditantibus. Ita ut quod terra ſupra aquas extet, inſigne naturæ opus ac beneficium ſit, à Dei, humanum genus amantis & curantis, cuique terram hanc in habitaculum conceſſit, (Deus *non in caſſum creavit illam*, terram, *ad habitandum formavit illam.* Eſai. 45: 18.) ſingulari providentia profectum.

MARE.

XLVII. Congregationem aquarum appellavit Deus maria, v. 10. quo nomine Hebræi omnem aquæ collectionem appellant. Atque omnium aquarum receptaculum & fons eſt mare illud magnum, ſeu Oceanus, qui univerſum terrarum orbem amplexu ſuo ſtringit, unde omnes ubique aquæ originem ſuam habent. Sicuti materiæ ſubtiliſſimæ fons & naturalis quaſi locus eſt Sol & reliqua aſtra, quia ibi maxima ejus copia invenitur. Ac ſicut omnis calor & ignis à ſole, & ſimilibus principiis petendus eſt; ita à mari omnis fontium & fluviorum origo eſt, quorum perpetuitas conſiſtit in perenni aquæ è mari per occultos

Digitized by Google

cultos terræ meatûs in fontes & fluvios egreſſu, atque ejuſdem per fluminum in mare ſeſe rurſus exonerantium continuos curſus ac lapſus regreſſu. *Omnes amnes pergunt ad mare; & mare non repletur: ad locum, quo amnes eunt, eò iidem repetunt ire.* Eccleſ. 1: 7. *Adorate eum, qui fecit cælum & terram & mare & fontes aquarum.* Apoc: 14: 7.

Terra an ſita in medio univerſi?

XLVIII. Atque ex hac terræ fundatione, illam in medio univerſi, tanquam centrum ejus, ſitam eſſe, vulgo hominum fides eſt; ex ſenſuum præjudicio, quoniam undique cœlum ſupra nos extenſum, atque undiquaque à terrâ pariter diſtans conſpicimus, unde nos in medio mundi degere judicamus. Verum ſenſus noſtri in tam vaſta mundi hujus mole nihil de corporum ejus ſitu nos edocere poſſunt. Neque ratio id in univerſum docet; cum enim illa mundi terminos & fines ignoret ac concipere non poſſit, pariter punctum ejus medium ac centrum aſſignare non poteſt.

Sol centrum planetarum.

XLIX. Quod vero planetarum cœlum attinet, centrum ac medium eorum non terram, ſed ſolem eſſe, nunc Aſtronomi ferme omnes conſentiunt: cum enim circa ſolem deferantur corpora proxima, Venus & Mercurius, & remotiora, ut Mars, Jupiter & Saturnus, non poteſt non ab iſto cœli torrente in ſpatio fluido ſimul abripi & circumferri (licet in ſuo cœlo quieſcens) terra intermedia, niſi continuo miraculo illam retineri ſtatuamus. Ubi verò ſolem moveri & terram quieſcere dicit Scriptura, tenendum, eam, dum res naturales narrat, ſæpe uti phraſibus ex vulgi uſibus deſumtis, & ſermonem adhibere quotidianum, qui ad accuratam rerum veritatem caſtigatus non eſt, qualem & ſapientiſſimi adhibere ſolent. Motus ergo ille ex more communi opticè tantum intelligi debet, atque in variatione viſus ac aſpectus conſiſtit; quæ cum oriente ac abeunte ſole revera fiat, reſpectu ejus ſoli non abſurde motus, terræ autem quies, adſcribitur.

Mundus in tres q. cœlos diviſus.

L. Atque ita quidem mundi partes diſponendæ videntur, ut ille in tres ingentes plagas, ac veluti cœlos, dividatur. Quorum 1. ſit cœlum primum, ſive hoc noſtrum, in cujus medio ſit Sol, circa quem agantur Mercurius, Venus, terra, cum ſatellite Lunâ, Mars, Jupiter, cum quatuor ſuis comitibus, & Saturnus. 2. ſecundum cœlum, in innumerabiles orbes ac vortices diviſum, qui circumtorqueantur à ſtellis fixis. 3. quicquid denique ſupra duos iſtos cœlos longè ab aſpectu noſtro remotum reperitur, pro cœlo tertio habendum eſt: quod an cum cœlo tertio, ita in Scriptura dicto, h. e. cum cœlo beatorum idem ſit, nec

Digitized by Google

ne, quis demonſtret? Quæ corporum mundi œconomia & rerum naturam ſequitur, & phœnomenis ac experientiæ ſatisfacit, &, quantum de tam auguſto & immenſo Dei opere judicare nobis fas eſt, ad verum proximè accedit; cum quocunque alio modo hic mundus diſponatur, variæ difficultates implicentur, & non unum incommodum, in naturæ ac veri inveſtigatione invehatur.

DE OPERE TERTII DIEI.

TERTII diei opus: ARBORUM herbarumque germinatio.

LI. Terra ita fundata, ac ab aquis ſeparata, tertio die extus herbis ac arboribus veſtita, interiori autem ſinu, ne qua ejus pars inutilis maneret, metallis ac mineralibus imprægnata fuit.

LII. Neque ſolum frugum ac plantarum ſemina eo die tellus concepit, cœleſti veluti manu conſita, quæ demum tractu aliquo temporis herbaſcerent, & læta viriditate terram induerent: ſed jam hoc ipſo die in arbores, frutices, plantaſque omnis generis, in paradiſo ſaltem, ſuppullulavit, quæ nullo ſatu proditæ ad ſolius Dei imperium provenere. Ita ut hoc die paradiſus à Deo plantatus ſit. Gen. 2: 8.

ad quam terra ſeſe materialiter habuit:

LIII. Nec tamen active, ſed paſſive ac materialiter ad primam plantarum germinationem terra ſeſe habuit: eodem modo ut ad productionem animalium. Quo ſenſu intelligendum eſt quod extat Gen. 1: 11. *Progerminet terra* &c. conf. Gen. 2: 9. Et *germinare fecerat Deus ex terrâ omnem arborem* &c. Quanquam eodem tempore eidem ſimul indita fuerit vis quædam ac fœcunditas, quâ poſtea ex herbarum omne genus ſemine eaſdem producere, ac ubere ſuo alere ac nutrire poſſet. 1. Cor: 3: 7.

unde creatæ ſunt omnes herbarum arborumque naturales ſpecies.

LIV. Creatæ autem ſunt tunc omnes arborum ac plantarum ſpecies naturales. Quæ enim poſtea agricolarum induſtria invenit, in maritandis arboribus, ac ſurculorum nodorumque inſitionibus, quo ſilveſtres fœtus in mitiorem naturam redigere, & ignobilem ſtipitem generoſâ fronde imprægnare norunt, ſpecierum jam creatarum commixtiones, & quoddam veluti naturæ adulterium ſunt. Et quod quibuſdam videtur, telluris veluti novercæ dorſum non niſi poſt lapſum ſpinis ac tribulis inhorruiſſe, non uſquequaque verum eſt; niſi id forte de paradiſo, horto amœniſſimo, in quo Adam collocatus fuerat, intelligas; ex quo deinde ob peccatum exul, in vicina arva, ſpinis ac noxiis herbis fœta, extruſus eſt.

LV. Sicuti autem *potentia* Dei apparet in maximarum arborum ex par-

Digitized by Google

parvulo ſemine procreatione; ita ejuſdem *bonitas* conſpicua eſt, in tot herbarum ac frugum ſpeciebus, quas tellus pleno ubere profert: atque ita quidem, ut cum aliæ herbæ uno loco, aliæ alio lætius proveniant; eæ tamen quæ maximè neceſſariæ ſunt, ubivis largo ſinu terra producat; aromata autem & pretioſiores herbas non niſi quibuſdam locis; his veluti deliciis, quanquam parcius, menſam ſuam inſtruens, & cæteras naturæ dapes veluti condiens: ut Deum magis neceſſitati quam voluptati hominum conſulere intelligamus.

Dei in hoc opere potentia, & bonitas.

De Opere quarti diei

LVI. Exornata jam terra, futuro hominis domicilio, reſtabat cœlum, hactenus ἀκοσμον, quod hoc die ſibi ornandum, ac variâ luce condecorandum Creator ſumſit. v. 14. Atque ita quidem terra ante cœlum cultum ac ornatum ſuum accepit: ne inferiora hæc à ſole aſtriſque, tanquam ſuprema aliqua cauſa pendere ac regi intelligerentur, atque inde homines idololatriæ cauſam acciperent; quam ne ſic quidem ſatis vitaverunt.

QUARTI *diei opus:* STELLÆ & *duo luminaria magna,*

LVII. Luminaria illa non è nihilo, ſed ex cœlorum materia facta ſunt: eodem modo ut herbæ, aves, bruta & homo, ex terra & aqua producta ſunt. Centra enim vorticum, è quibus fulſura erant aſtra, Deus materia ſubtili hoc die replevit, eamque in globos ac magna quædam corpora collegit, quæ ſolem hunc & reliquas ſtellas efficerent; quæ corpora Deus *in expanſo cælorum*, veluti in ſupremâ mundi ſtatione, *collocavit*, Gen. 1:17. h. e. non confuſo ordine diſjecit, ſed prudentiſſimè diſpoſuit, & quendam veluti aſtrorum chorum inſtruxit, quæ juxta motus ac vortices ſuos commodiſſimo ſitu ſibi invicem contemperavit.

facta è cælorum materiâ.

LVIII. Aſtrorum uſus quadruplex aſſignatur. 1. ut varia ſua luce diei ac noctis tempora *diſtinguant. Sint luminaria in expanſo cælorum, ut diſtinguant inter diem & inter noctem.* Gen. 1:14. quod ſplendidum ipſorum miniſterium veluti quædam dominatio eſt. *Luminare magnum fecit in dominationem diei, parvum in dominationem noctis & ſtellas.* v. 16. quæ inter ſolem ac lunam diviſa, de die ſoli, de nocte lunæ ac ſtellis ceſſit. *Modum circinavit ſuper faciem aquarum, uſque ad conſummationem lucis cum tenebris.* Job. 26:10. *Omnibus diebus terræ dies & nox non ceſſabunt.* Gen. 8:22. *Sic dixit Jehovah, qui dat ſolem ad lucem diei, leges lunæ & ſtellarum ad lucem noctis.* Jer. 31:35.

Aſtrorum uſus primus.

Secundus. LIX. 2. Secuudus, ut ſint in *ſigna*. Quæ triplicia poni ſolent: *naturalia*, ut defectuum ſolis, lunæ, tempeſtatum, variarumque cœli viciſſitudinum: *civilia*, quæ à naturalibus pendent, ut temporis arandi, navigandi &c. & *ſpiritualia*, veluti favoris ac iræ divinæ. *Dixit, ſol in Gibeon ſubſiſte, & luna in valle Ajalon.* Joſ. 10: 12. *Et invocavit Eſaias Propheta Dominum, & reduxit umbram iiſdem gradibus, quibus deſcenderat in ſolario Achazi decem gradibus.* 2. Reg. 20: 11. *Sol obſcurabitur, nec dabit luna ſplendorem ſuum, & ſtella cadent è cœlo, & poteſtates cœlorum concutientur.* Matth. 24:29. *à ſexta hora tenebræ factæ ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam.* Matth. 27: 45. *Dabo ſigna in cœlo & in terra: ſanguinem & ignem & palmas fumi. Sol vertetur in tenebras & luna in ſanguinem, antequam veniet dies Domini magnus & terribilis.* Joël. 2: 30, 31. Actor. 2: 19, 20. quorum tamen ſignificatio cum extraordinaria ſit, ex peculiari revelatione pendet.

Aſtrologorum ex aſtris divinatio repugnat LX. Ut temere faciant aſtrologi & mathematici, qui rerum omnium eventus, atque hominum præcipue fata, ex aſtris, eorumque vel propitio vel infauſto poſitu, deducunt, & cœli veluti conſulti eam artem mendaciſſimè venditant. Repugnat enim divinatio illa & *Scripturæ*, & *rationi*, & *experientiæ*, denique *ſibi ipſi non* conſtat.

Scriptura. LXI. Scriptura enim ſoli Deo, veluti præcipuum ejus decus, futurorum contingentium cognitionem aſſerit. *Non ſcit* homo, *quid futurum ſit. nam quum ſit, quis indicet ipſi?* Eccl. 8: 7. *Ignoratis quid futurum ſit poſtero die. quæ eſt enim vita veſtra?* &c. Jac. 4: 13-16. Ac quia homo præcipue iſtum aſtrorum chorum miratur, & non niſi cum veneratione in cœleſte hoc templum tot undique flammis collucens ſuſpicit, Deus quaſi præveniendo hominum errori ac idololatriæ, quæ ab iſta parte maxime blandiebatur, expreſſis verbis hunc aſtrorum metum, & divinantium ſomnia proſcripſit, & à populo ſuo procul abeſſe voluit. *Non invenietur in vobis conjector, divinus, & omnium captator & præſtigiator* Deut. 18: 10. *Nam gentes divinatores & conjectores attendunt, non ita permiſit vobis Dominus Deus veſter.* v. 14. *Et quomodo dicunt ad vos, conſulite engaſtrimythos & divinos, qui pipiunt & anhelant? An non populus Deum ſuum conſulet?* Eſai. 8: 19. *Et evacuabitur Spiritus Ægypti in medio ejus; & conſilium ejus corrumpam: & conſulent idola, & muſſitatores & engaſtrimuthos & ſciolos.* c. 19: 3. *Conſiſtant age, & ſalvent te aſtrologi, aſpicientes ſtellas, notificantes in menſes quicquam de iis, quæ evenient tibi.* c. 47: 13. *Juxta viam gentium ne aſſueſcatis: & ob ſigna cœlorum ne conſternemini*

Digitized by Google

mini, quia conſternuntur gentes ob ea. Jer. 10: 2. *Vos autem ne auſcultetis Prophetis veſtris & conjectoribus veſtris & ſomniis veſtris & auguribus veſtris, & magis veſtris, qui dicunt ad vos non ſervietis Regi Babel.* Jer. 27:9.

LXII. Atque aſtra, cum infinitis ſpatiis à terrâ diſtent, 1. *vix aliquam in eam operationem* habere poſſunt: & ſi quam habent, 2. ea valde generalis eſt, *non autem particularis* in hunc vel illum ex. gr. regem vel principem potius quam alium. 3. Saltem in hominum *mentes* ac voluntates non agunt, cum vel ipſum corpus noſtrum menti unitum generali iſto contactu corporeo non afficiatur. Adhuc minus ex unius hominis horoſcopo prædici poſſunt, quæ non ex unius, ſed ex diverſorum hominum voluntate ac ſtudiis dependent, qualis fere eſt univerſa hominum fortuna & vita. 5. Ac majoris adhuc impudentiæ eſt, non ſolum hujus vel illius hominis, ſed *totius alicujus urbis, nationis* ac regni fata ex ſideribus evolvere; quod tamen hi homines audent. 6. Denique cum hominum mala æque ac bona, quin *peccata ac ſcelera* quæque atrociſſima hujus artis myſtæ ex cœlo ſuo ac ſiderum poſitu improbè deducant, quid niſi Deum ipſum, naturæ ac ſiderum creatorem, peccati auctorem faciunt, atque eum impie ipſis ſceleribus obtendunt? 7. Saltem *ante lapſum* peccata ac ſcelera, quin ne calamitates quidem ullæ, locum habuiſſent, cum tamen ex legibus naturæ idem ſiderum ac cœli poſitus & ordo tum fuiſſet, qui nunc eſt. *Rationi;*

LXIII. Sed experientiæ ac ſibi ipſi denique fallaciſſima hæc ars repugnat. Non enim omnes, qui eodem aſtrorum ſitu in lucem editi ſunt, eandem ſortem experiuntur: nec omnes infantes, qui cum ſobole aliquâ regiâ eodem temporis puncto toto mundo naſcuntur, regali purpura excipiuntur, aut in eaſdem ſpes ſurgunt. Ac quotidie videmus gemellos, unico partu editos, tamen diverſo fato naſci, & tota vita contraria ſtudia ſectari. Nec evadunt, cauſam in temporis forte momentum, quod inter amborum ortum intercedit, rejicientes, quo ſpatio cœli faciem, ob celeritatem ſuam prorſus immutari, atque aliam rerum ſeriem volvere contingat. Si enim tam brevibus momentis iſta vertantur, quis ipſum temporis punctum, quo naſcitur infans, adeo præcisè rimabitur? & cum nemo momento naſcatur, imo longo partu matres ſæpe crucientur, quodnam potiſſimum temporis momentum obſervabitur, ad inveniendum talis pueri in cœlo fatum? Et cum gemelli unico fatu fere concipiantur, ſaltem hoc ad morum & fortunæ eorum ſimilitudinem magis faciet, quam parvula forte mora, quæ in *Experientiæ & ſibi ipſi.*

Digitized by Google

ortu eorum interceſſerit. Et quem colorem dabunt, cur partus potius quam conceptionis tempora obſervent, niſi quod iſtam ignorent, atque ideo ad partum & nativitatem confugiant, atque inde demum hominum fata ordiantur, cum tamen jam ante aliquo tempore extiterint?

Argutia eorum redarguuntur.

LXIV. Nec expediunt ſeſe, dum hiſce rationibus victi negant ſeſe aſtra futurorum propriè cauſas facere, ſed ſigna tantum, ad id inſtituta; juxta Moſis verbo, *ut ſint in ſigna*. Verum cum ſigna omnia ſint vel naturalia, vel inſtituta; ſigna naturalia ſemper vel cauſa vel effectus alicujus rei ſunt, vel ſimul cum eâ à ſuperiori cauſa producuntur; quod hic locum non habet, ipſis jam fatentibus. Signa autem in hunc uſum à Deo inſtituta non ſunt, cum Deus potius hoc divinandi genus rejiciat, ut vidimus.

LXV. Tandem cœli per multa ſæcula obſervatione hanc tandem artem inventam, atque experimentorum fide eam firmari ajunt. Sed æque inepte. Cum aſtrorum cœlum nondum in hunc diem juxta ipſos orbem ſuum confecerit, ad quem triginta videl. annorum millibus eegat; adeoque nondum omne cœlum perdidiciſſe potuerint, cum necdum bis eandem cœli faciem, atque eundem ſiderum omnium poſitum viderint. Et quod experimenta ac eventuum fidem memorant, illa, ſi quandoque contigerint, non vanæ iſtæ arti, ſed vaticinantium ſolertiæ, conſulentium credulitati, fortuitum aliquem caſum in rei prædictæ implementum vertenti, dæmonum operæ aut occultæ denique numinis providentiæ, iſto ludibrio vanas hominum mentes ſæpè permittentis & caſtigantis, adſcribenda ſunt. Idem quoque de ſignis prædictionibuſque à Lunæ Soliſque Eclipſibus, ut & Cometis vulgò petitis, propter haſce aliaſque rationes ſtatuendum eſt.

Aſtrorum uſus tertius.

LXVI. Tertius ſtellarum uſus eſt, menſurare tempora & annos. *Exiſtant luminaria in expanſo cœlorum ad diſtinguendum inter diem & noctem & ſint in ſigna & ſtata tempora, in dies & annos.* Gen. 1:14. Sicut ab illis variæ anni tempeſtates, meſſis ac vindemiæ tempora, itemque Feſta, Novilunia, Sabbata &c. dependent.

Quartus.

LXVII. Quartus earum uſus (à primo non multum diſcrepans) eſt, ut tanquam lampades in immenſis cœli ſpatiis ſuſpenſæ mortalibus ſuper terram alluceant. *Sintque in luminaria in expanſo cæli, ad afferendum lucem ſuper terram*, v. 15. abſque quo priores uſus locum non haberent.

LXVIII. Luminaria autem magna vocantur præſertim Sol & Luna,

Digitized by Google

na,quibus diei atque noctis dominatio contigit,v. 16. Quanquam valde impropriè, & non niſi juxta externam apparentiam, Luna iſto nomine veniat: cum illa per ſe non magis *luminare* ſit, quam ſpeculum aliquod acceptam lucem repercutiens; atque inter eam & ſolem non minor ſit differentia, quam inter lucentem candelam, & lapidem lumen ejus reflectentem. Multo minus luminare *magnum* oppoſite ad reliqua aſtra appellari poteſt, cum illa lunam magnitudine immenſum propemodum ſuperent. Ita ut hic Sp. S. ſermone populari, & ex vulgi præjudiciis orto utatur. Verum quidem eſt, lunam operatione in hæc inferiora & uſu cæteris cœli luminibus præſtare, eamque tanquam noctis reginam reliquum ſtellarum chorum ducere, ideoque magnum luminare non incommodè appellari. Verum hic ipſe ejus uſus & hæc in terras operatio rurſus vulgi errori innititur, quod mole corporis & lucis magnitudine reliqua aſtra vincat, atque inde majorem uſu terræ præbeat. *Luminaria magna Sol & Luna.*

LXIX. Quæri etiam à quibuſdam ſolet, an aſtra animata ſint? quod creditum pluribus, præſertim Judæis, qui cœlo animam rationalem tribuunt, juſtitiâ & ſanctitate præditam. Atque iſti opinioni inter Chriſtianos adhæſit olim Origines; Auguſtino, etſi nonnihil vacillaret, contrarium aſſerente; quem reliqui Eccleſiæ doctores, atque univerſa Scholaſticorum cohors ſecuta eſt. Et revera, cum nullum hujus animæ veſtigium nec in natura, nec in Scripturâ extet, & multa abſurda ea inferat, cœleſtia hæc animalia, tanquam intemperantis ingenii nugamenta, rejicienda ſunt. *Aſtra an animata ſint?*

LXX. Nec magis audiendi, qui Ariſtotelem ſecuti, Angelos quoſdam veluti rectores cœleſtibus orbibus præfecerunt, qui eos aſſiduè moveant, & cœleſtem illum exercitum veluti moderentur. Quod præter Scripturam eſt, quæ Deo ſiderum atque cœli productionem, eorumque juxta naturæ leges motum atque ordinem attribuit: nec famulantem aliquem genium Pſalmus 19:6. inducit, qui *ſolem* veluti *è thalamo* deducat, ſed ipſi ſoli atque ordini à Deo inſtituto hæc adſcribit. Nec Angeli, nobiliſſimæ creaturæ, huic miniſterio deputandi, & ad perpetuum orbium ſuorum rotatum, tanquam ad molam, damnandi ſunt. *An Angeli orbibus cœleſtibus præſint?*

De Operibus Qrinti Diei.

LXXI. Mundo jam conſtructo atque exornato dandi erant incolæ, quorum *Quinti diei operæ*

Digitized by Google

quorum creationem Deus ſequentibus diebus abſolvit. Et quinto aquatilia ac aërea, ſexto terreſtria animalia condidit.

AQUATILIA. LXXII. Aquatilia producta ſunt ex aquis, ubi etiam degunt. *Moveant ſe aquæ motione animæ viventis.* Gen. 1: 20. conf. Gen. 2: 19. *Et formavit Deus ex terra omne animal agri & omnem volucrem cæli.* admiſta nonnullâ ſolidioris elementi portione (vide 1. Cor. 15: 39. ubi Paulus carnis hominum, animalium, *piſcium*, volucrium, pariter mentionem facit) ſicut & ſub nomine *reptilis animalis viventis* veniunt, Gen. 1: 20. late ſumta rependi voce, ut etiam natatum comprehendat. Notat autem verbum שרץ effuſionem magna copia, & quaſi reptificationem. וְשָׁרַץ & *verminabit amnis ranis.* Exod. 8: 3. *Et filii Iſrael fructificarunt* וַיִּשְׁרְצוּ & *verminarunt & multiplicati ſunt.* Exod. 1: 7. Sicut piſcium fœcunditas ferè prodigioſa eſt. Cum vero hîc primum animæ viventis mentio fiat, non obſcure inde colligitur, creaturas hactenus productas, & ſpeciatim cœlum ac aſtra, inanimata fuiſſe.

CETI. LXXIII. Speciatim autem inter piſces, quo etiam Zoophyta aquatilia, conchæ, purpuræ, ſpongiæ &c. referenda ſunt, nominantur תנינם *ceti*, v. 21. quæ vox ſicut inter terreſtria Draconem, (*venenum* תַּנִּינִם *Draconum, vinum eorum.* Deut. 32: 33.) ita hic prodigioſæ magnitudinis piſces denotat; è quibus unus eſt Leviathan. Job. 40. & 41.

Dei in hoc opere potentia & ſapientia. LXXIV. Atque admiranda hic eſt Dei cum potentia, tum ſapientia, qui tam vaſtæ magnitudinis animalia, ut terreſtria longe ſuperent, ex aquis produxit, eaque in mari veluti concluſit, ubi ipſis paſtum & cibum præbet, cum non ſine hominum ac reliquorum animantium noxa, & terrarum vaſtitie, in terris degerent, ubi vix integri montes & ſylvæ ipſis paſcendis ſufficerent.

AVES. LXXV. Piſcibus eodem die conjunctæ fuerunt *aves*, quæ non ex aquis, ut male Vulgatus ex Gen. 1: 20. colligit, ſed è terrâ formatæ ſunt, ut expreſſe Gen. 2: 19. dictum vidimus.

Benedictio creationi horum addita. LXXVI. Atque eorum creationi ſollemnis approbatio & benedictio adjicitur, eaque non verbalis, ſed realis, quæque etiam ad reliqua animantia, quæ ſequenti die creata ſunt, extendenda eſt. Neque ei repugnant animalia quædam fœda ac noxia, atque diræ & obſcenæ volucres, cum illa naturalem ſaltem bonitatem habeant, nec in principio condito homini nociva fuiſſent. Præſcribit autem illa benedictio fabuloſis quibuſdam avibus, præſertim Phœnici, quæ ſolitaria in ſuo genere fingitur.

LXXVII.

Digitized by Google

LXXVII. Ac magnum bonitatis Dei argumentum fuit,quod nullas aves venenatas condiderit,aut vix beſtiis venenoſis alas conceſſerit; *Dei in ea bonitas.*
avertendæ novæ, ne dum per aëris ſpatia liberrimè feruntur, humanum genus depopularentur,& contage ſua promiſcue nocerent.

De Operibus sexti Diei.

LXXVIII. Sexti diei opera abſolvuntur cum brutorum terreſtrium, tum hominis ipſius creatione. Brutorum creatio deſcribitur. *SEXTI diei opera: BRUTA:*
Gen. 1: 24, 25. ubi tria animantium genera recenſentur. 1. בהמה i. e pecus omne & jumentum domeſticum & manſuetum. 2. רמש *reptile*, ſub quo nomine non ſolum *ἄποδα*, ſed etiam *βραχύποδα* continentur. 3. חיה quod quodvis ferum & ſilveſtre animal dicit.

LXXIX. Quod autem hæc animantia juxta ſpeciem ſuam creaſſe Deus dicitur, v. 24, 25. id de veris & legitimis ſpeciebus, non de adulterinis & ex commixtione natis intelligendum eſt. Hujuſmodi enim animalia nec ſexto die creata ſunt, nec facultatem ſeſe multiplicandi habent, atque omnis eorum commixtio populo Dei interdicta fuit. Lev. 19: 19. *Non promiſcue coire facies pecus tuum.* *juxta ſpeciem ſuam.*

LXXX. Animalia, quæ ex putredine naſcuntur, quod attinet, illa vel in ſuis cauſis creata ſunt, vel etiam in primis individuis: ſtatuta tamen lege, ut poſt hæc utroque modo, cum generatione naturali, tum ex putrefactione progignerentur & verminarent.

LXXXI. Quæ de Salamandra, Pyrauſta, Gryphibus, Pegaſo, Baſiliſco, Draconibus alatis & ignivomis, Unicornu, aliiſque animantibus prodigioſis, diſquiruntur, otioſa pleraque ſunt, nec ex Scripturis decidi poſſunt. Cum nomina animantium Hebraica, ſicut etiam herbarum, arborum, gemmarum &c. populis occidentalibus admodum incerta ſint. Ut in voce ראם, quam LXX & Vulgatus ſæpe unicornu reddunt, apparet: ita ut ex Scripturis an unicornu revera detur, conſtare non poſſit; præſertim cum, referentibus auctoribus, ſeptem animalium genera ſint, extra hanc controverſiam ſex, quæ uno cornu armata ſunt.

LXXXII. Quod ſermonis uſum animantibus in Paradiſo quidam tribuerunt, fabula eſt ex alloquio ſerpentis, Gen. 3. & aſinæ, Num. 22: 2. orta; cum ſermonis omnis, ſicut & rationis, uſus ſolius hominis prærogativa ſit: in quo beſtiæ callidiſſimæ, quas nunquam ex ſeſe humana verba conari videmus, ab hominum ſtupidiſſimis ſuperantur: quod certo argumento eſt, eas omni ratione ac ſenſu, ſive conſcientia, & vel mi- *abſque ſermonis uſu.*

Digitized by Google

minima cognitionis umbra privari, nihilque niſi motus automaticos à ſanguinis & ſpirituum motu ortos edere.

HOMO. LXXXIII. Abſolutis igitur cæteris mundi partibus, tandem natus eſt homo, operum Dei viſibilium colophon & *ἀκροθίνιον*, ac gloria. Creatura videlicet rationalis, quæ Deum intelligere, & operum ejus magnitudinem capere, & conditorem æternis laudibus proſequi poterat. Atque tali creatura in hoc mundo opus erat, cum ſine ea Deus fruſtra omnia condidiſſet, nec gloriam ſuam ex rebus conditis accepiſſet; & *cæli* ipſi ac univerſæ creaturæ in vanum *Dei gloriam prædicaſſent*, Pſal. 19: 1.) & montibus tantum ac ſylvis, ſurdiſque ſaxis eam enarraſſent, cum creaturæ rationali, ac creaturarum voces intelligenti, eam teſtari ſolum queant. Et res quoque ipſa, ac tam præclarum à Deo excitatum opus manifeſto eam flagitabant: non enim terra hæc ſine colono, ac præſtantiſſimum mundi ædificium ſine domino ac rectore relinqui ac feris tantum & volucribus habitandum dari poterat, ſed ſanctiori animali, & Dei curâ ac ſex operum labore digno, ſervabatur.

qui poſtremo loco conditus. LXXXIV. Eſtque poſt omnes creaturas *poſtremo loco* conditus homo: ſive ſapientiæ Dei teſtandæ, quæ juſto ordine ab imperfectioribus ad perfectiora procedit: ſive bonitati, quæ antequam hominem in mundum veluti theatrum ac templum aliquod introduceret, illud prius omni decore ac ornatu inſtruxit; ipſique, veluti mundi domino, creaturas omnes in ipſo ejus ingreſſu multo cum honore occurrere juſſit, & mundum hunc tanquam palatium bonis omnibus atque copia affluens ipſi præparavit: ſive denique Deus, quæ Judæorum quorundam ratio eſt, cum mundi fundamenta jaceret, à tam ſtupendi operis molitione humanos oculos avertere voluerit, & ne ſuo aſpectu iſtud temeraret, atque aliquando forte etiam ejus gloriam ſibi uſurparet, poſt omnia jam condita demum hominem creaverit.

cum prævia Dei LXXXV. Atque operis hujus excellentiam demonſtrat ſingularis illa creandi ratio, aliter atque in aliis rebus uſurpata. Cum enim alia Dei opera ſolo ejus nutu ac verbo producta ſint, *eſto lux* &c. in homine creando, veluti majoris induſtriæ opere, Deus veluti deliberabundus introducitur. *Et dixit Deus faciamus hominem; in imagine noſtra ſecundum ſimilitudinem noſtram*. Gen. 1: 26. ut pateat hominem communi S. S. Trinitatis conſilio & voluntate creatum eſſe. Non tamen proprie deliberantis ac incerti animi hæc verba ſunt, nam extra dubium erat condito mundo etiam hominem, mundi incolam & Dei operum colophonem, creandum eſſe; nec dicitur, *faciemuſne hominem?* ſed, *faciamus*

mus;ut ſermo potius ſit *καλαπειύδοντος*, ſeque ipſum inhortantis, & veluti ad majoris momenti opus excitantis; quo totius Trinitatis in formando homine concurſus exprimitur. Quod luculentiſſimum S. Triados teſtimonium non fruſtra in initio verborum Dei occurrit, ac à Moſe ex communi Patrum traditione ac catecheſi repetitur, ut eandem veteris Eccleſiæ fidem fuiſſe, atque à primo mundi & Eccleſiæ exordio viguiſſe cognoſcamus.

LXXXVI. Cum vero duabus partibus ſibi unitis homo conſtet, corpore & animâ, diſtinctè utriuſque originem,& amborum unionem pandit Moſes, docens manu Dei plaſmatum, & flatu ejus animatum prodiiſſe hominem, & è pulvere ſurrexiſſe audax illud naturæ miraculum.

CORPUS *ejus è pulvere*

LXXXVII. Et *corpus* quidem quod ſpectat;non immediatè ex nihilo id produxit Deus, ſed *efformavit hominem pulverem ex terrâ*.Gen.2: 7. ut revera homo nihil aliud ſit quam pulvis animatus, vivens,reſpirans, ambulans, loquens; &corpus ejus tantum pulvis ad habitaculum ſpiritui præbendum apte contemperatus,ejuſque veluti domus teſtacea. Quo & illud facit poſt lapſum in hominem pronunciatum: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Gen. 3:19. Hinc Apoſtolus, 1. Cor.15:47. ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς, χοϊκὸς, h.e. Tertulliano interprete, *limaceus*: & corpus ejus *σῶμα ψυχικὸν animale*, necdum *πνευματικὸν ſpirituale*. 1. Cor. 15: 44, 45, 46. Non enim mera terra, vel pulvis fuit, ſed pulvis humore aliquo aſperſus & maceratus: iſta enim vocis ארמה ſignificatio eſt,quæ terram culturæ aptam dicit, עבר אַרְמָתוֹ *excercens terram ſuam, ſatiabitur pane*. Prov. 12: 11. Unde & primus homo *Adam* appellatus, quo originis ſuæ admoneretur, *quia ex terra ſumtus erat*. Gen. 3:19.

à Deo formatum.

LXXXVIII. Sicut autem in eo infirmitatis noſtræ teſtimonium eſt,quod homo non ex divite materia,vel pretioſo metallo, inſtar idoli alicujus in inferiore hoc mundo collocandi,conflatus,ſed ex luto compoſitus ſit;ita in eo dignitatis noſtræ commendatio eſt,quod Deus ipſe glebam hanc quaſi digitis ſuis comprehendere & tractare dignatus ſit, & corpus humanum non ſimpliciter creaverit, ſed inſtar plaſtis manu ſua *efformaverit* & finxerit. Sic enim Moſes Deum tanquam generis humani figulum introducit: quo frequentata illa in ſacris luti & figuli allegoria ſpectat. *Væ contendenti cum formatore ſuo, teſta cum teſtis terræ, an dicet lutum formatori ſuo, quid facis?* Eſai. 45: 9. *Jehova, Pater noſter es tu, nos argilla, & tu formator noſter, & opus manus tuæ omnes nos*. c. 64:

8. *An, ut figulus hic, non potero facere vobis, domus Iſraël? ait Jehova. Ecce, ut lutum eſt in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſraël.* Jer. 18:6. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa ut faciat aliud ad honorem vas, aliud vero ad ignominiam?* Rom. 9:21. & illa Abrahami ad Deum exomologeſis: *Ego pulvis & cinis* ſum, Gen. 18:27. atque illa Jobi: *Memento, queſo, quod ut lutum feceris me; & in pulverem rediges me.* c. 10: 9. nec non illud Elihu *Ex luto exciſus ſum etiam ego* Job. 33:6. ut de gentilium teſtimoniis, & Promethei fabula taceam, qui recentem adhuc tellurem, miſtam fluvialibus undis finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum. Non alius enim ille quam Deus, humani generis conditor fuit, à providentiâ ſic appellatus.

& ornatum,

LXXXIX. Corpori huic de humo exſtructo varium decus Deus circumdedit. Ac externâ quidem figura à reliquis animantibus diſcrevit, dum illud erectum, & cœlo veluti cognatum, formavit, ut non niſi extremis pedibus terram contingeret, quo cœleſtis originis perpetuo memor, illam non habere, ſed calcare jamtum addiſceret. Nudum præterea illud eſſe voluit, nulla naturæ arte munitum & contectum, qualia ferarum terga videmus; ut ſolâ ratione ſe conſere aſſueſceret, illamque in conſilium adhibere, nec in cultu corporis modum excederet, primæ nuditatis ſibi conſcius. *Nihil intulimus in mundum: manifeſtum eſt, quòd neque efferre quicquam poſſimus; habentes autem alimenta & tegumenta, his contenti erimus.* 1 Tim. 6:7, 8. Et ne oris ſimilitudo confuſa omnia redderet, ſed ordini ac honeſtati inter homines locus eſſet, proprios ſingulis vultus dedit, in qua varietate creatoris ſapientia atque omne naturæ veluti ludentis ingenium mirificè apparet. Sermonem denique atque linguam, quæ ſocietatis humanæ vinculum ac decus eſt, ipſis attribuit, atque ſicut ratione, ita & oratione omnibus creaturis ſupereminere juſſit.

Ætate ac ſtatura perfectiſſima.

XC. Creatus homo eſt *ætate* illâ, quæ perfectiſſima eſt, quæque terrarum domino ac gentis humanæ parenti ac conditori conveniens erat; qualis juvenilis vel virilis eſt, quæ ætatis flos ac ver dici ſolet. Atque adeo *ſtatura* Adamo fuit juſta & decens. Cumque recens è manu Dei veniret, & ſecuturorum hominum exemplar foret, inſignem corporis habitum ac dignitatem habuiſſe indubium eſt. Non tamen cum veterum quibuſdam, & præcipuè Talmudicis, ex Adamo Gigas faciendus, vel poſt eum integri Gigantum populi introducendi ſunt.

Denique infuſa ANIMA.

XCI. Ædificato jam corpore, inſtar ſtatuæ, illud iufuſo ſpiritu animatum eſt, & vivere, ambulare ac loqui cepit. *Et inſpiravit in nares ejus*

hu-

viveus redditum.

halitum ſeu ſpiraculum vitarum, & fuit homo in animam viventem. Gen. 2: 7. Ubi voces נשמה & נפש occurunt, quarum utraque halitum ſive flatum, deinceps vero & animam ſignificat, metonymiâ ſigni, ſive adjuncti, animæ præſentiam haud obſcure arguentis.

Cujus natura in cogitatione conſiſtit:

XCII. Non enim anima flatus quidam eſt, vel halitus, multo minus accidens, vel craſis, harmonia, aut motus corporis. Cum ſit ſubſtantia à corpore diſtinctiſſima, ſpiritus videl. immaterialis ac immortalis, cujus tota natura in cogitatione conſiſtit. Nihil autem naturæ ejus magis repugnat, quam extenſio, ejuſque affectiones, diviſibilitas, figura, & ſimiles: longe enim diverſas proprietates anima poſſidet, ut intelligentiam, voluntatem, judicium, amorem, certitudinem, quæ cum corpore nihil commune habent, nec corporeæ ac extenſæ concipi poſſunt; niſi etiam cogitationes & judicia oblonga, quadrata, rotunda, recta, incurva, ſtantia, cubantia, ac mille modis tornata ac figurata ſomnies, & in re ſeriâ ludere velis. Cum ergo in toto univerſo non ſint magis diverſa attributa quam extenſio & cogitatio, non poſſunt illa eidem ſubjecto tribui: non magis quam ſi dicamus unum ſubjectum duas habere naturas. Ut remoto omni corporeitatis conceptu, quæ omnem animæ nobilitatem perimit, ea in pura intelligentia & cogitatione collocanda ſit. Non enim aliud quicquam de eâ concipi vel demonſtrari poteſt. Ac ſine illâ rurſus anima ne quidem cogitari poteſt. Ut non opus ſit aliud aliquid concipere, quod cogitationi animæ ſubſtratum ſit; ſicut nec extenſioni aliquid ſubſternitur, ſed illa eſt ipſa corporis ſubſtantia. Hoc enim ex præjudicio noſtro eſt, quo volumus omni attributo ſubſtantiali aut ſubſtantiæ aliquid ſubſtratum eſſe.

quæque ſub voce נשמה comprehenditur.

XCIII. Nec inferri poteſt, cum vox נשמה halitum duntaxat notet, talis animæ rationalis creationem à Moſe non memorari. Illâ enim voce, quanquam directè ſpiritum iſtum immortalem non deſignet, etiam animam rationalem comprehendi ac contineri ex totius ſententiæ complexione manifeſtum eſt. Cum enim reliqua animantia ex terra & aqua, unico veluti juſſu, producta ſint, hominis vero corpus ex terrâ primo formatum, tum vero infuſo halitu à Deo animatum legatur, patet alium longe ſpiritum homini inditum eſſe quam beſtiis; atque illum non ex materia aliqua, ſed ex Dei ipſius immediata operatione proceſſiſſe manifeſtum eſt. Præſertim cum addatur, hominem ad imaginem Dei eſſe conditum; quod reliquis animantibus non tribuitur.

& ab anima corporis diſtincta eſt.

XCIV. Dicitur autem hic halitus נִשְׁמַת חַיִּים *ſpiraculum vitarum*, plur.num.ad denotandum omnem gradum vitæ,quæ ad perfectionem hominis pertinet;non vitam corpoream ſolum,quæ in motu ſpirituum & ſanguinis conſiſtit, ut Gen. 7:22. ubi exſpiraſſe dicitur *omne, in cujus naribus erat halitus ſpiritus vitarum*; verum etiam vitam animæ, ſeu animam ipſam viventem,rationalem. Duplex enim hæc vita in homine diſtingui debet. Non enim vitam corpoream anima rationalis acceſſu ſuo facit, aut diſceſſu adimit: ſed in ſanguinis ac ſpirituum juſta figura ac motu ea conſiſtit: quo rite temperato anima in corpus jam vivum ſuccedit, iſtud gubernatura, & motus ejus moderatura; atque eodem turbato, & partium figura immutata & confuſa, ea quaſi hoſpitio ſuo depulſa ex corpore rurſus recedit, illudque velut inſtrumentum ad operationes ſuas inidoneum deſerit.

quomodo illa homini in nares inſufflata?

XCV. Atque hunc halitum *inſufflavit* Deus homini *in nares ejus*, & corpori jam formato extrinſecus indidit;aliter ac in animantium creatione factum eſt,quorum animæ ſimul cum ipſis ex terra & aqua eductæ ſunt. Impropriè autem accipiendus eſt hic *flatus* atque *inſpiratio*, pro ſingulari & immediata Dei actione in condenda hominis anima,quam creando, veluti cœleſtem auram, *inſufflavit* homini, h. e. fecit eum reſpirare:unde dicitur *halitus eſſe in naribus ejus*, Eſa. 2:22. Et hoc eſt *πνεῦμα* hic *ſpiritus*, de quo Jacobus dicit, quod *abſque eo corpus mortuum ſit*. c. 2:26. *inſpiratio* ergo dicitur hæc *ἐνέργεια*, qua Deus fecit hominem reſpirare. Inſpiratio enim hæc non reſpectu actionis divinæ, ſed ratione effectus & termini appellatur, quatenus Deus hominem jam conditum reſpirare & vivere fecit: quam corporis vivificationem (cujus ſignum effectuſque erat hæc reſpiratio) comitata ſimul eſt animæ humanæ infuſio,quæ ſub illo ſpiraculo vitarum,ut vidimus,comprehenditur. Nam tum factus eſt homo *in animam viventem*, h. e. animal vivens.unde intelligitur eum tum cœpiſſe vivere vita hominis, nempe ut imaginem Dei.

Anima ergo hac extrinſecus advenit.

XCVI. Atque ex hac animæ creatione apparet, eam non ante, neque extra corpus, quæ Judæorum & inter veteres Origenis ſententia fuit ſed una cum corpore creatam eſſe, tunc quando hæc inſpiratio facta fuit. Neque eam ex pulvere ac elementis conflatam eſſe, ſed extrinſecus adveniſſe: quod clare notat antitheſis illa, *formavit Deus hominem de pulvere terræ; atque inſpiravit ipſi ſpiraculum vitarum.*

& immediatè a Deo creatur.

XCVII. Quod non de Adamo ſolo, ſed de omnium deinde hominum animabus intelligendum eſt, quæ à Deo immediatè creantur &

cor-

Digitized by Google

corporibus inſinuantur. Unde peculiariter *Deus Spirituum omnis carnis*, Num. 16: 22. &c. 27: 16. & *Pater Spirituum* Hebr. 12: 9. appellatur. & Zach. 12: 1. immediatæ cœli & terræ creationi animarum creatio, tanquam ejuſdem potentiæ & excellentiæ opus adjungitur, & Deo pariter attribuitur: *Dixit Jehovah, qui extendit cælos & fundat terram, & format ſpiritum hominis intra ipſum*. quod non de primo ſolum homine, ſed univerſo humano genere dici ex coll. Eſai. 42: 5. *Sic dixit Deus potens, qui creavit cælos & illos extendit, qui expandit terram & nata ejus, qui dat halitum populo ſuper illa & ſpiritum ambulantibus in eâ*, manifeſtum eſt. Et clarè imprimis Eccl. 12: 7. *Pulvis redire in terram* dicitur, *ſpiritus autem redire ad Deum, qui dederat illum*: ut ex reditu animarum ad Deum peculiaris earum origo, voce dandi expreſſa, arguatur.

Ut non ſit ex traduce.

XCVIII. Ut hinc exitus detur ex moleſtiſſima quæſtione de *anima origine*, quæ veteres diu multumque fatigavit, quamque Auguſtinus Retract. l. 1. c. 1. teſtatur *ſe adhuc non ſcire*: an ea ex traduce ſit, ut Tertulliano, Apollinari, multiſque occidentalium placuit; an vero à Deo creetur, & naſcentibus inſinuetur, à qua parte ſunt Hieronymus, Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Cyrillus, Bernardus, & univerſa deinde Scholaſticorum cohors. Quæ opinio Scripturæ, & primæ creationis hiſtoriæ, atque ipſi etiam rationi magis congruit. Illa enim nullam unquam ſubſtantiam generari, hoc enim inſtar creationis foret, veram eam ſolum immutari, alterari, & in generatione ſubſtantiæ tantum diverſos modos produci dicet. Qui autem contra animas noſtras parentum traduces eſſe exiſtimant, quæ ſententia Luthero, & diſcipulis ejus, paucisque aliis, allubuit, animæ nobilitatem non parum lædunt; eique facultatem ac potentiam tribuunt, cujus ipſa ſibi non eſt conſcia, quod fieri non poteſt; atque inextricabilibus porro difficultatibus ſeſe implicant.

XCIX. Nec rem explicant, cum animam ex anima, veluti lumen de lumine diffundi ajunt. Cum enim in lumine motus corporeus ſit, facile concipi poteſt quomodo particulæ jam motæ alias impellant, & moveri ac ardere faciant; unde illæ quoque lucem ac calorem ſpargunt. Non poſſunt autem hæc in anima, quæ ſubſtantia ſpiritualis eſt, locum habere. Neque minus homo hominem generat, etſi animam non generet. Generatio enim ad totum hominem refertur, atque ad eam ſufficit, ut materia apte diſponatur & immutetur, ut illi anima extrinſecus à Deo infundi atque uniri poſſit. Quomodo vero peccati originalis propagatio ſine hac hypotheſi defendi atque explicari poſſit, ſuo loco videbimus.

C. Si-

adeoque immortalis eſt.

C. Sicut autem ita ἔξωθεν accedit anima, ita, rupto corporis commercio, ab eodem rurſus ſeparabilis atque *immortalis* eſt. Hoc enim & primæ creationis ejus hiſtoria, & ratio, & Scriptura denique potentiſſimè evincunt.

quod docet hiſtoria creationis animæ,

CI. Solâ enim Dei actione ac inſpiratione creata eſt anima, ſine ulla materia præcedente, à cujus contage libera corpori jam condito infuſa eſt. Unde exiſtentia ac natura ejus à corpore diſtincta clariſſimè evincitur. Adeo ut ſi qua ei conveniret mors, ea ſimplicis foret annihilationis. Cum autem nullam in univerſa rerum natura ſubſtantiam perire vel annihilari videamus, neque ullam ejus rei ideam habeamus; contra autem juxta naturæ leges unumquodque in ſuo ſtatu maneat, donec à fortiori inde deturbetur; anima autem ejus naturæ ſit, ut aliunde deſtrui vel immutari non poſſit; patet ex ipſo naturæ ordine, quo Deus veluti certiſſima voce immutabilem voluntatem ſuam patefecit, animam nec morti nec corruptioni obnoxiam eſſe.

& ſimplex ipſius natura;

CII. Docet idem animæ ipſius natura ſimplex ac pura, nullis partibus coalita, quarum diſceſſu veluti diſcerperetur ac interiret; ſed in ſolâ cogitatione conſiſtens, quam cum ſine corpore obire poſſit, & magnam partem obeat, & quidem perfectius extra corpus quam in illo, etiam extra corpus ſubſiſtere poteſt. Ut admirandas ac divinas ipſius dotes, ingenii præſertim vires, religionis ſenſum, & conſcientiæ vim, prætercam, quæ illam extra omnem corporis contactum collocant, ſibique ſufficere ac ſuis divitiis beatam prædicant, & immortalitatis ejus illuſtria ſunt teſtimonia.

potentiſſimè verò S. Scripturæ auctoritas.

CIII. Accedit tandem Scripturarum auctoritas. Eſt enim hæc animæ immortalitas religionis omnis ac divini cultus fundamentum plane unicum. *Deus redimet animam meam ex manu inferni; quum aſſumet me.* Pſal. 49: 16. *Redit pulvis ad terram, ut fuerat; & ſpiritus redit ad Deum, qui dedit eum.* Eccleſ: 12: 7. *Jehova, Deus mi, revertatur, quæſo, anima pueri hujus in medium ejus.* 1. Reg. 17: 21. *Et apud inferos ſublatis oculis ſuis, quum eſſet in tormentis, vidit Abrahamum è longinquo, & Lazarum in ſinu ejus.* Luc. 16: 23. *Amen, dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23: 43. *Pater, in manus tuas depono ſpiritum meum.* v. 46. *Gratum eſt nobis potius abeſſe è corpore, & adeſſe apud Dominum.* 2. Cor. 5: 8. *Cupiditatem habens ad diſcedendum & ut ſim cum Chriſto, quod multis partibus melius eſt.* Phil. 1: 23. *in quo,* Spiritu, *iis qui in carcere ſunt ſpiritibus profectus prædicavit.* 1. Pet. 3: 19. Quibus adde demonſtrationem Chriſti contra Zaddacæos: *Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi; non eſt Deus, Deus mor-*

mortuorum, *ſed viventium*. Matth. 22: 32. confer Exod. 3: 6. *Et dixit: ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham* &c. Item: *Erigam fœdus meum inter me & te, ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te*. Gen. 17:7. & clariſſima ejus verba ad Apoſtolos: *Et ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare*, *ſed* &c. Matth. 10: 28. ubi animam & corpus aperte diſtinguit, & hujus vitam tolli poſſe affirmat, illius autem negat.

CIV. Atque ita veritati huic tam neceſſariæ ac pretioſæ, in qua humani generis ſummum decus ac nobilitas conſiſtit, quæque omnis conſolationis ac beatitudinis origo ac radix eſt, omnia ſuffragantur; & Scriptura, & ratio, & ipſa animæ conditæ hiſtoria. Ut ad certiſſimam ejus fidem jam nihil deſideretur, nec niſi ſumma cum impietate ea negari poſſit. Unde pleræque philoſophorum ſectæ jam olim eam probare anniſæ ſunt, etſi in dubia & infirma iſta luce magis immortalitatis ſuſpicionem quandam, quam certam fidem habere ſeſe oſtenderent, à qua tamen ſeſe depelli non facile patiebantur; adeo ipſi naturæ humanæ hæc veritas adblanditur, & tacitum ejus ſuffragium habet.

CV. Corpore igitur animâque productis atque unitis, locum habuit illud Gen. 2:7. ויהי אדם לנפש חיה *Et factus eſt homo in animam viventem. εἰς ψυχὴν ζῶσαν.* 1 Cor. 15:45. ſeu *animal vivens*. h.e. non amplius erat ſtatua mortua, ut ante, ſed perſona vivens, movens ſe, intelligens ac loquens. Atque ita Scriptura corporis animæque unionem exprimit, qua ſpiritus ille non tantum in hoc corpore hoſpitatur, illique adeſt & præeſt, ut nauta navigio ſuo; ſed arctiori longe unione, qua ita cum illo conjunctus eſt, ut unum cum illo componat, & corpus illud amplectitur tanquam ſuum, & tanquam partem eſſentialem perſonæ illius, quam cum corpore componit, à qua nulla cogitatione ſeſe ſeparare poteſt, quamque amat, colit, & curat, & non niſi cum dolore deſerit. Unde non ſolum corpus à mente varie agitur & afficitur, verum & mens ipſa viciſſim à corpore patitur, nec intellectu ſolo illud aliunde lædi vel quoquo modo laborare apprehendit. *Illius cum corpore unio.*

CVI. Verba autem illa Gen. 2:7. Chaldæus Paraphraſtes, verè quidem, ſed non ut μεταφράζων tranſtulit והוה באדם לרוח ממללא *Et fuit in Adamo ſpiritus loquens*. Quo ipſo intima hominis natura exprimitur, atque ille ab aliis animalibus diſcernitur. Indivulſa enim hæc ſunt, rationalem eſſe, & loqui. Quamvis enim animantia quædam eaſdem, quas nos, voces proferant, unde ea organorum defectu non laborare *Hominis proprietas ſermo.*

Digitized by Google

patet, attamen non ſicut nos loquuntur, h. e. ſermone externomentis cogitationes non pingunt & efformant.

Unde ille primo exortus? CVII. Atque hinc difficilis quæſtio exoritur: unde linguæ verborumque copiam habuerit Adamus? *Hebræorum* aliis *natura*, aliis *conſenſui* & inſtituto, aliis denique ſolius Dei *revelationi* ac cœleſti diſciplinæ illud adſcribentibus. Cum autem nulla lingua homini innata ac naturalis ſit, cum verba omnia non natura, ſed ſolo inſtituto ac pacto ſignificent, ac has vel illas animi cogitationes indicent: cumque in generis humani initio etiam aliorum hominum conſenſus defuerit: plerique hic ad divinam revelationem confugiunt, Deumque linguæ primigeniæ conditorem introducunt, qui Adamo illam, vel univerſam, vel quoad præcipua ejus elementa, infuderit.

CVIII. Cum vero non liqueat Deum *externo ſono* Adamo præiviſſe, inſtarque pædagogi os ejus figuraſſe; neque etiam de *interno lumine* prorſus conſtet, quo mentem ejus colluſtraverit, & memoriæ penum iſtis verborum vocumque omnigenarum imaginibus & ſimulachris, inſtar artificioſæ tabulæ, veluti peraraverit & impleverit; contra autem pateat, eum adductis ad Adamum animantibus humano more ſapientiæ ejus experimentum cepiſſe, *ut videret quomodo ea appellaturus eſſet*, Gen. 2: 19. quæ verba ſaltem arguunt animalium nomina Adamo revelata non fuiſſe; ſupereſt ut naturali ejus intelligendi facultati iſtam linguam adſcribamus, qua ſapientiſſimus mortalium, ut rerum ideas animo comprehenſas tenebat, ita eas verborum ſignis alligare, atque animi ſenſa effari poterat. Cujus ſpecimen in animalium ὀνοματοθεσίᾳ edidit. Sicut & reliquæ deinceps inter homines linguæ ab hoc fonte originem ſumſerunt. Atque ita ſermonis quoque uſus in primo homine naturali ejus intelligendi facultati, peculiari chariſmate ac ſapientiâ adjutæ, adſcribendus venit.

Quo loco & tempore homo conditus? CIX. Similiter de *loco* diſquiritur & natali ſolo, quod conditum hominem primo exceperit: cujus rei ratio cum à Paradiſi in mundo ſitu dependeat, de ea poſtea videbimus. *Tempus* autem, & dies ejus quaſi natalis cum mundi univerſi natali idem eſt, cujus characterem loco de creatione paucis attigimus.

Falſa origines primorum hominum: CX. Atque hæc cum fuerit primi hominis origo, ſacra & cœleſtis, non ſine ſumma humani generis contumelia ac dedecore illi inter veteres philoſophati ſunt, qui cum Democrito homines, vermiculorum inſtar, è terris prorepſiſſe; vel cum Epicuro primordialium corpuſculorum

lorum vario nexu ac temerariis amplexibus compoſitos dixerunt, illoſque adhuc inſtar fungorum è terrâ enaſci, & certo ſiderum poſitu animari poſſe docent, & nobiliſſimum animal inter ſponte nata tantum non ponere non erubeſcunt. Qui *αὐτοματισμὸς*, quod pudendum, inter Chriſtianos etiam defenſores invenit.

CXI. Nec felicius alii Adamum primum humani generis parentem ac principem negarunt, atque alios ante eum homines, aliumque ſæculorum ordinem introduxerunt. Quæ impia nuperi ſcriptoris aſſertio vera paganiſmi proles & ſententiæ de mundi æternitate germanus fœtus eſt. Contra eam vero univerſa Scriptura, & tota ſalutis humanæ œconomia, quæ ſaltem ad Præadamitarum gentem extendi non poteſt, manifeſto præſcribit. Ut non ſolum novus mundus, ſed & nova Eccleſia, novaque ſalutis adipiſcendæ ratio pro novis iſtis hominibus excogitanda ac effingenda veniat; ut *Deus* non amplius *ſit unus*, nec *Dominus unus*, nec *fides una*, Gal. 3:20. Eph. 4:5. Moſes autem, cujus præcipua cura fuit mundi ac Eccleſiæ origines tradere, non ſolum novorum iſtorum hominum non meminit, ſed & Adamum primum noſtri generis parentem memorat. Et ne quis ipſum Adamitarum videlicet ſolum, quorum ortus Gen. c. 2. deſcribatur, cum de anteriorum hominum creatione cap 1. agatur, patrem eſſe cavillentur, illum primo mundi hexaëmero conditum manifeſto innuit; unde Judæis, ejus poſteris, ſeptimi diei quies perpetuo ſacra fuit. Et claris verbis ante Adamum creatum terrarum orbem cultoribus vacuum fuiſſe narrat: *Et homo non erat ad colendam terram*. Gen. 2:5. Unde & in N. T. Apoſt. non ſolum apud Gentiles Athenienſes aſſerit Act. 17:26. *ex uno ſanguine factum eſſe* πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, *ut habitarent* ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, *in omni ſuperficie terræ*; ſed & expreſſis verbis ad Corinthios, itidem gentiles, ſcribens Ep. 1. c. 15:45. Adamum vocat *primum hominem*, γενόμενον εἰς ψυχὴν ζῶσαν: primum appellans, qui unquam vitales auras carpſerit; ne iterum de Adamitis ſolum agi exiſtimemus, quorum princeps fuerit: & de noviſſima reſurrectione agens, illi primam iſtam rerum creationem comparat & opponit, ne de anteriori aliqua creatione, longe ante Adamum facta, cogitemus. Quibus S. Scripturæ teſtimoniis univerſæ antiquitatis hiſtoria & gentium prope omnium conſenſus accedit, apud quos hominis primi memoria, etſi variè corrupta, & fabulis inumbrata, non tamen prorſus obliterata vel deleta fuit; quod à doctis pridem oſtenſum eſt.

præcipuè Præadamitarum.

Digitized by Google

MULIER creata,

CXII. Deſcribit Moſes deinde *mulieris* creationem, quæ à Deo viro tradita & in auxilium adjuncta fuit, ad liberorum procreationem, œconomiam, ſocietatem, pietatem, omnemque matrimonii uſum, juxta Dei eſſatum, Gen. 2:18. אעשה־לו עזר כנגדו; quod de conjugii uſu nonnulli cum Paraphraſte Chaldæo, & Arabe interprete, intelligunt.

è coſta viri.

CXIII. Fuit autem formata mulier ex *coſtâ*, ſive latere *Adami, alto ſopore obruti*. Gen. 2:21. ne videl. admirando operi curioſus ſpectator intereſſet, vel etiam nudato latere ac ingenti vulnere aperto inamœno nimium viſu offenderetur; unde immiſſo ſomno à ſpectaculo iſto omniq; doloris ſenſu Deus ipſum avertit, atque evigilanti Evam, tanquam amabiliſſimam ſponſam, ante oculos ſtitit; quam eſſe carnem de carne ſua, in ſomno fortaſſe per ecſtaſin, divinitus admonitus, pronunciavit. Inde dicitur *mulier eſſe ex viro*, 1 Cor. 11:8. atque *ex uno ſanguine omne humanum genus eſſe compoſitum*. Act. 17:26. Atque in eo admiranda Dei ſapientia elucet, quod mulierem non ex capite viri, nec ex pedibus ejus fabricaverit; ne vel illa viro imperitare, vel hic eam ut imparem dedignari & calcare præſumeret; ſed tanquam vitæ ſociam ex latere ejus, & loco cordi proximo eduxerit, ut eam tanquam carnem ſuam amplecti, atque ex ſeſe natam tenerrimè amare non deſineret. Sicut etiam ideo mulierem homo ut vidit, mox amavit, & ſibi deſpondit, leges conjugii de individuâ ſocietate & cohabitatione unius viri cum una fœmina, per ipſius os, præſcribente Deo. *Ideo relinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam, & uxori ſuæ adhæreſcet*. Gen. 2:24. Conf. Matth. 19:4, 5. *Nonne legiſtis, quod qui condidit ab initio, marem & fœminam condiderit eos? Et dixit: Propterea relinquet homo Patrem & matrem, & adhæreſcet uxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam.*

in individuam vitæ ſociam.

Quo loco

CXIV. Eodem *loco*, quo creatus fuerat Adamus, productam non eſſe Evam, ſed in paradiſo, probabiliter plane ſtatuit Joſephus. Ant. l. 1. c. 2. Tertull. l. 2. contr. Marc. quod ex ordine narrationis eſt manifeſtum.

Quo tempore?

CXV. *Tempus* quoque creatæ mulieris prima quidem fronte in eundem videtur incidiſſe diem, quo creatus eſt vir, Gen. 1:27. ubi ad finem ἐξαημιξυ dicitur, Deum *hominem, maſculum & fœminam, creaviſſe*. Verum rectius illud per anticipationem intelligitur, ut ſignificetur quid voluerit Deus ut de homine ſuo tempore fieret; & qualis futurus eſſet, maſculus nempe & fœmina. Non enim uno eodemque die hæc peracta eſſe, hiſtoriæ ſeries, & proceſſus in creatione fœminæ obſerva-

tio

tus ſatis evincunt. vide Gen. 2: 8, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22. Quæ tam auguſta ac varia opera an tam parvo tempore perfecta ſint merito dubitare licet. Equidem nulla nos ratio cogit ad iſtud affirmandum: nec pro magnitudine operum Dei eſt, illas in tantas anguſtias cogere, illumque in tanti negotii opere, atque reliquorum omnium capite & faſtigio, adeo veluti feſtinantem inducere.

CXVI. Monſtrum autem ex primo homine fecerunt Judæi, atque illud pro operum Dei digno videl. colophone & generis humani principio, invexerunt, qui fabulis ſuis hominem duplicem & biformem fabricarunt, androgynum nempe, à fronte marem, à tergo fœminam, cui naſcenti binas animas, & corporis omnia membra bina dederunt. Quod commentum ejus vetuſtatis eſt, ut etiam apud Platonem legatur. Verum contra Scripturæ auctoritatem, quæ Adamum in Edene ſolitarium memorat, atque ex illa ſolitudine occaſionem mulieris creandæ ſumtam dicit. *Judæorum figmentum de homine bicorpore;*

CXVII. Impia autem ſunt quæ Rabbini fabulantur, Deum ultima diei veſpera præventum animalia quædam imperfecta reliquiſſe, atque hinc Faunos & Satyros exortos. Quæque pari audaciâ nugantur de cœli foramine in Septentrione, veluti imperfecti operis argumento, aperto relicto. *aliaque eorum impia fabula.*

CXVIII. Atque ita abſoluto opere ſuo requievit Deus, non veluti laſſus, ac mundi conditi regimen ac conſervationem negligens; ſed novas rerum ſpecies creare, ſive vocare ac jubere ulterius deſiit; primum mundi Sabbatum acturus, & in mundo à ſe condito ſeſe glorificaturus. Ut ita exemplo ſuo doceret, conſideranda nobis Dei opera, inque eorum meditatione, ac Dei creatoris glorificatione omnem porro ætatem agendam. Quod erat primævum illud & perpetuum Sabbatum, quod homo unà cum Deo, non per dierum intervalla, ſed continuo ac per omnem vitam acturus fuiſſet. *Dei poſt creationem universi quies:*

Digitized by Google

LOCUS SEXTUS
De PROVIDENTIA DEI.

CAPUT XLIII.

De Providentia Dei in genere.

PROVIDENTIA *Dei:*

I. CUm Deus non ſit momentaneus creator, ſed opus ſuum continuo influxu foveat & ſuſtentet, ejuſque perpetuam curam gerat; hinc jam emergit actualis ejus *providentia*: de qua nunc acturi, videbimus 1. Quod ſit providentia divina. 2. Quid ea ſit. 3. Qualium rerum ſit.

quam varii variè negant;

II. Negavit providentiam Dei inter veteres philoſophos Epicurus, qui omnia caſui adſcripſit, Deos verò, ne tranquillo ipſorum otio intercederet, introduxit tales, qui nec ſibi haberent, nec aliis exhiberent negotium, quique placidæ ac ſtupentis eſſent divinitatis. Ariſtoteles intelligentiis & corporibus cœleſtibus inferioris mundi curam attribuit; Deum autem rerum tantum ſpecies curare docuit. Stoici melius ſuo fato, recte accepto, omnia ſubjecerunt. Plato autem etſi primus providentiam nominavit, non tamen ad omnia & ſingula eam pertingere ſtatuit. Inter Chriſtianos etiam, quamvis omnes eam in genere agnoſcant, in ſpecie tamen quoad particulares ejus actus & opera varii variè impingunt.

Sed aſſerit S. Scriptura.

III. Teſtatur eam clariſſime S. Scriptura, quæ cum rerum creatione earum providentiam conjungit. Vid. Pſal. 33: 6, 9, 13, 14, 15. *Deus ille qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, ipſe dat omnibus vitam, halitum & omnia. In ipſo enim ſumus, & movemur, & vivimus.* Act. 17: 24. & ſeqq. *Potenti ſuo verbo portat omnia.* Hebr. 1: 3. *Omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Eph. 1: 11. quin & integris capitibus eam docet, Job. 38, 39. 40. Capp. Pſal. 8, 19. 104, 107. & ſingulis ferè paginis aſtruit.

& ratio.

IV. Requirit autem eam, cum ipſius Dei, entis perfectiſſimi, ſapientiſſimi, optimi ac potentiſſimi, natura, à quâ ſi omnia non dependeant, ipſa ejus notio & eſſentia tolletur; tum etiam rerum creatarum conditio, quæ cum ex nihilo productæ ſint, & de nihilo tam multum partici-

ci-

Digitized by Google

cipent, neque à ſe ipſis vim ullam ſubſiſtendi habeant, ne quidem uno momento ſubſiſterent, ſi non eâdem illâ manu, quæ eas formavit, continuò ſuſtentaretur. Et liquidò probat eam ſapiens illa rerum omnium gubernatio, quæ à ſuperiori aliquâ causâ & mente procedit, quæ nonnunquam ſingularibus eventis, veluti cœleſti quadam luce ſeſe prodit, & præſentem Deum teſtatur: quo ab ipſis Ethnicis referuntur imperiorum revolutiones, futurorum prædictiones, ſingularia in impios judicia, conſcientiæ morſus, alia, quibus Deus ſeſe *ἀμάρτυρον teſtimonii expertem non ſivit.* Act. 14: 17. *Ita ut omnia ex Deo, per ipſum & in ipſum ſint.* Rom. 11: 36. & ipſe ſit A & Ω *principium & finis, primus & ultimus.* Apoc. 1: 8, 11.

Ejus definitio.

V. Providentia autem hæc, Gr. *πρόνοια*, Hebræis הַשְׁגָּחָה dicta, vocabulo cognitionis ad voluntatem & affectus, atque inde porro ad externum opus tranſlata, eſt potentiſſima illa Dei actio, qua creaturis jam exiſtentibus proſpicit in omnibus, eaſque regit, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Eph. 1: 11.

ACTUS *tres.*

VI. Verum natura ejus diſtinctius apparebit, cum ex actibus, tum ex objecto illius. Actus illius, non in ſe, ſed ratione effectorum & modi conſiderandi, diverſi, tres ſunt, conſervatio, cooperatio ſeu concurſus, & gubernatio.

CONSERVATIO. *quam docet cum S. Scriptura, tum ratio;*

VII. Et *conſervationem* quidem rerum omnium docet, cum Scriptura S. *Deus qui fecit mundum & omnia in eo, quique cœli & terræ Dominus eſt, nullius indiget, ſed ipſe omnibus dat vitam, & halitum, & omnia. In ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Act. 17: 24. - 28. *Tu ille Jehova ſolus es, tu feciſti cœlos* &c. *& tu* מְחַיֶּה *vivificas*, conſervas, *hæc omnia.* Neh. 9: 6. *hominem & pecus* תוֹשִׁיעַ *ſervas, Domine.* Pſal. 36: 7. *Omnia fert verbo potentiæ ſuæ.* Hebr. 1: 3. *Aperis manum tuam, ſatiantur bono: occultas* quidem *faciem tuam, conſternantur: aufers ſpiritum eorum, exſpirant, & ad pulverem ſuum redeunt. At mittis Spiritum tuum, creantur, & innovas faciem terræ.* Pſal. 104: 28. 29, 30. tum etiam recta ratio, ſive ad Dei, ſive ad creaturarum naturam attendas.

è notione Dei,

VIII. Cum enim Deus ſit ens infinitum, independens & perfectiſſimum, omnia quæ extra ipſum ſunt, utpote ab ipſo creata & producta, ab ipſo dependere debebunt: ſi enim vel uno momento ea per ſe poſſent ſubſiſtere, eo ipſo independentia forent; quæ ſolius Dei notio eſt.

& creaturarum.

IX. Similiter etiam creaturarum imbecillitas potentem hanc Dei manum qua ſuſtententur, & continuo veluti reproducantur, requirit: non

non enim, ſi nunc eæ exiſtunt, ſequitur eas etiam cras & ſequentibus diebus extituras; cum inter partes iſtas durationis, ac temporis nullus ſit nexus. Et verò, ſi vel uno momento ſeſe conſervandi facultate polleant, eo ipſo independentes ſtatuentur, atque adeo etiam æternæ.

maxime rationabilium. X. Atque hoc, ut in omnibus creaturis, ita præcipuè apparet in rationalibus; quæ, cum nobiliſſimæ atque actuoſiſſimæ ſint, vel maximè per ſe ſubſiſterent, ſi talis aliqua facultas in creaturis daretur. Verum neque illas poteſtate ſeſe conſervandi pollere, ex imperfectionibus multiplicibus, quibus laborant, apparet. Si enim eæ facultatem tam immenſam haberent, ut ſibi ſufficientes eſſent ad exiſtendum, utique multo magis ſufficerent ad ſibi tribuendum perfectiones illas omnes, quas vellent; hoc enim levius eſt, quam ipſam ſubſtantiam, cui eæ perfectiones attribuuntur, conſervare. Hoc autem eas non poſſe, imperfectiones earum teſtantur. Deinde ſi ea in nobis facultas foret, mens noſtra procul dubio ejus conſcia foret, cum eam ſingulis momentis exercere deberet: nos autem eam in nobis non deprehendimus. Ut manifeſtum ſit nos à cauſa ſuperiori dependere, atque ab ea conſervari.

Quid ſit? XI. Conſervationis autem naturam quod attinet, non eſt illa, ſicut etiam creatio, actio aliqua Dei, per modum alicujus fluxus aut virtutis, à Deo diſtincta, & extra eum tranſiens. Verum ſicut creatio nihil aliud eſt, quam eſſentia Dei, apprehenſa cum voluntate ſeu juſſione ut res exiſtat, una cum mutatione ſtatus inde in re creabili conſecuta: ita & conſervatio nihil aliud eſt, quam eadem æterna & efficax Dei juſſio, ut creaturæ porro ſint, conſiderata cum coëxiſtentia effectus ſui. Neque etiam in creaturâ dicit paſſionem aut quicquam aliud ab illius eſſentiâ diverſum, ſed potius ipſam ejus eſſentiam, cum reſpectu continuæ à Deo dependentiæ.

A creatione non realiter, ſed ratione differt. XII. Unde à creatione realiter non differt, ſed ratione tantum. Utraque enim dicit eandem Dei voluntatem ſeu juſſionem, per quam res exiſtunt, & eſſe perſeverant: atque eundem utraque habet terminum, nempe ipſum eſſe rerum, ut quod primo producitur, & productum continuatur; idque non per actionem ſeu juſſionem interruptam, ſed continuam, imo eandem.

Ejus modus. XIII. Modum autem quo Deus conſervationem hanc peragit, penetrare creaturæ imbecillitas vix permittit, cum operationes entis infiniti à naturâ finitâ plenè percipi non poſſint. Obſervare tamen licet creaturarum diſcrimina, juxta quæ Deus ipſas variè conſervat, prout

eæ

eæ ſunt vel ſubſtantiæ, cum intelligentes, tum materiales, vel modi ſubſtantiis ſupervenientes. Quæ omnia Deus conſervat, cum ſingulatim, tum junctim, quatenus una res per aliam conſervari poteſt. Quæ particulatim tradere brevitatis ſtudio omittimus.

XIV. Hæc conſervationis efficacia tanta eſt, ut ſine ea omnia mox in nihilum relaberentur, ſicut ſubtractis columnis ædificium ruit; vel eodem modo, ut influxu ſolis ceſſante lux omnis protinus ceſſaret; vel potius uti cogitationes noſtræ, ubi mens noſtra ab iis ſeſe avertit, ſtatim evaneſcunt. *Conſervationis efficacia.*

XV. Non ergo Deus in annihilationem tendit actione poſitivâ, ſed ſolummodo actionis ſuæ ſubtractione, ſeu negatione: ſecus enim actione poſitivâ Deus in nihilum tenderet, quod abſurdum; imo ſi actione poſitiva res aliqua à Deo annihilari deberet, eo ipſo annihilari non poſſet: ſi enim ceſſante Dei influxu res adhuc permanere & ſubſiſtere poſſet, jam ex ſe ipſâ ſufficiens & à Deo independens foret, nec ejus dominio ſubjaceret.

XVI. Eſt ergo annihilatio non alio modo concipienda, quam ſi Deus omnipotenti ſua juſſione & voluntate juberet, ut res aliqua tantum ad certum tempus ſit; quo elapſo res illa tum eſſe defineret, non per novam Dei actionem, ſed per ceſſationem actionis prioris, quæ terminum ſuum jam attigiſſet, quaque res jam juberetur non amplius eſſe. *Annihilatio.*

XVII. Quamvis autem Deus ita facillimè creaturam annihilare poſſit, nullam tamen hactenus annihilavit, imo nullam fortaſſe annihilaturus videtur unquam, nam tum fruſtra eam creaviſſet. Ut vanum ſit quærere, an non Deus univerſum hoc annihilare poſſet exceptâ ſolâ terrâ? & an tum non daretur vacuum? Quid enim hic fieri poſſet, & quid tum futurum eſſet, ignoramus, neque ejus rei ideam ullam habemus: juxta ideas autem rerum, quas nunc habemus, manifeſtum eſt id fieri non poſſe, quia nos id concipere non poſſumus niſi errando: Deus autem erroris cauſa eſſe non poteſt: atque adeo ſi tale quidquam facere voluiſſet, aliam procul dubio mundi & extenſionis ideam nobis dediſſet.

XVIII. Secundus actus providentiæ Dei, eſt cooperatio ejus cum omnibus cauſis ſecundis, & actionibus earum; qui *concurſus* vulgo appellatur. Quem perperam negavit Durandus, non aliter Deum cum creaturis concurrere faciens, quam ipſas & agendi vim primo iis indi- *CONCURSUS, à Durando negatus,*

tam conſervando; quod eſt creaturam facere à Deo independentem & primam cauſam actionum ſuarum; Deum autem negare principium & finem rerum omnium.

Adſtruitur è Scripturâ.

XIX. Datur ergo hic concurſus Dei, ſeu influxus ejus, non tantum moralis, verum phyſicus, & maximè poſitivus, aut potius hyperphyſicus; atque immediatus, cum ratione virtutis, tum ratione ſuppoſiti; ita ut omnis creaturarum motus à prima cauſa in particulari dependeat. *Non longe abeſt ab unoquoque noſtrûm; in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* Act. 17:27, 28. *Deus, omnia noſtra opera operatus es nobis.* Eſai. 26:12. *Deus omnia operatur in omnibus.* 1. Cor. 12:6. *Ex ipſo, per ipſum, in ipſum ſunt omnia.* Rom. 11:36.

Diviſio ejus apud Scholaſticos.

XX. Dividi ille à Scholaſticis ſolet in ſimultaneum, quo Deus una cum creaturis in earum actiones influere ponitur, non vero in creaturas ipſas; & prævium, quo præterea in ipſas creaturas influit, eas præmovendo, excitando & prædeterminando, atque ad agendum applicando: qui duo concurſus non differunt tempore, ſed tantum natura & cauſandi ratione. Priorem concurſum tantum agnoſcunt Jeſuitæ; poſteriorem ponunt Dominicani, juxta Auguſtinum & Thomam.

Concurſus ſimultaneus rejicitur.

XXI. At vero per concurſum iſtum ſimultaneum Deus non erit principium & finis rerum omnium, ſed tantum ſtatuitur cauſa ſocia creaturarum; quæ ita cum Deo æquantur: & creaturæ hoc pacto ſeipſas ad actionem excitabunt & applicabunt, & à Deo erunt independentes; quod abſurdiſſimum eſt. Ut neceſſum ſit ponere concurſum Dei prævium, qui creaturam ad agendum excitet & deducat: imo nullus datur Dei concurſus, etſi tempore ſit ſimultaneus, qui natura & cauſalitate prævius non ſit; nunquam enim agit creatura, ſive primo actionis ſuæ momento, ſive ſeqq. quin ſemper præmoveatur & pendeat à Deo, à quo omnia ſua habet, & eſſe, & operari.

Item concurſus indifferens. poſitus in creaturæ poteſtate.

XXII. Eſtque hic concurſus, ſeu influxus Dei, non generalis & indifferens, inſtar ſolis, qui à quacunque creatura determinetur, quod Jeſuitæ volunt; ſed *prædeterminans*, idque prædeterminatione phyſica, ut ita loquamur, qua creaturæ potenter excitantur ad agendum per præmotionem præviam, & ad certum objectum applicantur. *Dextrum ei fuit auſpicium Hieroſolymam, ut poneret arietes, ad aperiendum foramen conquaſſatione, ad tollendam vocem cum barritu,* &c. Ezech. 21.22. *Jehova dixit ei, maledic Davidi, ecquis dicat, quare ſic facis?* 2. Sam. 16:10. Secus enim creaturæ ſe ipſas moverent, & non omni modo à Deo dependerent; quod ſummæ Dei perfectioni repugnat. XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Sed accuratè loquendo, non tam concurſus Dei, vel præcurſus, vel prædeterminatio ejus datur, quam quidem Operatio Dei, ut Scriptura loquitur, qua omnia operatur in omnibus. *In ipſo vivimus, & movemur, & ſumus.* Act. 17:28. *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Eph. 1:11. Nec quicquam iſti operationi divinæ magis adverſum eſt, quam concurſus ille Jeſuitarum indifferens, generalis, ſubſequens, conditionalis & inefficax; per quem tollitur Dei independentia, ſapientia, omniſcientia, omnipotentia, & gubernatio; & homo ipſe cauſa & dominus non tantum actionum ſuarum, ſed & vitæ ac ſalutis ſuæ conſtituitur. *Concurſus vocabulum non ſatis accuratum.*

XXIV. Naturam autem concurſus quod attinet, reſpectu Dei, non conſiſtit ille in qualitate quadam, virtute, actione, vel motione aliqua creata à Deo in creaturas tranſeunte: talis enim virtus, aut actio Dei creata, à Deo diverſa, non datur, nec dari poteſt, & ſi vel daretur, ipſa cum finita eſſet, ad agendum concurſu divino egeret, atque hic rurſus alio, & ſic in infinitum. *Concurſus Dei quid ſit?*

XXV. Actio ergo hic concipienda eſt, qualis in creatione & conſervatione, nimir. juſſio æterna, unica & ſimpliciſſima, voluntatis Dei, qua efficaciter res omnes vult agere & operari, conſiderata cum ſua tendentia ad creaturarum actiones, ſeu cum coëxiſtentia effectus ſui, h.e. mutatione ſtatus in creaturis inde exorta.

XXVI. In creaturis autem concurſus nihil aliud dicit niſi mutationem illam ſtatus, ſeu actiones earum, conſideratas cum dependentiâ ſuâ ab æternâ hac volitione Dei. Quæ dependentia actionibus creaturæ ſolummodo ſuperaddit modum cogitandi, non realiter diverſum ab illa actione: quoad Deum autem & creaturam dicit relationem realem, ex Dei concurrentis & actionis creaturæ poſitione reſultantem.

XXVII. Ita ut concurſus Dei realiter non differat à creatione & conſervatione, non ſolum reſpectu Dei, in quo omnia unum ſunt, verum etiam reſpectu creaturarum, quæ eadem Dei actione, ſeu potius juſſione, creantur, conſervantur & operantur. Quatenus enim eſſe creaturarum è nihilo producitur, juſſio illa Dei eſt creatio; quatenus eſſentia earum continuatur, eſt conſervatio; quatenus vero Deus illam conſervat & continuo quaſi reproducit, cum actione ſua, cumque mutuo illo rerum & actionum inter ſe nexu & dependentia, quam Deus inter illas eſſe voluit, ut unum ſit per & propter aliud, tum volitio & juſſio illa Dei appellatur concurſus. Atque adeo hæc efficaciſſima Dei *Non differt realiter à creatione & conſervatione.*

Digitized by Google

conſervatio, & continua rerum reproductio, una cum actionibus illarum · longè aliud quid eſt quam debilis illa conſervatio Durandi & ſequacium.

XXVIII. Cum vero duo ſint actionum genera, volitiones & motus, utrobique Deus concurſum ſuum præbet, cum ad actiones naturales & materiales, tum ad liberas & contingentes.

Concurſus Dei ad actiones materiales. XXIX. Ad actiones materiales ſeu ad motum, Deus concurrit, conſervando materiam & motum in ea; efficiendo nimirum ut eadem motus quantitas in materia maneat, quamvis ille ſit nunc in his, nunc in aliis corporibus. Cum autem motum aliter determinat Deus, quam juxta ordinarias, aut nobis cognitas naturæ leges fieri debebat; aut ſaltem quando nobis incognitum eſt quomodo actio Dei cum legibus naturæ conveniat, tum ille concurſus Dei cum motu, miraculum appellatur.

& liberas. XXX. Alterum genus actionis in creaturis eſt immaterialium, ſeu cogitationum & volitionum: quas producit Deus, quatenus efficit ut ſubſtantia cogitans ſeu volens porrò ſit, cum alia atque alia volitione. Sicut autem in rebus materialibus miraculum eſt, quando Deus extraordinaria aut nobis incognita motus determinatione utitur; ita & in ſubſtantiis cogitantibus ad inſtar miraculi eſt divina gratia: quæ ab ordinario Dei concurſu differt, tum quod indebita ſit, tum quod non ſolum, ut in ordinario concurſu, à Deo hic producantur actiones, ſed etiam ipſum earum principium & potentia, quæ per peccatum impedita & corrupta erant.

GUBERNATIO. XXXI. Tertius providentiæ divinæ actus, quique maximè propriè providentiam Dei notat, eſt *Gubernatio*, ſeu deductio rerum omnium ad ſuos fines; idque non ſolum per ſuppeditationem mediorum ad hoc conducentium, ſed potentiſſimâ & efficaci operatione, ut certo finem ſuum aſſequantur. *Omnia, quæ vult, Dominus facit in cælo, & in terra, & omnibus abyſſis.* Pſal. 135:6. *Jehova regnat in ſeculum & perpetuitatem.* Exod. 15:18. *Juravit Jehovah* Deus *exercituum, dicendo: Si non, quemadmodum cogitavi*, vel *delineavi*, *ita exſtitit*, *& quemadmodum conſului*, *illud ipſum ſtabit* vel *ſtat*. Eſai, 14:24.

quæ eſt vel communis, XXXII. Gubernatio iſta vel *communis* eſt, vel *ſpecialis*. Communis eſt, qua Deus omnia ſimili modo gubernat. Quo pertinet 1. Lex naturæ, omnium rerum communis. *Numquid per dies tuos juſſiſti mane* ſe ſiſtere? *feciſti, ut ſciret aurora locū ſuum?* Job 38:12. 2. Inclinatio ſeu determinatio naturæ, ad agendum juxta legem iſtam. *Sed homo ad ærumnam naſcitur;*

Digitized by Google

tur; & filii prunæ ſublimè volant. Job. 5: 7. quo etiam refertur inſtinctus naturalis in brutis. *Abi ad formicam, ô piger; aſpice vias ejus, & ſis ſapiens.* Prov. 6:6. *Quatuor iſta parva terræ* ſunt; *& illa ſapientia ſunt, apprimè ſapientia.* Prov. 30: 24. qui ab ipſa naturâ non differt, cum in illis nihil reprehendatur, quod per leges mechanicas explicari non poſſit. 3. Potentia quædam obedientialis, ut vulgo dicitur, qua creaturæ aptæ ſunt ad parendum imperio Dei. *Benedicite Domino, omnes exercitus ejus, miniſtri ejus facientes voluntatem ejus.* Pſal. 103: 21.

XXXIII. Specialis gubernatio eſt, qua Deus rationales creaturas morali modo gubernat, præſcribendo ipſis leges, quas promiſſis & pœnis ſancit. Requirit autem eam ſingularis creaturarum rationalium conditio, quæ cum liberæ ſint, conſilio & libertati congruenter gubernandæ ſunt. *vel ſpecialis, qua fit moralis modo;*

XXXIV. Gubernationis hujus hoc proprium eſt, quod Deus bonum & malum, ſub ratione præmii & pœnæ, creaturæ intelligenti non deſtinet, niſi ſub conditione officii adimplendi vel negligendi.

XXXV. Præſtatio autem conditionis hujus rationem non habet medii à Deo abſolutè deſtinati, ac creaturæ conferendi; non enim à Deo propriè, ſed ab homine ea præſtatur, interveniente Dei gratiâ: verum potius rationem habet cauſæ moralis, ab homine profectæ; ſicut ex. gr. preces ſunt cauſa moralis impetrati beneficii.

XXXVI. Abſolvitur moralis hæc gubernatio docendo & implendo. Docendo gubernat Deus, partim legem ferendo, partim eam ſanciendo. Lex fertur præcipiendo & prohibendo. Sancitur promittendo & comminando. Implendo autem gubernat Deus præſtando illa quæ docuit. *ac docendo & implendo abſolvitur.*

XXXVII. Atque ex ſpeciali illa gubernatione creaturarum rationalium fluit fœdus iſtud, quod eſt inter Deum & creaturas rationales: quod fœdus eſt quaſi contractus quidam Dei cum creaturâ, quo Deus præcipit, promittit, minatur & implet; creatura autem Deo ſtipulanti ſuum promittit obſequium. *Hoc die Dominus Deus tuus præcipit tibi facere ſtatuta & judicia hac. --- Dominum juſſiſti dicere hodie, quod factus ſit tibi in Deum, & quod ambules in viis ipſius ...... Et Dominus juſſit te dicere hodie, quòd factus ſis ipſi in populum peculii* &c. Deut. 26: 16, 17, 18. Ita ut ad gubernationem hanc pertineat generalis natura fœderis. *Unde fluit fœdus inter Deum & creaturas rationales.*

XXXVIII. Vi iſtius fœderis creaturæ rationalis moralia opera ſemper reſpectum habent ad felicitatem, ut præmium, vel infelicita-

Digitized by Google

tem, ut vindictam: atque hinc etiam exoritur vis & ratio conſcientiæ, vel accuſantis, vel excuſantis: quæ eſt judicium rationalis creaturæ de ſe ipſa, prout ſubjicitur legi ac fœderi Dei. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, conteſtificante ipſorum conſcientia, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, vel etiam defendentibus.* Rom. 2: 15.

CAPUT XLIV.

De Providentia Dei in ſpecie.

Providentia divina OBJECTUM,

I. EXplicatis hiſce providentiæ divinæ actibus, ſequitur nunc conſideratio objectorum ejus, quæ videnda ſunt tum in genere, tum quoad præcipuas illorum ſpecies.

Omnia, etiam minima.

II. Atque in genere quidem S. Scriptura pronuntiat, divinam providentiam verſari circa omnia & ſingula, etiam minima quæque. *Intueamini volucres cœli, non enim ſerunt, neque metunt, neque cogunt in horrea, ſed Pater ille veſter cœleſtis alit eas. Ac de veſtitu quid ſolliciti eſtis? diſcite quomodo lilia agrorum augeſcant: non fatigantur neque nent.* Matth. 6: 26, 28. *Nonne duo paſſerculi aſſario veneunt, & unus ex eis non cadet in terram ſine Patre veſtro?* c. 10: 29. *Oculi omnium in te ſperant, & tu das ipſis cibum ſuum in tempore ſuo; aperiens manum tuas & ſatians omne vivens benevolentiâ.* Pſal. 145: 15, 16. *Leones juvenes rugientes ad prædam, & ut quærant à Deo cibum ſuum.* Pſal. 104: 21. *Ex pulvere terræ pediculos produxit.* Exod. 8: 16, 17. *Locuſtas fecit aſcendere ſuper terram Ægyptiorum, ut abſumerent omnem herbam ejus terræ.* c. 10: 12. Hæc dicuntur *exercitus ejus numeroſus & robuſtus, faciens verbum ejus.* Joël. 2: 11.

quod etiam docet recta ratio.

III. Atque hoc etiam recta ratio docet. Niſi enim aliquid à Deo ſtatuere velimus independens, ac per conſequens infinitum, neceſſe eſt omnia Deo ſubdere, uſque ad minutiſſima quæque, cum illa etiam entitatem & motus operationeſque ſuas habeant. Imo quo viliora & debiliora ſtatuentur in ſemet ipſis, eo magis Dei gubernatione & ſuſtentatione indigebunt.

IV. Eſt ergo ea cauſa omnium rerum univerſalis, quatenus omnia ejus directioni ſubjiciuntur: & ſimul particularis, quatenus omnis realitas, quæ in effectis eſt, licet cauſis ſecundis etiam adſcribatur, à Deo tamen ſolo immediatè proficiſcitur. Quoad providentiæ divinæ autem effectus rectè Deus dicitur majorem curam gerere hominum, quam brutorum, & inter homines, fidelium, quam reliquorum. *Spem habemus in Deo vivo, qui eſt ſalvator omnium hominum, maximè fidelium.* 1. Tim. 4: 10.

V. Res

Digitized by Google

V. Res autem omnes, extra Deum, ut ad earum ſpecies deſcendamus, vel neceſſariæ ſunt, vel contingentes. *Omnes etiam rerum ſpecies.*

VI. Res neceſſariæ vulgo appellantur res phyſicæ ſeu naturales: quas à Deo dependere extra omnem eſt controverſiam, tum quoad naturam quam habent, quaque neceſſario agunt; tum quoad ordinem, quem inter ſeſe in hoc univerſo ſervant. *Numquid ligas amœnitates Pleiadum, & rudentes Orionis ſolvis?* Job. 38: 31. *Tuus eſt dies, etiam tua eſt nox. Tu conſtituiſti luminare & ſolem. Tu fixiſti omnes terminos terræ: æſtatem & hiemem tu formaſti.* Pſal. 74: 16, 17. *Dominus reſpondet cœlo, & illud terræ; terra autem frumento reſpondet, & muſto, & oleo, & illa reſpondent Jizreëli.* Hoſ. 2: 20, 21. *Sive neceſſaria ſint, ſeu naturales.*

VII. Atque hæc rerum naturalium gubernatio elucet in rebus inanimatis, earumque continuâ conſervatione, uſque ad herbarum agri & germinum curam. Matth. 7: 28, 29. *Faciens germinare gramen pecudi & herbam ad culturam hominis, educendo panem ex terra.* Pſal. 104: 14. unde pluviæ, ros, ſiccitas &c. Deo adſcribuntur. *Et dabo pluvias veſtras in tempore ſuo, & dabit terra proventum ſuum & arbor agri dabit fructum ſuum.* Levit. 26: 4. *Si præcepta mea audiveritis, dabo pluviam terræ veſtræ in tempore ſuo, pluviam primam & ſerotinam, & colliges frumentum tuum, & muſtum & oleum tuum.* Deut. 11: 13, 14. Deinde in fœcunditate vel ſterilitate animantium. *Et faciet te Jehovah abundare in bonum in fructu ventris tui, & in fructu beſtiæ tuæ, & in fructu terræ tuæ. Et comedet fructum beſtiæ tuæ, & fructum terræ tuæ donec profligeris, quia non ſupererit tibi frumentum, muſtum, & oleum, genitura boum tuorum, & fœtura pecoris tui, donec perdiderit te.* Deut. 28: 11, 51. præcipue autem in propagatione generis humani, quod Deo vel maximè curæ eſt. *Dominus qui extendit cœlos & fundavit terram, format ſpiritum hominis in medio ejus.* Zach. 12: 1. *A Deo Patris tui, qui auxiliatur tibi, & ab Omnipotente, qui benedicit tibi, benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi, quæ jacet infra, benedictionibus uberum & uteri.* Gen. 49: 25. *Et recordatus eſt Deus Rachelis, & aperuit uterum ejus.* Gen. 30: 22.

VIII. Speciatim providentiæ Dei ſubjacet uniuſcujuſque hominis vita & mors; ita ut terminus vitæ cujuſque immobilis & fixus ſit, cum omnibus ſuis circumſtantiis. Quod contra Remonſtrantes, Lutheranos & Semipelag. quoſlibet patet ex ſequentibus Scripturæ dictis: *Deciſi* ſunt *dies ejus, numerus menſium ejus* eſt *tecum, limites ejus feciſti & non tranſibit.* Job. 14: 5. *In libro tuo omnia illa ſcripta ſunt; dies qui formati ſunt,* *Quo pertinet vitæ terminus.*

& non

& non erat unus inter illos. Pſal. 139:16. *Capilli capitis omnes numerati ſunt.* Matth. 10:30. *Nemo injecit in eum manum, quia nondum venerat hora ipſius.* Joh. 7:30. *Palmares feciſti dies meos, & vitale ævum meum* eſt *quaſi non eſſet coram te* Pſal. 39:6, *Dominus eum percutiet, aut dies ejus veniet & morietur, aut in prælium deſcendet & conficietur.* 1 Sam. 26:10.

IX. Quod tamen decretum Dei non excludit hominum curam & officium. Nam eodem de vita hominum decreto ſimul Deus decrevit media, per quæ ille terminus, quem Deus ſtatuit, attingendus foret. Non enim Deus format primo decretum, quo abſolutè decernit finem, & poſtea alio decreto decernit media. Tum enim media non amplius forent media, nec neceſſaria forent, ſi Deus abſolutè jam decreviſſit finem, & alio demum decreto decerneret media. Quibus ergo decernit longævam vitam, illis eam decernit ut benè utentibus mediis & libero arbitrio. Qui bonus liberi arbitrii uſus, cum virtute conjunctus, cauſa moralis eſt longioris vitæ, abſque quâ Deus eam in bonum non concederet; ſicut ab alterâ parte impietas cauſa moralis eſt brevis vitæ. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut* יאריכֻן *longi ſint dies tui ſuper terra.* Exod. 20:12.

Sive contingentes. X. Major autem difficultas eſt circa res contingentes, quomodo illæ, cum tales ſint, providentiæ divinæ ſubeſſe, & ab ea determinari poſſint. Quod ut intelligamus, videndum eſt 1. qualis, & unde contingentia in rebus ſit. 2. quomodo res illæ contingentes à Deo gubernentur, ut non tollatur earum contingentia.

Contingentia genus quadruplex. XI. Contingentiæ, latiſſimo ſenſu, quadruplex datur genus: primum, quod complectitur naturas rerum, quatenus illæ cum natura Dei non habent neceſſariam connexionem, adeoque hactenus contingenter exiſtunt. ſecundum, quod ex cauſis phyſicis reſultat, accidentaliter ſeu contingenter operantibus; tertium, quod ex libero arbitrio in bono occupato; quartum, quod ex natura & conſideratione mali moralis oritur. Aut ut paulo adductius hæc concipiamus, triplex præcipue circa res contigentes erit difficultas. 1. quomodo ſe habeat providentia Dei circa res & actiones contingentes naturales. 2. quomodo circa voluntarias. 3. in ſpecie & præcipuè quomodo circa malas.

CONTINGENTIA. XII. Quod attinet primum contingentiæ genus, ut pateat quomodo res naturales contingentes providentiæ divinæ ſubſint, notandum eſt, reſpectu Dei nihil omnino contingens eſſe, hoc eſt, tale quod ſua natura poſſit exiſtere vel non exiſtere: nulla enim res creata propria ſua

ſua vi poteſt exiſtere, vel aliquid agere; & nihil fit vel exiſtit niſi per Dei potentem juſſum & voluntatem, quæ cum ab æterno extiterit, inde neceſſitas exiſtendi in omnibus rebus creatis ab æterno: & ita re ipſa nulla datur contingentia, ſed iſta, ut & rerum poſſibilitas, intellectus noſtri tantum eſt defectus circa rei exiſtentiam, cum omnia à Decreto Dei immutabiliter pendeant; ut ſupra oſtenſum eſt.

ex naturis rerum & cauſis phyſicis contingenter operantibus, quomodo providentia divina ſubſint?

XIII. Omnis ergo quæ & qualiſcunque in rebus eſt contingentia, ut & neceſſitas, à Deo exorta eſt, & ab illo dependet; ita ut ſublata Dei providentia nulla in rebus contingentia foret, ſicut nec neceſſitas, nec libertas; cum à voluntate Dei omnis ſit rerum neceſſitas, à libertate ejus omnis creaturarum libertas, & ab immutabili ejus ordinatione omnis rerum contingentia. Hinc Scriptura rerum maximè contingentium ordinationem Deo adſcribit. *Qui percutit quemquam ita ut moriatur, moriendo morietur. Etſi quis non quæſivit, ſed Deus occurrere fecit manui ejus, ponam tibi locum quo fugiat.* Exod. 21: 12, 13. *Ut ſi quis cum proximo ſuo iverit in ſylvam ad cædendum ligna, & ſe exuerit ferrum à ligno, & invenerit proximum ejus ita ut moriatur.* Deut. 19: 5. *In ſinum*, in cavum, *conjicitur ſors, à Domino autem eſt tota ratio ejus.* Prov. 16: 33. *Nonne duo paſſerculi aſſario veneunt, & unus ex iis non cadit in terram, ſine Patre veſtro?* Matth. 10: 29.

XIV. Neque etiam pugnat, idem reſpectu cauſarum ſuarum contingens eſſe, & reſpectu Dei neceſſarium: quod enim in ſe contingens eſt, alio reſpectu neceſſarium eſſe poteſt, ſi aliunde neceſſitatem ſuam accipiat, quæ neceſſitas rei extrinſeca tantum eſt, & appellatur neceſſitas conſequentiæ, quia conſequitur ex decreto divino; nec magis contingentiam vel libertatem evertit, quam neceſſitas quæ oritur ex Dei præſcientia, quam tamen adverſarii concedunt.

XV. Cum ergo ita pateat contingentiæ radicem à Deo petendam eſſe, manifeſtum eſt omnem contingentiam, quæ in rebus eſt, tantum eſſe reſpectu noſtri, & cauſarum inferiorum, ubi præter noſtram intentionem, & ordinarium rerum naturalium ordinem, quidquam accidit, quod tum reſpectu noſtri dicitur contingens.

Errores de rerum contingentia.

XVI. Malè ergo τὸ ἐνδεχόμενον & rerum contingentiam concipiunt, qui eam adeo abſolutam arbitrantur, ut quædam etiam reſpectu Dei contingentia ſint & maneant, neque ejus ordinatione & decreto fiant: qualia ipſis præcipuè ea ſunt, quæ ab hominis libertate & voluntate dependent: cujus naturam deſtrui putant, ſi à cauſa ſuperiore de-

Digitized by Google

terminetur: unde & ea præſcientiæ divinæ ſubducunt quidam; quæ Socinianorum impietas eſt: alii vero eorum ſcientiam mediam, citra determinationem eorundem, in Deo introduxerunt.

XVII. Atque hac contingentiæ radice ac ratione ita explicata, ultro jam patet, quid de *caſu, fortuna, ſorte* & *fato* ſtatuendum ſit.

CASUS & FORTUNA.

XVIII. Caſu ac fortuna ea fieri dicuntur quæ dependent à fortuito cauſarum concurſu, reſpectu cauſarum ſecundarum, & quorum eventum non habemus in noſtrâ poteſtate. Imprimis caſus conſideratur in iis rebus, in quibus nulla hominum opera vel arbitrium intercedit: fortuna contra, quando finis ab humanâ voluntate intentus caſu quodam intercipitur & turbatur.

XIX. Fortunam tanquam Deam Gentium ſuperſtitio olim introduxit, eique eas aſſignavit partes, ut ea in mundo regeret, quæ certas in natura cauſas non habent: idque partim ex ignorantia, qua providentiam Dei non agnoſcebant; partim ex profana quadam licentia, ut Deo à rerum humanarum curâ amoto, rebus veluti perturbatis ſe involverent, & peccandi licentiam invenirent, nullo videlicet ſcelerum teſte vel vindice.

Quam proſcribit Scriptura;

XX. Scriptura vero univerſum iſtud fortunæ regnum penitus proſcribit, dum res maximè fortuitas & caſuales à Dei providentia gubernari teſtatur. *Dixit Abraham, Deus ipſe proſpiciet ſibi de pecude ad holocauſtum. Quum autem ſublatis oculis ſuis aſpiceret, ecce arietem qui retrorſum tenebatur in perplexo cornibus ſuis.* Gen. 22: 8, 13. Ita Deus Abrahami ſervo obviam dedit Rebeccam futuram Iſaaci ſponſam. Gen. 24: 12. & ſeqq. *Dixit Iſaac filio ſuo: quid properaſti invenire?* quî factum ut tam citò inveneris venationem? *& dixit, quia Dominus Deus tuus fecit mihi occurrere.* Gen. 27: 20. ſine Deo ne *paſſerculus* quidem *cadit in terram, imò capilli capitis omnes numerati ſunt.* Matth. 10: 29, 30. Quum Barbari Melitenſes viderent viperam è calore prodeuntem, pendentem è manu Pauli quam arripuerat, dixerunt: *Homicida eſt homo iſte, quem, poſtquam ſalvus evaſit è mari, ultio non ſivit vivere.* Act. 28: 3, 4.

Reducunt Remonſtrantes & alii, ſub alio nomine.

XXI. Reducunt autem eam ſub alio nomine Remonſtr. & alii, dum radicem contingentiæ & libertatis humanæ extra Deum in rebus ipſis, & præcipue in voluntate humanâ collocant: & Deum generali tantum influxu, qui ab hominis arbitrio, ſæpe in fines longè alios, determinetur, agere volunt: multa etiam ad nudam Dei permiſſionem, quæ tamen inefficax ſit, nec rem permiſſam neceſſario ponat, referunt.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Sortis voce notari ſolet eventus aliquis contingens, cujus veluti arbitrio lites explicantur vel dirimuntur, ex pacto ſive inſtituto divino, vel humano. Atque adeo nihil aliud ea dicit, quam inſtabilem & incertum ſecundarum cauſarum reſpectu noſtri concurſum, quarum eventus poteſtati noſtræ ſubjectus non eſt, atque identidem variare poteſt. SORS.

XXIII. Atque hac ratione in omnibus vitæ caſibus ſors dominari ſolet; etiam in rebus maximè ſeriis, & in quibus multum noſtræ induſtriæ relictum eſt, quibus fortuitum aliquod intercedere poteſt: ut in apparatu bellico, cuſtodiâ civitatis &c. *Equus paratur ad diem prælii, ſed Domini eſt ſalvatio.* Prov. 21: 31. *Si Dominus non ædificet domum, fruſtra laborarent coædificantes eam. Si Dominus non cuſtodiat civitatem, fruſtra vigilat excubitor &c.* Pſal. 127: 1, 2.

XXIV. Quamvis autem res omnes fortuitæ noſtro arbitrio vel induſtriæ ſubjectæ non ſint, ſed à Dei ſolius providentia, à qua omnes iſtæ cauſæ reguntur, dependeant; unde *ſors ipſa ejuſque judicium* Deo attribuitur, Prov. 16: 33. non tamen in iis eſt alia Dei providentia, vel alius concurſus, quam in iis rebus, quæ ſine ſorte per naturales cauſas eveniunt: quamvis enim eventus ille reſpectu noſtri à fortuito cauſarum concurſu dependeat, reſpectu tamen cauſarum ipſarum naturaliſſimo modo, & neceſſariò, juxta ordinariam Dei providentiam, evenit.

XXV. Quando ergo in rebus levibus vel ludicris ſorte vel cauſis fortuitis utimur, non eſt in iis provocatio quædam ſpecialis ad divinam providentiam, aut exploratio divinæ voluntatis, qua videl. rogamus aut expectamus ut Deus ſigno aliquo nobis declaret, quid de re futurâ decreverit, quemadmodum Gideon tali provocatione utebatur, Jud. 6. Sed eſt ibi ſimplex tantum rei ſuſceptio, cujus eventus caſui & fortunæ ſubjectus eſt. Non ergo ſingularis aliqua religio ea in re ponenda eſt, aut uſus illius, niſi aliæ accedant circumſtantiæ, illicitus.

XXVI. Conſiderandum autem eſt rei, de qua agitur, momentum & pondus, & pro ejus diverſitate, aut majori aut minori reverentia ſortes tractari debent: aliud enim eſt, per ſortem lites expedire, vel perſonam muneri alicui deſtinare; aliud autem per luſum, ad honeſtam mentis oblectationem, ſorte uti. Res enim omnes magni momenti non ſine numinis reverentia incipiendæ, neque etiam temere ſorti ſubjiciendæ

 ſunt,

Digitized by Google

ſunt; ubi autem aliter eæ expediri nequeunt, non ſine animi religione ad ſortem accedere & precibus rei eventum à Deo expetere decet. Quæ autem exigui momenti ſunt, minori cum devotione ſuſcipi poſſunt, atque adeo in rebus levibus, ad mentis corporiſque recreationem, citra crimen ſorte uti licet (ſervatis tamen neceſſariis cautelis:) in luſu enim iſto non eſt provocatio ad Dei providentiam, vel exploratio ejus; ſicut ea quidem intercedit, cum in rebus magni momenti ſortium eventum precibus Deo commendamus.

XXVII. Ii tamen, qui aliqua animi ſuperſtitione hac in re tenentur, ſortibus ludicris abſtinere, & nihil contra animi ſui ſenſum facere debent. *Quicquid enim ex fide non fit, peccatum eſt.* Rom. 14:23. atque etiam in univerſum omnes, propter multa peccata quæ vulgato ſortium uſui adhærent, quam parciſſimè iis uti debent.

FATUM. XXVIII. Ita eliminatâ ab unâ parte fallaci fortunæ contingentiæque Dea, cavendum etiam ab altera parte eſt, ne ad violentæ neceſſitatis & fati ſcopulum allidamur, quod ſapientioribus inter philoſophos accidit, cum fortuna tantum vulgi & leviorum hominum Dea fuerit.

quod quadruplex vulgo ſtatuitur. XXIX. *Fatum*, Græcis εἱμαρμένη, quadruplex vulgo ſtatuitur. Mathematicum, quod ex aſtris & ſiderum poſitu omnes eventus deducit. Naturale, ſeu phyſicum, quod nihil aliud eſt, quam cauſarum naturalium ordo, ſimili modo ſemper agentium, niſi aliunde impellantur; atque adeo ne ad vim quidem fati aſſurgit. Stoicum, quod definiebant rerum & cauſarum æternam & inviolabilem ſeriem; in qua non ſolum cauſas neceſſarias, verum etiam contingentes & liberas ponebant, quæ omnes inſtar catenæ ex ſe invicem dependebant, contexta ex infinitis annulis, quibuſdam fortioribus, quibuſdam debilioribus, ita tamen concatenatis, ut diſſolvi non poſſent. Cui fato cohæret Neceſſitas, gemella fati ſoror, qua ipſum Deum, ipſamque hominis voluntatem & libertatem conſtringebant. Denique Chriſtianum, quo intelligitur rerum & cauſarum à divino decretò dependens ordo & ſeries.

Fati Chriſtiani à Stoico diſcrimen. XXX. Atque hoc Chriſtianum fatum longè abeſt à fato Stoicis (forte non ſatis rectè, ſaltem quoad omnes) imputato. Nam 1. cum illi neceſſitatem ponerent in perpetuo ac æterno rerum nexu, nos eam ponimus in Dei decreto. 2. illi Deum neceſſitati, nos neceſſitatem Deo ſubjicimus. 3. cumque illi rerum contingentiam & voluntatis libertatem ſuo fato ſuſtuliſſe dicantur, nos ea cum fato in gratiam reducimus.

XXXI. Illi ipſi vero, qui falsò aſſerti Fati nos inſimulant, longè fortius,

Digitized by Google

Fatum reducunt, qui nos aſſerti fati falsò inſimulant.

tius illud reducunt. Res enim naturales & contingentes quod attinet, illas juxta Chryſippum argumento de enunciationis definitione, quo ille fatum Stoicum aſſerebat, ita aſſerunt neceſſarias, ut ab æterno de omni re dici potuerit, verum eſſe id quod verum eſt, & ab æterno certò futurum eſſe quod futurum eſt. Ut non dependeat rerum futuritio à Deo, ſed à rebus ipſis. Cujus erroris πρῶτον ψεῦδος eſt male intellecta enunciationis disjunctivæ neceſſitas.

XXXII. Magis autem adhuc fatum adſtringunt circa actiones liberas & voluntarias, per ſcientiam ſuam mediam; qua Deus antecedenter ad decretum ſuum prævideat, quid creaturæ rationales, in talibus vel talibus circumſtantiis poſitæ, acturæ fuerint. Hinc enim jam neceſſitas oritur, quæ non creaturas ſolum, verum etiam ipſum Deum conſtringit; cum decretum Dei alligatum ſit ipſius ſcientiæ, ſcientia autem rebus ipſis, quæ ab æterno ante decretum omne Dei veritatem ſuam habuerunt, ita ut jam decreto opus non ſit.

XXXIII. Quanto rectius nos omnem illam neceſſitatem à Dei decreto deducimus, à quo omnis ſubſtantia & veritas, ordo ac lex originem ſuam habent: neque hinc officium noſtrum excluditur, vel voluntatis libertas læditur; cum illa ordinem ſuum habeant in cauſis ac mediis à Deo ſimul deſtinatis.

Providentia Dei circa actiones LIBERAS.

XXXIV. Major autem in explicanda providentiâ Dei reſtat difficultas circa res voluntarias & morales; cum illæ non ſolum ſint contingentes, ut res quædam naturales, verum etiam liberæ, quæque ideo minus cum providentiâ Dei videntur conſiſtere poſſe. Conſiderabimus autem 1. hic in genere providentiam Dei circa actiones liberas, & quemadmodum inde libertas non lædatur. 2. deinde in ſpecie, qualis illa ſit circa actiones bonas, & malas.

XXXV. Aliter nimirum à Deo dependent res phyſicæ, aliter actiones liberæ: res enim phyſicæ non tantum certò eveniunt, verum etiam neceſſariò, actiones autem morales ſimul certò & liberè fiunt: & ſicut illæ non ſuâ ſponte, ſed ſemper alienâ vi externoque cauſarum naturalium impetu producuntur, ita voluntatis operationes ab ipſa voluntate, tanquam à principio interno, liberè oriuntur.

Actiones voluntarias Deo ſubeſſe docet Scriptura.

XXXVI. Actiones autem voluntarias nihilominus Deo ſubeſſe, ex innumeris Scripturæ locis apparet, ubi corda ac voluntates hominum in poteſtate Dei ponuntur. *Hominis ſunt diſpoſitiones cordis, ſed à Domino pronunciatio linguæ.* Prov. 16: 1. *Multæ cogitationes* ſunt *in corde viri, ſed*

Digitized by Google

conſilium Domini hoc ſtabit. c. 19: 21. *Rivi aquarum cor regis in manu Domini*. c. 21: 1. Ut aquæ elices ducuntur, quo vis, ita cor regum à Deo. Exemplum hujus eſt in Eſavo, Gen. 33: 14. Ægyptiis, Exod. 11: 1, 2, 3. hinc Jacobus orabat Dominum ut filii ejus miſericordiam conſequerentur coram Ægypti præſide Joſepho. Gen. 43: 14 & Nehemias, ut coram Rege Artaxerxe idem ei eveniret, ſupplex petit, cap. 1: 11. *Tunc dixit Jehova illi, quis ſtatuit os homini? aut quis ſtatuere poteſt mutum aut ſurdum, cernentem aut cæcum? nonne ego Jehova?* Exod. 4: 11.

& ratio. XXXVII. Idem & ratio evincit. Cum enim libertas maxima hominis ſit perfectio, homo eam à Deo, tanquam à primâ cauſâ habet. Sicut enim omnis ſapientia creata dependet à ſummâ ſapientiâ; ita omnis libertas includit talem ordinem ad primum liberum: ita ut niſi Deus operaretur liberè, nulla etiam foret libertas in rebus. Deinde, cum actiones voluntatis res poſitivæ ſint & modi ſubſtantiæ ſuæ; non minus à Deo dependebit ſubſtantia illa, quoad modum & operationem ſuam, quam quoad exiſtentiam & conſervationem ſuam.

Quæ ſit operatio Dei in voluntatem? XXXVIII. Operatio autem Dei in voluntatem non eſt concipienda per modum concurſus, vel præcurſus, vel prædeterminationis, ad quam voluntas ſeſe paſſivè habeat; hi enim ſunt loquendi modi, deſumti à rebus corporeis, & ab ideis inde hauſtis: multo minus quod ad conſervandam arbitrii libertatem concurſus hic ſtatuendus ſit generalis, indifferens, oblatus, quique conſiderandus ſit, tum in actu primo, qui nihil aliud ſit quam voluntas concurrendi, quam iterum primam & antecedentem faciunt, & ſecundam ſeu conſequentem; tum in actu ſecundo; quæ adverſariorum tricæ ſunt: neque etiam illa concipienda eſt tanquam actio Dei in voluntatem extrinſeca, vel tanquam motus aliquis & impetus voluntati ab extra inditus: nulla enim ponenda eſt talis Dei operatio, qua aliquid ponitur extra voluntatem, quod eam determinet; repugnat enim, liberum eſſe, & per modum principii phyſici ab alio determinari.

XXXIX. Sicut ergo voluntas volendo ſe determinat, nec aliia fingenda eſt volitio *quâ*, alia vero ad *quam* ſe applicat voluntas. Ita neque fingendum eſt, formam aliquam vel vim à Deo voluntati imprimi, qua reſtringatur ad hoc vel illud volendum. Ipſa enim divina operatio in voluntatem, paſſivè accepta, nihil eſt aliud quam ipſa voluntas, ad agendum à Deo excitata, ejuſque volitio & actus, quatenus illi à divinâ virtute procedunt.

XL.

Digitized by Google

XL. Quando igitur actiones elicitæ voluntatis à Deo producuntur, nihil aliud concipiendum eſt, quam conſervatio ſeu continua creatio aut reproductio mentis noſtræ, eaque varia, quâ Deus ſimul mentem ejuſque cogitationes variatim ita producit. Actionum autem voluntatis imperatarum ſicut non aliud eſt fundamentum, quam illa Dei in naturâ conſtitutio & juſſio, qua certos corporis motus, cum certis cogitationibus mentis, & viciſſim, voluit eſſe connexos; ita porrò nihil aliud requiritur, quam mentis & corporis noſtri cum mutuo hoc nexu conſervatio, & quaſi continua creatio, quæ ita ad actiones noſtras imperatas ſufficit.

XLI. Unde etiam obiter patet, quæ ſit natura operationis Dei, in gratia, quoad actiones ſupernaturales. Hæc nimirum eodem modo concipi debet tanquam creatio nova mentis, hoc eſt, productio mentis cum novis & ſupernaturalibus actionibus, quæ deinceps conſervantur à Deo in nobis convenienter naturæ & operationibus noſtris: ſicut de miraculis externis ſuperius quoque viſum eſt.

XLII. Præcipua autem difficultas eſt, quomodo hæc operatio Dei cum libertate noſtra conſiſtat, & quomodo hæc concilianda ſint ſecum invicem. Extrema enim hîc clare & diſtinctè percipimus, ab una nimirum parte nos à Deo dependere ſcimus, & ab altera etiam parte nobis conſcii ſumus ſummæ libertatis: quomodo autem hæc ſimul conveniant, obſcurum valde & ferè ſupra captum noſtrum eſt: neque id immerito, cum modus quo creaturæ à Deo dependent & juxta quem in nobis operatur infinitus ſit, & nobis vix comprehenſibilis, & cujus non adeo diſtinctam ideam vel conceptum habemus. *Quomodo ea conſiſtat cum libertate noſtra.*

XLIII. Hoc tamen deprehendimus, contradictoria non eſſe, liberum eſſe, & dependens eſſe à Deo, idque ex claritate conceptuum quos de utraque hac re habemus; ſicut contradictorium eſt, montem imaginari ſine valle. Idea enim libertatis non deſtruitur per ideam cauſæ primæ, ſicut idea accidentis deſtruitur, ubi accidens concipitur tanquam exiſtens extra ſubjectum ſuum. Cum ad libertatis ideam non requiratur, ut ea planè ſit ἀνυπεύθυνος, verum cum ea concipiatur tanquam creaturæ alicujus, potius à Deo dependens, eique obnoxia ſemper concipitur.

XLIV. Quamvis vero ita omnia hîc Dei ſint, non tollitur tamen inde, nec actio, nec libertas noſtra. Etſi enim Deus omnia in nobis producat, voluit tamen nos à ſe diſtinctos eſſe, & certos modos ac operationes

tiones ſubſtantiæ noſtræ in noſtra poteſtate eſſe voluit; & quæcunque in nobis agit, non ſine nobis, ſed per & propter nos, nobis conſciis ac volentibus (impoſſibile enim eſt, ut cogitemus, quin ejus mens noſtra conſcia ſit) per propriam noſtram ſubſtantiam actuoſam operatur.

XLV. Atque propter hoc ſpontaneum & liberum longe aliter actiones creaturarum rationalium à Deo dependent, quam actiones naturales cauſarum phyſicarum: per cauſas enim naturales agit Deus tanquam per vera media, quæ nihil ſuum habent, neque ipſæ actuoſæ ſunt, ſed totæ à Deo aguntur; cum creaturæ rationales ex ſe ipſis actuoſæ & actionum ſuarum dominæ ſint, atque adeo in ſerie cauſarum phyſicarum ita abſolutè poni nequeant, ſed eum tantum inter res à Deo ordinatas ordinem & locum occupent, qui libertati ipſorum conveniat.

XLVI. Sicut autem eventus neceſſarius aut contingens in rebus phyſicis non eſt denominandus à divino decreto, cujus reſpectu omnia neceſſario fiunt, ſed ab ordine quem illæ res habent ad alias cauſas; ita etiam ratio actionis liberæ non eſt petenda à decreto divino, cujus reſpectu omnia certo eveniunt, ſed pendet à naturâ cauſalitatis moralis earum rerum, quæ pariter in voluntatem agunt.

Adverſariorum πρῶτον ψεῦδος.

XLVII. Πρῶτον ψεῦδος adverſariorum eſt, quod libertatis naturam male concipiant: cum enim ea ſolum exigat ut agamus cum lubentia, cum judicio & conſilio, illi eam ponunt in indifferentiâ; quæ tamen libertati non eſt eſſentialis, ſed accidentalis tantum in aliquo ejus ſtatu morali: neque etiam locum habet in voluntatis actibus aut habitibus, ſed ſolummodo in facultate & potentiâ ejus; in qua tamen ea ſemper obtinet, quantumcumque à Deo voluntas ad actus ſuos promoveatur: imò verò, quo minus nos indifferentes deprehendimus, & quo majori propenſione in aliquam rem ferimur, ſive quod tam clare rationem boni & veri in ea conſpicimus, ſive quia Deus intima voluntatis noſtræ ita diſponit, eo magis nobis libertatis noſtræ conſcii ſumus.

Providentia Dei in ſpecie circa actus BONOS.

XLVIII. Et ita quidem providentia Dei circa actiones morales in genere verſatur; quod vero in ſpecie actus bonos concernit, ad hos Deus ita nos præmovet, ut eorum auctor non tantum ſit in genere naturæ, verum etiam ſecundum bonitatem earum moralem. In omni enim bono actu duplici quaſi realitate volendi defungimur; nam & bonum volumus, & benè volumus, atque adeo ad utrumque hoc præſtandum duplici influxu Dei opus eſt. Unde Scriptura omnia bona o-

Digitized by Google

pera noſtra, & velle, & perficere, Deo attribuit. *Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in medio veſtri : & auferam cor illud lapideum ex carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* Ezech. 36: 26. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & operari, propter beneplacitum.* Phil. 2: 13. *Inclina cor meum ad teſtificationes tuas, & ne ad lucrum.* Pſal. 119: 36.

XLIX. Sicut autem nulla Dei operatione circa voluntatem libertas ejus tollitur, ita etiam neque hac operatione Dei circa bonum ea perimitur, ſed potius corroboratur; dum Deus arcana operatione nos magis velle facit. Sic autem libertas non læditur; tum enim libertas volendo periret, & voluntas volendo à libertate excideret, quod impoſſibile & contradictorium eſt: ut recte, juxta Auguſt. voluntas non libertate conſequatur gratiam, ſed gratia conſequatur libertatem.

L. Nam aliud quid præter ipſam voluntatem requiritur, quod actus ejus in ipſius poteſtate ponit, quoque eam promptam & potentem facit ad volendi actus exercendos; ſi enim ea ipſa ſola ſufficeret, nulla ratio eſt, cur Deum tam intenſo & perfecto amore non amaremus, quam quidem optaremus: verum præter hæc opus eſt Dei operatione & gratia, quæ voluntati ſuavitatem & amorem operandi impartiatur: atque ita Deus voluntatem noſtram magis habet in poteſtate ſua, quam aut ipſa, aut nos ipſi. *Dei enim ſumus συνεργοὶ cooperarii, Dei arvum, Dei ædificium eſtis.* 1. Cor. 3: 9. Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς. Qui *verò parat nos ad hoc ipſum, Deus eſt*, qui *etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus.* 2. Cor. 5: 5.

LI. Rejicimus ergo hic ab una parte *Manichæos*, qui liberum arbitrium tollebant; & ab altera parte *Pelagianos*, qui nimium id extollentes gratiam negabant: quorum Patriarchæ fuerunt philoſophi & Judæi; aſſeclæ autem ſunt *Sociniani*; qui omnes voluntatem hominis à Deo non realiter, ſed moraliter in agendo dependere volunt, ut nimir. religioni locus ſit; & Deum quidem potenter voluntatem movere poſſe, ut bonum irrefragabiliter perficiat, ſed hoc rariſſimum eſſe, & tum liberum arbitrium prorſus ceſſare; deinde & *Pontificii*, præcipuè autem *Jeſuitæ* & *Moliniſtæ*, quibus libertas eſt indifferentia ad utrumque oppoſitorum, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis voluntas poſſit agere vel non agere; inter requiſita autem illa etiam recenſent divinam operationem, atque eam voluntati ſubjiciunt; tertiò denique & *Remonſtrantes*, qui & ipſi non niſi moralem Dei operationem in hominis converſione agnoſcunt. *Adverſariorum errores rejiciuntur.*

LII. Sequitur tandem operatio Dei circa malum, quæ perceptu

Providentia Dei circa MALA. difficillima eſt, quia non videtur Deus ſeſe potenter circa illud exercere poſſe, niſi peccati auctor conſtituatur. Verum peccatum, licet cum ſanctiſſima Dei naturâ pugnet, providentiam tamen ejus non tollit; non enim malum ſummum eſt, quod à ſummo bono in ordinem redigi & ad bonum dirigi non poſſit.

LIII. Ut autem videamus, quo pacto incontaminata maneat circa malum Dei providentia 1. videbimus quo pacto illud non producat Deus 2. & deinde quid circa illud providentia ſua operetur.

Peccatum eſt non-ens. LIV. Principio ergo notandum eſt, peccatum non eſſe aliquid poſitivum, vel reale, ſed meram privationem & non-ens, atque adeo etiam ejus non dari cauſam poſitivam.

ejus poſſibilitas. LV. Neque etiam ita concipienda eſt ejus poſſibilitas, quaſi illa fundata eſſet in Dei potentia & ſapientia; repugnat enim hoc quam maximè naturæ entis perfectiſſimi: verum oritur illa ex re non poſitiva, ſeu ex defectu, à creatura nimirum, quæ non ita perfecta eſt, quin peccare poſſit. Hactenus tamen poſſibilitatis peccati fundamentum poni poteſt in Dei ordinatione, quatenus noluit creaturas ita perfectas creare ut impeccabiles eſſent, & quatenus non repugnabat bonitati, juſtitiæ & ſanctitati Dei talem rerum ordinem præ aliis eligere, in quo peccatum ſuas partes habiturum eſſet.

LVI. Quomodo autem illa certitudo eventus peccati conciliari poſſit cum libertate hominis, & reatu ipſius per peccatum, id quia dependet à comprehenſione operationum entis infiniti, à nobis vix plenè intelligi poteſt. Aliquam tamen lucem huic rei inferre ſtudebimus ex conſideratione actionum Dei circa peccatum.

Actiones Dei circa peccatum. LVII. In omni actione mala diſtingui debet inter ipſam actionem qua talem, & vitioſitatem ejus: quæ diſtinctio non ſolum locum habet in illis actionibus, quæ vitioſæ ſunt propter circumſtantiam aliquam, verum etiam in illis quæ abſolutè à Deo prohibitæ ſunt.

LVIII. Atque idem etiam locum habet in peccatis omiſſionis; etſi enim omiſſio phyſicè conſiderata dicat ſolum actionis negationem, moraliter tamen conſiderando, quatenus nimir. ea laudabilis eſt, vel non, actum ſemper aliquem conjunctum habet.

LIX. Quod ergo attinet actum peccato ſubſtratum, illum Deus producit; omnis enim natura, etſi vitioſa eſt, in quantum tamen natura eſt, bona eſt, & à Deo eſt: malitiæ autem adhærentis nullo modo eſt particeps. Sicut etiam homines & angelos peccatores Deus virtute ſua ſuſtentans, ne in nihilum ruant; ideo malorum habituum, qui una permanent, nullo modo cauſa eſt.

LX.

Digitized by Google

LX. Neque obſtat, actum illum, ſimul ac oritur, in ſuis circumſtantiis & cum ſuo objecto neceſſario malum eſſe, adeoque prohibitum: illud enim creaturam tantum ſpectat, cui poſita lex eſt; non vero Deum, qui ſub iſta lege non eſt. Ita idem agit Deus & Aſſyrius, qui fuit *ſecuris* in manu Dei *cædentis* ea, & *ſerra* Dei *ducentis eam*. Eſ. 10: 15. Deus tamen ſine culpa, hic contrà.

LXI. Alia autem conſideratio eſt vitioſitatis ſeu ἀνομίας actionis: illius enim, cum ex ſe nihil ſit, & privatio tantum boni, non tam efficiens quam deficiens cauſa ſtatuenda eſt. Hic ergo Deus negativè ſeſe habet, nos verò privativè; quia nimirum aliqua perfectione nobis debita nos privamus, recto nempe uſu arbitrii noſtri; quæ imperfectio à nobis eſt, quia medii ſumus inter Deum & nihil, & de nihilo multum participamus, unde facile deficimus ab ordine nobis præſcripto: atque ea malitia, quamvis in ſeſe nihil ſit, quia tamen quoad intentionem peccantis tendit in deſtructionem Dei, ejuſque gloriæ, juſtiſſimè & graviſſimè à Deo punitur. Cauſa autem ejus imperfectionis non in hominis natura à Deo creata ponenda eſt, ſed in ignorantia intellectus, & præcipuè in inordinatione voluntatis, cum illam latius extendimus, quam permittit intellectus; unde error & peccatum.

Jeſuitarum commentum de concurſu Dei indifferente circa peccatum excutitur.

LXII. Non ſatisfacit ergo inventum Jeſuitarum, ſpeciatim Bellarmini, qui operationem Dei circa peccatum explicant per concurſum generalem & indifferentem, qui per hominem determinetur, ita ut Deus auctor tantum ſit generalis operationis circa peccatum, homo autem peccati ipſius.

LXIII. Verum hoc conceptu Deus, ne auctor fiat mali, deſinit eſſe auctor boni. Tum etiam ipſa actus ſubſtantia & ſpecies, quod præcipuum in ea eſt, ejus providentiæ ſubducitur; ipſe autem in operando limitabitur & determinabitur à creatura. Præterea explicari vel concipi non poteſt, quomodo Deus concurſu ſuo perpetuo præſto ſit ad actus creaturæ, cum bonos, tum malos, & tamen non prius eum tribuat, quam creatura ipſa ad eos jam cœperit vergere: hæc enim in actibus immediatis voluntatis locum habere non poſſunt, ea enim cum ad actum ſuum edendum vergit, jam vult, atque adeo jam concurſu ad iſtum actum voluntatis opus non erit, cum iſte jam modo productus ſit. Denique ipſam difficultatem hoc pacto non evadunt, cum velint hunc concurſum tantundem facere ad actum malum quam ad bonum, atque ſemper præſto eſſe, atque adeo ſocias operas præſtare ad patrationem peccati; cujus ſi non auctor, ſaltem jam adjutor & aſſentator erit.

Deus peccati malitiam permittit. LXIV. Circa peccatum autem Deus hoc pacto verſatur. Primo, ut malitiam permittat. Quæ permiſſio non eſt ethica & legalis, qua Deus nulla lege prohiberet peccatum; vel qualis datur circa res indifferentes & bonas, quas Deus benignè concedit, conjuncta approbatione & efficacia ſuâ; vel qualis noſtra eſt permiſſio circa ea quæ negligimus, & perinde habemus, ſæpe etiam neſcimus: quæ non foret providentia in Deo, ſed ejus potius abdicatio. Deus autem volens & conſulto peccatum permittit; nec permiſſio ejus providentiæ & voluntati ejus opponi debet. *id non impediendo.* Eſt ergo permiſſio Dei circa peccatum permiſſio phyſica, quæ eſt deliberata ſuſpeno div inæ operationis, per quam peccatum impediri potuiſſet.

LXV. Illa autem impeditio, ex qua natura permiſſionis divinæ melius pateſcit, vel circa ipſam hominis voluntatem verſatur, eam flectendo ut à peccato abſtineat & aliter velit, non invita nimirum, ſed volens, eique contrarium bonum adlubeſcat; vel circa actus ejus externos. *Cohibui ego te, ne peccares in me.* Gen. 20: 6. Ubi & coactio interdum locum habet.

LXVI. Eſt ergo permiſſio Dei non otioſa, ſed actuoſa, decernens, ordinans, & talis, ut ea poſitâ neceſſario conſequatur peccatum: quæ futuritio peccati reſpectu actus, cui illud adhæret, aliquid reale eſt & poſitivum; atque adeo decrevit Deus peccatum permittere, non mera non-impeditione, ſed poſitiva voluntate: quo pertinent efficaciſſima Scripturæ loca. *Vos quidem cogitaveratis contra me malum: ſed Deus cogitavit illud in bonum, ut faceret ſicut eſt die hoc, conſervando in vitâ populum multum.* Gen. 50: 20. *Si Jehova dixit ei, maledic Davidi, ecquis dicat, quare ſic facis?* 2. Sam. 16: 10. *Sic ait Jehova, ecce ego ſuſcitaturus ſum contra te malum è domo tua & accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam proximo tuo: qui cubabit cum uxoribus tuis coram iſto Sole. Quia tu feciſti clam, etiam ego facturus ſum rem hanc coram toto Iſraële, & coram Sole.* 2. Sam. 12: 11, 12. *Et ſtetit adverſarius contra Iſraelem, & incitavit Davidem ad numerandum Iſraëlem.* 1. Chron. 21: 1. *Dominus dedit, & Dominus accepit.* Job. 1: 21. *Væ Aſſur, virga iræ meæ (& virga, quæ in ipſorum manu eſt, ſeveritas mea eſt). An ſuperbiet ſecuris contra cædentem eâ? an magnificabit ſe ſerra contra ducentem eam?* &c. Eſai. 10: 5, 15. *In illo die radet Dominus per novaculam illam conductitiam, per transfluvianos, per regem Aſſyriæ, caput & pilos pedum.* c. 7: 20. *Filius quidem hominis abit, ſicut ſcriptum eſt de eo: væ autem illi homini, per quem Filius hominis traditur:* Matth. 26: 24. Luc. 22: 22. *Hunc definito conſilio & præcognitione Dei traditum cum ac-*

accepiſ-

cepiſſetis, manibus impiorum affigentes cruci interemiſtis. Act. 2:23. *Ut facerent quæcunque manus tua & conſilium tuum definiverant ut fierent.* c. 4:28. Si enim ſolum negative eus ſeſe hic haberet, tum peccatum divinæ providentiæ ſubtrahi deberet, adeoque vel Deus non conſideraret peccati futuritionem, vel, ſi conſideraret, eam in medio relinqueret, & non curaret; quod cum ſapientiâ & omniſcientia ejus pugnat.

LXVII. Ut peſſimè adverſarii permiſſionem Deo tribuant, qua homo ſibi derelinquitur, & rotatili ſuo arbitrio & indifferentiæ permittitur, cum Deus interim an peccatum fiat, an non, non curet; ſed tantum, cum illud ex ſcientiæ mediæ ſpecula futurum conjecerit, nolit intercedere ſiuo minus fiat, quod jam retro non potuerit non fieri.

LXVIII. Permiſſio ergo Dei variam circa peccatum efficaciam habet. Nam 1. gratiam ad rectè operandum requiſitam Deus vel liberè non confert, vel etiam juſtè ſubtrahit. Unde tum neceſſario ſequitur peccatum omiſſionis. *Et projiciam vos de terra hac, in terram, quam non cognoviſtis vos & patres veſtri, & coletis ibi Deos alios die & nocte, quibus veſtrûm non dabo gratiam.* Jer. 16:13. 2. objicit ſæpe peccatoribus occaſiones in ſe non malas, ſed ſæpe optimas, quibus tamen ad peccatum abutuntur. Accedentibus Moſe & Aharone & dicentibus Pharaoni: *ita ait Jehova Deus Iſraëlis, dimitte populum meum* --- dixit Pharao: *quis eſt Jehova cujus voci auſcultem dimittendo Iſraëlem? non novi Jehovam.* Exod. 5:1, 2. *Exivit Jeſus foras, ferens ſpineam coronam & purpureum illud pallium. Et dicit eis, Ecce homo. Quum igitur viderent eum primi Sacerdotes & miniſtri, clamarunt, dicentes: Crucifige, Crucifige.* Joh. 19:5, 6. 3. Ab externis & internis hoſtibus, carne, mundo, & Satana, eos tentari & ſeduci permittit. *Egreſſus ero Spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum ejus: tum dixit Jehova, pellicies, etiam prævalebis, exi & facita.* 1 Reg. 22:22. *Quum Diabolus jam injeciſſet in cor Judæ, ut eum traderet.* Joh. 13:2. 4. Antecedenter ad Actum peccato ſubſtratum movet & excitat. 5. Quia & applicat ad certum objectum, circa quod in agendo verſentur. *Conſtitit Rex Babel in compito, in capite duarum viarum, ad auſpicandum: levigavit tela, interrogavit imagines, inſpexit jecur. Dextrum ei fuit auſpicium Hieroſolymam, ut poneret arietes, ad aperiendum foramen conquaſſatione, ad tollendam vocem cum barritu, ad ponendum arietes in portas, ad fundendum aggerem, ad ædificandum turrim.* Ezech. 21:21, 22. poſito autem hoc actu ſubſtrato, protinus homo in peccatum commiſſionis incurrit.

Permiſſionis Dei circa peccatum efficacia.

LXIX. Etſi autem peccatum, quod à Deo permititur, non poſſit

Ex ipſa tamen peccatum non conſequitur.

non fieri, non tamen ex ipſa Dei permiſſione peccatum conſequitur; ſed duntaxat illud ad eam ſequitur, & quidem ſolius creaturæ vitio. Nam 1. non conceſſio gratiæ reſpectu Dei mera duntaxat negatio eſt, citra violationem ullius obligationis: in homine autem non agere bonum officii derelictio eſt. 2. divina permiſſio nullam inducit neceſſitatem libertati adverſam: non enim voluntas quaſi optima appetens illubenter deſtituitur divino auxilio & fatali violentia in contraria cogitur: ſed ſua ſponte homines à recto tramite exorbitant.

Nec inde Deus peccati auctor eſt:

LXX. Nec rurſus ſequitur, qui auctor eſt permiſſionis peccati, illum auctorem eſſe peccati ipſius. Verum illum tantum permiſſione ſua cauſam eſſe cur peccatum ab alio fiat. Non vero qui cauſa eſt cur peccatum ab alio fiat, eo cauſa eſt peccati, & modi iſtius vitioſi, quo iſtud fit & patratur. Neque in eo proprie peccatum eſt, quod mala quis fieri velit; ſed in eo tantum quod malè quis aliquid vult. Qui priori modo vult peccatum, non vult iſtud propriè & per ſe, quatenus eſt peccatum, ſed quatenus habet rationem boni: peccatum enim proprie non eſt ſitum in τῷ velle malum, ſed in τῷ male velle ejus, quod à Deo vetitum eſt.

Qui tamen peccata dirigit.

LXXI. Præter hanc permiſſionem Deus præterea peccata ordinat & dirigit. 1. peccato limites ſtatuendo. Ita non permiſit Labani, qui hoſtili animo Jacobum perſequebatur, cum eo *ſive bonum ſive malum loqui*. Gen. 31: 23, 24. Et Eſavum, licet fratri infenſum, movit Deus, ut ei obviam factus, amplexaretur Jacobum, in collum ejus rueret, & eum deoſcularetur. Gen. 33: 4. *Sic ait Dominus de rege Aſſyriæ, non eſt ingreſſurus in civitatem hanc, neque jaculaturus huc ſagittam; neque oppoſiturus ei ſcutum* &c. Eſai. 37: 33. 2. boni aliquid ex eo eliciendo: tum bonis per illud benefaciendo. *Deus illud cogitavit in bonum*. Gen. 50: 20. tum malos caſtigando & puniendo. *Væ Aſſur, virga iræ meæ* &c. *At ipſe non ſic proponet ſibi, & cor ipſius non ſic cogitabit; ſed profligare erit in corde ipſius & exſcindere gentes non paucas*: Eſ. 10: 5, 7. atque illud quidem præcipuum providentiæ divinæ opus eſt, quo ex malo bonum elicere novit.

Et efficaciſſimis operandi modis circa ea operatur:

LXXII. Atque hinc patet, quo pacto efficaciſſimos circa peccatum operandi modos Scriptura Deo, ſalva ejus ſanctitate, attribuat. 1. Nam quædam loca directè Deo peccati productionem adſcribere videntur; qualia ſunt: *Jehova edixit ei, maledic Davidi: ſinite eum ut maledicat, quia edixit ei Jehova*. 2. Sam. 16: 10, 11. *Omnia tractat*, parat, *Deus propter ſe & prout cuique convenit, etiam improbum, ad diem mali*. Prov. 16: 4. 2. Sæpe actiones, ad quas peccatum neceſſario ſequitur, Deo tribuuntur, ut in-

Digitized by Google

indurandi, excæcandi &c. *Dic populo huic: Audite audiendo, & ne intelligatis; & videte videndo, & ne cognoſcatis. impinguando impinguavit cor populi hujus, & aures ejus aggravando aggravavit*, & *oculos ejus oblinendo oblevit: ne videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & cor ipſius intelligat, & convertatur, & ſanet eum*. Eſ. 6: 9, 10. 3. Sæpe Deus quædam decreviſſe dicitur ex quibus peccatum neceſſario ſequitur; ut de Joſepho. *Miſſit me Deus ante vos victus cauſa, ut faciat vos ſuperſtites in hac terra. Cogitavit Deus illud in bonum*. Gen. 45: 5, 7. 50: 20. de Chriſto: *Congregati ſunt adverſus Jeſum, ut facerent quæcunque manus tua & conſilium prius definivit ut fierent*. Act. 4: 27, 28.

LXXIII. Quæ tamen omnia congruenter divinæ ſanctitati accipienda ſunt, præcipuè cum Deus obdurare & excæcare impios dicitur. *Aggravavi cor Pharaonis, & cor ſervorum ejus*. Exod. 10. 1. *Obduravit Jehova Deus tuus ſpiritum Sichonis regis Chesbon, & obfirmavit animum ejus, ut traderet illum in manum tuam*. Deut. 2: 30. quod quidem facit, non ſolum negativè, verum etiam potenter & juſtè: tum συγχωρητικῶς, permittendo ut homines oblata media nefariè contemnant; tum ἀποφατικῶς, non emolliendo; tum στερητικῶς, gratiam ſuam, quæcunque fuerit, auferendo, poſtquam ea homines abuſi ſunt; tum καταφατικῶς etiam, ſcotomate eos percutiendo, & Sathanæ ac concupiſcentiis ſuis tradendo, aliiſque pluribus modis inexplicabilibus agendo, quibus juſtæ excœcationis & indurationis judicium in contumaces exſerit. Unde ſe ipſos porrò indurant abuſu eorum, quibus maximè emolliri debebant. *Aut divitias bonitatis ipſius & tolerantiæ ac longanimitatis contemnis: ignorans quod bonitas Dei ad reſipiſcentiam te ducat: ſed ſecundum duritiem tuam & cor reſipiſcere neſcium theſaurizes tibi iram, quæ erit in die iræ & revelationis juſtæ judicationis Dei?* Rom. 2: 4, 5. *Quibus*, pereuntibus, Dei verbum & miniſtri ſunt *odor mortis ad mortem*. 2. Cor. 2: 15, 16.

LXXIV. Atque huc etiam referri debet, quod Deus peccata peccatis punire dicitur; habita nimir. ratione antecedentium peccatorum, quæ ſunt tanquam cauſa moralis, propter quam Deus aliquos deſerit, & in ſenſum reprobum tradit: ſicut aliis dat majorem gratiam propter bonum uſum prioris gratiæ; quamquam & hoc non ſine Dei gratiâ. Et quia talis providentia Dei circa malum habet rationem pœnæ, ideo in Scripturâ Deus introducitur, non tantum ut peccata ordinans, ſed ut ipſe quoque illa producens: ex. gr. in Abimelecho & Sichemitis. *Miſit Deus ſpiritum malum inter Abimelechum & Sichemitas*. Jud. 9: 23. Jeroboamo. *Jeroboamum quoque excitavit Deus ſervum Solomonis; ita ut attolleret*

Etiam peccata peccatis punit.

leret manum ſuam contra regem. 1 Reg. 11:26. pſeudoprophetis Achabi. *Egreſſus ero ſpiritus mendacii in ore omnium prophetarum ejus:tum dixit, pellicies, etiam prævalebis, exi & fac ita.* 2 Chron. 18:21. & aliis impiis. *Quare etiam tradidit eos Deus in cupiditatibus cordium ſuorum in impuritatem, ut ſe ignominia afficerent corpora ipſorum per ſe ipſa.* Rom. 1:24. Unde tales peccatores certo peccant, & in peccatis perſeverant, donec pereant. *Non auſcultarunt voci patris ſui, quia Dominus volebat eos morte afficere.* 1. Sam. 2:25. Eſai. 6:9, 10.

Extrema hic vitanda. LXXV. Deteſtanda igitur & vitanda hic utrimque extrema: ab una parte Epicureorum & Pelagianorum, divinæ providentiæ hominem ſubtrahentium, eumque independentem conſtituentium; ab alterâ parte Cerdonianorum & Marcionitarum, & poſt eos Manichæorum, duos ponentium Deos, unum auctorem mali, alterum boni. Hoc autem cum nimis abſurdum foret, alii mala & bona ab uno principio deduxerunt, omneque boni ac mali diſcrimen ſuſtulerunt. Qualis fuit Florinus, Eccleſiæ Rom. Preſbyter, Polycarpi cum Irenæo auditor; unde Floriani, ſeu potius Floriniani, orti ſunt, ut & Gnoſtici, qui & Borboriani, q. lutoſi, dicti. Quorum fanatica dogmata ſuperiori ſæculo renovarunt Libertini, omnia ex libertate Chriſtiana ſibi licita aſſerentes, aut potius nullum malum in mundo eſſe ſtatuentes, quia à Deo nullum malum provenire poteſt; ac proinde neminem puniendum eſſe, hoc enim in Deum ipſum redundare. Eodem modo ut olim Gnoſtici, *ſola humanâ opinione aliqua bona & mala eſſe dicebant*: atque hi quidem omnes aut malum eſſe negant, aut Deum auctorem mali eſſe blaſphemant. Ex adverſo autem Colluthus, Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, Deum mala nullo modo facere vel procurare docuit. Inde Auguſt. *Creat Deus mala, pœnas juſtiſſimas irrogando, quod Colluthus non videbat: non autem malas creando naturas & ſubſtantias, in quantum ſunt naturæ & ſubſtantiæ, uti Florinus errabat.* Vide Amos. 3. 6. *An erit malum in civitate, & Jehovah non fecerit?* conf. Thren. 3:38.

Deum mali auctorem eſſe non niſi blaſphemè dicitur. LXXVI. Non ſine blaſphemiâ autem dicitur, Deum mali auctorem eſſe. Non enim Deus malitiam producit, nec illam homini infundit, ſed reſultant omnia mala ex corruptione noſtrâ qua mali ſumus. Et quamvis hæc omnia non ſatis poſſimus intelligere & reconciliare, ut potentiam Dei cum libertate noſtra circa bonum, ita ſanctitatem ejus cum operatione ipſius circa malum; nihilominus juxta regulam certiſſimam, quando videmus ab unâ parte duo quæ clara & certa ſunt, & ab altera parte non videmus quo pacto ea inter ſe conſiſtere &

con-

Digitized by Google

conciliari poſſint, utrumque tamen firmiter credendum & tenendum eſt.

quam blaſphemiam nobis per calumniam impingunt adverſarii?

LXXVII. Deteſtanda ergo eſt calumnia, nobis impacta ab adverſariis, quaſi Deum auctorem peccati faceremus, vel id ex noſtra doctrina de providentia Dei neceſſario ſequeretur. Bellarm. & Pontif. illud nobis impingunt, tanquam re ipſa ita ſentientibus, quamvis verbo id profiteri non audeamus: cum ex adverſo nonnulli Scholaſtici, velut Occam & Gabriel, Medina teſte, diſertis verbis id profeſſi ſint. Eadem calumnia nos etiam petunt Sociniani & Lutherani. Deinde & Remonſtrantes hoc telum ab aliis temere miſſum in nos arripuerunt. Vide Epiſcop. Inſtit. l. 4. ſect. 4. cap. 9. & 17.

Quâ maximam nobis faciant injuriam

LXXVIII. Maxima autem hoc pacto nobis fit injuria: contra publicas enim Eccleſiæ noſtræ confeſſiones, ex quibus doctrina ejus ſolum cenſeri debet, ex privatis quorundam Doctorum dictis hanc calumniam arripuerunt; quæ tamen & ipſa ex univerſæ orationis nexu ſatis excuſari, & ſano ſenſu explicari poſſunt. Quod autem objiciunt, per conſequentiam iſtud ex noſtra doctrina ſequi, cum nos illam non videamus, nec agnoſcamus, nos ea, tanquam ſi propriè dogma noſtrum foret, gravandi non ſumus: præſertim cum antecedens, ex quo illam eliciunt, non noſtrum, ſed ipſius S. Scripturæ ſit, ex propriis ejus verbis plerunque conceptum; cujus modi loquendi nimis efficaces ſunt, quam ut per nudam & otioſam adverſariorum permiſſionem explicari poſſint.

Scrupulus de impari bonorum & malorum diſtributione.

LXXIX. Nulla ergo hactenus cauſa eſt negandæ vel vellicandæ providentiæ divinæ circa malum; niſi forte quis ſcrupulum ſibi ſupereſſe cenſeat ex impari illa bonorum & malorum diſtributione, qua bonis plerunque malè & malis benè eſt. Unde illud Epicuri erotema, ſi Deus eſt, unde mala? Quæ & Iſraëlitarum olim querela fuit, *viam Domini non eſſe rectam*. Ezech. 18:25. atque hinc piorum etiam expoſtulationes: *Quare improbi vivunt, durant, etiam excedunt opibus? Semen ipſorum firmum coram ipſis eſt cum ipſis &c.* Job. 21:7, 8. & ſeqq. *At ego! propemodum declinaſſent pedes mei; tantum non effuſi ſunt greſſus mei. Quum æmularer inſanos, proſperitatem improborum viderem*. Pſal. 73:2, 3. quibus occurritur. Pſal. 37, 49, 73, 92.

Solvitur.

LXXX. Cogitandum autem potius eſt, malum in nobis cubare, & *noſtras vias non eſſe rectas*, Ezech. 18. cui ſuccinit aurea Hoſeæ gnome, cap. 14:10. *Rectæ ſunt viæ Domini, & juſti ambulant in eis, ſed defectores*

offendunt in eis. Cumque conſilia Dei nobis plerunque occulta ſint, & tantum externa ejus opera videamus, modeſtiam noſtram decet, non temere de iis judicare, ſed à partibus Dei ſtare, quippe cujus *cogitationes non ſunt ſicut cogitationes noſtræ.* Eſ. 55: 8. Neque enim ex externis operibus, ſæpe inter ſe contrariis & adverſis, ſine errore ea dijudicari poſſunt: regit enim etiam illa Deus, ſed inviſibili plerunque manu. Nos autem ſtultè nim. illico rerum exitum videre cupimus, & talem quidem qualem animo concepimus (quod non eſt velle videre gubernationem Dei, ſed propriam noſtri cerebri) nec ejus providentiæ debitas moras concedimus, quo ſeſe explicare poſſit: atque præterea eam plerunque conſideramus tantum in partibus ſuis, non autem eam univerſam oculis noſtris objicimus, in omnium rerum ac ſeculorum ordine ac nexu, uſque ad ultimos ejus exitus.

Ad cavillationes contra vias Dei LXXXI. Tria autem præcipue objiciunt qui vias Dei calumniantur. 1. quod mali non puniantur, iiſque benè ſit. 2. quod bonis malè ſit. 3. quod inſontes cum ſontibus iiſdem pœnis involvantur. *Educam gladium meum ex vagina ſua, & exſcindam ex medio tui juſtum & injuſtum.* Ezech. 21: 3. Imo liberatis ſontibus ſoli ſæpe plectantur: ut videre eſt in liberis Saulis, 2. Sam. 21. in ſubjectis Davidis. 2. Sam. 24. in filio & poſteris Salomonis, 1. Reg. 11: 11, 12. in filiis Achabi, 1. Reg. 21: 22.

reſpondetur in genere, LXXXII. Ad quæ reſpondemus primò in genere, 1. quod hæ difficultates magis ſpectent fideles Vet. T. quibus externis illis bonis, tanquam cœleſtis felicitatis pignori, incumbendum fuit; minus autem Chriſtianos N. T. quibus in adverſis etiam gloriari licet. 2. Præterea quoniam in hac rerum caligine plerumque neſcimus, quinam verè pii vel impii ſint, & quæ verè mala vel bona dicenda ſint, in magno ſæpe errore verſamur, dum hypocriſin aliquando pro verâ pietate accipimus, & ea mala ac adverſa putamus, quæ eventu bona ac ſalutaria deprehendimus. 3. Neque tamen uſque adeo confuſa hic ſunt omnia, ut non manifeſtum diſcrimen bonorum & malorum, Mundi & Eccleſiæ, Civitatis Dei ac Diaboli, & diverſa ipſorum ſors ac ratio etiam in mundo ipſo conſpiciatur.

in ſpecie ad difficultatem quam movent primam. LXXXIII. In ſpecie autem ad ſingula reſpondemus. ad 1. Reſp. 1. Differri ſæpe impiorum pœnas, non auferri, eoſque interim in hoc mundo tanquam in laxiori cuſtodia à Deo contineri, ubi eos nonnihil ſe oblectare & laſcivire permittit: expectandum vero eſſe donec ma-

tu-

Digitized by Google

turuerit divina vindicta,& extremum hujus comediæ actum ſpectandum eſſe. 2. Neque tamen eos divinam manum prorſus effugere, etſi diu videantur floruiſſe; cujus rei exempla in Pharaone, Saule, Antiocho M. cæteros autem ſuorum ſcelerum conſcientia cruciari, & à domeſtico tortore velut equuleo impoſitos, tantum non mille mortes perpeti: ſicuti rei non ſolum puniuntur, cum in ferali pegmate ad ultimum ſupplicium producuntur, ſed & dudum ante in carcere & equuleo. 3. Ut impiis fucata iſta & inania, quibus ſe oblectant, bona invidenda non ſint, quæ Deus iis dilargitur qui majoribus indigni ſunt, uti popinæ, non militiæ præfectura iis mandatur qui degeneres & ignavi ſunt.

LXXXIV. Ad 2. reſp. quæ piis immitti videntur mala, reverâ mala non eſſe, dum in ipſa afflictione experientiam habent amoris Dei, & cum lacrymis ſeminantes æterni gaudii ſementem ſibi parant. *Qui ſeminant cum lacrimis, cum jubilo metent*. Pſ. 126: 5. 2. varios autem Deus fines habet, cur piis temporales quaſdam afflictiones immittere ſoleat. Facit enim hoc, cum propter ſeipſum & ſuam gloriam, quæ piorum patientia & triumpho eluceſcit. Job. c. 1. & 2. 1. Pet. 4: 14. *Si probris afficiamini in nomine Chriſti, beati eſtis: quoniam ille gloriæ & ille Dei Spiritus ſuper vos requieſcit: qui quod ad illos quidem attinet, blaſphematur, quod ad vos autem, glorificatur*; tum propter impios, quos tam inſigni virtute confundere & ad meliorem frugem vocare vult; tum præſertim propter ipſos pios, quibus adverſa quæ patiuntur fidei & omnigenæ virtutis ſunt exercitia: & ad δοκιμασίαν & explorationem cedunt, quo Sp. S. in ipſis inhabitantis vis & potentia manifeſta fiat; tandem etiam eo honoris Dominus eos nonnunquam provehit, ut eos teſtes faciat nominis ſui, idque in cruce glorificent, & per mundum ferant. *Ad ſecundam.*

LXXXV. Ad 3. difficultatem conſiderandum eſt, 1. punire quidem Deum nonnunquam aliquos occaſione peccati alterius, cujus ipſi rei non ſunt, verum eos aliorum peccatorum coram Deo reos teneri, quæ Deus ea occaſione quærit & vindicat. Sicut pater liberorum ſuorum peccata diu tolerans, ea ſæpe in omnibus ſimul punit, ubi unus eorum gravius deliquit. Atque ita intelligendus locus Ezech. 21: 3. *Exſcindam ex medio tui juſtum & injuſtum*. 2. quod autem ſontes ipſi pœnæ eximantur, eorumque loco inſontes poſteri plectantur, ejus rei nullum videtur exemplum extare. Quod enim Saulis, Salomonis, Achabi &c. liberos attinet; neque illi inſontes fuêre, neque etiam ipſorum paren- *Ad tertiam.*

Digitized by Google

tes divinam manum effugêre. 3. tantum vero abeſt, ut inſontes Deus puniat ſontibus exceptis, ut propter inſontes & pios ſæpe ipſis impiis parcat, Gen. 18. & 19. 4. Denique ubi in impios vindicaturus eſt Deus, peculiarem tamen curam piorum gerit, & hæc quatuor fere ſolet facere; vel monere pios, qui inter eos agunt, ut mature exeant, Jer. 51. Apoc. 18. vel medium ſervandi eos ipſis oſtendere, ut Noacho; vel per Angelos ipſos eripere, ut Lothum; vel etiam gratiam ipſis largiri in oculis adverſariorum, ſicut Jeremiæ coram Babyloniis, Jer. 40.

Juſta ergo providentia ratio eſt in regimine mundi.

LXXXVI. Ita ergo apparet juſta providentiæ divinæ ratio; quæ etiam dum integros populos punit, miram temporum & locorum harmoniam ac proportionem obſervare ſolet. Ita & ſingulari gratia & miſericordia judicia ejus temperata ſunt, ut longe deſiderabiliores ſint calamitates per manus Dei immiſſæ, quam per homines. *Incidamus quaſo in manum Jehova, nam magna ſunt miſerationes ejus, in manum autem hominis ne cadam.* 2 Sam. 24: 14.

LXXXVII. Iiſdem etiam legibus, eademque æqualitate genus humanum adhuc gubernat Deus, non obſtantibus tam magnis confuſionibus: manet enim adhuc ordo naturæ in generatione, & rerum productarum diſtinctione, ſine qua Eccleſia propagari non poſſet; ita fœcunditas terræ aut animantibus nondum denegata eſt; & fœdus cum Noacho ictum ſanctè adhuc conſervatur.

& Eccleſia.

LXXXVIII. Neque etiam Eccleſiam eſt quod ſuæ ſortis adhuc pudeat: illuſtrata adhuc eſt Euangelii luce; educta eſt ex Babylone, & ſub piis Regibus ac Magiſtratibus adhuc liberum ſpiritum trahit: certaminibus exercita non ſuccubuit, ſed ea veritatem magis illuſtrarunt: & nunquam illuſtrius de errôribus triumphavit Euangelium, quam hoc noſtro tempore: æſtus perſecutionum ſæpe inhibiti ſunt, & multi adverſariorum Dei gratia converſi. Tuetur etiam Deus pleriſque in locis ordinem politicum, & pacis ac belli viciſſitudinem concedit. Benedicit & Deus ordini œconomico; manet apud multos ordo legitimæ propagationis & educationis ſobolis ſanctæ. Sunt & Academiæ & Scholæ inferiores, in qua Deo grata & humano generi ſalutaria docentur, ut & hodie ſuſcitet Deus de filiis noſtris prophetas, & de juvenibus noſtris Naziræos. Eſtque adeo, licet cum magnis anguſtiis plurimis in locis luctetur Eccleſia, cauſa tamen magna Deo gratias agendi pro tantis beneficiis.

LXXXIX. Atque hinc inexhauſta fluit conſolationis & fiduciæ ſca-

Digitized by Google

ſcaturigo, cum omnia providentiæ divinæ ſubjacere deprehendimus, ita ut omnium hominum vita, molimina, omnium creaturarum motus, impetus, omneſque rerum occaſiones & occurſus in ipſius poteſtate ſint. Unde præteritis creaturis in ſolo Deo recumbere oportet; quæ regia ad animi tranquillitatem & pacem via eſt: quando providentiæ Dei innixi omne onus in Jehovam rejicimus, & in omnibus perplexitatibus noſtris illud Abrahami uſurpamus: *Jehova providebit*. Gen. 22:8, 13.

XC. Perverſè autem abutuntur divinâ providentiâ, qui eam ſecuritati ſuæ carnali, vel temeritati obtendunt: qui enim cauſas ſecundas negligit, Deum tentat, inquirens, an Deus etiam ſe ſine mediis conſervaturus ſit. Similiter etiam in eam peccant, qui creaturis confidunt; quas quidem diligere & honorare debemus, cum Deus illas veluti in aliquam operis ſui partem aſſumere non dedignetur; in Deo vero ſolo confidere, eique inniti & licet & neceſſe eſt, utendo in omnibus aurea illa S. Jacobi gnome, Cap. 4: 15. *Si Dominus voluerit & vivamus, faciemus hoc aut illud*. Ut ita providentiam Dei nobis propitiam reddamus, operumque ejus æqui contemplatores & veneratores ſimus. *Providentia divina abuſus.*

LOCUS SEPTIMUS
De ANGELIS.
CAPUT XLV.
De Angelis in genere.

Providentia Dei peculiaris circa creaturas intelligentes, angelos & homines.

I. ABſolutis operibus Dei, cum internis, tum externis, cum creaturis eo ſpectantibus, peculiaris eſt theoria creaturarum intelligentium; circa quas peculiaris eſt Dei πρόνοια, & regimen, & operationes, ex ſingulari cum ipſis fœdere profluentes. Sunt autem illæ vel angeli, vel homines. Et de angelis quidem, præmiſſis eorum nominibus, primo in genere, deinde in ſpecie videbimus.

ANGELORUM *nomina appellativa,*

II. Duo ſunt eorum præcipua nomina in Scripturis, רוחות *Spiritus*, & מלאכים *Angeli*. Faciens מלאכיו רוחות *angelos ſuos Spiritus*. Pſal. 104. 4. prius naturæ, poſterius officii, nomen eſt; notatque in genere eum, qui alterius nomine quicquam dicit vel facit; quo reſpectu & Filio & Spiritui S. tribuitur. *Duo illi Angeli venerunt Sodomam veſpere.* Gen. 19: 1. Quales autem hi Angeli fuerint, ex prædicatis poſtea cognoſcitur. Jacobus benedictionem petit ab Angelo quem appellat מלאך הגאל *Angelum aſſertorem*, Gen. 48: 16. qui eſt *Angelus Dei incedens ante caſtra Iſraëlitarum*, Exod. 14: 19. *in cujus medio eſt nomen Dei*, Exod. 23: 20, 21. quique eſt מלאך הברית *Angelus fœderis*, Mal. 3: 1. & מלאך פניו *Angelus faciei Dei*. Eſai. 63: 9. Tribuitur ipſis quoque hominibus: *Dixit Haggai* מלאך יהוה *legatus Jehovæ in legatione Jehovæ.* Hagg. 1: 13. Sacerdos *angelus Jehovæ* Dei *exercituum eſt*. Mal. 2: 7. *Ecce ego mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam ante me*, c. 3: 1. *Septem ſtellæ ſunt Angeli ſeptem Eccleſiarum.* Apoc. 1: 20. Atque hoc in Græcâ verſione & N. T. præcipue frequentatum, ubi & nomen *Archangeli* occurrit. *Dominus veniet cum voce Archangeli.* 1. Theſſ. 4: 16. *Michaël Archangelus cum Diabolo diſceptans colloquebatur de corpore Moſis.* Jud. v. 9.

III. Appellantur & *Cherubim*, à figura ſymbolica in templo ſuper arcam poſita. vide Ezech. 1. & 10. *Deus fecit habitare ab ortu horti Eden* *Che-*

Cherubinos ad cuſtodiendam viam arboris vitæ. Gen.3:24. *Seraphim*, Eſai. 6:2,6. ab iræ divinæ æſtu & incendio, cujus vindices iſta in viſione adſtabant. conf. 2 Reg.2:11. & 6:17. ubi Eliſæus vidit currus equoſque igneos. *Et quoad angelos quidem dicit :* (Pſal. 104: 4.) *Qui facit angelos ſuos ventos, & miniſtros ſuos ignis flammam.* Hebr. 1: 7. *Elohim*, à potentia. *Et feciſti eum inferiorem paullum* מֵאֱלֹהִים *infra Deum*, Pſal. 8: 6. confer Hebr.2:7. *Minorem eum feciſti pauliſper παρ' ἀγγέλους Angelis. Filii Dei*, cujus tanquam nobiliſſimæ creaturæ præcipuam imaginem gerunt. *Et fuit dies, & venerunt filii Dei, ut adſiſterent apud Dominum; & venit etiam Adverſarius inter ipſos.* Job. 1: 6. & 2: 1. Ubi eras, *quum clangerent omnes Filii Dei?* c. 38: 7. *Stellæ matutinæ.* Ubi eras, *quum jubilarent unà ſtellæ matutinæ.* Job. 38: 7. confer Luc. 10: 18. *Vidi Satanam inſtar fulguris ex cœlo cadentem.* Quo male refertur locus Eſai. 14: 12. *Quomodo de cœlo decidiſti, ô Lucifer, fili auroræ, in terram inciſus es?* unde per errorem vulgare Luciferi nomen ipſis tributum, quod Chriſto potius debetur. *Ego ſum radix & genus Davidis, ſidus ſplendidum & matutinum.* Apoc. 22: 16. *Benè facitis quod prophetico ſermoni attenditis, tanquam lucernæ lucenti in ſqualido loco, donec dies eluceſcat & phoſphorus exoriatur in cordibus veſtris.* 2 Petr. 1: 19. *Vigiles*, à ſedulitate in obeunda cœleſti legatione & mandatis. *Ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendebat.* Dan.4:13. *In deciſione Vigilum eſt verbum, & in dicto Sanctorum rogatio.* ibid. v. 17. modò hæc angelis miniſtratoriis conveniant.

IV. Ac præter hæc nomina appellativa duo in S. S. litteris extant nomina eorum propria, *Gabriel*, Dan. 8: 16. & 9: 21. Luc. 1: 26. quod notat fortitudinem Dei; & *Michaël*, Dan. 10: 13. & 12: 1. Jud. v. 9. Apoc. 12: 7. quod dicit, *quis ſicut Deus?* *propria.*

V. Nomine *Michael* non angelum creatum, ſed ipſum Chriſtum exprimi, plurimi inter Theologos conſentiunt, utpote qui *Princeps populi Dei*, Dan. 10: 21. *Princeps ille magnus, qui ſtat pro filiis populi* Judaici c. 12: 1. & *Princeps principum*, c. 8: 25. dicitur. atque item Jud. v. 9. (*At Michael Archangelus, quando cum Diabolo diſceptans colloquebatur de corpore Moſis, non ſuſtinuit judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: increpet te Dominus.*) ea ipſi tribuuntur, quæ Zach. 3: 2. (*Dixit Jehovah ad Satanam: increpet Jehovah te, Satanas*, &c. ſoli Jehovæ adſcribuntur. *Michael non angelus creatus, ſed Chriſtus.*

VI. Exiſtentiam angelorum ſola ratio neque à priori, neque à poſteriori demonſtrativè docet. Natura enim eorum neceſſaria non eſt; & quicunque eorum deprehenduntur effectus, aliis cauſis tranſcribi poſ- *Angelos eſſe non tam demonſtrat ratio,*

poſſunt. Probabilia tamen argumenta duci poſſunt ab oraculis apud gentes editis: modo illa edita ſint; & ab apparitione ſpectrorum: ubi citra fraudem illud fit; præcipuè autem ab energumenis, linguâ ſibi ignota ſæpe blaſphema loquentibus, quæ cum à Deo proficiſci non poſſint, nec in homines illos conveniant, malos genios auctores produnt. Qui ſi exiſtant, etiam bonos exiſtere non improbabile eſt, cum ipſi ſaltem ab initio boni eſſe debuerint.

quam S. Scriptura.

VII. Verum S. S. literæ, atque perpetua Eccleſiæ hiſtoria, quæ eorum apparitiones, alloquia, atque opem ipſam ſæpe experta eſt, tales Spiritus exiſtere indubiam fidem faciunt.

Cur Moſes eorum in creatione non apertè meminerit?

VIII. Quod autem Moſes eorum in creatione non meminerit, factum videtur, quod ipſi potiſſimum propoſitum fuerit populi Dei annales texere, repetito à primis ejus incunabilis atque ipſo mundi ortu initio. Unde mundi conditi hiſtoriam paucis tantummodo perſtringit, & mundum hunc aſpectabilem, in quo collocandus foret homo, delineaſſe contentus, mox ad hominem mundi colonum pergit, atque inde univerſa porro Eccleſiæ fata deducit. Unde quæ de Angelis poſtea narrat, eorum opera erga fideles & Eccleſiam ſunt; ut iſto reſpectu ſolum eorum mentionem faciat. Quanquam in ipſa creationis hiſtoria non obſcurè eorum meminerit, ſub nomine *exercituum cæleſtium*. *Et abſoluta ſunt cælum & terra & omnis exercitus illorum.* Gen. 2: 1. conf. 1 Reg. 22: 19. *Vidi Jehovam inſidentem ſolio ſuo, & totum exercitum cæli adſtantem ei, à dextra ejus & à ſiniſtra.* Luc. 2: 13. *Et repente adfuit cum Angelo multitudo* στρατιᾶς οὐρανίου *exercituum cæleſtium laudantium Deum.* Unde & generalibus verbis *cæli* & *terræ* comprehendi quibuſdam videntur, Gen. 1: 1. Apertius autem eos mox à creatione inducit, Gen. 3: 24. ſub nomine *Cherubim*, ſub quo Judæis noti erant.

Sadducæi angelos eſſe negant.

IX. Inexcuſabilis ergo Sadducæorum fuit error, qui Moſem amplectebantur, & omnem tamen Spiritum negabant, Angelos nempe & animam hominis. *Sadducæi dicunt, neque Angelum, neque Spiritum eſſe.* Act. 23: 8. Cum autem in libris Moſis, & univerſâ Scripturâ, quam non planè rejiciebant, crebra angelorum fiat mentio; non improbabile eſt, eos crediddiſſe, angelos quidem aliquando extitiſſe, & mortalibus viſos; verum eos ad iſtud ſolum tempus, atque ad iſtud negotium, ad quod Deus eorum miniſterio uti vellet, à Deo creatos, legatione geſta cum corporibus ſuis rurſus evanuiſſe.

David Georgius

X. Sadducæorum impietatem interpolavit ſuperiori ſæculo David

vid Georgius, impuriſſimus hæreſiarcha, confundens angelos cum mentis humanæ cogitationibus atque inſpirationibus, vel bonis, vel malis. Scriptura autem de iis ut de perſonis loquitur, atque ipſos Angelos, Nuncios, Miniſtros, Cuſtodes, Vigiles appellat; atque illa quæ perſonis ſunt propria, intellectum, voluntatem, deſiderium, potentiam, operationes varias, præmia item & pœnas attribuit; denique nos ipſos in cœlo *ἰσαγγέλους Angelis fore ſimiles docet.* Matth. 22: 30. Luc. 20: 36. ut animi quidam motus plane eſſe non poſſint. *eos confundit cum mentis humana cogitationibus*

XI. Sunt autem ſubſtantiæ ſpirituales, ſive intellectuales, quarum eſſentia in cogitatione conſiſtit. *Et exivit* הרוח *ſpiritus, & ſtetit coram Domino.* 1 Reg. 22. 21. *Faciens angelos ſuos* רוחות *ſpiritus.* Pſal. 104: 4. *Ejecit τὰ πνεύματα ſpiritus verbo.* Matth. 8: 16. Ut male veterum nonnulli ac Scholaſtici quidam, cum Judæis, eos materiales & corporeos tradiderint, quin & voluptates ac pœnas corporeas iis attribuerint; qui etiam Socini ac Vorſtii error fuit. Unde quoque per ſeſe immortales ſunt, quanquam extrinſecus à Deo annihilari poſſent. Vide Luc. 20: 36. *Non enim mori amplius poſſunt, ſunt enim angelis ſimiles.* Suntque præſtantiſſimæ atque eminentiſſimæ ac ſupremi ordinis creaturæ. 2 Sam. 14: 17. *Si linguis hominum loquar & angelorum &c.* 1 Cor. 13: 1. *Quum ipſi angeli ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες qui ſunt viribus & potentia majores, non ferant adverſus eas apud Dominum maledictionis judicium.* 2 Petr. 2: 11. *Angeli ſunt ſpiritus.*

XII. Quamvis autem ſint incorporei, finitæ tamen naturæ eſſe non deſinunt; cum definitam eſſentiam habeant, nec omnes omnino perfectiones poſſideant. *finiti;*

XIII. Et pari modo, licet compoſitio materialis in eos non cadat, non tamen abſolutâ & ſummâ ſimplicitate gaudent; cum in iis diſtinguantur genus & differentia, potentia & actus, eſſentia & exiſtentia, ſubjectum denique & accidentia. *nec abſolutæ ſimplices.*

XIV. Conſideranda autem in angelis ſunt præcipue attributa eorum; cum abſoluta, quæ ſunt intellectus ſive cognitio, voluntas & potentia; tum relativa, ſeu adjuncta. *Angelorum attributa.*

XV. Cognitionem eorum quod attinet, principium ejus eſt ſubſtantia angeli, quæ cum in cogitatione conſiſtat, ab intellectu eorum non niſi ratione diſtinguitur. *Cognitio angelorum.*

XVI. Modus intelligendi eorum perfectior eſt quam noſter, cum à corporibus ſint ſeparati, & nullas ſenſuum imagines ac impreſſiones pa- *perfectior noſtra,*

Digitized by Google

patiantur; unde ipſis mentis actiones magis fixæ ac conſtantes ſunt, ac cogitationum ſuarum ſunt domini, atque ideas longe clariores ac diſtinctiores habent, & ab erroribus facilius cavere ſibi poſſunt quam nos.

Quotuplex ea ſit? XVII. Non cognoſcunt autem res per ſuam eſſentiam, cum ea rerum omnium nec imago, nec cauſa ſit. Neque vident omnia in eſſentia Dei, tanquam in ſpeculo; cum Deus ſit agens voluntarium, adeoque operationes ac decreta ejus ex ſolâ eſſentiæ ejus conſideratione pervideri non poſſint. Sed quæcunque intelligunt, ea per certas ſpecies & formas ac ideas, ſive inſitas, ſive à Deo revelatas, ſive denique ex rebus ipſis creatis hauſtas percipiunt. Ut omnis eorum cognitio ſit triplex; *naturalis* ſive concreata: *Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in ipſo.* Joh. 8: 44. *revelata*, Dan. 8. & 9. Apoc. 1: 1. *ſignificavit* (J. Chriſtus) *mittens per angelum ſuum ſervo ſuo Johanni*; & *experimentalis. Ut notificetur nunc principatibus & poteſtatibus, qui in ſupercœleſtibus ſunt, per Eccleſiam, ſapientia Dei, quæ plurimam varietatem habet.* Eph. 3: 10. *Gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore reſipiſcente, magis quam ſuper nonaginta juſtis, quibus non opus eſt reſipiſcentia.* Luc. 15: 7. Vana autem & inepta eſt Scholaſticorum diſtinctio in cognitionem Angelorum *matutinam & veſpertinam.*

An angeli omnia ſimplici intuitu intelligant? XVIII. Quæri ſolet, an ſimplici intuitu omnia intelligant? ad quod reſp. plurimas veritates, quas nos diſcurrendo cognoſcimus, eos quidem ſimplici aſpectu pervidere; plurimas autem etiam veritates non niſi meditando & ratiocinando perſcrutari. *In quæ cupiunt angeli παρακύψαι introſpicere.* 1 Pet. 1: 12. Quamvis illa ratiocinatio ſit celerrima & perniciſſima.

Cognoſcunt angeli Deum, XIX. Objecta cognitionis Angelicæ quod attinet, ea ſunt res, cum ſpirituales, tum corporales.

XX. In priori genere cognoſcunt Deum, per ſpeciem intelligibilem, ſeu ideam ejus ipſis connatam, ſed quæ longe clarius ac pulchrius radiat quam ea quam nos habemus. *Qui cernimus nunc per ſpeculum & per ænigma, & ex parte cognoſcimus.* 1 Cor. 13: 12. & *ſeſe ipſos*, cum per eſſentiam ſuam, cujus ſibi intimè conſcii ſunt, tum etiam per ideam & imaginem ejus, quam in ſe deprehendunt: denique & *alias res ſpirituales*, ſive angelos, ſive mentes humanas, quarum formas ac ideas, ſeu ſpecies intelligibiles habent; eodem fere modo ut intellectus noſter.

ſe ipſos, alias res ſpirituales.

XXI. Certum etiam eſt, angelos ſibi mutuo irradiare, ac cogitationes

nes ſuas aliis angelis inſinuare, iiſque veluti colloqui poſſe. Unde & *linguarum angelorum* mentio fit 1 Cor. 13: 1. Quomodo autem iſtud peragatur, ſola conjectura intelligere licet. Angeli enim cum corporibus careant, per certos motus & ſigna conceptus ſuos aliis revelare non poſſunt: cumque in iis ſolum ſit intellectus & voluntas, intellectus autem officium ſit res objectas percipere, iſque fere paſſivè ſeſe habeat; per ſolam voluntatem, qua videlicet unus angelus cogitationes ſuas alteri cognitas eſſe vult, hoc omne videtur peragi. Unde ſtatuendum videtur, certum à Deo inſtitutum eſſe nexum inter voluntatem unius angeli, & perceptionem alterius; ut quandocunque unus angelus cogitationes ſuas alteri vult eſſe cognitas, eo ipſo illæ alii angelo revelentur. Quanquam concipi etiam poteſt, ſpiritus ſibi invicem loqui, alligando conceptus ſuos certis ſignis exterioribus, de quibus convenerint. Cum vero hæc omnia à poſitiva Dei voluntate pendeant, nihil certi de iis ſtatui poteſt. *(De colloquio Angelorum inter ſe,*

XXII. Hominem quod attinet, collocutio ejus cum angelo talis eſſe non poteſt, qualis unius angeli eſt cum altero; quia homo ſpeciem intelligibilem nec angelo imprimere, nec ab eo rurſus accipere poteſt, cum inter angelos & hominem tale commercium ac nexus non ſit, qualis inter voluntatẽ & intellectum duorum angelorum. Loqui ergo homini videtur angelus, vel agitando & figurando aërem ad eum modum, quo oportet ut verba in eo effingantur; vel glandulæ noſtræ, ſive cerebro talem motum, qualem à nervis extrinſecus motis pateretur, ac veluti imaginem ejus rei, quam nobis offerre vult, imprimendo. *& cum homine.)*

XXIII. Cognoſcunt etiam *res corporeas*, pariter per ſpecies ac formas earum; ipſis vel connatas, ſicut in genere ſubſtantiæ alicujus corporeæ ideam in ſeſe deprehendunt; vel à corporibus acceptas, quomodo res ſingulares percipiunt; idque ex poſitiva quadam Dei lege, ac veluti nexu, quem Deus inſtituit inter intellectum angelorum & res materiales, circa quas operaturi ſunt; juxta quem, licet ſenſibus careant, certo modo ab iis affici poſſunt: quamvis nexum illum in ſpecie explicare non poſſimus, quia angeli non ſumus. Ex comparatione autem ſingularium univerſalia, communeſque rerum omnium conceptus & naturas facile intelligunt. *& res corporeas.*

XXIV. *Myſteria ſalutis* non norunt niſi per revelationes, vel ipſis, vel eccleſiæ, cujus curam gerunt, factas: *Sunt* enim *omnes miniſtratorii ſpiritus, miſſi ad miniſterium propter eos, qui ſalutem hæreditate accipient.* *Myſteria ſalutis,*

Digitized by Google

Heb. 1: 14. vel ipſo denique eventu comprobatas. *Ut notificetur nunc principatibus & poteſtatibus, qui in ſupercæleſtibus ſunt, per Eccleſiam, ſapientia Dei* πολυποίκιλος. Eph. 3: 10. *Magnum eſt pietatis myſterium: Deus -- viſus eſt angelis.* 1 Tim. 3: 16. *qui etiam cupiunt* παρακύψαι *in myſteria Dei.* 1 Pet. 1: 12.

& futura contingentia non niſi per revelationem cognoſcunt.

XXV. Similiter *futura contingentia* non aliter noverunt; quanquam conjecturis & longo uſu in iis pervidendis & perrimandis multum polleant. *Adducant & indicent nobis ea quæ eventura ſunt: priora, quæ ſunt illa? indicate, & advertemus animum, & cognoſcemus exitum illorum; aut ea, quæ veniunt, facite nos audire.* Eſai. 41: 22. *De die illo & hora nemo novit, neque Angeli cœlorum.* Matth. 24: 36.

Voluntas angelica.

XXVI. Intellectum angelorum comitatur eorum *voluntas*: quæ liberrima eſt, & perfectior quam in homine, cum paſſionibus & motibus corporeis non turbentur, nec à deſtinato tramite avertantur; ita ut cum perceptio eorum magis conſtans & fixa ſit, facilius cavere poſſint ne fallantur.

XXVII. Diſtincta autem in ipſis certo modo concipiuntur, cum eſſentia eorum, quæ voluntatis quaſi principium eſt; tum voluntas, inſtar facultatis ac potentiæ concepta, habitibus ac virtutibus ſuis adjuta, ut caritate, juſtitia, &c. tum denique ipſe volendi actus, qui multiplex & varius eſt, & fere inſtar modi a voluntate ipſa differt.

Angeli paſſionum expertes.

XXVIII. Cum autem nullus ſit in ipſis motus corporeus, *paſſiones* atque affectus proprie non habent. Unde nec doloris, nec gaudii, nec amoris capaces ſunt, nec animi motus, niſi plane intellectuales experiuntur; quo ſenſu illi ipſis tribuuntur. *In quæ* ἐπιθυμοῦσιν *cupiunt angeli inſpicere.* 1 Pet. 1: 12. *Charitas nunquam excidit.* 1 Cor. 13: 8. *Gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore reſipiſcente.* Luc. 15: 7. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.* Matth. 22: 37. *Benedicite Domino angeli ejus, præpotentes robore, facientes verbum ejus, ut audiatis vocem verbi ejus.* Pſal 103: 20.

Voluntatis angelicæ objecta.

XXIX. Objectum voluntatis angelicæ tam late patet quam objectum intellectus ipſorum. Atque ita amant Deum, ſeſe ipſos, alios angelos, & reliquos creaturas, ſervato ſingulis ordine ac modo ſuo.

potentia angelica.

XXX. *Potentia* quoque ipſorum permagna eſt. Unde dicuntur גִּבֹּרֵי כֹחַ *præpotentes robore.* Pſal. 103: 20. ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι καὶ κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου *principatus & poteſtates, & qui per totum mundum poteſtatem tenebrarum hujus ſeculi obtinent.* Eph. 6: 12. *Angeli potentiæ Domini.*

mini. 2.Theſſ.1:7. Quod ingentia & ſtupenda opera ab ipſis patrata in Scripturâ docent; qualia ſunt una nocte trucidare omnes primogenitos Ægyptiorum. Exod. 12: 29. & in exercitu Aſſyriorum perdere centum & octoginta quinque hominum millia. 2 Reg. 19: 35. ita Johannes angelo tribuit motum extraordinarium ſtagni, quod cognominabatur Betheſda, c.5: 4. Angelus quoque Domini nocte aperit fores carceris & educit Apoſtolos. Vide Act. 5: 19. & 12: 7.

XXXI. Negari enim non poteſt, ipſis facultatem eſſe movendi corpus, cui ſeſe conjungunt; quod menti noſtræ etiam conceſſum videmus. Non quod novum motum, ſolo juſſu ac imperio ſuo, producendi potentiam habeant, cum enim ille realitatem aliquam contineat, illa quædam creatio foret. Verum ſuppoſito, quod eadem motus quantitas in mundo ſemper maneat, poſſunt motum à Deo conſervatum, varie determinare, ut anima noſtra illum in corpore ſuo ac membris determinat: atque ita etiam angelis materiam, quantam voluit, ſubjecit Deus, iſtumque rerum nexum fecit, ut ad eorum voluntatem & imperium, illa quoquoverſum celerrime atque admirando ſæpe modo moveretur. Atque hoc pacto corpus aliquod, cui ſe conjunxerunt, celerrime & longiſſime transferre poſſunt, determinando curſum ſubtilis materiæ, quæ corpus illud ambit ac incingit.

XXXII. Cumque intimam cujuſque materiæ molem, & particularum figuram, ſitum, motum & ordinem pervideant, & quo quidque modo ab alio pati & moveri poſſit intelligant, atque ipſi ea varie movere & ciere poſſint, hinc miranda opera producere, ac ſenſus noſtros, cum externos, tum internos varie afficere ac commovere poſſunt. Hinc vel ipſa objecta ſenſibus exhibere (*Suſtulit Abraham oculos ſuos, & vidit, & ecce tres viri ſtabant juxta ipſum.* Gen. 18: 2. *Fecit Deus habitare ab ortu horti Eden Cherubinos & flammam gladii ancipitis, ad cuſtodiendam viam arboris vitæ*. Gen. 3: 24. *Quum autem videret aſina illa angelum Jehovæ ſtantem in via illa & gladium ejus eductum in manu ejus, declinavit aſina ab illa via ut iret in agrum.* Num. 22: 23.) vel etiam fallaci ſpecie ſenſuum organa pulſare, ac tali motu eos impellere poſſunt, qualis requiritur ad has vel illas cogitationes & perceptiones ipſis ſuggerendas, vel qualiter ab ipſis objectis externis anima noſtra moveri & affici ſolet. Idemque in ſenſibus internis valent.

XXXIII. Similiter quanquam diverſarum rerum ſpecies & phantaſmata animo objicere poſſunt, & variarum cogitationum occaſiones

Digitized by Google

ſuggerere; immediate tamen menti noſtræ illabi ac voluntatem noſtram inclinare non poſſunt. Cum ſolius Dei ſit mentem noſtram potenter colluſtrare, & voluntatem quo vult inflectere ac ducere. Quicquid ergo ſive boni ſive mali genii hic poſſunt, mediate potiſſimum per phantaſiam, cui potentiſſimas illecebras objiciunt, & ſpirituum in cerebro motum, quem ad has vel illas cogitationes in nobis formandas producunt, peragunt; quod in vatibus Gentilium ac obſeſſis patet. Attamen omnis ipſorum in hoc genere poteſtas voluntati ac imperio Dei ſubjacet: *Benedicite Domino angeli ejus, præpotentes robore, facientes verbum ejus, ut audiatis vocem verbi ejus.* Pſal. 103: 20. *An putas me non poſſe nunc precari Patrem meum, qui huc ſiſtat mihi plures quam duodecim legiones angelorum?* Matth. 26: 53. *Dixit Dominus Adverſario: Ecce,--quicquid ejus eſt, in manu tua ſit, tantum in ipſum ne mittas manum tuam.* Job. 1: 12. *Et dixit Dominus ad Satanam: Ecce ipſe* eſt *in manu tua. Tamum animam ejus ſerva.* c. 2: 6. *Dæmones verò precabantur eum, dicentes, ſi ejicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum illorum.* Matth. 8: 31.

XXXIV. Præter hæc abſoluta Angelorum attributa, conſideranda ſunt attributa eorum relativa, videl. eorum *quando, ubi, motus.*

Eorum quando. XXXV. *Quando* Angelorum ævum dici ſolet Scholaſticis. Malè autem duratio illorum indiviſibilis ipſis eſt, ac ſucceſſione carens: cum angelorum eſſentia continuo reproduci ac de novo quaſi creari opus habeat, æquè ut & reliquæ creaturæ; adeoque illi continuationem & durationis ſuæ extenſionem quotidie acquirant.

Ubi. XXXVI. *Ubi* angelis proprie non convenit, cum in loco eſſe attributum ſit rei extenſæ, & locus ipſe, ſive internus, ſive externus, à corpore non differat, & vel ipſum ſpatium dicat, quod corpus occupat, vel ſitum ejus inter alia corpora; quæ angelo, cujus natura in cogitatione conſiſtit, non conveniunt.

XXXVII. Angelus ergo per ſe in loco nullo modo, eſt nec circumſcriptivè, neque etiam definitive. In loco verò eſſe dicitur, ubi operatur ad extra circa corpus aliquod, cui ſeſe jungit, reſpectu cujus corporis, quod inter alia corpora ſitum eſt, pariter locum ſuum ſortitur, cum illi iſta ratione conjunctus ſit, non autem aliis.

XXXVIII. Ita etiam locus angeli non eſt determinatus quoad magnitudinem; cum hoc ſolum conſtet, angelum non poſſe ſimul operari in toto univerſo atque omni ubi, qui Durandi & Jeſuitarum eſt error; cum iſtud ſoli Deo conveniat, *qui omnia operatur in omnibus.* 1. Cor. 12: 6. Nec

Digitized by Google

6. Nec quoad parvitatem; unde plures angeli in minimo loco eſſe, & partialiter operari poſſunt. Unde Spiritus *impurus*, quo torquebatur quidam inter Gadarenos, dicit Servatori, roganti *quodnam* ejus eſſet *nomen: Legio nomen meum eſt, quia multi ſumus*. Marc. 5:9. *Qui ſpiritus impuri egreſſi ex homine introierunt in porcos*. v. 13.

XXXIX. Eodem modo etiam concipiendus eſt angelorum *motus*. *Et repente adfuit cum angelo multitudo exercituum cæleſtium*. Luc. 2:15. *Nonne omnes ſunt miniſtratorii ſpiritus, miſſi ad miniſterium propter eos, qui ſalutem hæreditate accipient?* Hebr. 1:14. Qui angelo non aliter tribui poteſt, quam quatenus operationem ſuam mutat: quod cum ſucceſſione quadam & novo actu priori ſuccedente fiat, ſequitur illum in inſtanti fieri non poſſe, ſed tempori ſubjectum eſſe; non quidem ob ſpatium aliquod extenſum, quod pertranſire angelus debeat, ſed quia una ejus operatio ab altera neceſſario diſtincta eſſe debet. *Motus.*

XL. Referri huc poſſunt Angelorum *Apparitiones*: de quibus varia quæruntur. 1. An verè apparuerint angeli? an vero ſpectra quædam & idola ſanctis hominibus illuſerint? quod quidem ſacræ hiſtoriæ è diametro repugnat, quæ angelorum ad homines legationes frequenter commemorat. *Angelicæ apparitiones, circa quas quæritur an verè apparuerint angeli?*

XLI. 2. An vera aſſumſerint corpora? quod quidem de apparitionibus, quæ non in ſomno, (qualis Jacobo contigit, quum *in ſomno videret ſcalam conſtitutam in terra, cujus ſummitas pertingebat ad cælum, & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes per eam*, Gen. 28:12. & Paulo, cui *nocte adſtitit angelus Dei, dicens, ne metue Paule* &c. Act. 27:23.) vel ecſtaſi (ut de Cornelio narratur, *qui vidit per viſionem manifeſte quaſi hora diei nona angelum Dei introeuntem, & dicentem ipſi, Corneli*. Act. 10.3.) ſed videntibus ac vigilantibus hominibus familiariter adeo ſæpius factæ ſunt, nullo colore negari poteſt. *Suſtulit Abraham oculos ſuos & vidit, & ecce tres viri ſtabant juxta ipſum, & vidit, & cucurrit obviam ipſis ab oſtio tentorii, & inclinavit ſe verſus terram*. Gen. 18:2. Hoc enim & operationes angelorum in iſtis corporibus, & ſanctum iſtud cum hominibus commercium, & ſermones & convictus ipſe, denique ſanctorum virorum ſenſus omnes benè diſpoſiti, nec ullâ vanâ imagine illuſi, conſtanter fatebantur. Quamvis eos nonnunquam corpora externa ſpecie duntaxat induiſſe, atque ita cum hominibus egiſſe nonnulli ſtatuant: ut cùm angelus qui Gideoni apparuerat, & Manoæ viſus erat, ſive creatus ille, ſive increatus fuerit (quod probabilius eſt, nam & Jehova, & Do- *An aſſumſerint vera corpora?*

Digitized by Google

& Dominus,& Deus dicitur) derepente *abiit à conſpectu ejus, & aſcendit in flamma* holocauſti. Judic. 6:21. & 13:20. Sic cum ex improviſo Gabriel *ingreſſus* eſſet ad Mariam, *illa perturbata fuit ſuper ejus ſermone* &c. confer c. 2: 9. *Angelus Dei ſupervenit Paſtoribus, & gloria Domini circum fulſit eos.* Sic Angelus *ſupervenit* Petro in carcere, & cum eum eduxiſſet, *ſtatim abſceſſit ab eo.* Act. 12: 7, 10.

Unde corpora illa aſſumſerint? XLII. 3. Unde illa corpora aſſumſerint? Reſp. triplex iis aſſignatur origo. Vel enim corpora illa ex nihilo condita fuerunt: vel potius ex præexiſtente materiâ inhabili à Deo fabricata; qui modus uſitatior videtur: vel denique (non præfracte enim id negandum videtur) viventium hominum corpora occuparunt, averſa ac turbata tantiſper hominum illorum mente & ſenſu, ut quid de ſe ageretur ignorarent. Vid. Zach. 1: 9. *Et dixi: quid hi, Domine mi? & dixit angelus loquens ad me: Ego tibi monſtrabo, quid ſint hi.* v. 13. *Et reſpondit Jehovah angelo loquenti ad me verba bona.* v. 14. *Et dixit ad me angelus loquens ad me: Prædica* &c. *Et venerunt duo illi Angeli Sodomam veſpere: & Lot ſedebat in porta Sodomæ: & vidit Lot, & ſurrexit obviam ipſis, & dimiſit ſe vultu in terram.* Gen. 19: 1. vide & c. 18.

Quomodo ea aſſumſerint? XLIII. 4. Quomodo corpora hæc aſſumſerint? Reſp. non interna ac perſonali conjunctione, ſed externa ſolum habitudine, uti formæ aſſiſtentes, quæ ſe in corporibus iſtis manifeſtabant, iiſque tanquam inſtrumentis utebantur. Plane uti malos genios in obſeſſorum corporibus verſari videmus, quos tamen potius occupant & invadunt, nec ut inſtrumentis utuntur, ſed eos vexant & miſerè torquent. Unde corpora illa tanquam veſtes ſumebant, & pro arbitrio rurſus deponebant. Hinc aliqua parte liquet, quomodo in futura vita, etſi corporibus induti, ἰσάγγελοι *angelis ſimiles futuri ſimus.* Luc. 20: 36. Et cur Chriſtus, ut noſtris infirmitatibus affici poſſet, non angelicam, ſed humanam naturam debuerit aſſumere. Denique cur Deus Eccleſiæ ſuæ non angelos, ſed homines, doctores & conſolatores dederit.

Quid de corporibus illis, peracta legatione, ſit factum? XLIV. 5. Quid de corporibus illis, peracta legatione, factum ſit Reſpondet Scriptura ſimpliciter, ea diſparuiſſe, atque angelos abſceſſiſſe, Jud. 6: 21, & 13; 20. Act. 12: 10. ſive corporibus illis in principia ſua, unde compoſita fuerant, reſolutis; ſive, ſi illa viventium hominum fuerint, ab Angelo rectore deſtitutis, & in priſtinum ſtatum reductis.

XLV. Cum autem Angeli ipſi corporei non ſint, ſed ad tempus ſolum

Digitized by Google

lum corporibus veſtiti hominibus apparuerint, perperam Judæi hinc diverſum quendam angelorum ordinem ſtatuunt, quos viros appellant, quorum officium ſit hominibus apparere. Quin & ſexu eos diſcernunt, ex Gen. 6: 2. *Filii Dei viderunt filias hominum, quod bonæ eſſent, & acceperunt ſibi uxores de omnibus, quas elegerunt*, & cibis veſci, ac mori denique nugantur. Contra quæ unius Chriſti auctoritas præſcribit. *In reſurrectione neque uxores ducunt, neque nuptui dantur, ſed ſunt ut angeli Dei in cælo.* Matth. 22: 30. *Iudæorum commentum de angelorum ordine, quos Viros appellant.*

XLVI. Apparitiones autem Angelorum variis gradibus factæ ſunt. 1. apparuerunt in paradiſo poſt lapſum: *Nam fecit Deus habitare ab ortu horti Eden Cherubinos, & flammam gladii ancipitis ad cuſtodiendam viam arboris vitæ.* Gen. 3: 24. 2. inde poſt bis mille annos Abrahamo apparuerunt, reliquiſque patribus, uſque ad deſcenſum Jacobi in Ægyptum. 3. deinceps per 215 annos non apparuere, uſque dum videret Moſes eam viſionem, de qua legere eſt Exod. c. 3. 4. atque exinde in veteri Eccleſia frequenter ſanctis hominibus viſi ſunt, uſque ad Prophetam Zachariam, qui Vetus Teſtam. obſignavit, cui ultimum apparuerunt. 5. Poſtea 400 annorum intervallum fuit, quo Eccleſia nullis angelicis viſionibus vel alloquiis gaviſa legitur, dum ipſe Eccleſiæ Dominus expectabatur. 6. Quo in terris viſo, rurſus angeli apparere cœperunt, & frequentes eorum ſub exordia Nov. T. præcipuè in nativitate, morte & reſurrectione Salvatoris, apparitiones leguntur. Atque ultimum & longiſſime Apoſtolo Johanni apparuerunt, qui etiam adorare eos voluit, Apoc. 19. & 22. A quo tempore, quantum legitur, cum hominibus colloqui deſierunt. *Gradus varii apparitionum angelicarum.*

XLVII. Quod autem Angeli nunc in Eccleſia non appareant, ex diverſa ejus œconomia provenit, quodque *habitabilis futura*, h. e. Novi Teſtamenti Eccleſia *angelis ſubjecta non ſit*, Hebr. 2: 5. ut quidem in veteri Eccleſiâ obtinuit, poſt promulgatam legem, cujus vindiciæ ipſis creditæ erant: & quod Chriſto, angelorum Domino, in eâ viſo, & ſpiritu luculentiſſimè effuſo, œconomis iſtis nunc opus non ſit. Unde etſi ſub initia ejus aliquo tempore apparuerunt, confirmato tamen Euangelio apparere deſierunt; ut in uno Chriſto acquieſcamus, donec tandem ἰσάγγελοι efficiamur. *Cur Angeli nunc in Eccleſia non appareant?*

XLVIII. Inviſibiliter tamen inter homines verſantur angeli; boni in Eccleſiâ. *Propter hoc debet mulier poteſtatem habere in capite propter angelos.* 1. Cor. 11: 10. mali vero in mundo infidelium & in aëre. *In quibus peccatis aliquando ambulaſtis, ſecundùm principem poteſtatis aëris*, fla-

Digitized by Google

tus *qui nunc operatur in filiis inobedientiæ.* Eph. 2: 2. *Lucta nobis eſt, adverſus principatus & poteſtates, adverſus eos, qui per totum mundum poteſtatem tenebrarum hujus ſeculi obtinent, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* c. 6:12. *In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes, ne irradiet eos illuſtratio Evangelii gloriæ Chriſti.* 2. Cor. 4:4. & viſibili nonnunquam operatione in dæmoniacis & energumenis. Viſibiliter autem mittentur boni angeli die ultimo ad electos congregandos, & impios conjiciendos in ignem æternum. *Tunc mittet angelos ſuos & ſuos electos coget à quatuor ventis.* Marc. 13: 27. *Mittet Filius hominis angelos ſuos & congregabunt è regno ejus omnia ſcandala & omnes qui faciunt injuſtitiam.* Matth. 13: 41. *Cum venerit Filius hominis in gloria ſuâ & omnes ſancti angeli cum eo,* tunc *ſedebit in throno gloriæ.* Matth. 25: 31. ipſe Dominus veniet *cum voce archangeli.* 1. Theſ. 4: 17. & *revelabitur à cœlo cum angelis potentiæ ſuæ.* 2. Theſſ. 1: 7.

CAPUT XLVI.

De Angelis in ſpecie.

Angeli boni vel mali.

I. Conſiderandi nunc ſunt angeli in ſpecie, juxta diſcrimina eorum, prout vel boni vel mali ſunt. Quem in finem eorum creatio & primæva bonitas conſideranda ſunt, inde diſpar eorum eventus, & utrorumque ſtatus ac officia.

Sunt CREATI.

II. Angelos ab æterno non extitiſſe, ſed creatos fuiſſe, patet. *Benedicite Domino, angeli ejus, præpotentes robore, facientes verbum ejus, ut audiatis vocem verbi ejus.* Pſal. 103: 20. *Qui fecit angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem flammantem.* Pſal. 104: 4. coll. Hebr. 1: 7. *Celebrate eum, omnes angeli ejus, celebrate eum omnes exercitus ejus. Celebrent nomen Domini. Nam ipſe præcepit & creata ſunt.* Pſal. 148: 2, 5. *In ipſo condita ſunt omnia quæ in cœlis & in terra ſunt, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates* &c. Col. 1: 16, 17. *Collocavit Chriſtum ad dextram ſuam in ſupercœleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem, & potentiam, & omne nomen, quod nominatur, non tantùm in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro.* Eph. 1: 21. *Qui eſt ad dextram Dei, ſubjectis ipſi angelis & poteſtatibus & potentiis.* 1. Pet. 3: 22.

Quando conditi ſint ſententiæ variant.

III. Ante mundum hunc adſpectabilem eos creatos inter veteres plurimi ſtatuerunt, fuitque hæc Patrum ſententia, uſque ad concilium Lateranenſe quartum, quod ſtatuit eos ſimul cum rebus viſibilibus con-

Digitized by Google

conditos eſſe. Hodie Socinianis, licet maligniori errore, idem placet, ſimulque cum angelis mundi ipſius materiam ante Moſis hexa-emeron collocant.

IV. Quanquam autem, ſi vel ante principium conditus rerum corporearum creati dicantur, non ideo tamen æterni ponerentur, cum nihilominus initio durationis ſuæ, quæ ſucceſſiva eſt, conditi fuiſſent. Probabile tamen eſt, eos una cum reliquis creaturis creatos eſſe: 1. quia Scriptura dicit, Deum initio *creaſſe cœlum & terram.* Sub cœlo autem non abſurde comprehenduntur angeli, cœli incolæ, qui & *angeli cœlorum* in Scripturis paſſim appellari ſolent. Ita ut Moſes terræ formationi deſcribendæ magis intentus cœli nomine omnia ἀόρατα, & ſpirit., cœli incolas, comprehenderit. 2. intra ſex iſtos dies creatum dicitur cœlum & terra, cum omnibus eorum exercitibus. Phraſi autem Scripturæ angeli ſæpe *cœli exercitus* appellantur. *Vidi Jehovam inſidentem ſolio ſuo, & totum exercitum cœli adſtantem ei à dextra ejus & à ſiniſtra.* 1. Reg. 22: 19. *Benedicite Domino angeli ejus, præpotentes robore, --- benedicite Domino, omnes exercitus ejus, miniſtri ejus, facientes voluntatem ejus.* Pſal. 103: 20, 21. *Et repente adfuit cum angelo multitudo* στρατιᾶς οὐρανίου *exercituum cœleſtium, laudantium Deum.* Luc. 2: 13.

Probabile tamen eſt eos ſimul cum rebus viſibilibus conditos eſſe.

V. Quo autem die creati ſint, pariter incertum eſt. Ante hominis ſaltem creationem jam extabant: *Quum fundaretur terra, jubilabant unà ſtellæ matutinæ, & clangebant omnes filii Dei.* Job. 38: 4, 7. ubi jam adfuiſſe dicuntur: quod ſecundo die factum eſt. Unde non improbabile multis videtur, eos primo die creatos, cum cœlo videl. ut diximus. *Et abſoluta ſunt cœlum & terra & omnis exercitus illorum.* Gen. 2: 1. *Celebrate eum, omnes angeli ejus, celebrate eum omnes exercitus ejus.* Pſal. 148: 2. *Tu,* Domine, *feciſti cœlum, cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: etiam exercitus cœlorum tibi ſe incurvant.* Neh. 9: 6. conf. 1. Reg. 22: 19. Luc. 2: 13. Quæ tamen omnia de tempore creationis eorum, cum demonſtrativè probari non poſſint, pro articulo fidei habenda non ſunt.

Quo die creati ſint?

VI. Creati autem ſunt à Deo maximo *numero. Et vidi, & audivi vocem angelorum multorum circa thronum. Et erat numerus eorum myriades myriadum, & chiliades chiliadum.* Apoc. 5: 11. Quo etiam referri ſolet illud Danielis: *Millies milleni ſerviebant ei, & myrias myriadum coram eo ſtabant.* Cap. 7: 10. attamen finito. Cumq. Scriptura beatorum ſpirituum immenſum numerum crebrius exprimat, quam lapſorum, eorum quoque numerus major videtur. *Jehovah, qui ex Sinai venit, eluxit ex monte Paran, & venit à myriadibus ſanctis.* Deut. 33: 2. *Repente adſuit cum an-*

Conditi ſunt à Deo maximo numero.

gelo

Digitized by Google

gelo multitudo exercituum cœleſtium. Luc. 2: 13. *An putas, me non poſſe nunc precari Patrem meum, qui huc ſiſtat mihi plures quam duodecim legiones angelorum?* Matth. 26: 53. *Acceſſiſtis ad Sion montem -- & myriades angelorum.* Hebr. 12: 22. *Currus Dei ſunt myriades, millia iterata; in quibus Dominus eſt.* Pſal. 68: 18. *Ecce, venit Dominus cum myriadibus ſanctis ſuis, ad faciendum judicium de omnibus* &c. Judæ v. 14. & 2. Reg. 6: 16, 17. ubi Elizæus dicit ſervo, *qui nobiſcum, plures ſunt, quam qui contra nos*; & miniſter Prophetæ, retectis à Deo ejus oculis, vidit *montem plenum equis & curribus igneis.* Angelorum autem lapſorum numero adæquare numerum electorum hominum, quaſi in ſupplementum eorum cœlo adſcriptorum; aut ſtatuere bonorum angelorum numerum electos nonagies novies ſuperare juxta Matth. 18: 12, 13. id vero hariolari eſt.

& BONI. VII. Creati omnes ſunt boni, ſapientiâ ac rectitudine præditi, perfectiori gradu quam homo. Unde & *Dei filii* dicuntur, Job. 1: 6. vide Gen. 1: 31. *Et vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce erat bonum valde. Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principium, ſed reliquerunt proprium habitaculum, ad judicium magnæ diei vinculis æternis ſub tenebris ſervat.* Jud. v. 6. *Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in ipſo.* Joh. 8: 44. Quanquam, ut ex eventu patuit, mutabiles. Cum perfectio omnimoda atque immutabilis, qua creatura intellectualis per naturam ſuam impeccabilis eſt, ſoli Deo competat.

Angelorum prædeſtinatio. VIII. Atque hic exerit ſeſe divina prædeſtinatio, juxta quam ex communi illo ſtatu quidam ex illis liberè defecerunt, alii vero non ſine Dei auxilio perſeverarunt. Unde Scriptura peculiariter *angelorum electorum* meminit. 1. Tim. 5: 21.

Malorum deſertio & electorum conſtantia. IX. Omnibus enim Deus commune auxilium atque gratiam ſuppeditaverat, qualem homini primo, auxilium videl. ſine quo non, quo in eorum poteſtate erat ſive bene ſive male uti. Unde quidam auxilio hoc abuſi ſunt & defecerunt, alii vero illo recte uſi ſunt & perſeverarunt, lubentiſſimâ quidem voluntate, ſed efficaciſſimâ creatoris gratiâ adjuti, qua factum eſt, ut actu perſiſterent. Ille enim *ſervis ſuis non credit, & in angelis ſuis ponit lucem,* quæ in illis eſt, vel *poneret ſtultitiam,* h.e. ſtultitiam reputaret, vel adſcriberet, ſi illis credere & ſibi illos permittere, tanquam rectè abſque ſe officium facturos, vellet. Job. 4: 18. Id circo *ſancti ejus,* quippe ab ipſo ſanctificati, appellantur. *Sanctis ſuis* (angelis electis) *non credit*; ſed ipſe eos ſanctificatos conſervat in ſanctitate. Job. 15: 15. *Cujus omnes ſancti in manu tua* ſunt. Deut. 33: 3. *Deus ponit pacem in ſublimibus ſuis.* Job. 25: 2. *Et facit angelos ſuos ac miniſtros ſuos.*

Pſal.

Digitized by Google

Pſal. 104: 4. Quod autem aliis majorem iſtam gratiam dederit, aliis non, merum creatoris beneplacitum fuit, ex æterno ejus decreto fluens: *Deus eſt qui operatur & velle & perficere propter beneplacitum.* Phil. 2: 13. *Conteſtor coram Deo & Domino Jeſu Chriſto & electis angelis, ut hæc ſerves.* 1. Tim. 5: 21.

X. Qui autem perſtiterunt, Dei gratiâ ulterius confirmati, dono perſeverantiæ præditi, ac plenè beati redditi ſunt. Unde hi angeli conſtanter Deo adhæreſcunt cum obedientiâ perfectâ & immutabili: *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt.* Matth. 18: 10. *Benedicite Domino, angeli ejus, facientes verbum ejus, ut audiatis vocem verbi ejus.* Pſal. 103: 20. *Fiat voluntas tua, ut in cœlo, etiam in terra.* Matth. 6: 10. *Clamabant* Seraphim, *hic ad illum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehovah* Deus *exercituum.* Eſai. 6: 3. Atque *angeli ſancti* dicuntur, Luc. 9: 26. *electi*, 1. Tim. 5: 21. angeli *lucis*, 2. Cor. 11: 14. *cœlorum*, Matth. 22: 30. 24: 36. Marc. 12: 25. *Sancti.* Matth. 25: 31. Marc. 8: 38.

Angelorum meritum.

XI. Quod *de merito* ipſorum quæritur, an iſtud ipſis tribui, ipſorumque remuneratio & vitæ æternæ præmium illi adſcribi poſſit; id quidem Scripturæ non repugnat, modo meritum id non fundetur in intrinſeca quadam operum dignitate, ſed in liberali repromiſſione divina; quale meritum ex pacto, atque operum juſtitia, etiam homini primo, ſi obediens permanſiſſet, competiviſſet.

Non habent mediatorem.

XII. Male enim à quibuſdam ſtatuitur, angelos mediatore eguiſſe, quia ſanctitas ipſorum à Dei ſanctitate immenſum diſtet, atque per Chriſtum pariter reconciliatos eſſe; ex perverſa acceptione locorum, Eph. 1: 10. ubi Deus dicitur propoſuiſſe, *ad diſpenſationem plenitudinis temporum, in unam ſummam confundere omnia in Chriſto, tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terris, in ipſo.* & Col. 1: 19, 20. ubi Paulus aſſerit, Deum *per Chriſtum reconciliaſſe ſibi omnia, ſive ea quæ in terra, ſive ea quæ in cœlis ſunt.*

XIII. Verum quamvis per Chriſtum angeli electi, & creati, imo & confirmati ſint, ut eſt æternus Patris Filius, per quem Pater operatur, & quicquid boni eſt creaturis confert; ita ut ille ipſorum quoque dominus, princeps & caput ſit, utpote ad Patris ſui familiam pertinentium; non tamen ipſorum mediator eſt, ac ſi juſtitiæ ipſius hæredes eſſent. *Non enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahami* ἐπιλαμβάνεται *apprehendit,* Hebr. 2: 16. *Unus enim eſt Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus:* 1. Tim. 2. 5. *Potioris eſt Teſtamenti mediator,*

Digitized by Google

Hebr. 8: 6. *Teſtamenti novi eſt mediator, ut, morte obita, ad redemtionem, quæ ſub priori Teſtamento* erant, *tranſgreſſionum, promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis.* Hebr. 9: 15. *Acceſſiſtis ad Teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinem aſperſionis præſtantiora loquentem præ Abel.* Hebr. 12: 24. *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis.* Eſai. 9: 6. *Natus eſt vobis hodie Servator.* Luc. 2: 11. *Fecit* Deus *eum pro nobis peccatum, ut nos fieremus juſtitia Dei in ipſo.* 2. Cor. 5: 21. *Factus pro nobis exſecratio, nos redemit ab exſecratione legis.* Gal. 3: 13. vide etiam Matth. 18: 11.

XIV. Nec ſatisfacit diſtinctio inter mediatorem reconciliationis, nempe hominum, & conſervationis, nempe Angelorum: item inter mediatorem ἀπολυτρώσεως & ἀνακεφαλαιώσεως: cum illa Scripturæ auctoritate careat, quæ nulli mediatori locum facit, niſi ubi eſt reconciliatio. *Non opus habent ii qui valent medico, ſed qui male habent.* Matth. 9: 11.

Claſſes angelorum ſecundum Judæos.

XV. Hoc angelorum diſcrimine præmiſſo, de eorum diſtinctionibus & gradibus, quos nonnulli ponunt, videndum. Et quidem Judæi, pro diverſis ipſorum ſedibus, tres angelorum claſſes ordinant. 1. eorum, qui longiſſime à materiâ ſeparati, nunquam corporea ſpecie videntur, nec in terras veniunt, ſed thronum Dei perpetuo cingunt. 2. angelorum miniſterii מלאכי השרת, qui in mundum mittuntur, atque externa ſpecie inter homines nonnunquam verſantur; cum cæteroquin cœlorum orbes regant, & inde exercitus cœlorum dicantur. 3. angelorum damni, mortis מלאכי חבלה, מות, עטנים, qui in ſublunaribus ſedibus degunt, divinæ iræ ac juſtitiæ in terris miniſtri, in id à Deo conditi: quos etiam diſcretos ſexu, & cibis ac venere uti, quin & mori ſtatuunt.

XVI. Bonos vero angelos quod ſpectat, decem eorum ordines ſtatuunt, ſapientia, dignitate & poteſtate diſcretos; videl. חיות קודש animalia Sanctitatis, Ophannim, Oralim, Chaſmalim, Seraphim, Angelos, Deos, Filios Dei, Cherubim, Iſchim: quorum ſupremi infra ſolium majeſtatis ſint, infimi cum hominibus converſentur, & iiſcum aliquando loquantur. Hæc autem mera figmenta ſunt, quæ à Judæis ad Platonicos, atque hinc quoque in Theologiam Chriſtianam derivata ſunt. Atque ex non alio fonte illa de novem angelorum ordinibus, de angelis aſſiſtentibus & miniſtrantibus, de infimi ordinis ſpiritibus in terram miſſis, non item ſupremi, & ſimilia, quæ apud Scholaſticos traduntur, profluxerunt.

Eorum ſententia derivata in Theologiam Chriſtianam.

XVII. Quæ in Chriſtianam Eccleſiam potiſſimum pſeudo-Dionyſii

Digitized by Google

ſii Areopagitæ auctoritate invecta ſunt, qui angelorum rempublicam primus ordinavit, eorumque ſedes & choros deſcripſit, ac mira audacia omnem cœleſtem curiam juſto ordine componere aggreſſus eſt. Atque omnes iſtos ſpiritus in tres hierarchias diſtribuit, quæ ſingulæ rurſus ternos ordines ſub ſeſe comprehendunt; in prima hierarchia collocans Seraphinos, Cherubim & Thronos; in ſecundâ Dominationes, Virtutes & Poteſtates; in tertia Principatus, Archangelos & Angelos: ut in univerſum novem ipſorum ſint ordines, & in ſingulis ſedibus rurſus multa angelorum millia. Quem ſecutus eſt Damaſcenus, deinde Magiſter ſententiarum, ac cum Thoma univerſa tandem ſchola. *auctoritate pſeudo-Dionyſii areopagita.*

XVIII. Sed abſurdum omnino eſt, ex diverſis angelorum nominibus diverſos ipſorum choros conſtituere; tum enim plures quam novem inter ipſos ordines ſtatuendi forent, cum etiam plura ipſorum nomina in S. litteris occurrant. *Et repente adfuit cum angelo multitudo exercituum cœleſtium.* Luc. 2: 13. *Ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendebat.* Dan. 4: 13. *In deciſione vigilum eſt verbum, & in dicto ſanctorum rogatio.* v. 17. *Et quod rex vidit vigilem & ſanctum deſcendentem de cœlo* &c. v. 23. ubi eras, *quum jubilarent unà ſtellæ matutinæ & clangerent omnes filii Dei?* Job. 38: 7. *Et feciſti eum inferiorem paulum infra Deos, h. e. angelos.* Pſal. 8: 6. Hebr. 2: 7. *Venerunt filii Dei ut adſiſterent apud Dominum.* Job. 1: 6. Sunt autem illa potius glorioſorum ſpirituum elogia & illuſtria epitheta, ad Dei ipſius, ſatellitum iſtorum regio veluti ſtipatu cincti ac armati, majeſtatem exprimendam & commendandam. Et ſi vel ordinem inter beatos ſpiritus dicant, quis docebit iſtum eſſe perpetuum, & ſtata ipſorum officia & gradus, a prima uſque creatione, non autem temporarium aliquem ordinem, pro munerum, ad quæ delegantur, ratione denotari?

XIX. Rem vero ipſam quod attinet, 1. ordinem aliquem inter angelos ab ipſa creatione eſſe inſtitutum non improbabile eſt. *Non enim eſt ἀκαταστασίας* auctor *Deus, ſed pacis.* 1. Cor. 14: 33. *Alia eſt gloria ſolis,* alia lunæ, *alia ſtellarum, ſtella enim ſtellæ præſtat gloria.* 1. Cor. 15: 41. 2. Ac Scriptura id non obſcure innuere videtur. *Ipſe Dominus cum voce Archangeli deſcendet de cœlo.* 1. Theſſ. 4: 16. *Michaël Archangelus cum diabolo diſceptans de corpore Moſis non ſuſtinuit judicium inferre blaſphemiæ.* Jud. v. 9. *Princeps regni Perſarum ſtabat adverſum me, & ecce Michaël, unus principum primorum, venit ad juvandum me.* Dan. 10: 13. *Per eum condita ſunt omnia, quæ in cœlis & in terra ſunt, viſibilia & inviſibilia, ſive throni,* *Eſſe tamen inter eos ordinem quendam.*

Digitized by Google

ni, ſive dominationes, ſive imperia, ſive poteſtates. Col. 1: 16. *Deus collocavit Chriſtum ad dextram ſuam in ſupercœleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem & potentiam & dominationem & omne nomen, quod nominatur, non tantum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro.* Eph. 1: 21. *Abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Matth. 25: 41. *Conjectus eſt in terram Draco magnus, Serpens ille antiquus, qui appellatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit totam habitabilem.* Apoc. 12: 9. confer. c. 20: 2. *Per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.* Matth. 9: 34. *Phariſæi dicebant: iſte non ejicit dæmonia, niſi per Beelzebulem principem dæmoniorum.* Matth. 12: 24. Chriſtus exuiſſe dicitur *principatus & poteſtates.* Col. 2: 15. *Eſt nobis lucta adverſus principatus & poteſtates, adverſus eos, qui per totum mundum poteſtatem tenebrarum hujus ſeculi obtinent, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Eph. 6: 12. 3. videturque ille ex officiorum diverſitate ac generibus potiſſimum proficiſci, Col. 1. 16. 1. Theſſ. 4: 16. Jud. v. 9. quibus tum erga Deum (*Benedicite Domino, angeli ejus, facientes verbum ejus, ut audiatis vocem verbi ejus.* Pſal. 103: 20. *Seraphim clamabant, hic ad illum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehovah* Deus *exercituum.* Eſai. 6: 3.) tum erga Chriſtum (*Ecce angeli venerunt, & miniſtrarunt ipſi.* Matth. 4: 11. *In gratia donavit ei nomen, quod ſupra omne nomen eſt: ut in nomine Jeſu omne genu ſe flectat, ſupercœleſtium & terreſtrium, & eorum, qui ſub terra ſunt.* Phil. 2: 9, 10. *Quum autem rurſus introducit Primogenitum in orbem habitabilem, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. 1: 6.) tum erga homines defunguntur. *Nonne omnes ſunt miniſtratorii ſpiritus, miſſi ad miniſterium propter eos, qui ſalutem hæreditate accipient?* Hebr. 1: 14. *Metatur angelus Domini circa timentes ipſum, & eruit eos.* Pſal. 34: 8. *Mendicus ab angelis in ſinum Abrahami aſportatur.* Luc. 16: 22. 4. Et cum ſingularem aliquam in terris legationem obeunt, exinde temporariam quandam præfecturam atque ordinem nanciſci videntur; quem principatum, legatione peracta juxta cum munere, in cœlo rurſus ponunt: cum non conſtet eundem angelum ad idem ſemper munus à Deo adhiberi, atque omnia ipſorum in terris miniſteria aliquando ceſſatura ſint. *Deinde* erit *finis, quum tradiderit regnum Deo ac Patri: quum aboleverit omne imperium, & omnem poteſtatem & potentiam.* 1. Cor. 15: 24. Plura de hiſce quærere, & an aliquod officium erga ſe mutuo exerceant? ac nonnulli non ſolum individuo & gradu, verum etiam ſpecie ab aliis differant? diſputare otioſum, & definire temerarium foret.

ex officiorum diverſitate, probabile eſt.

XX. Sequitur angelorum bonorum *miniſterium*, quod generatim ipſis tribuitur Hebr. 1: 14. *Nonne omnes ſunt* λειτουργικὰ πνεύματα *mini-*

Angelorum bono-

ni-

Digitized by Google

niſtratorii ſpiritus, εἰς διακονίαν ad miniſterium miſſi eorum qui ſalutem hære- *rum offici-*
ditate accipient? ubi reſpectu Dei λειτουργία, reſpectu hominum διακο- *um.*
νία ipſis aſſignatur. conf. Hebr. 6: 10. *διακονήσαντες τοῖς ἁγίοις miniſtran-*
tes ſanctis.

XXI. Speciatim Deo inſerviunt, cum celebrando & adorando: *Celebrate eum, omnes angeli ejus.* Pſal. 148: 2. *Seraphim clamabant hic ad illum, Sanctus, Sanctus, Jehovah* Deus *exercituum.* Eſai. 6: 3. varieque miniſtrando: *Benedicite Domino, angeli ejus, facientes verbum ejus, omnes exercitus ejus, miniſtri ejus, facientes voluntatem ejus.* Pſal. 103; 20, 21. Quo etiam pertinet officium ipſorum Chriſto exhibitum. *Donavit ei nomen, quod ſupra omne nomen eſt; ut in nomine Jeſu omne genu ſe flectat ſupercœleſtium & terreſtrium.* Phil. 2: 9, 10. *Angeli venerunt, & miniſtrarunt ipſi.* Matth. 4: 11. *Adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. 1: 6. obſequio ſancto & voluntario. *Millies milleni ſerviebant ei, & myrias myriadum coram eo ſtabant.* Dan. 7: 10. *Repente adfuit cum angelo illo multitudo exercituum cœleſtium laudantium Deum.* Luc. 2: 13. *Vidi Iehovam inſidentem ſolio ſuo, & totum exercitum cæli adſtantem ei, à dextra ejus & à ſiniſtra ejus.* 1. Reg. 22: 19. *Exercitus cœlorum tibi ſe incurvant.* Neh 9: 6. *Currus Dei ſunt myriades, millia iterata; in quibus Dominus eſt.* Pſal. 68: 18. *Cruciabitur igne & ſulphure coram ſanctis angelis & coram Agno.* Apoc. 14: 10. Hominibus inſerviunt, præcipuè fidelibus. *Omnes ſunt miniſtratorii ſpiritus, ad miniſterium miſſi eorum, qui ſalutem hæreditate accipient.* Hebr. 1: 14. duobus præſertim modis, 1. beneficia Dei diſpenſando. *Tum dixerunt viri illi Loto, quis præterea hic tibi eſt? -- cura exeant ex iſto loco.* Gen. 19: 12. *Adhuc loquebar in precibus, & vir ille Gabriel, quem videram in viſione antea, advolitans celeritate maxima pertingebat ad me circa tempus doni veſpertini.* Dan. 9: 21. *Revelatio Ieſu Chriſti, quam ſignificavit mittens per angelum ſuum ſervo ſuo Ioanni.* Apoc. 1: 1. *Metatur angelus Domini circa timentes ipſum, & eruit ipſos.* Pſal. 34: 8. *Angelis ſuis præcipiet de te, ut te cuſtodiant in omnibus viis tuis.* Pſal. 91: 11. *Tunc dixit ei angelus, ne time Maria.* Luc. 1: 30. Mortuo *mendico aſportarunt eum angeli in ſinum Abrahami.* Luc. 16: 22. *Mittet angelos ſuos cum tuba voce magna, & cogent electos ejus à quatuor ventis.* Matth. 24: 31. Judicia ejus exequendo, in caſtigationem electorum. *Extenderat manum ſuam angelus ad perdendam Hieroſolymam; ſed pœnitens Iehova iſtius mali, edixit angelo qui perdebat de populo, ſatis* eſt, *jam remitte manum tuam* &c. 2. Sam. 24: 16, 17. ac reproborum interitum. Angeli quos hoſpitio exceperat Lotus, *per-*

cuſſerunt viros Sodomæ, *qui erant ad oſtium domus cæcitate, adeo ut defeſſi ſint* laborando *ad inveniendum oſtium.* Gen. 19: 11. *Mittet filius hominis angelos ſuos, qui colligent ex ipſius regno omnia offendicula, & eos qui dant operam tranſgreſſioni legis.* Matth. 13: 41.

XXII. Ubi notatu dignum eſt, Deum in exercendis judiciis ſuis uno, aut ad ſummum duobus tantum angelis eſſe uſum; ubi autem vel unum duntaxat hominem ſervare voluit, non ſolum duos vel tres, verum etiam maximum ſæpe angelorum numerum ablegaſſe: cujus rei exempla in V. & Nov. Teſt. obvia ſunt. *Metatur angelus Domini circa timentes ipſum, & eruit ipſos.* Pſal. 34: 8. confer Pſal. 35: 5. *Fiant ut palea coram vento, angelo Domini impellente.* vide & v. 6. ut & Pſal. 91: 11. *Angelis ſuis præcipiet de te, ut te cuſtodiant in omnibus viis tuis.* Conf. infra §. XXIV.

An ſinguli fideles ſuum habeant angelum cuſtodem?

XXIII. Incidit hic quæſtio de *Angelo cuſtode.* Quod commentum à Judæis primo ortum, quorum opinionem quidam, non recte acceptis locis Matth. 18: 10. *Videte ne contemnatis aliquem ex parvis iſtis: dico enim vobis, angelos eorum in cælis per omne tempus intueri faciem Patris mei qui in cælis eſt.* & Act. 12: 15. *At illi dicebant; angelus ejus eſt.* & 1. Cor. 11: 9. *Debet mulier poteſtatem habere in capite propter angelos;* exprimi cenſent; ac in profanâ gentilium Theologia, qui ſingulis hominibus à nativitate duos genios, bonum ac malum, aſſignabant, frequentatum; à Scholaſticis in Chriſtianam religionem etiam introductum eſt, qui ſingulis fidelibus angelos tutelares præfixerunt, illique fundamento religioſum ipſorum cultum, nominatum angeli comitis quotidianam venerationem, ſuperſtruxerunt. Ut de magia, nefandiſque artibus eadem hypotheſi nixis ſileam.

XXIV. Nullum autem in Scripturis hæc fundamentum habet; cum illa ſpiritus hos non certis hominibus alligatos & obnoxios ponat, ſed à Deo libere quaquaverſum dimitti teſtetur, *ad miniſterium eorum, qui ſalutem hæreditate accipient.* Hebr. 1: 14. Et interdum pluribus hominibus unicum angelum (*Prodiens angelus Jehovæ percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia hominum.* Eſai. 37: 36. vide etiam Dan. 10: 12, 13, 21. & 11: 1.) interdum autem, idque ſæpius, uni homini plures angelos comites & miniſtros adjungat. *Angelis ſuis præcipiet de te, ut te cuſtodiant in omnibus viis tuis.* Pſal. 91: 11. *Vidit* miniſter Eliſæi *quod mons ille plenus* erat *equis & curribus igneis circa Eliſæum.* 2. Reg. 6: 17. *Venerunt Jacobo obviam angeli Dei.* Gen. 32: 1. *Dixitque ille,*

quum

quum videret eos, acies Dei hæc eſt. v. 2. *Angeli mendicum mortuum aſportarunt in ſinum Abrahami.* Luc. 16:22. *Angeli eorum in cœlis ſemper intuentur faciem Patris mei qui in cœlis eſt.* Matth. 18: 10.

XXV Sunt & qui ſingulis gentibus ac nationibus angelos præfectos ac rectores appoſuerunt, interque eos ſtudia & factiones pro ſuis populis vigere dixerunt. Qui error à Judæis acceptus eſt, qui cuique genti ſuum ſidus & aſtrum, quod ipſis imperitet, attribuerunt, quo nomine angelos ſiderum rectores intelligunt; ſola gente Judaica excepta, quæ nullum ſidus aut ſtellam habeat, ſed *unius Dei hæreditas ſit.* Deut. 4:19,20. Quamvis enim *Michaelem* Iſraëlis principem dicant, ex Dan. 10: 13. hoc tamen de principe ſubalterno, & vicariâ ſub Deo poteſtate, cujus mandata ſolum accipiat & exequatur, intelligunt, cum cæteris ſpiritibus ſive aſtris reliquas gentes cum abſoluto imperio commiſſas velint. Quæ inficeta dogmata fruſtra loco Deut. 32: 8. *Cùm hæreditatem diſtribueret altiſſimus gentibus, cùm divideret filios hominis, ſtatuebat terminos populorum juxta numerum filiorum Iſraël:* & præſertim Dan. 10:13. *Et princeps regni Perſarum ſtabat adverſum me unum & viginti dies, & ecce Michaël, unus principum primorum, venit ad juvandum me, & ego ſuperfui ibi apud reges Perſarum,* firmant.

An ſingulæ nationes ſuos habeant angelos rectores?

XXVI. Ineptiores ſunt, qui beſtiis etiam angelos præficiunt; prout Pontificii ipſis ex ſanctorum numero patronos & curatores dederunt. Imo rebus etiam inanimis, elementis, plagis mundi, planetis, ſignis Zodiaci &c. eos præpoſuere: cum angelorum miniſterium liberum ſit, nec ulli rei perpetuo mancipatum, Hebr. 1: 14. ac res omnes naturales propria vi ac facultate polleant, ac leges in natura poſitas obeant, nec angelorum ad id miniſterio opus ſit; & ſtellarum præſertim rotatio paganis relinquenda ſit, cum Scriptura de eâ ſileat.

Imo & beſtiæ, & res inanimes.

XXVII. Quamvis autem angeli præcipuè fidelibus miniſtrent, non rectè tamen Sociniani eos ſolis fidelibus, non aliis, adeſſe ſtatuunt. Ut enim electos nondum credentes omittamus, quos Deus peculiariter tamen curat. *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: illas oportet me quoque ducere, & vocem meam audient.* Joh. 10: 16. *Veſtra eſt promiſſio & filiorum veſtrorum, & omnium qui procul ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus veſter.* Act 2: 39. univerſa Iſraëlitarum Eccleſia, etſi maximam partem reproba, ſub angelorum excubiis & præfectura egit, ab iiſque defenſa, & in deſerto paſta quoque legitur. *Panem* אַבִּירִים *fortium comedebat vir; commeatum miſit ipſis ad ſatietatem.* Pſal. 78: 25.

Sociniani angelos ſolis fidelibus adeſſe, & Chriſti in ipſius regno vicarios ſtatuunt.

Cultus religioſus angelis non competit.

XXVIII. Quamvis autem angeli tantæ ſint excellentiæ & potentiæ, non tamen religioſi cultus objectum ſunt. Qui veterum *angelicorum* fuit error, ex Platonis ſchola in religionem Chriſtianam introductus, qui eos pro interceſſoribus inter Deum & homines habebant. Contra 1 Tim. 2: 5. *Unus mediator eſt Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus*. 1 Joh. 2: 1. *Si quis peccaverit, paracletum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum*. Hebr. 1: 14. *Angeli ſunt miniſtratorii ſpiritus, miſſi à Deo ad miniſterium* ſalvandorum.

Cui adverſatur Pontificiorum praxis.

XXIX. Ut Pontificii nullum colorem tegendæ idololatriæ ſuæ habeant, qui angelos religioſe venerantur, diebus feſtis & templis colunt, quin & vota iis nuncupant, & Deum per merita angeli cuſtodis rogare non erubeſcunt; contra judicium veteris Eccleſiæ, quæ tales hæreticis palam adnumeravit, & manifeſta S. Scripturæ loca. *Hæc omnia tibi dabo, ſi adoraveris me. Dicit ei Ieſus, abi Satana, nam ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies*. Matth. 4: 9, 10. *Ignorantes Deum ſerviebatis iis, qui natura non ſunt dii*. Gal. 4: 8.

quæ S. Scriptura oppugnat.

XXX. Præſertim autem illuſtris eſt locus Col. 2: 18. ubi ait Apoſtolus. 1. hæreſin illam in cultu angelorum, *fideles καταβραβεύειν*, h. e. propoſitum ipſis præmium intercipere. 2. tales *volentes* id facere, h. e. nullo divino juſſu, ſed ſolâ libidine & privata auctoritate. 3. *humilitatem* affectare. Qui & Pontificiorum nunc prætextus eſt. 4. *gradum inferre in ea quæ non viderunt*. quod iidem in angelorum hierarchia & ſedibus ordinandis audaciſſimè faciunt. 5. ac quamvis humilitatem adeo affectent, *turgere tamen ſenſu carnis ſuæ*. 6. denique *non tenere caput*, & Chriſto ipſo ac ſalute excidere, dum commentito iſti cultui ſeſe dedunt.

XXXI. Similiter Apoc. 19: 10. & 22: 9. angelus oblatum ſibi cultum recuſavit, addita egregia ratione, ſe in eadem familia *ejuſdem Domini ſervum* eſſe, cui ſoli iſte honor debeatur; *adora Deum, conſervus tuus ſum & fratrum tuorum*. Ut ex hac ratione ab ipſo angelo allata cadant fictitiæ illæ ratiunculæ, quas adverſarii dant, cur angelus honorem iſtum alioquin ſibi debitum, quod Bellarminus affirmare non veretur, recuſaverit.

Angelorum cultus etiam ſub V. T. illicitus.

XXXII. Neque olim ſub Vet. T. angelorum cultus magis licitus fuit, quod Sociniani, hac in parte Pontificiis adblandientes, docent; quo tempore tanquam legati à Deo miſſi, atque ejus nomine apud homines agentes, etiam divinos honores acceperint; qui honor nunc ſub

N.T.

Digitized by Google

N.T. Chriſto ceſſerit, angelis majori, & novo in Eccleſia Deo. Verum doloſa hæc ſunt, & mali commatis. Angelus enim fœderis in V.T. ſolus adoratus legitur, non alii. Et ſancti, ubi aliquando angelis ſeſe incurvaſſe leguntur, de civili cultu id accipiendum eſt, cum homines eos eſſe putarint. *Et accipiam buccellam panis & fulcite cor veſtrum; poſtea tranſibitis.* Gen. 18: 5. *Per hoſpitalitatem inſcii quidam hoſpitio exceperunt angelos.* Hebr. 13: 2. aut ſi revera angelos eſſe intellexerint, non alio tamen quam humano cultu illos dignati ſunt, œconomiæ iſti atque viſibili ipſorum apparitioni convenienti.

XXXIII. Propter ſingulare autem in veteri Eccleſiâ munus, in ſolemni iſta legiſlatione Angelo fœderis adſtiterunt, ac per eos tanquam teſtes & approbatores, ac legis vindices, lex lata dicitur. *Quia accepiſtis legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, in diſpoſitiones angelorum.* Act. 7: 53. *Lex propter tranſgreſſiones addita eſt, injuncta δι' ἀγγέλων per angelos in manu mediatoris.* Gal. 3: 19. *Qui δι' ἀγγέλων per angelos dictus eſt ſermo.* Hebr. 2: 2. *Jehovah*, qui *de Sinai veniſti* Deut. 33: 2. *& veniſti ex myriadibus ſanctis; à cujus dextra* erat *ignis, lex ad ipſos.* conf. phraſin 1. Tim. 2: 2. *Quæ audiviſti ex me διὰ πολλῶν μαρτύρων per multos teſtes.* Ac peculiaris iſtius officii ratione in veteri Eccleſiâ appellati ſunt Elohim, Dii, quibus Filius Dei ad tempus minor factus eſt. *Et feciſti eum inferiorem paulum* מֵאֱלֹהִים *infra Deum.* Pſal. 8: 6. *παρ' ἀγγέλους.* Hebr. 2: 7. Quo exaltato, non ſolum jam minores ſunt : *Adorarunt ipſum omnes dii.* Pſal. 97: 7. *πάντες ἄγγελοι θεοῦ. Eſt ad dextram Dei, ſubjectis ipſi angelis & poteſtatibus & potentiis.* 1. Petr. 3: 22. verum etiam poteſtatem quam antea habuerunt, ad populum veterem Legi & principibus ſuis ſubjiciendum, depoſuerunt. *Non enim angelis ſubjecit habitabilem futuram.* Hebr. 2: 5. Ita ut nunc, poſito illo honore & munere, meri tantum fidelium conſervi ſint, *Vide ne* feceris. *Conſervus tuus ſum & fratrum tuorum.* Apoc. 19: 10. 22: 9. *Acceſſiſtis ad myriades angelorum.* Hebr. 12: 22. Nunc *in plenitudine temporum* voluit Deus *ἀνακεφαλαιώσασθαι in unam ſummam confundere omnia in Chriſto, tum quæ in cælis ſunt, tum quæ in terris in* Chriſto. Eph. 1: 10. *Omnia ſubjecit ſub pedes ejus; & eum dedit caput ſupra omnia Eccleſiæ.* v. 22. *Ut notificetur nunc principatibus & poteſtatibus, qui in ſupercæleſtibus ſunt, ſapientia Dei quæ plurimam varietatem habet.* c. 3: 9, 10. Adeoque non religioſè colendi, ſed potius ſanctâ & verecunda ambulatione exhilarandi ſunt. *Conteſtor coram Deo & Domino Jeſu Chriſto, & electis angelis, ut hæc ſerves.* 1. Tim. 5: 21. *Gaudium erit in cælo ſuper uno* pec-

peccatore reſipiſcente. Luc. 15: 7. nihilque indecori coram teſtibus illis in Eccleſiâ committendum. *Mulier debet poteſtatem habere in capite, propter angelos.* 1. Cor. 11: 9.

Angeli MALI. XXXIV. Angelos bonos excipiunt *mali*, ſeu defectores. *Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in ipſo. quando loquitur mendacium, ex ſuis loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus.* Joh. 8: 44. *Angelos item, qui non ſervaverunt ſuum principium, ſed reliquerunt proprium habitaculum, ad judicium magnæ diei vinculis æternis ſub tenebris ſervat.* Jud v. 6. qui *dæmones, ſpiritus mali, immundi, mendaces, ſpirituales malitiæ, & angeli tenebrarum*, aliiſque nominibus in Scripturis indigitantur.

XXXV. Cum autem mali conditi non ſint, tales propriâ libidine, & perverſo liberi arbitrii uſu ipſi evaſerunt, dum à lege ſibi poſitâ deſciverunt; unde & Belial dicuntur. *Quæ concordia Chriſto cum Belial?* 2. Cor. 6: 15. Legem enim ipſis latam neceſſe eſt, cum peccaſſe legantur. *Deus angelis qui peccaverant non pepercit.* 2. Pet. 2: 4. conf. 1. Joh. 3: 4. ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία. Cumque de aliâ lege non liqueat, hoc ſaltem certum eſt, ipſis legem charitatis & obedientiæ poſitam fuiſſe, quæ ipſis, ut & primo homini, ingenita erat, quæque quoad ſubſtantiam eadem eſt cum lege morali decalogo comprehenſa.

Eorum peccatum. XXXVI. De peccati ipſorum ſpecie ex Scripturis non certò conſtat; quæ eos ſolum in genere, *in veritate non perſtitiſſe*, Joh. 8: 44. atque ἀρχὴν & ſanctam originem non tenuiſſe, ſed *domicilium ſuum reliquiſſe* tradunt. Jud. v. 6.

XXXVII. Craſſiſſimi ſunt, qui ſcortationem ipſis attribuunt, ex malè intellecto loco Gen. 6: 2. *Viderunt filii Dei filias hominum, quod bonæ eſſent, & acceperunt ſibi uxores de omnibus quas elegerunt.*

XXXVIII. Rectius ſentiunt, qui ſuperbia lapſos aſſerunt; quam Paulus 1. Tim. 3: 6. vocat κρίμα τοῦ διαβόλου, cauſam judicii, vel criminationem diaboli. *Non novitium, ne inflatus in judicium incidat diaboli.* Unde & nunc ubique divinos honores affectant; atque ad hoc vitium etiam homines præcipuè impellunt, ut in humani generis parentibus videre licet. Superbia autem ac elatio eorum in hoc conſtitiſſe videtur, quod Deo morigeri eſſe, ac ab eo dependere recuſaverint; vel potius quod Filio Dei ſubeſſe ac obſequi noluerint. Sicut Joh. 8: 44. Chriſtus Judæos ob ſimilem culpam *ex diabolo eſſe dicit*, qui *in veritate non perſtitit.*

XXXIX.

Digitized by Google

XXXIX. Qualiſcunque autem fuerit hæc ſuperbiæ ſpecies, ſive in ſui ipſius ac excellentiæ ſuæ nimio ſtudio poſita, ſive rebellione adverſus Filium Dei, ſive etiam in invidia erga excellentiam hominis, quem ut ſibi parem ac æmulum adverſabantur: primum ortum habuit peccatum ipſorum in intellectu, uti dicitur, fuitque error, non ſpeculativus, ſed practicus; qualis intellectui angelico, qui actus purus non erat, ubi juſta attentio aberat, obrepere facile poterat.

XL. Atque angelorum ille lapſus, quanquam non ſine providentiæ divinæ interventu contigit, non tamen Deo, ſed angelis ipſis auctoribus adſcribendus eſt, cum propria libidine & protervo voluntatis abuſu è tanto faſtigio exciderint. Defecerunt enim quia deficere voluerunt. Potuerunt autem deficere, quia ex nihilo conditi erant, & de nihilo participabant, unde erroribus & lapſibus ex ſeſe obnoxii erant.

XLI. De tempore, quo lapſi ſunt, ex Scripturis nihil conſtat, cum nec creationis ipſorum præciſum tempus ibi indicetur; ut plane incertum, imo falſum ſit, ante mundi hujus creationem eos jam lapſos eſſe, quod Sociniani volunt. An vero diu in integritate perſtiterint, atque an intra primum mundi hexa-emeron exciderint, non liquet: ſimiliter neque primo creationis eorum momento eos defeciſſe, ex Joh. 8: 44. *Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit*, certo inferri poteſt. Hoc ſaltem in genere conſtat, lapſum eorum lapſum hominis anteceſſiſſe. *Quo tempore defecerint?*

XLII. Numerum angelorum apoſtatarum magnum eſſe liquet ex Marc. 5: 9. Luc. 8: 30. *Legio nomen meum* eſt, *quia multi ſumus*. Nimiæ autem audaciæ eſt, defin ire tertiam eorum partem defeciſſe, ex Apoc. 12: 4, 9. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & conjecit eas in terram, & Draco ſtabat coram muliere* &c. *Et conjectus eſt Draco ille magnus, ſerpens ille antiquus* &c. *in terram, & angeli ejus cum ipſo.*

XLIII. Quærere etiam Scholaſtici ſolent, an unus aliquis angelus rebellionis fuerit dux & princeps, an vero omnes ſimul in eandem impietatem conſpiraverint? Et Scriptura quidem nunc inter defectores ſpiritus ſocietatem & conſpirationem vigere innuit: *Si Satanas Satanam ejicit, adverſus ſe ipſum diſſidet, quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Matth. 12: 26. Atque ordinem inter eos eſſe docet. *Abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*. Matth. 25: 41. *Iſte non ejicit dæmonia niſi per Beelzebulem principem dæmoniorum.* Matth. 12: 24. *Michael & angeli ejus præliati ſunt contra Draconem; & Draco præliatus eſt & angeli* *An unus inter eos rebellionis fuerit dux?*

geli ejus. Apoc. 12. 7. *Diabolus conjectus eſt in terram & angeli ejus cum ipſo.* v. 9. Nunc ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου *princeps mundi hujus ejicitur foras.* Joh. 12: 31. *Venit mundi hujus princeps, & in me nihil habet.* c. 14: 30. Et ἄρχοντος τῶν δαιμονίων meminit: ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια. *Per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.* Matth. 9: 34. An autem ille in prima creatione angelorum ordinibus præpoſitus fuerit, & ſeditionis in cœlo auctor reliquos quoque ſpiritus commoverit & in partes traxerit; an vero poſt angelorum caſum, hunc ſibi demum ducem & moderandæ infernæ reipubl. ſuæ principem fecerint, in medio relinquendum eſt; quanquam prius non improbabile videatur.

Diaboli nomina.

XLIV. Inter nomina, quibus ille tartareæ cohortis princeps in Scripturis appelletur, præcipua ſunt, *Beelzebul*, Matth. 12: 24. ubi male à quibuſdam legitur Beelſebub. Notat autem illa vox *dominum ſtercoris*, ſeu *ſtercorarii*, h. e. idolei, quo oracula edebat neſarius ille ſpiritus. *Satanas*, h. e. adverſarius, Job. 1: 6. *Diabolus*, h. e. calumniator. 1. Pet. 5: 8. & fidelium κατήγορος *& accuſator*, Apoc. 12: 10. κράτος ἔχων τοῦ θανάτου, *imperium mortis habens*, Hebr. 2: 14. ὁ πονηρὸς *nequam.* Matth. 6: 13. *Belial*, 2. Cor. 6: 15. *Princeps hujus mundi.* Joh. 12: 31. & 14: 30. & 16: 11. & ab ementita deitate, *Deus hujus ſeculi*, 2. Cor. 4: 6. Rabbinis antiquis *Sammaël* dictus eſt, quaſi סר כאל, deficiens à Deo: *Angelus mortis*, qui per Serpentem Evæ locutus eſt: unde & *Serpens antiquus* in Scripturis appellatur, Apoc. 12. & 20. *Serpentis eſca pulvis.* Eſai. 65: 25. *Serpentem impetuoſum & tortuoſum viſitabit Dominus.* c. 27: 1.

Angelorum deſertorum pœna.

XLV. Pœna, defectionem hanc conſecuta, fuit, quod angeli hi deſertores cœlo exulare juſſi, à Deo quoque deſerti & juſto judicio in infidelitate ſuâ confirmati ſint. *Catenis tenebrarum ſervantur ad judicium magnæ diei.* Jud. v. 6. 2. Pet. 2: 4. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt, nam ab initio diabolus peccat.* 1 Joh. 3: 8. Unde in impietate ſua obſtinatiſſimè pergunt, atque gloriam Dei unicè convellere & homines ſeducere pro ſummo ſuo ſtudio habent.

Nullus iis locus in cœlo.

XLVI. Hinc in cœlo nullus iis, ut οἰκητηρίῳ domicilio, relictus eſt locus, Jud. v. 6. 2. Pet. 2: 4. Loca enim Job. 1: 6. & 2: 1. *Et fuit dies, & venerunt filii Dei, ut adſiſterent apud Dominum, & venit etiam adverſarius inter ipſos.* & 1. Reg. 21: 19, 21. parabolam habent; vel ſi hiſtoricè accipiantur, de regione aërea intelligenda ſunt, ubi thronus Dei ſæpe ſtatuitur. *Contabulans aquis cœnacula ſua, ponens nubes vehiculum ſuum,* *ambu-*

Digitized by Google

ambulans ſuper alis venti. Pſal. 104: 3. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa.* Luc. 21:27. *Ecce nubes alba, & ſuper nube ſedens ſimilis filio hominis.* Apoc. 14: 14.

Unde ceciderunt.

XLVII. Quando autem moleſtus hic accuſator coram Dei tribunali cauſa ſua cadit, *è cælo cadere* dicitur. *Vidi Satanam inſtar fulguris, ex cælo cadentem. Ecce, do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſuper omnem potentiam inimici, & nihil vos lædet.* Luc. 10: 18, 19. Quod præſertim factum eſt, quando accuſatio legis abrogata, & peccatum condemnatum fuit in carne Chriſti: *Spiritus redarguet mundum de judicio: quia princeps hujus mundi judicatus eſt.* Joh. 16: 11. & Spiritu S. effuſo, illata paſſim apud gentes lux Euangelii diabolum ſolio ſuo decedere & regnanti Chriſto cedere coëgit. Ut nullas jam vires amplius habeat in iis, qui fortiter ipſi reſiſtunt: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis*, Jac. 4: 7. *Adverſarius veſter diabolus, ut leo rugiens obambulat, quærens quem deglutiat; cui reſiſtite firmi in fide.* 1. Pet. 5: 9.

Ad judicium ſervati.

XLVIII. *Catenis tenebrarum interea aſſervatur, ad judicium magnæ diei*, 2. Petr. 2: 4. Jud. v. 6. h. e. à Deo veluti abdicatus, & cœlo æternum extorris, omni etiam miſericordiæ ac gratiæ ſpe excidit, æternis tenebris damnatus. Ubi amariſſimos cruciatus, ex regni ſui in terris diſpendiis & Eccleſiæ proſperitate, patitur; dum interim intentiores cruciatus quos jam præſentiſcit: *Dæmonia quoque credunt & horreſcunt.* Jac. 2: 19. *Veniſti huc, ut torqueres nos ante conſtitutum tempus?* Matth. 8: 29. *Et rogabant eum, ne imperaret ſibi ut abiret in abyſſum.* Luc. 8: 31. poſt magnum *judicii diem* exſpectat; quando cum univerſa dæmonum ſocietate judicandus, atque in pœnarum locum in perpetuum ablegandus erit. Matth. 25:41. *Exſecrati abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* coll. v. 34. *Adeſte benedicti Patris mei* &c.

Interea Deus iis ut tortoribus utitur.

XLIX. Utitur interea Deus in mundi regimine ipſorum tanquam tortorum opera, ad caſtigandos electos, ſeducendos autem reprobos. Job. c. 1. & 2. *Ne ſupereminentiâ revelationum ſupra modum efferrer, datus eſt mihi ſurculus infixus carni, angelus Satan, ut me colaphis cædat.* 2. Cor. 12: 7. unde ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις, & κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου appellantur, Eph. 6: 12. & 2: 2.

Limitata tamen eorum poteſtate.

L. Non tamen infinita eorum poteſtas eſt, ſed certis limitibus circumſcripta *Dixit Dominus Adverſario: Ecce, quicquid ejus eſt, in manu tua ſit, tantùm in ipſum ne mittas manum tuam.* Job. 1: 12. *Ecce, indidit Jehova ſpiritum mendacii ori omnium iſtorum prophetarum* &c. 1. Reg. 22: 19-23.

Digitized by Google

Dæmones precabantur Jeſum, *dicentes: Si ejicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum illorum.* Matth. 8: 31, 32. Magi Ægyptii *incantationibus ſuis non potuerunt producere pediculos.* Exod. 8: 18. *Solve quatuor angelos, qui ligati ſunt ad fluvium magnum Euphratem.* Apoc. 9: 14. *Comprehendit Draconem, qui eſt Diabolus, & vinxit eum mille annos.* Apoc. 20: 2. confer Matth. 12: 29. *Quomodo poteſt aliquis ingredi domum potentis, & vaſa ejus diripere, niſi primo vinxerit potentem illum, & tunc domum illius diripiet?* Et Paulus quidem ſublunari regione eorum potentiam coërcere videtur, (*in quibus* peccatis *ambulaſtis aliquando, ſecundum ſeculum hujus mundi, ſecundum principem* τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος *poteſtatis aeris, flatus, qui nunc operatur in filiis inobedientiæ.* Eph. 2: 2.) quam variis modis ſpiritus hi ciere ac agitare, & in iſta ventorum ac fulgurum officina mira ac ſæva moliri norunt. *Ignis Dei cecidit de cœlo, & uſſit oves & pueros, atque devoravit eos.* Job. 1: 16. quo etiam à quibuſdam refertur hiſtoria quæ eſt Matth. 8: 26. & Luc. 8: 24. *Tunc experrectus objurgavit ventos & mare: & facta eſt tranquillitas magna.*

circa animantia, LI. Similiter circa animantia, etſi magna eorum poteſtas ſit, ut eorum corpora induere, Gen. 3. iiſque variè ad humano generi nocendum abuti poſſint, non tamen omnia poſſunt. Et præſertim quoad *eorum generationem*, etſi agilitate ſua ac celerrimo motu eam in animalibus imperfectioribus promovere valdè poſſint, dum activa paſſivis applicant, producere tamen ea ex materia prorſus inepta ac indiſpoſita non videntur poſſe; quod in magis Ægyptiis patuit. Exod. 8: 18.

& homines; LII. *Hominem quod* attinet, in corpus ejus multum procul dubio pollent, & valetudinem ejus affligere, ac acerbos caſus immittere poſſunt. *Tunc aſſumit eum Diabolus in ſanctam urbem, & ſtatuit eum ſuper pinnas templi.* Matth. 4: 5. *Rurſus aſſumit eum diabolus in montem ſublimem valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* v. 8. *Ecce, mulier adfuit, habens ſpiritum infirmitatis* ab *annis decem & octo: eratque incurva, nec prorſus* ſeſe *poterat ſurrigere.* Luc. 13: 11. *Hanc filiam Abrahami, quam vinxerat Satanas, ecce decem & octo annos, non oportuit à vinculo iſto ſolvi die Sabbathi?* v. 16. *Exivit Satanas à facie Domini, & percuſſit Jobum ulcere maligno à planta pedis ipſius uſque ad verticem ipſius.* Job. 2: 7. *Reſpice ad filium meum, nam unigenitus eſt mihi. Et ecce, ſpiritus apprehendit eum, & ipſe repente clamat, &* ſpiritus *diſcerpit eum ſpumantem, & vix diſcedit ab eo, conterens eum.* Luc. 9: 39. coll. Marc. 9: 17. & ſeqq. Quin permittente Deo, humores mirificè ciendo, ac rerum imagines in cerebro

tur-

turbando ac invertendo, in furorem adigere eum poſſunt. *Occurrunt Jeſu cum veniſſet in regionem Gergeſenorum duo dæmoniaci, è monumentis prodeuntes: ſævi valde, adeo ut non valeret quiſquam præterire per viam illam.* Matth. 8: 28. Cum qua rabie mores ferini, & triſtis illa melancholia, quam per errorem *Lycanthropiam* eſſe putant, conjuncta ſæpe ſunt. In ferinos enim habitus ac lupos homines convertere, & nobiliſſimam creaturam belluinis exuviis conveſtire, ac ipſas denique rerum naturas tranſmutare, vires eorum ſupergreditur.

LIII. Speciatim in *Energumenis* eorum in corpora poteſtas patet; qui malignum ſpiritum habitatorem nacti, ab eo miſerè torquentur, & miris ſæpe modis aguntur, ut ea interdum ab iis fiant, quæ naturaliter ab homine fieri non poſſunt; quorum crebra, præſertim in hiſtoria Euangelica ſub adventum Chriſti, exempla occurrunt. *præcipuè Energumenos.*

LIV. In *animam* quanquam immediatè illabi, eamque intimè affari, & quibuſcunque velit formis ac ideis implere forte non poſſit, ut ante vidimus; phantaſiæ tamen ope, ac per externos ſenſus, validè eam quatere, ac multis modis tentare poteſt; nunc terrens, ac proprio vultu ſe oſtendens, nunc blandiens, ac cœleſtem ſpiritum mentiens, 2. Cor. 11. qua fraude potiſſimum nocere ſolet. *in animam.*

LV. Non tamen omnia hominum peccata diabolo auctori adſcribenda veniunt. Satis enim ad patranda ea ſibi ipſi homo ſufficit. Tunc autem potiſſimum à malo ſpiritu tentamur, cum ſubitaneo & vehementi impulſu perurgemur, & nos præter ſolitum nonnunquam ad peccata ferri, ac veluti in præceps agi ſentimus; maximè cum ad tetra ac nefanda quædam, à quibus alioquin abhorrere ſolemus, ſollicitamur & abripimur. *ad nefanda ſcelera;*

LVI. Eſt autem hæc ſingularis ejus μεθοδεία, quod è longinquo plerunque ad ſcopum ſuum tendat, & longo circuitu ad deſtinatum finem perveniat. Unde multis ſæpe ſeculis futuro operi fundamenta orditur, quæ denique diu poſt mirantibus hominibus in apertum producat; quod in Antichriſti regno in Eccleſia erigendo ad oculum patuit. *ſingulari μεθοδείᾳ.*

LVII. Ad dæmonum operationem etiam *Magia* pertinet, qua ex tacito vel expreſſo cum iis fœdere, magi miranda quædam operantur, nullis ad ea adhibitis cauſis naturalibus, vel iis plerunque ineptis & invalidis, qualia ſunt characteres, verba, collectæ certo ritu herbæ, atque alia ludicra & infanda. *Inter dæmonum operationes* MAGIA.

Digitized by Google

LVIII. Diſtinguendum autem inter ipſos magos eſt; quorum quidam diaboli ope mirifica quædam patrant, & ſenſibus ludos faciunt, quales ſæpe doctiores; alii veneficiis graſſantes publicæ humani generis peſtes ac alaſtores ſunt, quales Hecate, Circe, Medea; quidam denique ex imaginario cum diabolis fœdere multa ſibi peragere videntur, cum tamen, tenaciſſima melancholia obſepto ac ſtipato cerebro, nihil tale perpetrant: quales plerunque Lamiæ ac Striges ſunt, in quas ſuperiori ſæculo maximè ſævitum; quæ tamen mollioribus remediis curandæ, & ad bonam mentem reducendæ, non autem ultimis pœnis afficiendæ forent, quales veris duntaxat magis conſtitutæ ſunt. Exod. 22.

LIX. Quæ à magis factitantur miracula, mira potius & præſtigiæ ſunt, quam vera miracula; & quæ de magis ac veneficis Theſſalis narrantur, quæ carminibus ſuis Solis ac Lunæ curſus averterint ac ſtiterint, meræ ſunt fabulæ & mendacia. Soli enim Deo naturæ auctori competit naturæ ordinem mutare, nec quicquam dæmonum poteſtas huc valet. *Benedictus Dominus Deus, Deus Iſrael, faciens mirabilia ſolus.* Pſal. 72: 18. *Qui facit miracula magna ſolus, quia in ſeculum eſt gratia ipſius.* Pſal. 136: 4. vide Ioſuæ c. 10. & Eſai. c. 38.

Ad quam Pontificiorum exorciſmi revocandi, LX. Ad magiam revocandi ſunt Pontificiorum *Exorciſmi*; qui ſi obſeſſos aliquando liberent, non ea vera dæmonum ejectio, ſed cum dæmone potius colluſio eſt, ejuſque voluntaria ceſſio, qua corpora hominum deſerit; ut mentes ac ſpiritus eorum occupet, & in erroribus potenter confirmet. Quale etiam quid factum videtur à Judæorum Exorciſtis. *Et, ſi ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, filii veſtri per quem ea ejiciunt?* Matth. 12: 27. *Aggreſſi ſunt quidam ex circulatoribus Judæis exorciſtæ nominare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Jeſu.* &c. Act. 19: 13. Chriſtus enim ſolus poteſtatem habet dæmonia ejiciendi, atque id veluti ſignum indubitatum profert, regnum cœlorum jam adveniſſe. Obſeſſi ergo non impia iſta arte curandi, ſed potius ſanctis precibus Deo commendandi, & in iſta lucta ac certamine divinis ſolatiis confirmandi ſunt. Idemque de ſignis & miraculis in Papatu editis judicandum eſt, quæ ſingulari Satanæ efficacia ac dolo ab Antichriſto fieri dicuntur. *Cujus adventus erit ſecundum operationem Satanæ, in omni potentia, & ſignis, & prodigiis mendacii.* 2. Theſſ. 2: 9. *Et faciebat* Beſtia *ſigna magna* &c. *& ſeducebat habitantes in terra propter ſigna quæ ipſi datum erat facere* &c. Apoc. 13: 13, 14.

Digitized by Google

LXI. *Spectris* etiam hominibus illudere, & aſſumto corpore humano iis occurrere nonnunquam ſolent diaboli; ſive externam ſpeciem in aëre ſolum ſimulent, ſive mortuorum cadavera ingrediantur, atque illa circumferant. Vera enim humana corpora producere non poſſunt. vide Luc. 24:38, 39. multo minus mortuos excitare, vel animas defunctorum ſedibus ſuis evocare, iterumque terris oſtendere. vide Luc. 16. *SPECTRIS Diaboli hominibus illudunt.*

LXII. Quod cum in piorum animabus adhuc minus locum habeat, quorum ne exuviis quidem illudere, conditoſque cineres infeſtare, vel immiſſo ſpiritu ac agitatore dæmone animare videntur poſſe, conf. Jud. v. 9. *Michael Archangelus, cum diabolo diſceptans colloquebatur de corpore Moſis*; quæ de evocato Samuele, 1. Sam. 28. narrantur, vel ſpectro diabolico adſcribenda ſunt, qui improbe Samuelem mentitus Saulem poſtridie ad ſe deſcenſurum vaticinabatur: vel mera potius fuit impoſtura, & ſcena improbæ mulieris arte extructa, quæ Sauli mentiebatur ſeſe Samuelem videre, cujus tamen ſpeciem quo minus ipſi regi oſtenderet, ſatis cavebat. Sicut & alia fraudis indicia in textu latent.

LXIII. Unica autem averruncandorum iſtorum ſpirituum via eſt, adverſus inſidias eorum pietate, fide, ac jugi oratione ſeſe communire, deque Dei ope ac auxilio adverſus eorum vim & inſidias benè ſperare. *Datus eſt mihi ſurculus infixus carni, angelus Satan, ut me colaphis cadat, ne ſupra modum efferar. Super hoc ter rogavi Dominum, ut abſcederet à me.* Sed *dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea.* 2. Cor. 12:7, 8, 9. *Et ipſi vicerunt* Draconem, *propter ſanguinem Agni, & propter ſermonem teſtimonii ſui.* Apoc. 12:11. *An ignoratis, fore ut Angelos judicemus?* 1. Cor. 6:3. *Deus pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros citò.* Rom. 16:20.

Digitized by Google

LIBER II.

Du Oeconomia Fœderis naturæ ſeu operum, & Fœderis gratiæ in genere.

LOCUS OCTAVUS

De homine ad imaginem Dei condito, & Fœdere Dei cum ipſo.

CAPUT I.

De imagine Dei in homine.

Angelos excipit hominis gubernatio.

I. ATque hæc quidem angelorum creatio & gubernatio. Cum vero, juxta veterum monitum, Γνῶθι σεαυτὸν, præcipue ad cognitionem noſtri attendendum ſit, deſcendamus nunc à creaturis mere intelligentibus ad hominem, ſpiritum corpori unitum, & perluſtrata ejus origine contemplemur ejus gubernationem; quod maximum Dei in mundo opus, reliquorumque omnium veluti compendium eſt. Non enim fruſtra ac ſine conſilio Deus humanam gentem condidit. *Quare fruſtra creaſſes omnes filios hominis?* Pſal. 89:48. Adeoque illam, veluti præcipua ſua cura dignam, & amat, & curat, & ſanctiſſimis modis regit.

Qui IMAGINE *Dei præditus eſt.*

II. Ac hominem quidem, quo melius cœleſtem originem referret, ac dignum Deo opus exiſteret, imagine ſua decoràvit, quæ præcipua ejus gloria eſt, qua reliquis creaturis longe ſupereminet. Gen. 1:26. *Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram*, h. e. imaginem ſimillimam, aut imaginem ſimilitudinem habentem, ut Gen. 5:3. *Et genuit* Adam *in ſimilitudine ſua ſecundum imaginem ſuam.* Ut fruſtra à Pontificiis imago ad naturam, ſimilitudo ad virtutes referatur.

Quæ non conſiſtit in externis corporis,

III. Imago hæc non in corporis figura vel habitu externo conſiſtit, qua homo vel Deum ipſum, juxta Anthropomorphitas; vel juxta alios Chriſtum, Dei filium referret, cum humanâ luſtrans ſub imagine terras inter homines olim converſaturus foret; nam etiamſi homo non pec-

Digitized by Google

pĕccăſſet, tamen Chriſtum incarnandum, h. e. fruſtra in terras venturum, ſine ulla Scripturæ auctoritate hi homines ſtatuunt: ſed in animâ expreſſa eſt, ejuſque dotibus plane divinis, atque inſtar derivatæ de cœlo lucis in recens nato homine coruſcantibus conſtat.

IV. Atque hiſce tribus fere abſolvebatur partibus: 1. antecedenter enim ea in ſpirituali & immortali animæ natura, inque intelligendi & volendi facultate, conſiſtebat, 2. formaliter autem & præcipue in animæ dotibus, ſapientia & ſanctitate. 3. & conſequenter in hominis totius immortalitate, & in creaturas dominio. Quorum primum erat veluti pretioſa tabula, in qua imago Dei duci & effingi poterat; ſecundum ipſa illa divinitatis imago & ſimulachrum; tertium imaginis illius late ſplendentis fulgor, & veluti radii, qui non animam ſolum, ſed univerſum hominem corpuſque ipſum colluſtrabant, illumque mundi Dominum ac principem, & velut æterni Dei amicum & ſocium pariter immortalem reddebant. Non enim templum iſtud, in quo imago iſta dedicata erat, corrumpi vel everti poterat.

ſed internis & divinis animæ dotibus.

V. Et animæ quidem natura ſpiritualis ad imaginem hanc capiendam præquirebatur. Quod oſtendit Paulus, cum docet, ideo *non debere nos putari τὸ θεῖον, numen, eſſe ſimile auro vel argento vel lapidi, ſculptura artis & cogitationis humanæ, quia nos Dei genus ſumus.* Act. 17:28, 29. Non autem proprie eam exprimebat. Cum cogitationes ejus poſſint eſſe vanæ & ſtultæ, & voluntas mala & perverſa, quibus Deo nihil magis diſſimile magiſque inimicum eſt. *Homo*, qui eſt *in gloria, & non intelligit, aſſimilatus eſt pecudibus*, quæ *extinguuntur.* Pſal. 49:21. *Hi autem, quæ ignorant blaſphemant*; quæ *autem, ut ratione carentia, animalia, norunt, in his corrumpuntur.* Jud. v. 10.

VI. Primario igitur & proprie in animæ dotibus, atque intellectus voluntatiſque rectitudine, quam Eccleſiaſtes tantopere prædicat (*Tantum, vide, hoc inveni; quod fecit Deus hominem rectum; & illi quæſiverunt ſibi ratiocinia multa.* c. 7: 29.) illa ponenda eſt: in ſapientia videl. & juſtitia. *Et induti novo illo* homine, *qui renovatur ad cognitionem ſecundum imaginem ejus qui ipſum condidit.* Col. 3: 10. *Et induere novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate* ſive (*ſancto ſtudio*) *veritatis.* Eph. 4: 24.

VII. *Sapientia* primum hominem excelluiſſe extra omne dubium eſt, atque ex ſacra hiſtoria conſtat: ubi animantium veluti cenſu inſtituto, ſingulis nomina naturæ ipſorum convenientiſſima indidit; &

Sapientia nempe.

Eræ-

Evæ ortum divinitus agnovit, ac ſanctiſſimè de matrimonio diſſeruit, ejuſque leges ſecuturo mundo edixit. Cumque divina familiaritate frueretur, mundi creationem, cui videl. naſcenti coævus ipſe fuerat, Deumque conditorem, ipſamque S.S. Triadem in opere iſto laborantem ignorare non potuiſſe videtur. Et quanquam ipſum univerſam naturam percalluiſſe non ſtatuamus, quo tamen ab erroribus ſibi caveret, rectum iſtum animi habitum habebat, ut non facile niſi de rebus probe perceptis judicaret. Ut non ſine probro Sociniani primo parenti puerilem fere ignorantiam & ſtuporem affingere non dubitent, ex male intellecto loco Gen. 3: 7. *Et aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt quod eſſent nudi.*

& ſanctitate. VIII. Addit huic Apoſtolus *ſanctitatis & juſtitiæ ſtudium*; quod ὁσιότητα τῆς ἀληθείας appellat, h. e. *ſanctum & intemeratum ſtudium veritatis*, vel *ſanctitatem voluntatis veritatem amantis*, aut ſimpliciter per ἓν διὰ δυοῖν, *ſanctitatem veram.*

Rectitudo hæc imaginis Dei homini eſt naturalis. IX. Quæ juſtitia homini primo iſto ſtatu, dum recens ex manibus Dei exiret, debita & naturalis erat. Non enim Deus abſque illa hominem creare, nec hic ſine eâ exiſtere poterat; cum alioquin ſine ſuo ad quem conditus erat, videl. ad Deo ſuo fruendum, inque eo gaudendum, excidiſſet; nec opus ad Dei gloriam, & tali conditore dignum fuiſſet.

Quo devertunt Pontificii, X. Ut operis Dei ſanctitatem, primique hominis excellentiam non leviter lædant *Pontificii*, dum juſtitiam hanc primo quidem homini conceſſam, ſed indebitam & *ſupernaturalem* ſtatuunt; veſtis inſtar pretioſæ, quæ externè ipſi ſuperaddita fuerit; vel, uti ajunt, inſtar fræni aurei, ad carnis motus, & internos tumultus, qui alioquin ex materiæ labe orituri erant, compeſcendos. Sic videlicet illi, ut corruptæ naturæ adblandiantur, hominemque poſt lapſum externâ tantum veſte ſpoliatum, cætera adhuc integrum, faciant, inſtituunt, & Dei ſanctitatem non parum violare, ac præcipuum ejus opus prorſus defœdare non erubeſcunt. Dum enim juſtitiam hanc homini ſupernaturalem dicunt, eo hominem ſine illa creari eaque carere poſſe, & nihilominus opus Deo creatore non indignum fore, fatentur: & ſicut illam ad frænandam concupiſcentiam extra ordinem datam docent, ut illam ſupernaturalem reddant; ita viciſſim concupiſcentiam homini à Deo creato naturalem, ipſumque tandem Deum peccati auctorem faciunt.

& cum le- XI. Cadit etiam ſtatus *puræ naturæ*, commentum Pelagii, à *Jeſuitis*, ut &

ut & *Remonſtrantibus* ac Epiſcopio avide arreptum ; quo hominem in prima creatione nec juſtum nec injuſtum ponebat, ſed ad utrumque paratum, & virtutis vitiorumque ſemina recipere pariter idoneum. Quomodo & poſteri ejus nunc naſcantur. Verum talis puræ naturæ ſtatus nec extitit unquam, cum homo non niſi ſanctus & Deum ſuum amans à Deo conditus ſit: unde Scriptura illum non נקי *ἀθῶον*, & ſceleris purum, ſed ישר *ὀρθὸν rectum*, integrum ac ſanum appellat. *Hoc inveni; quod fecit Deus hominem rectum.* Eccl. 7: 29. neque etiam exiſtere poteſt, & rationali hominis ſtatui repugnat: cum enim tam eximiis animæ facultatibus inſtructus ſit, neceſſario iis vel benè vel male utitur, & vel in Deum vel in creaturas tendit, atque vel recto amore gaudet, vel vitioſo & terreno corrumpitur; ut extra vitia virtuteſque ex æquo eſſe, & in utrorumque veluti confinio degere, creaturæ rationali prorſus impoſſibile ſit. Et ſatis patet quo hæc tendant, & quantopere lapſæ naturæ hi homines adulari ſtudeant, quam dum ad primæ integritatis ſtatum redigere non poſſunt, illum contra corruptæ naturæ labe aſpergere & contaminare non verentur.

ſuitis Remonſtrantes commento ſtatus puræ naturæ.

XII. Atque hujus erroris diverſa tantum facies eſt, quod *Sociniani*, quibus *Anabaptiſtæ* accedunt, homini antequam peccaret innocentiam tantum quandam attribuunt; & conditum quidem bonum dicunt & ſine vitio, verum etiam ſine juſtitia originali, cujus habitum ſibi demum pluribus actionibus acquirere debuerit. Quibus addunt, cum *bona* ſint *alia* ſimpliciter, *alia* relative talia; quorum illa *recta*, hæc *ſibi bona* vocant; hominem non recta, ſed ſibi bona naturaliter appetiiſſe. Quæ effata, præter jam notata, peculiares ſuos errores habent; & non tantum hominem, non ex habitibus, ſed ex actionibus ſolum, bonum & rectum fieri volunt, quod etiam nunc obtinere putant; quo gratiam ſanctificantem, utpote libero arbitrio adverſam, imminuunt & evertunt: ſed hoc omne tandem præſtruunt, ut poſtea in doctrinâ de Chriſto impias ſuas ſententias melius tueri poſſint, quem videl. mundum doctrina ſua ſolum illuſtraſſe, & veram integritatem ac vitæ æternæ ſpem attuliſſe, dicunt.

Quibus ſub alia erroris facie accedunt Sociniani & Anabaptiſtæ.

XIII. Comitabatur Dei imaginem, eamque magis auguſtam reddebat, cum hominis totius *immortalitas*, tum in res creatas *dominium*.

Imaginis Dei comes

XIV. *Immortalitas* hæc non animæ ſolius, quæ etiamnum viget, ſed totius hominis atque etiam corporis intelligenda eſt; ut, ſi homo non peccaſſet, non moriturus, ſed æternum Deo ſuo boniſque ejus fruiturus

immortalitas, & quidem totius hominis.

rus fuiſſet. Auguſtinus ut duplicem mortalitatem diſtinguit, alteram qua primus homo mori poterat, alteram qua poſt guſtatam arborem mori debebat: ſic etiam *duplicem immortalitatem* ponit, *primam*, poſſe non mori, quia homo poterat non peccare; *ſecundam*, non poſſe mori, quæ erit futuræ vitæ, quam & alicubi *majorem immortalitatem* appellat. Adamo autem prior immortalitas competebat, habebatque *potentiam non moriendi*, & ſi illo in ſtatu perſtitiſſet, etiam moriturus non fuiſſet; deinceps autem erit *impotentia moriendi*.

Quam Pontificii perperam ſupernaturalem ſtatuunt, & poſt Pelagium Sociniani & Anabaptiſtæ negant.

XV. Non recte eam *Pontificii* primo homini ſupernaturalem faciunt; cum juſtitiæ originalis, quæ homini naturalis erat, fructus foret; ſicuti mors injuſtitiæ. *Stipendium peccati mors, gratioſa autem largitio Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Rom. 6:23. Potiſſimum autem in controverſiam eam vocant, poſt *Pelagium, Sociniani* & *Anabaptiſtæ*, qui hominem mortalem creatum, mortemque non peccati, ſed naturæ ſequelam eſſe ſtatuunt: unde Adamum, licet in integritate perſeverantem, & cœli candidatum, tamen non niſi intercedente morte illud obtenturum fuiſſe autumant: adeoque mortem in genus humanum ab Adami labe derivatam negant; quomodo nunc & infantes moriantur, ſine ullo reatu: quin & Servatori noſtro, licet omnis peccati experte eandem ſortem ſubeundam fuiſſe. Quæ & beato primi hominis ſtatui, & Scripturis manifeſto adverſantur.

Qui redarguuntur, utpote beato hominis ſtatui

XVI. Cum enim homo conditus foret in ſtatu feliciſſimo, ut Deo, tanquam unico ſuo fine, perpetuo ſatiaretur, nihil profecto felicitati illi magis inimicum erat quam mori, & votis ſuis ſanctiſſimis fruſtrari, & feſſam anhelantemque animam ex Dei veluti amplexibus excuti, bonorumque ejus communione privari, quaſi Deum quærens non verum ſuum bonum, ſed umbram ſolum aliquam ſectata fuiſſet. Non minus autem corpore quam animo ſuperſtes manere debebat. Cum anima in eum finem creata ſit, ut in corpore degat, ejuſque hoſpes & comes ſit, & ſine eo beata eſſe non poſſit: neque etiam Deus, ſine ulla cauſa, temere opus manuum ſuarum corrumpere ac deſtruere, velut ei iratus, ſoleat; tum enim illud ne quidem creaviſſet. *Num bonum tibi* eſt, *ut opprimas? ut ſpernas laborem manuum tuarum?* Job. 10:3.

& S. Scripturæ adverſantes.

XVII. Sed & S. Scriptura peccatum unicam mortis cauſam facit; cum in prima comminatione. *Quocunque die comederis*, de arbore cognitionis boni & mali, *moriendo morieris.* Gen. 2:17. tum in implemento ejus: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3:19. Quo & Apoſtolus

Digitized by Google

lus reſpicit, perſpicuè aſſerens, *per unum hominem peccatum in mundum intraſſe, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines mortem pertranſiiſſe*. Rom. 5: 12. Item *ſtipendia peccati eſſe mortem*. c. 6:23. & *corpus mori propter peccatum*. c. 8: 10. Ad quæ loca dum excipiunt, per *mortem*, æternam mortem, ex qua reditus non detur; vel vitæ hujus calamitates, non ſine tædio ad mortem ducentes; vel mortis denique neceſſitatem, aliamque ejus poſtquam ex peccato aliquid maledictionis traxit, faciem intelligi; non autem mortem corporalem; maniſeſto nimium prævaricantur: dum, ex ſolo ſententiæ ſuæ præjudicio, quæcunque per mortis vocabulum ullibi ſignificantur admittunt, & vulgatiſſimam ejus ſignificationem, quæque primo intuitu nobis occurrit, quæque præſertim Gen. 2: 17. phraſi *morte morieris* in Scripturis tam ſæpe denotatur, excludunt.

XVIII. Quod objiciunt, hominem primum ex pulvere compoſitum non potuiſſe non in illum rurſus dilabi; ſecundum illud Gen. 3: 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, illud tanti non eſt. Cum nihil repugnet Deum ex vili luto æternum ac manſurum opus excitare. Verba enim, Gen. 3: 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, naturam corruptam ſpectant. q. d. factus es per lapſum, qui conditus eras χοϊκὸς *pulvereus*, etiam φθορῆς *corruptioni* obnoxius, elongatus à ſpiritu & vita Dei. Atque huc referenda quoque Apoſtoli verba ſunt, 1 Cor. 15: 44, 45, 47, 48, 49. ubi opponit corpus ψυχικὸν & πνευματικὸν, & *primum hominem factum in animam viventem, ſecundum in Spiritum vivificantem* dicit; *primumque hominem ex terrâ* χοϊκὸν, *ſecundum vero Dominum de cœlo* vocat. denique addit, *qualis pulvereus, tales & pulverei, atque ut geſſimus imaginem pulverei, ſic & geremus imaginem cœleſtis*. Illa enim non mortem vel corruptionem, ſed animalem tantum in terris vitam deſcribunt, quam Adamus ſolam poſteris ſuis propagaturus erat, quamque nunc ex peccato etiam morti & corruptioni obnoxiam illis tradidit. Non enim primus homo vitæ ſpiritualis atque prorſus immutabilis ſuis auctor erat, quod eſt eſſe πνεῦμα ζωοποιοῦν: hanc enim per Chriſtum, ſecundum Adamum, unicum cœleſtis ac ſpiritualis vitæ auctorem, acquirimus. Neque ipſe, licet non moriturus, tamen jam à primo conditu ſuo poſſidebat ἀφθαρσίαν, ſeu incorruptibilitatem omnimodam, ſive *immortalitatem* iſtam *majorem*, ut Auguſtin. loquebatur, qualis poſt reſurrectionem demum in æternitatis candidatis obtinebit. Habebat autem corpus ψυχικὸν *animale*, & necdum πνευματικὸν

 ſpiri-

Digitized by Google

ſpirituale, ut Apoſtolus diſtinguit; quale licet non ſit φθαρτὸν, nec ad corruptionem & mortem ex ſeſe vergat, necdum tamen etiam eſt ἄφθαρτον; iſtud enim majorem immortalitatis gradum & impotentiam moriendi dicit.

Alterum imaginis Dei conſequens, Dominium in res creatas.

XIX. Alterum imaginis Dei conſequens fuit *dominium* in res creatas, homini ut creaturarum principi attributum. De homine enim creando narratur : *Dixiſſe Deum, faciamus hominem cum imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtri* : וְיִרְדּוּ *& dominentur*, vel *ut dominentur*, ſive, *qui dominentur in piſces maris & in alites cæli, & in pecudes, & in totam terram, & in omne, quod ſe movet ſuper terra.* Gen. 1: 26. De creatis autem *quod eis benedixerit Deus, & ipſis dixerit : multiplicamini & implete terram & ſubigite eam & dominamini in piſces maris, & in alites cæli & in omne vivens quod ſe movet ſuper terra.* v. 28. Quare Adam omnibus animalibus ſua quoque impoſuiſſe nomina legitur. Gen. 2: 19. Hinc res omnes ipſi tanquam mundi domino famulari, atque uſibus ejus ſervire debebant, ipſeque iis omnibus juſtè uti; tanquam ſcaberaſtris, quibus erigebatur ad conſiderationem, æſtimationem & deſiderium fruitionis Dei ipſius, ut boni ſui ſummi & omnibus rebus ſenſibilibus majoris, ac in eo creatore ſuo unice gaudere ac deliciari poterat. In quo rerum omnium principatu imago Dei paulo vividius radiabat. Unde κατ' ἐξοχὴν *vir* ob peculiarem iſtam dignitatem ac poteſtatem *imago & gloria Dei* dicitur. 1. Cor. 11:7.

XX. Ad hoc dominium hominis quoque ſpectat eſus carnium animalium, illi à prima origine conceſſus. Subjectio enim animalium homini ſine eſu eorum parum profuiſſet, cum multorum nullus ſit uſus niſi eſus. Nec obſtat quod ſolæ herbæ homini in cibum datæ videantur. Aliter enim apparebit, ſi rectè verba Moſis accipiantur. quæ hæc ſunt, Gen. 1:29, 30. *Ecce do vobis omnem herbam ſemen facientem, quæ eſt in tota terra, & omnem arborem, quæ habet fructum arboreum ſemen facientem (vobis erit ad comedendum)* וּלְכָל־חַיַּת *imò etiam omnem beſtiam agri, & omnem alitem cæli, & omne, quod ſe movet in terra, in quo eſt anima viva, cum omni olere herbaceo in cibum.* Ubi præter herbas carnes quoque homini conceſſas fuiſſe clarum eſt. Neque enim com. 30. dicitur *omni beſtiæ agri olus* datum eſſe, ſed *beſtias agri cum olere* homini juxta herbas in cibum datas eſſe. Illud enim לְ ibi non dativum, ſed incluſionem notat, ut Eſai. 32: 1. Sub animantibus autem *in quibus eſt anima viva*, piſces quoque continentur.

XXI.

XXI. Errant vero Sociniani, dum ſolo hoc dominio, & rectæ rationis uſu, ſine quo exerceri non poterat, omnem Dei imaginem comprehendi & abſolvi ſtatuunt. Cum imago Dei dicat quod in homine auguſtiſſimum, Deoque maxime ſimile eſt, veluti juſtitia, ſanctitas, ſapientia, qui lucidiſſimi ejus ſunt radii; ſine quibus nec ipſum illud mundi dominium habere vel retinere poterat. Unde corrupta hac imagine etiam dominium illud periit. homini enim impuro nunc omnia ſunt impura: & juxta Apoſtolum Rom. 8: 20, 21. rerum natura non ſine tædio ipſi ſervit, & feſſa ac languens tantum non gemitum edit, ac jugo iſto liberari petit. Ut in imagine Dei dotes iſtæ animæ primo loco intelligi ſemper debeant. Iniquum enim nimis eſſet, imaginem Dei ita collocare in rerum omnium ſub homine ſubjectione, ut ipſe non foret homo ſubjectus Deo, per veram ſanctitatem *&* juſtitiam. Gen. vero cap. 1:26. non dominium ipſa Dei imago dicitur, ſed homo imaginem iſtam accipit ut dominetur, adeoque illa eo prior eſt. Sic enim illud ו in textu accipiendem eſt, ut Gen. 9: 27. *Alliciat Deus Japhetum,* וְיִשְׁכֹּן *ut habitet in tentoriis Semi.* Gen. 23: 1, 9. *Intercedite pro me apud Hephronem* וְיִתֶּן־לִי *ut det mihi ſpeluncam* &c. Dan. 5: 2. *Belſchatzar juſſit in potu vini afferri vaſa aurea & argentea.* - - - וְיִשְׁתּוּן *ut biberent in eis* &c.

Quo Sociniani peſſime omnem Dei imaginem abſolvi ſtatuunt.

CAPUT II.

De Fœdere Dei cum homine primo.

I. Conditis iſto in ſtatu hominibus, humano genere multiplicato, locus fuiſſet inter homines, in *ordine ad proximum ſuum,* ſtatui *naturali*; juxta quem homo nullo adhuc pacto, nullaque lege poſitiva cum aliis colligatur. Cumque ſumma integritas obtinuiſſet, *ſola charitas* tum viguiſſet, ex qua ſine ulla fraude vel injuſtitia omnia proximo ſuo officia detuliſſet.

Hominis ad imaginem Dei creati ſtatus naturalis, cum in ordine ad proximum ſuum.

II. Atque hunc quidem reſpectum habiturus fuiſſet homo *ad proximum ſuum*, qui ipſi par, ejuſdemque mundi incola ac hæres fuiſſet. *Deo autem* conditori ſuo arctiori longe nexu erat obligatus; & ſummam ejus majeſtatem ac imperium in omnes creaturas, ac præſertim hominem, imaginem ejus gerentem, agnoſcere ac ſubmiſſe revereri tenebatur. Homo enim, cum Dei imagine creatus, non poteſt non Deo ſubordinari, & in omnibus ſubjici: Deuſque ipſo uti, deque eo, ut creatura ſuâ, facere quicquid libet, ipſi leges ponere ac infinitum vo-

Tum in ordine ad Deum.

Digitized by Google

voluntatis ambitum circumſcribere, inobedientem denique punire poteſt.

III. Quod tamen abſolutum ſuæ voluntatis imperium per juſtitiam, ſapientiam, ac bonitatem ſuam multipliciter temperat. Unde quanquam proprie dicta juſtitia, ſeu juris iſtud commercium, inter Deum & creaturam locum non habet; tamen non niſi ſanctiſſimè jure ſuo utitur, idque quibuſdam veluti legibus ipſe aſtrinxit. Sic quanquam ex. gr. Deus homine pro arbitrio uti, non tamen ad peccata & ſcelera eo abuti poteſt: nec leges ferre factu prorſus impoſſibiles: vel eum denique ſupra meritum punire: repugnant enim iſta ſanctitati, perfectioni, ſapientiæ & benignitati Dei, in ipſa ejus creatione tam recenter oſtenſa, quæ longe aliud Dei conſilium ac ordinem oſtendit, & bonitatis ac perfectionis Dei vivum teſtimonium eſt.

Qui eum ex ſua benignitate ad propriorem ſui communionem invitavit inito Fœdere.

IV. Atque ex hac Dei benignitate eſt, quod creaturam ſibi ultro ſubditam, ac ex naturali obligatione omnia debentem, inito *fœdere* ad propriorem ſui communionem invitare, ac imperium ſuum planè deſpoticum iſta amoris & mutuæ obligationis εὐκρασίᾳ temperare voluerit. Ut jam homo, certiſſimo aditu ad beatitudinem facto, eam non ex mera ſolum Dei bonitate, & naturali in creaturas amore, ſibi quoquo modo polliceri, verum etiam ex pacto, adeoque propter veritatem & fidelitatem Dei certo expectare poſſit. Atque infert hæc fœderis conventio remunerationem ac liberalitatem quandam majorem & abundantiorem, quam homo ſibi ex jure Dei per naturam cognito promittere potuiſſet.

Fœdus, בְּרִית, *διαθήκη.*

V. Fœdus à *feriendo*, aut fide, aut potius à *fœdando* derivatum, quod ſanguine animalis fuſo humus fœdabatur, in Scripturis Hebraice eſt בְּרִית, à ברה/ quod eſt *eligere*, quia in fœdere faciundo eſt conditionum *αἵρεσις* ac electio; vel juxta alios à ברא/ quod in Pihel eſt ſuccidit, quia diſciſſo animali fœdera ſanciebant. vide Jer. 34:18, 19. *Qui transgreſſi ſunt fœdus meum, qui non rata fecerunt verba fœderis, quod fecerunt coram me,* fœderis *vituli*, *quem ſecuerunt in duas partes, inter cujus partes tranſierunt, principes Juda* &c. *qui tranſierunt inter partes vituli.* Unde uſitatum כרת ברית, ſcindere pactum ſeu fœdus. *Jehova Deus noſter* כָּרַת עִמָּנוּ בְּרִית *ſecuit nobiſcum fœdus in Horeb.* Deut. 5: 2. וַיִּכְרֹת בְּרִית *& ſecuit* Joſua *fœdus populo die illo.* Joſ. 24:25. & ſimpliciter כרת; ut in hiſce, וַיִּכְרֹת *& ſecuit Jehonathan cum familia Davidis.* 1 Sam. 20: 16. בִּכְרֹת בְּנִי *Cum ſecaret filius meus cum filio Iſai.* c. 22: 8. אֲשֶׁר כָּרַת *Cum ſecaret Dominus cum filiis Iſraël.* 1 Reg. 8: 9. Græcis dicitur διαθήκη, quæ vox

vox iis ſæpè pro *συνθήκη*, pacto, venit, & ſimul reſpondet Hebræo בּרית, in ſignificatione teſtamentariæ diſpoſitionis. *Ἀνθρώπȣ κεκυρωμένην διαθήκην hominis ratum factum teſtamentum nemo rejicit aut ſupra diſponit.* Gal. 3: 15. *Ὅπȣ γὰρ διαθήκη ubi enim Teſtamentum* eſt, *mortem neceſſe eſt contingere τȣ̃ διαθεμένȣ, Teſtatoris.* Hebr. 9: 16. *Αὕτη ἡ διαθήκη ἣν διαθήσομαι Hoc eſt Teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël*, &c. Heb. 8: 10.

VI. Fœdus Dei eſt conventio inter Deum & hominem, qua Deus latâ lege declarat homini rationem percipiendi ſui amoris; & unione ac communione ipſius fruendi; & homo rurſus rationem fœdere præſcriptam amplectitur, ac ſervaturum ſeſe promittit, & ex fœdere remunerationem ac mercedem expectat. Qualis fœderis pangendi formula egregiè exprimitur Deut. 26: 16-19. notabilibus hiſce verbis: *Hoc die Dominus Deus tuus præcipit tibi facere ſtatuta & judicia hæc ---- Dominum juſſiſti dicere hodie, quod factus ſit tibi in Deum, & quod ambules in viis ipſius ----- & Dominus juſſit te dicere hodie, quòd factus ſis ipſi in populum peculii* &c. Synecdoche autem eſt, cum fœdus pro ſola lege vel præcepto ponitur, ut, cum de Levitis dicitur: *Obſervabant dictum tuum & fœdus tuum retinebant.* Deut. 33: 9. & cum *arca fœderis* dicitur, Num. 10: 33. Joſ. 4: 18. in qua erant *tabulæ fœderis.* Deut. 9: 15. continentes *verba fœderis*, Exod. 34: 28. Item cum Adamus dicitur *tranſgreſſus eſſe fœdus.* Hoſ. 6: 7. Synecdoche quoque eſt cum pro promiſſione ſola accipitur: *Et ego, hoc fœdus meum cum ipſis*, (hoc volo tanquam ratum & addictum ab ipſis peti & exſpectari) *ait Jehovah: Spiritus meus, qui eſt ſuper te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent* &c. Eſai. 59: 21. *Ecce ego, ſeco fœdus*, h. e. *facio fœdus*, ſive addico, ad jus petendi atque exſpectandi tanquam ex pacto: *coram omni populo tuo faciam mirabilia.* Exod. 34: 10. Cui metaphora additur, quando citra legem aut conditionem ullam promiſſionem nudam & ſimplicem dicit; quo ſenſu verbum *ſecare* accipitur. ut videre eſt 2. Chron. 7: 18. *Et conſtabiliam thronum regni tui, quemadmodum ſecui Davidi*, h. e. pactus ſum, promiſi. ita Hag. 2: 6. *Cum verbo* אֲשֶׁר כָּרַתִּי אִתְּכֶם *de quo pactus ſum vobiſcum:* vel, *quod pactus ſum vobiſcum*, h. e. promiſi, quod exſpectandi jus dedi vobis. confer. 2. Sam. 23: 5. *Nam non eſt recta domus mea cum Deo, ſed fœdus æternum* (promiſſionem æternam) *poſuit mihi, promtum omnibus & cuſtoditum; quod* omnis *ſalus mea* exiſtet *& omnis εὐδοκία* ac *complacentia, quum* domus mea *non germinabit.* Idem obtinet, ubi fœdus ſignificat donationem irrevocabilem, ut, *omnia ἀφαιρέματα do tibi, in ſtatutum ſeculi: fœdus ſalis ſeculi*

Fœdus Dei quid?

culi hoc coram Jehova tibi. h. e. promiſſio, cujus Deum non pœnitebit. Num. 18:19. Sicut idem vocis abuſus eſt, ubi pro decreto & efficaci juſſu accipitur: ut, *ſi irritum facietis fœdus meum diei, & fœdus meum noctis*, Jer. 33:20. Sic Job. 31:1. Jobus dicit, ſe *fœdus feciſſe cum oculis ſuis*, h. e. eos inviolabili præcepto obligaſſe, ſive propoſitum & votum concepiſſe de oculis ſuis frenandis.

Eſt ex eorum genere qua inæqualia dicuntur.

VII. Cum autem fœdus hoc non ſit inter eos, qui ſunt páris juris, quique æquis legibus in amicitiam veniunt, ex eorum genere eſt, quæ politicis *inæqualia* dicuntur.

Adeoque diverſo reſpectu μονόπλευρον eſt, vel δίπλευρον.

VIII. Et cum Deus tantum de propriis beneficiis diſponat, & ab eo tota fœderis ordinatio, & conditionum, quibus homo amicitiam Dei ſperare poſſit, præſcriptio dependeat, hactenus illud *μονόπλευρον* eſt. Quando vero homo fœderis leges accipit, atque iis præſtitis jus ad Deum accedendi, ac præmium poſtulandi habet, tum fœdus hoc fit *δίπλευρον* & mutuum.

Partes ejus quatuor.

IX. Ut partes hujus fœderis ſint quatuor. A parte Dei, 1. *ſtipulatio*, qua certis legibus pacem & amicitiam ſuam offert. 2 *promiſſio*, ſeu præmii addictio. Et à parte hominis, 3. *adſtipulatio* ad mandatum Dei, & legis ac conditionis acceptio; quæ ſignificanti vocabulo in Scripturis *ὁμολογία* dicitur. Vide Hebr. 3:1. ubi Chriſtus appellatur Ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας *miſſus & ſacerdos adſtipulationis*. conf. 2. Cor. 9:13. *Glorificantes Deum, propter ſubjectionem* τῆς ὁμολογίας ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ *adſtipulationis veſtræ in Euangelium Chriſti*. 4. qua præſtita, reſpectu promiſſionis ac præmii conſequitur *reſtipulatio*, ejuſque ſpes & expectatio certiſſima : quæ ἐπερώτησις & fiducia rogandi Deum, 1. Pet. 3:21. παῤῥησία 1. Joh. 3:21, 22. ἐξουσία τέκνα θεοῦ γενέσθαι, Joh. 1:12. & πληροφορία καὶ ὁμολογία τῆς ἐλπίδος. Hebr. 6:11. & 10:23. pulcherrimis verbis in S S. litteris appellatur.

Fœdus Dei duplex, operum & gratiæ.

X. Fœdus tale Dei cum homine pro diverſa ratione communionis ejus percipiendæ, duplex eſt, *operum* & *gratiæ*: quæ Scriptura ſibi mutuo opponit. *Si gratiâ, non ex operibus; alioqui gratia non fit*, ſive comperitur *gratia*. *Si verò ex operibus, non eſt gratia; alioqui opus non eſt opus*. Rom. 11:6. atque utriuſque leges ac diſcrimen memorat. *Ubi igitur gloriatio? excluſa eſt. Per quam legem? operum? non: ſed per legem fidei.* Rom. 3:27. *Ei, qui operatur, merces non reputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Qui verò non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat improbum, reputatur fides ſua in juſtitiam*. Rom. 4:15. Fœdus operum nititur opere hominis, fœdus gratiæ ſolâ Dei miſericordia: in priori habet aliquid ho-

mo

Digitized by Google

mo quod in ipſo eſt; in poſteriori extra ſe poſitus totus dependet à Deo: illud ſine mediatore factum eſt, hoc mediatorem requirebat: illud à creatore juſto, hoc à redemtore benigno proficiſcitur; ſicut & illud cum homine integro initum fuit, hoc cum lapſo.

XI. Fœdus primum *operum*, *legis* ac *naturæ* dicitur; lege enim præſcriptum, operibus obſervandum, & naturæ ipſi hominis ſuperſtructum ac coævum eſt. Fluebat enim hactenus ex natura hominis quatenus ea Deo ſubjici debebat, & fœdus illud ſuper naturales hominis vires fundatum erat, ac obedientiam naturali lege mandatam poſtulabat.

Fœdus operum, etiam legis & naturæ dicitur.

XII. Fœdus tale cum primo homine 1. poſtulabat *Dei bonitas*, & amor erga homines, ipſo conſcientiæ noſtræ ſenſu expreſſus; qui non dignius ac decentius ſe explicare poterat, quam ſi hominem ſeſe quærentem ac anhelantem, nec terræ divitiis, & tantum longinquo Dei ſui aſpectu, & quaſi exilio, ſatiatum, ad ſeſe propius reciperet, & communione ſuâ bearet. Quale præmium cum natura homini non prorſus dictaret, quæ ipſum paradiſi bonis, & favore ac amicitia iſtâ Dei, qua jam fruebatur, contentum eſſe jubebat, ex ſingulari promiſſione & fœdere provenire debuit.

Poſtulabat hoc Dei cum homine fœdus Dei bonitas.

XIII. Deinde *hominis ipſius* ſtatus, & naturalis beatitudinis appetitus; qui cum rectus ſit (eſt enim veri boni deſiderium) nec Deo indignus, ipſi diſplicere, ac fruſtra eſſe non poterat, adeoque impleri debebat. *Deus terram formavit. Non* תהו & ἀκοσμεν (ſive pro לתהו *in caſſum) eam creavit: ad habitandum eam formavit. non dicit ſemini Jacobi, fruſtra quærite me.* Eſai. 45: 18, 19. Niſi opus Dei culpare, ipſumque hominem cum vani deſiderii tormento creaſſe, & creaturæ ſuæ illuſiſſe, ſtatuere velis. Cujus deſiderii in corrupto homine etiamnum reliquiæ ſunt; quod etiamſi nunc irritum ſit, tamen rebus humanis adhuc integris vanum ac irritum eſſe non potuit. Huc accedebat ipſa hominis *conſcientia*, quæ ipſi teſtabatur Deum eſſe remuneratorem eorum, qui ipſum quærunt, nec fruſtra, ac ſi numen fictum vel idolum eſſet, rogari vel quæri poſſe: unde dum imaginem Dei ſervabat, Deoque propius uniri quærebat, de gratia ejus certus eſſe, deque remuneratione ſaltem benè ſperare, nec ſe in vanum Deum quæſiturum cogitare poterat. Quibus omnino conveniens, & tantum non neceſſe erat, ne homo ſemper anxius, deque Deo ſuo incertus degeret (cum majorem illam beatitudinem, quam quærebat, ſola naturâ duce, quæ ipſi Paradiſi delicias & Dei amicitiam in terris oſtendebat, ſperare non poſſet) ut

& ipſius hominis ſtatus in quo erat, beatitudinis appetitus, & conſcientia.

Deus cum ipſo fœdus faceret, ipſumque rationes amoris ac communionis ſuæ percipiendæ edoceret.

Quod fœdus etiam initum eſt cum primo homine,

XIV. Quod etiam factum ipſa primi hominis hiſtoria dubitare nos non ſinit. Non enim ſolum *lex* ipſi tradita, quæ eadem fuit cum lege morali, perpetuam in Scripturis *vitæ* vel mortis ſanctionem adjunctam habens ſed ſpecialis *præmii* in Paradiſo promiſſio, *arboris vitæ* ſacramento quoque obſignata, Gen. 2: 9. *Mortis* autem comminatio diſertis verbis expreſſa legitur, Gen. 2: 17. *Quocunque die comederis de ea* arbore cognitionis boni & mali, *moriendo morieris.* Quæ Fœdus Dei manifeſto exprimunt. Cujus etiam non obſcura mentio eſt, Hoſ. 6: 7. והמה כאדם עברו ברית *& illi, ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt fœdus.*

& in eo cum univerſo genere humano.

XV. Initum fuit hoc fœdus non cum Adamo ſolo, ſed cum univerſo genere humano, cujus parens & ſponſor erat. Quomodo illum Apoſtolus conſiderat Rom. 5. & Chriſto, Eccleſiæ ſuæ ſimiliter capiti & ſponſori, opponit, hiſce ſuum argumentum concludens: Quod *ſicut per inobedientiam unius hominis (in quo omnes peccaverant. v. 12.) peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per obedientiam unius juſti conſtituendi ſunt multi.* Rom. 5: 12.--- 19 conf. 1. Cor. 15: 45. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem. ultimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Atque ex ipſa hiſtoria, tum ex bonis ipſi ante lapſum conceſſis, (Gen. 1: 26, 28.) tum ex malis poſt lapſum immiſſis (Gen. 3: 16--19. *Ut omnes in Adam moriuntur, ſic quoque in Chriſto omnes vivificabuntur.* 1. Cor. 15: 22.) quæ non ipſum magis quam poſteros tetigerunt, ſatis patet, ipſum univerſum humanum genus in Paradiſo repræſentaſſe, ejuſque fata ſecum traxiſſe. Excipitur ſolus Chriſtus, qui non vi primævæ benedictionis, ſed inſecutæ ſingularis promiſſionis ita ex Adamo ortus eſt, ut Adamo opponatur tanquam alterum fœderis caput, 1. Cor. 15: 45. conf. v. 47. *Primus homo ex terrâ pulvereus; ſecundus homo Dominus ex cælo.*

Conſiderandain hoc fœdere tria.

XVI. Ut naturam hujus fœderis propius inſpiciamus, conſiderabimus in eo hæc tria. 1. *Legem* ejus, ſeu conditionem fruendi amoris Dei. 2. *Sanctionem*, cum per *Promiſſionem*, tum per *Comminationem*. 3. *Sacramentum* ei confirmando accedens, *Paradiſum* & *arborem* vitæ.

1. Lex, quæ fuit operum.

XVII. *Lex* præſcripta fuit homini non alia quam *operum*, quæ requirebat omnium præceptorum moralium obſervationem, omnemque perfectionem, cum naturæ humanæ, tum actionum, eamque & partium, & graduum, & perſeverantiæ. *Quiſquis totam legem ſervaverit, impegerit autem in uno, damnas factus eſt omnium.* Jac. 2: 10. *Jeſus dixit ei, diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex*

tota

tota cogitatione tua. Matth. 22:37. *Et cum reverſus juſtus à juſtitia ſua fecerit iniquitatem, ſecundum omnes abominationes, quas fecerit improbus, hiccine viveret? omnes juſtitiæ ejus quas fecerit non commemorabuntur, propter prævaricationem ipſius qua prævaricatur, & propter peccatum quo peccat, propter hæc morietur.* Ezech. 18:24. Huic *legi* duæ illæ ſententiæ miſcebantur, *qui fecerit ea homo, vivet in illis* : &, *maledictus omnis qui non manet in omnibus ſcriptis in libro legis, ut ea faciat,* Gal. 3:12,10. Quæ ſicuti fœdus operum conſtituunt, ita earundem repetitio ſpeciem legis operum, etiam poſt abrogationem ejus, præferebat.

XVIII. Adamo autem non deſcripſit Deus facienda in libro, ſed in *tabulis cordis.* conf. Jer. 17:1. eumque ſumma ſapientia & integritate inſtruxit, quæ ipſi omnis ſanctitatis fundamentum & regula erat; quam illibatam ſervare, & rectis actionibus exprimere unicè tenebatur; *Et indui novo illo* homine, *qui renovatur ad cognitionem ſecundum imaginem ejus qui ipſum condidit.* Col. 3:10. *Et induere novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Eph. 4:24. Ut lex ipſi lata proprie lex fuerit naturæ, & conſcientiæ dictatus ac lux, eique acquieſcens voluntas. Quamvis enim ſpeciale quoque præceptum acceperit, potiſſimum tamen legis naturalis obedientia ab ipſo requirebatur, cui experiundæ præceptum hoc ſymbolicum tantum inſervivit.

Exarata in tabulis cordis.

XIX. Cumque in ſtatu amicitiæ cum Deo foret, non tam naturali lege, quam nativa caritate Deo obediebat : qualis eſt obedientia filii erga parentem, quæ & voluntaria & lubens eſt; violata autem per peccatum charitate acceſſit præceptum & lex, non ſine terrore. Cum antea externum nullum præceptum homini datum ſit, præterquam de arbore Paradiſi, quod tantum poſitivum erat.

Cui homo rectus conſtitutus in ſtatu amicitiæ cum Deo nativa caritate obediebat.

XX. Hanc legem ſi homo integram ſervaſſet, nec imaginem Dei, quam gerebat, ulla labe contaminaſſet, *juſtus* fuiſſet, habuiſſetque τὸ *δικαίωμα τοῦ νόμου, id quod lex juſtitiæ cauſa exigit*; & mercedem, tanquam ſibi debitam ex cœleſti promiſſione, poſtulare potuiſſet. (vide Rom. 4:4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed κατὰ τὸ ὀφείλημα ſecundum debitum.*) Quæ quidem aliqua fuiſſet hominis *gloriatio*, præmium poſt peractos labores petentis; verum ea non alia quam conſcientiæ lætantis, ſeque Deo ut benigniſſimo patri & domino, judicandum & probandum ſiſtentis. Omnis enim operis noſtri remuneratio & dignitas, ſolâ Dei liberalitate, & gratioſâ promiſſione, ac pacto nititur; nec aliter Deus nobis obligatus eſt, quam

Ex obèdientia hujus legis fluit legalis juſtitia.

Digitized by Google

virtute propriæ diſpoſitionis, non vero interno operis noſtri valore & dignitate : juxta illud Servatoris. Lucæ 17: 10. *Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite : ſervi inutiles ſumus; quod debuimus, fecimus.* & Jobi c.22:2. *An Deo prodeſt vir, quum frugi ſe præſtiterit ſuper iis prudens? An voluptas omnipotenti, quum juſte egeris? & an emolumentum, cum integras habueris vias tuas?* Quamquam talis promiſſio taleque pactum Deo etiam omnino dignum eſt, cum ipſum ſummè deceat, hominem ad imaginem ſuam conditum ad communionem ſui vocare, & obedientem ac in ſanctitate perſeverantem admittere.

Ex hoc fœdere operum exſurgit debitum mercedis ex pacto, non ex condigno, nec de congruo.

XXI. Atque in hoc ſolo hominis ſtatu *meritum* obtinuiſſet; ſed non aliud quam ex *pacto*, ac liberali Dei repromiſſione; juxta quam jus poſtulandi præmii homo habuiſſet, ad quod Deus ſeſe ultro obligaverat, pro amore ſuo, quo tanti noſtra æſtimare, & tali præmio remunerari dignabatur. Non vero erat meritum *de condigno*; quod non cadit in meram creaturam, quia Deus hominis debitor fieri non poteſt, nec quicquam ei largitur, niſi ex ſola liberalitate; quæ quidem ipſo non indigna eſt, non tamen ex dignitate hominis, vel intrinſeco valore operis ejus proficiſcitur. Multo minus meritum *de congruo*, quod, præterquam quod primi hominis ſtatui non conveniebat, hypocryſin inſuper inducit, & Dei ſanctitati repugnat, qui non eſt προσωπολήπτης, qui externis quibuſdam rebus moveatur, & dona ſua admiretur in hominibus, ut propterea alios aliis anteponat.

CAPUT III.

De Sanctione Fœderis naturæ, per promiſſionem vitæ & comminationem mortis.

2. SANCTIO *hujus fœderis,*

I. Sequitur fœderis primi *ſanctio*, quæ cum *promiſſione* præmii & mercedis, tum pœnæ *comminatione* conſtabat.

II. Habebat jam Adamus cum creatione ſibi donatas benedictiones hujus vitæ, habebat præterea communionem cum Deo, ejuſque amicitiâ fruebatur : atque hactenus beatus erat, cum in poteſtate ipſius eſſet, in iſto ſtatu ſine ullo mortis metu perſeverare. Nondum tamen conſummatâ beatitudine gaudebat, cum necdum in bono conſummatus foret, ut nec ſeduci, nec peccare poſſet : neque enim plenâ obedientiâ ſeſe Deo probaverat, ut mercedem

Digitized by Google

cedem petere, & tanquam filium ac hæredem ſeſe gerere poſſet. Erat autem poſitus in via & conditione acquirendi jus vitæ æternæ; nondum tamen illud poſſidebat, nec poteſtatem rogandi, ac hæreditatem illam poſtulandi vel adeundi habebat.

Cum per PROMISSIONEM *vita.*

III. Hoc autem futurum erat obedientiæ ejus præmium, atque hæc promiſſio erat fœderi adjecta, conſummata nempe illa vita & beatitudo, non in terreni Paradiſi ſpatiis, ſed in cœlo agenda, quo poſt abſolutum obedientiæ curſum ex Paradiſo terreſtri homo animâ & corpore transferendus foret. Cumque *caro & ſanguis regnum Dei hæreditare non poſſint*, 1. Cor. 15:50. neque vita hæc, quæ ſanguinis ſpirituumque commeatu & carnis nutrimento conſtat, illa ſit in qua Deum videre poſſumus; corpus hominis non quidem interiturum, ſed certo tempore, ubi id Deo transferre placuiſſet, in ſpirituale commutandum fuiſſet, ut foret ἄφθαρτον, *incorruptibile*, h. e. nulli amplius moriendi periculo obnoxium, 1. Cor. 15:50. Qualis mutatio Eliæ & Enocho contigit, & viventibus noviſſimo die ſuperveniet. Illa hominis futura fuiſſet conſummatio; quæ licet iſto in ſtatu ipſi fuiſſet ſupernaturalis, cum animali ſolum gauderet vita, ut non niſi ex ſpeciali promiſſione illam ſperare potuiſſet; tamen naturæ ipſius integræ maximè conveniebat, eamque decebat; ut quæ non ſine deſiderio & aptitudine ad illam creata foret.

Quam ei vi hujus fœderis exſpectandam fuiſſe, ſuadet, 1. Dei bonitas.

IV. Talem autem vitam vi hujus fœderis expectandam fuiſſe, ſuadet 1. *Dei bonitas*, quæ rationali creaturæ, ad id conditæ & aptæ, interque omnes creaturas Dei capaci, ſeſe communicare & ſpirituali modo fruendam dare debet. Corporalia autem quædam bona à Deo poſſidere, non eſt illo frui ut Deo, h. e. ut æterno ac immutabili bono. Præſertim cum Deus *fœdus* cum homine faceret, h. e. de ſummis utiliſſimiſque rebus cum ipſo ageret, ipſumque in propiorem amicitiam ac communionem admitteret, ad minimum iſtis verbis tum ipſum affari debuit, quibuſcum cum Abrahamo fœdus iniit, *Ero Deus tuus*. Quod cum & primo homini ex fœdere dici debuerit, & procul dubio dictum ſit, hinc vita æterna in cœlis degenda iſto fœdere promiſſa intelligitur, juxta firmiſſimam demonſtrationem Chriſti, quæ legitur Matth. 22:32. *Ego ſum Deus Abrahami, & Deus Iſaaci, & Deus Jacobi; non eſt Deus, Deus mortuorum ſed viventium*: ac Apoſtoli, quæ exſtat in epiſt. ad Hebr. 11:6. *Credere oportet eum, qui accedit ad Deum, quod ſit, & quærentibus ipſum remunerator fiat.*

V. 2. *Hominis* ipſius *natura, & dignitas*, qui, cum præſtantiſſima ſui

parte

Digitized by Google

2 Hominis ipſius natura & dignitas.

parte ſpiritus ſit,& cœleſtibus bonis paſcatur, eaque ſolus intelligere ac capere poſſit, ac vehementiſſimo eorum tangatur deſiderio, non in terram hanc, velut in exilium, perpetuo damnandus erat, ubi rebus externis,quas videre,tangere,guſtare poterat,ſeſe oblectaret; ſed cum cognati cœli ſemina retineret,ac ad Deum omni affectu contenderet, cœlo quoque tandem redonandus erat. Deus enim non poterat quicquam facere,quo ullo modo oſtenderet, ſe non velle eſſe, adeoque nec eſſe, ſummum hominis bonum, nec caſtas ejus in Deo ſuo delicias reprobare ac damnare poterat.

3. Hiſtoria ſacra.

VI. 3. Ac ſatis clare id hiſtoria ſacra oſtendit; quæ vitæ iſtius ſymbolum in *Paradiſo* ac *arbore vitæ* extitiſſe tradit, Gen. 2:9. quo ſacramento ac pignore vitam cœleſtem, Adamo promiſſam, nobis autem per Chriſtum collatam, ſignificari apparet ex analogia locorum. 2. Cor. 12:2,4. *Novi hominem in Chriſto raptum uſque in tertium cœlum, in Paradiſum.* & Luc. 23:43. *hodie mecum eris in Paradiſo.* & Apoc. 2:7. *Vincenti dabo comedere de arbore vitæ,quæ eſt in medio Paradiſi Dei.* In quibus ſymbola ea pro re ſignificata ponuntur. Sic & in comminatione expreſſa mortis comminatio habetur: *Quocunque die comederis de ea, moriendo morieris.* Gen. 2:17. cui oppoſitam vitæ promiſſionem includi ex ratione fœderis, & ſimilium locorum collatione patet, vide Lev. 18:4,5. *Judicia mea facietis & ſtatuta mea obſervabitis, quæ qui facit homo vivet in eis.* Deut. 27:26. *Maledictus omnis qui non faciet ſtare verba legis hujus, ut faciat ea.* Rom. 10:5. *Moſes deſcribit juſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit ea, homo vivet in eis.* conf. Ezech. 20:11. Cum autem hic omnis generis mors intelligatur, etiam ex oppoſito omnis generis vita, h. e. æterna & beatiſſima, ab omni mortis metu libera, אל כות, *nequaquam mori*, vel *non poſſe nec debere mori*, Prov. 12:28. intelligenda eſt.

4. Promiſſio vitæ æternæ, legis impletioni addita.

VII. 4. Denique ex promiſſis vitæ æternæ, legis impletioni in S. Scripturis tam ſæpe additis,id prorſus conſtat. *Doctor bone,quid boni faciam ut habeam vitam æternam? ipſe verò dixit ei, ſi vis intrare in vitam, ſerva mandata.* Matth. 19:16,17. Qui *fecerit illa, vivet in eis.* Lev. 18:5. Ezech. 20:11. *ὁ ποιήσας ζήσεται qui fecerit, vivet.* Gal. 3:12. Unde & *præceptum ad vitam* dicitur eſſe. Rom. 7:10. Quod ante lapſum potiſſimum locum habuit, cum homo poſitus eſſet ſub iſta lege.

Huic veritati adverſantur Sociniani & Anabaptiſtæ.

VIII. Damnandus igitur *Socinianorum* & *Anabaptiſtarum* error, qui fœdus Dei cum primo homine, non ſpirituale, ſed de animalis ſolum ac terrenæ vitæ commodis fuiſſe ajunt. Quin & hominem, poſt illa aliquanto tempore percepta,tandem mori debuiſſe affirmant; procul dubio

bio in mœrore & luctu, ſicut illi *qui ſpem non habent*, 1. Theſſ. 4: 13. & *ἄθεοι* ac *ſine Deo* fœderato ac amico in mundo ſunt. Eph. 2: 12. Ita negant aperte nonnunquam, ſpem ullam vitæ æternæ primo homini propoſitam; quanquam alii ſubobſcuram ejus ſignificationem, & conjecturam non improbabilem aliquando concedant, ex arboris vitæ ænigmate hauriendam ac evolvendam. Qui error latius ſerpſit: nam & Patribus ante Chriſtum eandem vitæ immortalis promiſſionem & ſpem abrogatum iverunt. Cum tamen Deus cum hominibus non poſſit fœdus facere niſi de rebus ſummis & præſtantiſſimis, h. e. de bonis æternis & ſpiritualibus; cum ipſe ſit ſpiritus, atque eo modo coli, omniaque à ſe ſperari velit.

IX. Quod eam non aperte promiſſam, ſed ſub involucro oſtenſam, & in arbore vitæ adumbratam volunt, fruſtra eſt. Omnino enim *vita* ipſi promiſſa fuit, quam expectare debebat ut quid eximium. Adeoque erat hæc vera vita, nomine iſto digna, quæ non in terreſtri aliqua felicitate, qualis & brutis convenit, ſed in animæ potiſſimum pace & æternis gaudiis conſiſtit. Quis enim dubitet, propoſita Adamo iſta arbore, ſimul ejus ſignificationem, & vitæ apertam promiſſionem fuiſſe auditam? Quamvis enim Moſes obſcurius id tradat, ſicut pleraque iſtius fœderis, quæ tanquam fugientis imaginis umbram tenui tantum luce ſpargit, ad repræſentandum ejus *ἀφανισμὸν*; Adamo tamen explicatius illud revelatum fuiſſe dubitari non poteſt.

X. Altera ſanctionis fœderalis pars fuit *comminatio pœnæ*, quæ unico verbo *mortis* exprimitur, Gen. 2: 17. *Quo die de arbore illa comederis, morte morieris.* Ubi quidem comminatio illa præcepto poſitivo, de non guſtanda arbore, addita legitur, verum ita ut ad univerſam legem moralem extendenda ſit. Nam in eum finem datum homini erat hoc præceptum, ut obedientia ejus erga legem moralem exploraretur; utque conſtaret an Deum pro domino ac pro unico ac ſummo ſuo bono haberet, an vero magis rebus terrenis & vetitis afficeretur. Ut comminatio hæc ejuſdem generis ac latitudinis ſit ac illa. Deut. 27: 26. *Maledictus, qui non permanſerit in omnibus.*

tum per comminationem mortis:

XI. Cum vero latiſſimo ſenſu verba accipienda ſint, *mortis* nomine omnes mortis ſpecies, & quicquid triſti iſto nomine in Scripturis venit, intelligere oportet. Eſt enim peccatum omni morte dignum. Nec ulla cauſa eſt, cur verba Dei reſtringamus. Et ſicut vita, in oppoſita promiſſione, omnem vitam & beatitudinem, quam anima rationalis capere poteſt, ſignificabat; ſic ex adverſo per mortem con-

qua latiſſimo ſenſu accipienda eſt.

traria

Digitized by Google

traria ac infinita mala, omniſque generis miſeria, beatitudini iſti adverſa, intelligenda ſunt.

Nempe de morte corporis, XII. Denotatur ergo per eam 1. mors *corporis*, per *reditum ejus in pulverem.* Gen. 3: 19. Qua peccator omnibus *D*ei bonis, quibus in terrâ fruebatur, ſpoliatur; & longanimitate Dei conſumta ne ſpem quidem reliquam habet. Atque huc referendi multiplices hujus vitæ caſus & calamitates, quæ hominem, nobiliſſimam creaturam, præ reliquis omnibus miſere adeo exercent. Ita *ad mulierem dixit: multiplicabo dolorem & partitudinem tuam, in dolore paries liberos, & ad virum tuum erit occurſatio tua. Et Adamo dixit, quia auſcultaſti voci uxoris tuæ & comediſti de arbore --- maledicta eſt terra propter te, in dolore comedes illam omnibus diebus vitæ tuæ; & ſpinas & tribolos tibi proferet; & edes herbam agri.* Gen. 3: 16, 17, 18. *Homo ad ærumnam naſcitur; & filii prunæ ſublimè volant.* Job. 5: 7. 2. Mors *animæ*, ſive ſeparatio ejus à Deo, & regno, & vita ejus; abſque ullo cum Deo ſuo commercio, ut nec amoris, nec gratiæ, nec ſanctificationis ejus particeps eſſe poſſit. Unde ſequitur regnum peccati. Hinc peccatores dicuntur *mortui in lapſibus,* Eph. 2: 1. & *præputio carnis,* Col. 2: 13. *mortiſque primæ* ac *ſecundæ* ſpiritualis mentio fit Apoc. 20: 5, 6. 3. Denique mortis illius *conſummatio*, in animæ tranſlatione ad locum cruciatuum, (ut apparet exemplo illius *divitis*, qui ſtatim poſt mortem dicitur fuiſſe *apud inferos, in tormentis,* & *cruciari*, Luc. 16: 23, 24, 25.) & corporis tandem reſuſcitatione ad pœnas æternas. *Spem habeo in Deo, fore, quam etiam ii ipſi exſpectant, reſurrectionem mortuorum, tum juſtorum, tum injuſtorum.* Act. 24: 15. *Multi ex dormientibus terræ pulveris evigilabunt: hi in vitam æternam; & iſti in probra & in nauſeam ſeculi.* Dan. 12: 2.

& animæ,

& ejus conſummatione.

Adeoque mors corporis non eſt naturæ conſequens. XIII. Non enim, ut antea ex parte vidimus, *mors corporis* naturæ creatæ ac felicis illius ſtatus conſequens erat, ſed humano generi in peccati pœnam contigit. Inde mors dicitur *ὀψώνιον peccati*, Rom. 6: 23. & peccatum appellatur *ſtimulus mortis*, 1. Cor. 15: 56. omneſque homines non ſimpliciter mori, ſed *mori in Adamo* dicuntur, 1. Cor. 15: 22. per unum hominem morte in mundum introducta. Non alia nempe ratione, quam qua *per unum hominem peccatum in mundum venit, & per peccatum mors, & ita mors tranſiit ad omnes homines, in quo omnes peccarunt.* Rom. 5: 12. & v. 14. *Regnavit mors ab Adamo ad Moſen uſque, etiam in eos qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami: qui eſt typus futuri.* & v. 17. *Si enim unius lapſu mors regnavit per unum, multò magis, qui abundantiam gratiæ & donationis juſtitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum,*

Digitized by Google

num, Jeſum Chriſtum. Quod argumento eſt, mortem corporis ita peccato deberi, ut illa regnum ſuum obtinente ne peccatum quidem plenè expiatum dici poſſit. Et vero cum mors naturæ ſit deſtructio, quæ invita, & non niſi cum horrore, illam ſubit, non videtur Deus creaturam innocentem illi ſubjeciſſe, & nobiliſſimum animal tot miſeriis & terroribus divexandum reliquiſſe, ut iniquiori conditione foret quam reliquæ creaturæ. *An ullo pacto delector morte improbi? dicit Dominus*. Ezech. 18:23. Quo pacto vero hiſce omnis Pelagianizantium cohors, qui mortem naturalem faciunt, adverſetur, Cap. 1. §. XV. & ſeq. oſtenſum eſt.

Nec etiam vitæ hujus miſeriæ & calamitates.

XIV. Quod etiam de *vitæ hujus miſeriis & calamitatibus* ſtatuendum eſt; quales ſunt in anima, ignorantia, ſtupor, concupiſcentia, inſani affectuum motus, ſtultitia denique & fatuitas, quæ omnem hominis, non ſolum cum aliis hominibus, ſed & cum Deo ſuo communionem tollit: & in corpore multiplices defectus, morbi, externa etiam infortunia, & caſus: quæ naturæ integræ, nullo adhuc diſſidio à Deo diremtæ, profecto non debebantur. Unde Scriptura diſerte peccato illa aſſignat, Gen. 3: 16, 17, 18. Job. 5: 7. ut jam vidimus. Et quis credat, miſeriam delictum potuiſſe præcedere? & creaturam rationalem potuiſſe eſſe miſeram, dum Deo adhuc conjuncta foret? vel cuiquam tantam in Dei opus poteſtatem fuiſſe, ut illud tam miſere affligere, & corrumpere ac diſperdere potuiſſet?

Unde quoque fidelium afflictiones & mors à peccati corruptione proveniunt.

XV. Quod verò fideles, quanquam à Chriſto liberatos, tamen multivariis afflictionibus, & morti ipſi obnoxios videamus, ex univerſali humanæ naturæ corruptione eſt, quæ nunc in non aliam ſortem naſcitur, ac infelices iſtas peccati reliquias ſecum trahit. Non enim ipſis tam *perſonarum*, quam communis *naturæ* hæ pœnæ ſunt; non *formaliter*, prout ſunt in ipſis fidelibus, ſed *materialiter* ita dictæ, quatenus non niſi ex peccato provenire potuerunt.

Nec non immanes beſtiarum divexationes & laniena.

XVI. Quod de beſtiarum vexationibus addunt, quæ pœnales ſaltem dici non poſſint, ſed naturales; adeoque in creaturis abſque peccato locum potuiſſent reperire: Reſp. dolores ipſis, cum vero ſenſu careant, impropriè adſcribi: cumque hominibus in cibum cedunt, id eſſe partem dominii ejus, quod Deus homini ante lapſum conceſſit, Gen. 1: 26, 29, 30. & poſt lapſum renovavit, Gen. 9: 2. Reliquæ autem earum divexationes & lanienæ in ſtatu integro locum non habuiſſent, ſed à corruptione per peccatum in mundum introducta or-

Digitized by Google

tum ſumſerunt. vide Gen. 3: 17. *Maledicta eſt terra propter te, in dolore comedes illam omnibus diebus vitæ.* & Rom. 8: 20, 21. *Vanitati creatura ſubjecta eſt, non ſua ſponte, ſed propter eum, qui ſubjecit, ob ſpem, quod & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Altera mortis ſpecies mors ſpiritualis; XVII. Altera hujus mortis ſpecies erat *mors ſpiritualis*, qua homo à Deo, veræ vitæ fonte, ſeparatus, nihil ſancti nec præclari poſſidet, ſed mente animoque corruptus peccato tantum non immortuus eſt, atque regni Dei exſors, ſub illius imperium & tyrannidem conceſſit. Cumque duplicem reſpectum ſpiritualis illa mors habeat, & ut culpa eſt, & ut pœna; poſteriori ratione hic conſideratur, ut eſt malum triſte, quod nos decore noſtro orbatos etiam Dei communione indignos reddit, ac animam ſummo ſuo bono, quo unicè gaudet ac lætatur, deprivat. *Obtenebrati cogitatione, quia ſunt abalienati à vitâ Dei, propter ignorantiam, quæ in ipſis eſt, propter obdurationem cordis ipſorum.* Eph. 4: 18.

quam ſequetur mors æterna. XVIII. Quam tandem ſequetur *mors æterna*, in diriſſimis cruciatibus, cum animæ, tum corporis toleranda; quæ etiam triſti iſta ſententia *morte morieris* comprehenditur, & vitæ æternæ, obedientibus promiſſæ, opponitur. Quo pacto Apoſtolus Rom. 6: 23. ὀψώνιον *peccati vocat mortem*, æternam vid. ex lege oppoſitorum, nam mox additur, *χάρισμα autem Dei eſt vita æterna per Jeſum Chriſtum.* Sicut idem c. 5. peccato illi tribuit κατάκριμα, cui opponitur τὸ δώρημα & χάρισμα Chriſti εἰς δικαίωμα, v. 16. εἰς δικαίωσιν ζωῆς, v. 18. qui nos ab omni κατακρίματι abſolvit: adeo ut *nunc nulla* ſit *condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*, Rom. 8: 1. ut pateat condemnationem æternam intelligi. Et revera verba illa, *morte morieris*, adeo generalia & gravia erant, ut Adamus illis auditis non aliud quam omnia adverſa, quæ ab irato Deo proficiſci poterant, expectare potuerit.

Quod negant Sociniani; XIX. Quod contra *Socinianos* tenendum eſt: qui ſicut ex creatione nihil in homine immortalis vitæ agnoſcunt; ita neque ipſi æternas pœnas in morte timendas ſtatuunt. Et per æternam mortem, quam à peccato volunt eſſe, non aliud intelligunt quam totalem hominis interitum, & æternam permanſionem in illo ſtatu, ſine ullis cruciatibus: qui nihil aliud eſt quam infernus non exiſtentiæ: ſicut rurſus liberatio ab illa morte per gratiam Dei, & reſurrectio, ipſis eſt nova creatio, & reproductio exiſtentium ex non exiſtentibus. Quo pacto, ut antea notavimus, omnem peccati pœnam tollunt: cum hæc morti corporali nihil addant, eamque nullo cruciatu augeant; quæ tamen ipſis naturæ debitum eſt.

XX.

Digitized by Google

XX. Nec abludunt *Remonſtrantes*, qui ſicut Adamum, ſi innocens permanſiſſet, non moriturum veroſimillimum putant, ita mortem, quæ peccati pœna ſit, moriendi neceſſitatem interpretantur, quod Adamum & Evam attinet: nam in poſteris eam non pœnam, ſed naturæ, quam nunc naſcendo ab eo accipimus, ſequelam eſſe ſtatuunt. Ac mortem illam *tum in ſeparatione animæ à corpore, & corporis in pulverem redactione, quæ pœna ſenſus eſt; tum in anima à beata & glorioſa Dei viſione ſeparatione, quæ pœna damni dici ſolet*, collocant. *Non enim uſpiam in Scripturâ legi, Deum Adamo æterni ſenſus pœnam comminatam fuiſſe.* Quos errores augent, dum Adami *mortem ſuâ naturâ talem* ſtatuunt, *ex qua nunquam excitari potuiſſet*; talem enim *reſurrectionem ad pœnas infernales non peccati Adami, ſed actualium peccatorum inconverſorum hominum pœnam eſſe.* quæ *Epiſcopii* ſunt verba, *in reſp. ad* LXIV. *quæſt.* p. 64 65. & *ad Heid* p. 108. 110. Sub qua aſſertione arcanum illud latet, ne nunc quidem futuram omnium mortuorum reſurrectionem. Hypotheſis enim illorum reſuſcitationem impiorum, qui ſine notitia clararum promiſſionum Euangelii mortui ſunt, ſicut & infantium, non admittit: nam apertè, *in Euangelio ſolum pœnam infernalis doloris, oppoſitam promiſſioni cæleſtis gaudii, expreſſa comminatione proponi*, affirmant. Ibid. p. 333. *Quibus accedunt Remonſtrantes.*

XXI. Quæ effata, 1. apertis Scripturæ locis contranituntur, quæ *mortem, maledictionem, iram Dei, iram venturam*, & incumbentem iis, qui ſub execratione legis, extra Chriſtum Servatorem, degunt, & acerba omnia juſtitiæ legalis (quæ ſub fœdere naturæ & lege Moſis eadem fuit) tranſgreſſoribus ingeminant. Vide ſaltem Gal. 3: 13. *Chriſtus nos emit, ut liberi eſſemus ab exſecratione legis, dum pro nobis exſecratio factus eſt. Scriptum eſt enim: maledictus omnis qui pendet in ligno.* Deut. 21: 23. *Exſecratio Dei ſuſpenſus.* Item, *qui inobediens eſt Filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.* Joh. 3: 36. *Eramus filii naturâ iræ, ut & reliqui.* Eph 2:3. *Quem* Filium ſuum *ſuſcitavit ex mortuis*, nempe *Jeſum*, nos *eruentem ab ira illa ventura.* 1 Theſſ. 1: 10.2. Et vix quicquam quod pœna peccati ſit relinquunt, cum mortem corporalem, quicquid tergiverſentur, à naturâ non alienam putent, cum expreſſe dicant, *eam non potuiſſe dici pœnam peccati, ſi Adam innocens in primo ſtatu mortuus fuiſſet*, *Epiſc.* ad LXIV. quæſt. p. 64. 65. quanquam veriſimilius putet, eum non moriturum fuiſſe: ſicut in ejus poſteris eam non pœnam, ſed naturæ, ut nunc ab eo propagata eſt, conditionem dicunt: ut nihil aliud ipſis ſuperſit, quam *pœna* illa *damni*, non ſenſus, quam in ani- *Qui refelluntur.*

Digitized by Google

mâ poſt mortem collocant; quæ poſita animæ immortalitate & poſt mortem ſenſu conceptu impoſſibilis eſt. Unde Socinus potius omnem animæ ſenſum ac vitam poſt mortem negavit; quod hypotheſi iſti congruentius eſt. 3. variorum denique pernicioſorum errorum, quin Epicureiſmi ac Sadducæiſmi ſunt latebræ.

Omnem hanc mortem comminatus eſt Deus propter juſtitiam ac ſanctitatem ſuam:

XXII. Atque multiplicem hanc mortem comminatus eſt Deus ex ſanctitate ac juſtitia ſua, quæ in eo nihil eſt aliud quam conſtans, & perpetua voluntas peccatum puniendi; quam non poteſt abnegare, nec ſeſe peccatori, ac ſi opere ejus delectaretur, fruendum dare, ut bono ſuo. Tum enim ei *ſimilis* foret, Pſal. 50: 21. Quod nec eſſe, nec videri poteſt. Unde mors hæc Dei *δικαίωμα, poſtulatum juſtitiæ* ejus dicitur; *Qui, Dei jure cognito, quod, qui talia faciunt, digni morte ſint; non ſolum ea faciunt, ſed & gratos habent eos, qui faciunt.* Rom. 1: 32.

quæ proinde & æterna eſſe debet,

XXIII. Unde ſequitur, etiam mortem hanc *æternam* eſſe debere, cum peccator à Dei amicitia & communione ſeparatus in eam nunquam reſtitui poſſit. Hoc enim ultra peccatoris vires eſt. Neque Deus unquam peccatori non reſipiſcenti uniri, eique bonum ac lætum ſeſe præbere poteſt. Adeoque hæc ſeparatio cum æterna ſit, æternumque ſi peccatorem ſpectes, duratura ſit, in æternum ille divinis beneficiis ac gratia privari, & perpetuo iræ ejus ſenſu torqueri debet. alias rationes mittimus.

An Deus innocentem poſſit affligere, & ſubjicere æternis cruciatibus?

XXIV. Ad quæſtionem à Scholaſticis motam, *an Deus creaturam inſontem affligere, vel æternis cruciatibus ſubjicere potuerit?* Reſp. temere id nimis ab illis affirmari ex abſoluto Dei dominio. Aliud autem eſt, quærere de afflictione qualicunque, de quo non contendimus; aliud de graviſſima & æterna. Nec videndum ſolum, quid Deus poſſit per potentiam, ſed potiſſimum velit ſecundum perfectionem, juſtitiam, & bonitatem ſuam: cui repugnare putamus, creaturam inſontem, Deum amantem, & glorificantem, ac quærentem tanquam bonum ſuum, in æternum negligere, ac ad duriſſimos cruciatus abjicere. Ut hoc Scholaſticorum effatum omnis religionis fundamentum tollat, cujus principium eſt, quod *Deus quærentibus ſeſe μισθαποδότης γίνεται remunerator ſit*, Hebr. 11: 6. quodque *fruſtra non poſſit quæri.* Eſai. 45: 19. Ex quibus fundamentis pariter concludi poteſt, quid de annihilatione creaturæ rationalis ſtatuendum ſit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Sacramento fœderis naturæ, Paradiſo & Arbore vitæ.

I. SIcut in omni fœdere externa quædam ſymbola & ſigna locum habent, quæ fœderatos de officio admoneant, ipſiſque promiſſa fœderis ante oculos ponant; ita quoque in primo fœdere Deo cum hominibus agere placuit, & viſibili quodam ſigno eorum fidem ac ſpem firmare, ac bona fœderis obedientibus jam ante oſtentare, iſtoque præmio eos excitare voluit. Iſtud ſacramentum æternæ felicitatis fuit *Paradiſus*, & in medio ejus *Arbor vitæ*. *Fœderis primi ſymbolum*

II. Paradiſi vox Perſicæ, ut multis videtur, originis, ſaltem apud eos, ut ex Herodoto & Xenophonte conſtat, non ignota, proprie amœna ac delicata nemora & ſilvas ſignificat. vide Neh. 2: 8. ubi *Aſaph* dicitur שֹׁמֵר הַפַּרְדֵּס *cuſtos Paradiſi Regis*: ac κατ᾽ ἐξοχὴν, ex LXX. Interpretibus, Edenis horto adhæſit; qui Moſi ſimpliciter גן *hortus* dicitur, h.e. ex vocis etymo locus ſeptus & concluſus גַּן נָעוּל *Hortus oppeſſulatus eſt ſoror mea ſponſa*. Cant. 4: 12. Legitur illa etiam Cant. 4: 13. *Propagines tuæ Paradiſus malorum Punicarum*. & Eccl. 2:5. ubi cum גנות *hortis* conjungitur. Feci mihi גַּנּוֹת וּפַרְדֵּסִים *hortos & Paradiſos & ſevi in illis arbores omnis fructus*. PARADISUS;

III. Gen. 2: 8. à *Deo* dicitur *plantatus*, h. e. tanquam amœniſſimus terræ angulus præ aliis locis arboribus conſitus, excultus, atque omnibus naturæ deliciis inſtructus, die vid. creationis tertio: *in Eden*, quod regionis nomen eſt, in Meſopotamia. vide 2 Reg. 19: 12. Eſai. 37:12. *ubi memorantur* בְנֵי־עֶדֶן *filii Eden ab ortu*. & Ezech. 27:23. conjunguntur *Charan, & Canneh & Eden: ab ortu*, ſive loci illius reſpectu, in quo Moſes erat, dum hæc ſcriberet; ſicut Scriptura Arabiam, Syriam, Meſopotamiam in Oriente crebro collocare ſolet, V.G. *Jacob ſublatis oculis ſuis* perrexit *in regionem Orientalem*, h. e. Meſopotamiam, quæ eſt Cananææ Orientalis. Gen. 29: 1. *è Syria juſſit me adduci Balakrex Moabitarum, è montibus orientalibus*. Num. 23:7. conf. Deut. 23:4. ubi narratur, Balakum *mercede conduxiſſe Bileamum filium Behoris è Pethore Meſopotamiæ*; ſive reſpectu ipſius regionis Eden, ut à parte ejus orientali Paradiſus fuerit. *plantatus à Deo, in Eden;*

IV. Un-

Digitized by Google

Paradiſi ſitus. IV. Unde *de ſitu* Paradiſi ex parte conſtare poteſt: de quo variè quæſitum fuit. Ut enim *Philonem, Origenem*, alioſque ex veteribus prætercam, qui veritatem hiſtoriæ allegoriis ſuis corruperunt; & Paradiſum ipſum cœlum eſſe dixerunt: *quidam* pro toto terrarum orbe, qualis in primæva ſua pulchritudine erat, hunc hortum acceperunt, quæ ſententia etiam Joſepho, ſed non ex vero, adſcribitur: *alii* in remotis & inacceſſis terris, ultra orbem hunc noſtrum, atque ultra Oceanum, terras omnes amplexu ſuo ſtringentem, patentibus, illum collocant: *alii* in cœli ſpatiis, ſub lunæ orbem; vel etiam in tertia aëris regione, ubi perpetuum ſerenum eſt: *quidam* denique in orbe nobis cognito, ſub circulo æquinoctiali, vel in novo orbe, vel in inſulis fortunatis, ponunt.

V. Rectius autem, & propius ad hiſtoriam, ſentire illi videntur, qui Meſopotamiæ prope Babylonem illum vindicant. Illa enim amœniſſima terrarum plaga erat Paradiſi ſedes, & primorum mortalium habitatione digniſſima. Ibique Edenis regio, à voluptate & amœnitate appellata, occurrit: 2 Reg. 19: 12. Ezech. 27: 23. ubi Haran, ſive Carræ, quas in Meſopotamia fuiſſe conſtat, & Eden conjunguntur tanquam regiones vicinæ. Atque in iſto tractu memorati à Moſe fluvii occurrunt, quos alibi fruſtra quæras. Denique & ad orientem in S. Scriptura perpetuo collocatur. Ut ex his indiciis facile beatum iſtum hortum deprehendere liceat.

Fluvii Paradiſi. VI. *Fluvii*, qui Paradiſi ſedem potiſſimum ſignant, à Moſe narrantur quatuor, *Piſon, Gihon, Hiddekel, Phrat. Fluvius procedebat ex Eden*, Gen. 2: 10. qui non alius eſt quam Tigris & Euphrates, qui longas terrarum oras emenſi, in Meſopotamia feſſas tandem aquas miſcent, unoque flumine decurrunt, unius ad inſtar fluvii; qui eſt fluvius qui ex Edene regione allabens Paradiſi ſpatia etiam alluiſſe, eaque vel brachiis & ambitu ſuo amplexus, vel deductis inde alveis ac rivis *irrigaſſe* dicitur: unde rurſus *dividebatur in quatuor capita*; ſive in ipſo Paradiſi ingreſſu, ad illum commodius perluendum; ſive mox è finibus ejus egreſſus: nam Paradiſo per diluvium corrupto particularis hujus rei ratio non patet. Conſtat autem iſtos fluvios, poſtquam diu ſocias aquas traxerunt, antequam in ſinum Perſicum ſe exonerent, rurſus facto aquarum divortio dividi, & in propria nomina Tigridis ac Euphratis redire; & præter duo illa ingentia brachia, etiam alios alveos facere, qui hic à Moſe nominantur. *Piſon* ergo, ſive פישון h.e. πλημμύρα, *æſtuarium*, & *Gihon*, ſive גיחון h.e. *emiſſarius*, ſive derivatus ex alveo latex & rivus

rivus (quo nomine & factus à piſcina Hieroſolymitana rivulus appellatur; *Deducite eum*, Salomonem, *ad Gihonem*. 1 Reg. 1:33. *Abi, lavate in natatoria Siloam. quod exponitur*, ἀπεσταλμένος *Miſſus*. Joh. 9:7.) ſunt duo fluenta, ex Euphrate vel Tigri deducta, quorum alterum terram *Hevilath*, quæ pars Arabiæ eſt, alterum *Æthiopiam* peragrat; ad orientem alterum, alterum ad occidentem ſpectans; prius *Piſotigris*, poſterius *Naharſares* à ſcriptoribus appellatur. Tertii fluvii nomen eſt *Hiddekel*, quem Tigrim eſſe magnus omnium conſenſus eſt. vide Dan. 10:4. *Et die vigeſimo quarto menſis primi eram juxta fluvium illum magnum Hiddekel*, ſeu Tigrim. Quartus autem proprio nomine venit הוא פרת.

VII. In Paradiſo homo non creatus, ſed ut magis ſeſe inquilinum ac advenam noſſet, poſtquam creatus erat, à Deo collocatus eſt, *ad eum colendum & cuſtodiendum*, Gen. 2:15. ut honeſto iſto labore & corpus & animum paſceret. Eratque hæc mundi inferioris veluti regia, omnibus naturæ copiis ac deliciis inſtructa, quæ hominem creaturarum principem exciperet, tanquam ſedes digniſſima ac amœniſſima.

In hoc Paradiſo homo collocatus eſt à Deo.

VIII. Quin & auguſtius quid ſignificabat. Non enim homo mundi colonus exiſtere perpetuo debebat, ſed è mundo in Paradiſum translatus, ubi Dei familiaritate fruebatur, hinc gradu veluti facto majora ſperare jubebatur. Cum enim hic *hortus Dei* foret, Gen. 13:10. nulla hominum, ſed ſolius Dei manu plantatus, & divinis apparitionibus ac quotidiano ejus alloquio illuſtris, primique fœderis ac pacti conſcius, in beatioris ſtatus auſpicium homini conceſſus erat, ipſique viſibile ac palpabile cœli pignus erat. Quem dum incoleret homo, & hunc amoris Dei arrhabonem quotidie intueretur ac tractaret, non poterat non tacitâ voluptate longe majora cœli gaudia, quæ obedientem ac in amicitia Dei perſeverantem manebant, prægustrare. Jer. 3:19. *Quomodo te ponam in filiis!*

Ejus auguſtior ſignificatio,

IX. Apparet hoc ex Scripturæ uſu, quæ ſedes beatorum *Paradiſum* appellat; *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Luc. 23:43. Paulus *raptus fuit uſque in tertium cælum*, 2 Cor. 12:2. *in Paradiſum*, v. 4. & *Paradiſum Dei. Vincenti dabo de ligno vitæ, quod eſt in medio Paradiſi ſive horti Dei.* Apoc. 2:7. Phraſi à Judæorum conſuetudine deſumta, quibus ſollemne fuit cœlum *Paradiſum*, *hortum Eden*, & *ſinum Abrahæ* vocitare: ut hæc priſcæ Eccleſiæ fides fuerit, cœleſtis beatitudinis ſimulachrum & typum iſtis in rebus fuiſſe; quod Spiritus S. quoque imitatur. Sicut & Johannes in ſanctâ Apocal. felicem ac beatum Eccleſiæ ſtatum adumbrans,

ex uſu Scripturæ adſtructa.

brans, non ſolum novam Hieroſolymam, ſed & Paradiſum, ejuſque fluvios & arbores nobis exhibet, cap. 21, 22. duplici imagine eandem rem figurans ac pingens, ac parem utriuſque rationem eſſe ſignificans.

& AR-BOR VI-TÆ.

X. Atque huc præſertim faciebat myſtica illa arbor in medio Paradiſo, *Arbor vitæ* appellata, Gen. 2 : 9. Quæ prima & antiquiſſima Filii Dei, & vitæ per ipſum poſſidendæ imago fuit.

Quæ non fuit individua in ſua ſpecie,

XI. Ex communi præjudicio eſt, quod unicam ac individuam in ſua ſpecie eam exiſtimant: à quo nos liberat Johannes Apoc. 22:2. qui eam in cœleſti Hieruſalem ab utraque fluminis parte collocat; *In medio plateæ ejus & fluvii hinc & inde lignum vitæ faciens fructus duodecim.* ut & Ezech. 47: 12. cujus verbis fere uſus eſt Johannes. Quo etiam facit benedictio divina, Gen. 1 : 11, 12. qua cunctis arboribus virtutem ſeſe multiplicandi attribuit. Qualis autem hæc arbor fuerit, cum S. Scriptura ſilentio involvat, ſicut multa alia ad primum fœdus ſpectantia, quod & ipſum ceſſare debebat, quærere nefas eſt.

nec vivifica virtute phyſica.

XII. Dicebatur *arbor vitæ*, h.e. vivifica. Non quaſi ſemel deguſtata immortalitatem attuliſſet, virtute aliqua phyſica, fere inſtar Nepenthis, vel Ambroſiæ, qua Dii poëtarum in cœlis veſcuntur; vel ſaltem vitam hominis ad longiſſimum terminum prorogare potuiſſet: quæ poſt Magiſtrum ſententiarum multorum inter Pontificios, ac Lutheranos, ut & Socini ac Epiſcopii ſententia fuit. Non enim huic arbori magis quam aliis arboribus vis alendi ac vitam hominis conſervandi tribuenda eſt; quæ tamen hac appellatione non veniunt. Et ſi, non alimenti, ſed medicamenti cauſa, eam præ reliquis ita vocatam dicant, fruſtra tamen erunt, cum Adam in iſto ſtatu morbis obnoxius non fuerit. Et unde docebunt promiſcuè ejus arboris uſum homini patuiſſe? cum *vincenti* ſolum *datum ſit edere de arbore vitæ*, Apoc. 2 : 7. Unde nec Adamum ante lapſum eam attigiſſe conſtat, imo contrarium potius patet. Quid quod ligno iſti ac arbori hoc pacto immortalitatem & æternum virorem largiuntur, quam homini niſi ejus fructu guſtato attribuere non audent. Verum, ut rem hanc rite capiamus, vita quam hæc arbor promittebat, non corporis ſolius proprie erat vel longævitas, vel immortalitas, ſed æterna beatitudo & felicitas in cœlis tandem peragenda, quæ vitæ æternæ nomine in Scripturis venit; quamque nulli cibi largiri poſſunt; ſed cum quo cibi & potus uſus potius pugnat; unde Deus tum & *ventrem* & *cibum*, juxta Apoſtolum, abolebit, atque homo non in corpore hoc animali, ſed πνευματικῷ Deum vide-

Sed dicta eſt arbor vitæ ſpiritualiter, ut ſignum

bit.

bit. Cujus beatæ vitæ hæc arbor ſacramentum & pignus erat. Atque iſta appellationis ejus ratio eſt. Sicut benè Auguſtinus, *catera ligna alimento fuiſſe, hoc etiam ſacramento*: cujus generis etiam eſt panis Euchariſticus in S. Cœnâ; non quod alimento cæteris cibis præſtet, ſed quod ſit myſticus panis, panis verè vivifici ſignum & ſymbolum.

XIII. Vita autem, ut jam diximus, quam hæc arbor obſignabat, *aterna vita.* non temporalis, ſed æterna & cœleſtis erat, ut expreſſe legitur Gen. 3:22. *Et nunc ne extendat manum ſuam & accipiat etiam de arbore vita, & comedat & vivat* לעולם *in ſæculum.* Unde Sapiens Prov. 13:12. de ſalutari ac viva ſpe agens, ejus mercedem ac finem cum *Arbore vita* comparat: *Spes protracta infirmitas cordis, & arbor vita appetitus qui venit*: clare docens, iſto ſigno ſpem vitæ æternæ monſtratam fuiſſe. Et Apoc. 22. ſtatus Eccleſiæ cœleſtis eodem emblemate depingitur. Quæ rurſus contra Socinianos tenenda ſunt, *(negantibus id Socinianis)* qui nullam vitæ immortalis ſpem primo homini faciunt; illudque לעולם more ſuo minutè & leviter explicant *de vitâ*, non æternâ, ſed *longa, deque integro vita tempore, quod homo* in terris *vivere potuiſſet*. Quo pacto arbori vitæ non plus tribuunt quam reliquis arboribus, quæ etiam vitam hominis ad terminum ſuum produxiſſent. *Vivere* autem *in ſæculum*, Scripturæ phraſi, non poſſibilem aliquem terminum dicit, ſed omnem vitæ terminum negat; atque iſto etiam loco *τῷ redire in pulverem* opponitur.

XIV. Speciatim autem arbor iſta *Filii Dei* imaginem gerebat, qui *& Filii Dei, qui omnis vita fons eſt.* eſt *arbor* illa *vita in medio Paradiſi Dei*, Apoc. 2:7. & *lignum vita*, h. e. cauſa vitæ æternæ, *ipſum apprehendentibus*, Prov. 3:18. Quæ non levi aliqua alluſione dicuntur, ſed Chriſtum illum eſſe oſtendunt, in quo, ut omnes promiſſiones, ita & prima illa Adamo facta, ſuum implementum habent. Nam ille propriè eſt *Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους Germen* illud, non è terra, ſed *ex alto*, Luc. 1:78. inque *eo vita eſt*, atque ipſe omnis *vita* & *fons* & verè cauſa eſt: *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*. Joh. 1:4. *Ego ſum via & veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me* c. 14:6. *Quemadmodum Pater excitat mortuos & vivificat, ita etiam Filius, quos vult vivificat*. c. 5:21. *Quemadmodum Pater habet vitam in ſe, ita dedit & filio vitam habere in ſe*. Ibid. v. 26. Unde antiquiſſimo arboris vitæ typo ab ipſa mundi origine monſtratus eſt.

XV. Ita enim conveniebat Deo filium ſuum, quem diligit, & cujus gloriam quærit, jam ab initio hominibus oſtendere, & ut vitæ auctorem ac principem mundo exhibere. Ut homo eam nec in ſeſe, nec in

Digitized by Google

brans, non ſolum novam Hieroſolymam, ſed & Paradiſum, ejuſque fluvios & arbores nobis exhibet, cap. 21, 22. duplici imagine eandem rem figurans ac pingens, ac parem utriuſque rationem eſſe ſignificans.

& ARBOR VITÆ.

X. Atque huc præſertim faciebat myſtica illa arbor in medio Paradiſo, *Arbor vitæ* appellata, Gen. 2 : 9. Quæ prima & antiquiſſima Filii Dei, & vitæ per ipſum poſſidendæ imago fuit.

Quæ non fuit individua in ſua ſpecie,

XI. Ex communi præjudicio eſt, quod unicam ac individuam in ſua ſpecie eam exiſtimant: à quo nos liberat Johannes Apoc. 22:2. qui eam in cœleſti Hieruſalem ab utraque fluminis parte collocat; *In medio plateæ ejus & fluvii hinc & inde lignum vitæ faciens fructus duodecim.* ut & Ezech. 47: 12. cujus verbis fere uſus eſt Johannes. Quo etiam facit benedictio divina, Gen. 1 : 11, 12. qua cunctis arboribus virtutem ſeſe multiplicandi attribuit. Qualis autem hæc arbor fuerit, cum S. Scriptura ſilentio involvat, ſicut multa alia ad primum fœdus ſpectantia, quod & ipſum ceſſare debebat, quærere nefas eſt.

nec vivifica virtute phyſica.

XII. Dicebatur *arbor vitæ*, h.e. vivifica. Non quaſi ſemel deguſtata immortalitatem attuliſſet, virtute aliqua phyſica, fere inſtar Nepenthis, vel Ambroſiæ, qua Dii poëtarum in cœlis veſcuntur; vel ſaltem vitam hominis ad longiſſimum terminum prorogare potuiſſet: quæ poſt Magiſtrum ſententiarum multorum inter Pontificios, ac Lutheranos, ut & Socini ac Epiſcopii ſententia fuit. Non enim huic arbori magis quam aliis arboribus vis alendi ac vitam hominis conſervandi tribuenda eſt; quæ tamen hac appellatione non veniunt. Et ſi, non alimenti, ſed medicamenti cauſa, eam præ reliquis ita vocatam dicant, fruſtra tamen erunt, cum Adam in iſto ſtatu morbis obnoxius non fuerit. Et unde docebunt promiſcuè ejus arboris uſum homini patuiſſe? cum *vincenti* ſolum *datum ſit edere de arbore vitæ*, Apoc. 2 : 7. Unde nec Adamum ante lapſum eam attigiſſe conſtat, imo contrarium potius patet. Quid quod ligno iſti ac arbori hoc pacto immortalitatem & æternum virorem largiuntur, quam homini niſi ejus fructu guſtato attribuere non audent. Verum, ut rem hanc rite capiamus, vita quam hæc arbor promittebat, non corporis ſolius proprie erat vel longævitas, vel immortalitas, ſed æterna beatitudo & felicitas in cœlis tandem peragenda, quæ vitæ æternæ nomine in Scripturis venit; quamque nulli cibi largiri poſſunt; ſed cum quo cibi & potus uſus potius pugnat; unde Deus tum & *ventrem* & *cibum*, juxta Apoſtolum, abolebit, atque homo non in corpore hoc animali, ſed πνευματικῶ Deum videbit.

Sed dicta eſt arbor vitæ ſpiritualiter, ut ſignum

bit. Cujus beatæ vitæ hæc arbor ſacramentum & pignus erat. Atque iſta appellationis ejus ratio eſt. Sicut benè Auguſtinus, *cætera ligna alimento fuiſſe, hoc etiam ſacramento:* cujus generis etiam eſt panis Euchariſticus in S. Cœnâ; non quod alimento cæteris cibis præſtet, ſed quod ſit myſticus panis, panis verè vivifici ſignum & ſymbolum.

XIII. Vita autem, ut jam diximus, quam hæc arbor obſignabat, non temporalis, ſed æterna & cœleſtis erat, ut expreſſe legitur Gen. 3:22. *Et nunc ne extendat manum ſuam & accipiat etiam de arbore vitæ, & comedat & vivat* לעולם *in ſæculum.* Unde Sapiens Prov. 13:12. de ſalutari ac viva ſpe agens, ejus mercedem ac finem cum *Arbore vitæ* comparat: *Spes protracta infirmitas cordis, & arbor vitæ appetitus qui venit:* clare docens, iſto ſigno ſpem vitæ æternæ monſtratam fuiſſe. Et Apoc. 22. ſtatus Eccleſiæ cœleſtis eodem emblemate depingitur. Quæ rurſus contra Socinianos tenenda ſunt, qui nullam vitæ immortalis ſpem primo homini faciunt; illudque לעולם more ſuo minutè & leviter explicant *de vitâ*, non æternâ, ſed *longa, deque integro vitæ tempore, quod homo* in terris *vivere potuiſſet.* Quo pacto arbori vitæ non plus tribuunt quam reliquis arboribus, quæ etiam vitam hominis ad terminum ſuum produxiſſent. *Vivere* autem *in ſæculum*, Scripturæ phraſi, non poſſibilem aliquem terminum dicit, ſed omnem vitæ terminum negat; atque iſto etiam loco *τῷ redire in pulverem* opponitur. *æterna vita.* *(negantibus id Socinianis)*

XIV. Speciatim autem arbor iſta *Filii Dei* imaginem gerebat, qui eſt *arbor* illa *vitæ in medio Paradiſi Dei*, Apoc. 2:7. & *lignum vitæ*, h. e. cauſa vitæ æternæ, *ipſum apprehendentibus*, Prov. 3:18. Quæ non levi aliqua alluſione dicuntur, ſed Chriſtum illum eſſe oſtendunt, in quo, ut omnes promiſſiones, ita & prima illa Adamo facta, ſuum implementum habent. Nam ille propriè eſt Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους *Germen* illud, non è terra, ſed *ex alto*, Luc. 1:78. inque *eo vita eſt*, atque ipſe omnis *vitæ* & *fons* & verè cauſa eſt: *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Joh. 1:4. *Ego ſum via & veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me* c. 14:6. *Quemadmodum Pater excitat mortuos & vivificat, ita etiam Filius, quos vult vivificat.* c. 5:21. *Quemadmodum Pater habet vitam in ſe, ita dedit & filio vitam habere in ſe.* Ibid. v. 26. Unde antiquiſſimo arboris vitæ typo ab ipſa mundi origine monſtratus eſt. *& Filii Dei, qui omnis vitæ fons eſt.*

XV. Ita enim conveniebat Deo filium ſuum, quem diligit, & cujus gloriam quærit, jam ab initio hominibus oſtendere, & ut vitæ auctorem ac principem mundo exhibere. Ut homo eam nec in ſeſe, nec in

Digitized by Google

mo, capto experimento, quid bonum malumve eſſet uſu ipſo intelligeret, & tanto felicitatis faſtigio excuſſus, jam tandem in quanto miſeriæ abyſſo verſaretur agnoſceret.

IV. Præceptum de non guſtanda eâ arbore merè erat poſitivum & *δεσποτικὸν*, legi naturali ſupperadditum, ut homo obedientiæ probandæ occaſionem haberet. Homo enim etſi juſtus & rectus, tamen cœleſtis præmii coronam accipere non poterat, antequam rite decertaſſet, inque eo certamine victor, in obedientia ac amore Dei perſtitiſſet. Unde explorari ac probari eum decebat. Quoque illuſtrior foret obedientiæ virtus, non ſolum internum amorem ſuum, ſed & externam obedientiam in re aliqua media ac indifferenti, quæque ſolum ex placito bona vel mala erat, teſtari jubebatur. Ut ita conſtaret, an omnia Deo & amori ejus poſthaberet, ejuſque mandatorum ſatis reverens foret, ut injuſſu ejus ne quidem minimæ arbuſculæ fructum contrectare præſumeret. *Natura præcepti de non guſtandâ ea arbore.*

V. Continebat autem hoc præceptum totam legem naturalem, univerſæque hominis obedientiæ ſymbolum ac teſſera erat. Ita ut unicus hic actus omnia ſecum tracturus, integrumque hominis obſequium vel probaturus vel deſtructurus foret. Illo enim præſtito, illibatum in Deum amorem, nulla terreſtri cupiditate fœdatum ac degenerem, oſtendiſſet, ſeque ipſum Deo per omnia minorem ac ſubjectum teſtatus eſſet. Sicut, eo violato, ſeſe Dei imperium detrectare, cumque eo potius, ut mundi inferioris dominum, ex pari velle vivere, nec alterius in ſemet arbitria æquo animo pati profeſſus eſt. Quæ immanis à Deo apoſtaſia eſt.

VI. Ac ſicut *δόγματα*, ſive poſitivæ Dei leges, præter generalem poteſtatis dominicæ ſignificationem, ſapientibus quoque rationibus innituntur, ita in hoc præcepto eas animadvertere etiam licet. *ratio præcepti.* 1. Dum enim, expoſitis homini univerſi mundi bonis, uni tantum arbuſculæ jejunare jubebatur, monſtrabatur, non hominem, ſed Deum mundi dominum eſſe, cujus injuſſu nullam rem attrectare fas eſſet; eique non res ſolum creatas reliquas, ſed & ipſum hominem, omneſque ejus motus & actus ſubjectos eſſe debere: hominem autem, Paradiſi colonum, horti iſtius cuſtodem tantum eſſe, qui de villicatione ſua reſpondere olim teneretur. 2. Dumque amœniſſimæ arboris fructu prohiberetur, beatitudinem ſuam in rerum terrenarum fruitione non conſiſtere admonebatur: tum enim Deus earum rerum uſu ipſum arcere non potuiſſet. Hoc enim invidi fuiſſet. 3. Denique res mundi ut-

Digitized by Google

cunque blandientes faſtidire, ac formoſis poſſe carere, Deumque ſolum, amoremque ejus, poſthabitis rebus omnibus, ut ſummum ſuum bonum quærere, inque eo unicè deliciari, eique non interno ſolum affectu, ſed & externo affectu placere, iſto exemplo docebatur. Ut præceptum hoc, quanquam de externo actu, virtute tamen ſuâ ſpirituale foret, & Deo legiſlatore dignum.

Sanctio hujus præcepti per comminationem pœnæ. profluentis ex juſtitia ac ſanctitate Dei.

VII. *Sanctio* huic præcepto adjecta fuit in comminatione mortis, *in die qua comedes ex eâ, morte morieris.* Gen. 2: 17. Quæ cum eadem fuerit comminatio cum illa, quæ univerſo fœderi adjecta erat, ejuſdem latitudinis eſt; atque omnis generis mors, & quicquid hoc vocabulo comprehendi poteſt, intelligitur.

VIII. Utcunque autem præceptum hoc poſitivum & arbitrarium erat, non tamen pariter comminatio atque pœna hæc arbitraria erat, ſed ex juſtitia ac ſanctitate Dei profluebat. Cum enim Deus non poſſit non odiſſe peccatum, illud quoque prohibere ac pœna dignum pronunciare debet, atque eadem neceſſitate, ubi commiſſum eſt, vindicare.

Sapientia Dei in exploratione hominis per hoc præceptum.

IX. Nec mirum videri debet, Deum primo parenti noſtro tale præceptum dediſſe, quod ipſum tranſgreſſurum ſciret. Etſi enim Deus pro ſeſe reſpondere non teneatur, ex ipſo tamen eventu patuit, non temere ipſum eo modo primum hominem adgubernaſſe, & obedientiam ejus exploraſſe, & denique labi permiſiſſe: tum oſtendendæ creaturæ infirmitati, quantumque ea infra conditorem ſit, & quam levi momento impelli, ac beatiſſimo ſuo ſtatu excidere poſſit; tum præcipuè revelandæ gloriæ ſuæ, quæ abſque hoc præcipua ſui parte latuiſſet, & explicandæ bonitati ac juſtitiæ, dum ex humani generis ruinis longe pulchrius opus excitat, & miſſo filio Eccleſiam in mundo erigit, in cujus gubernatione ac ſalvatione omnia decora ſua, omnemque gloriam cumulatiſſime videndam exhibuit.

Unico hoc præcepto poſitivo non adjecit Deus præceptum Sabbati de otio diei ſeptimi.

X. Atque hoc unicum præceptum poſitivum eſt quod Deus Adamo impoſuerat: quæ communis quoque Patrum, teſte Pererio, ſententia fuit. Præceptum enim *Sabbati* quod attinet, quod homini primo quoq; impoſitum quidam, contra unanimem veterum, cum Hebræorum, tum Chriſtianorum, ſententiam perurgent; ſi eo nomine Sabbatum iſtud intelligant quod verè morale eſt, quod Adamus expleto creationis hexaemero, tanquam operum Dei colophon & gloria, atque ad eum colendum & celebrandum unice creatus, non per ſeptem die-

Digitized by Google

dierum intervalla, ſed toto vitæ ſuæ tempore, per omnes ætates ac ſæcula agitare debebat, certe hoc primo homini datum erat: ſi vero per Sabbatum intelligant poſitivum iſtud præceptum de otio diei ſeptimi à creatione, illud primo hominis ſtatui non conveniebat, non magis fere quam poſtea ſtatui fidelium in cœlis, ubi non ſeptimo quoque die, ſed perpetuum celebratur Sabbatum: nec etiam datum legimus; contra autem diſerte in *exitu ex Egypto in deſerto Deus Sabbata ſua dediſſe* dicitur Ezech. 20: 10, 12.

Nec id demonſtrant verba Moſis Gen. 2: 2, 3.

XI. Verba Moſis: *Et abſolverat Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & ceſſavit die ſeptimo ab omni opere ſuo, quod faciebat. Et benedixit Deus diei ſeptimo & ſanctificavit eum: quia in eo ceſſavit ab omni opere ſuo, quod creaverat Deus ut faceret*, Gen. 2: 2, 3. quanquam de perpetuo iſto ſabbato intelligi poſſent, ſeptimo poſt creationem die, qui primus opera Dei perfecta vidit, & beatiſſimus mundo illuxit, unde peculiariter à Deo *benedictus* dicitur, reliquiſq; in omnem porro ætatem diebus ab homine celebrando & ſanctificando; tamen ſimplicius videtur, magnorum virorum exemplo, per *prolepſin* explicari de Sabbato hebdomadali, non tum temporis, ſed poſt, peculiari benedictione ac ſanctificatione à Deo inſtituto, Exod. 16. Cujus prolepſeos exempla apud Moſem frequentia ſunt, eodemq; capite, v. 8. 10-14. occurrunt. Eſtq; hic locus iſti faciendæ opportuniſſimus. Cum enim Moſes v. 2. quietem Dei die ſeptimo commemoraſſet, loco valde commodo, ut eodem pertinens, interjungit, diem hunc eundem eſſe, quem Deus poſtea peculiari religione ſacrum eſſe voluerit (jam tum enim, cum hæc ſcriberet, benedictus & ſanctificatus erat) & ad ſuum exemplum ſacra quiete tranſigi juſſerit. Ut ita ipſius Dei exemplo Iſraëlitas ad religionem Sabbati ſervandam promtiores faceret. Non vero quaſi hæc eodem tempore ſimul geſta fuerint. Plane eodem modo, ut *Joſephus* in eadem re loquitur, Antiq. l. 1. c. 2. *Atque ita mundum ſex diebus, & omnia quæ in mundo continentur Moſes facta eſſe dicit; ſeptimo autem requieviſſe Deum, & ab operibus ceſſaſſe.* Quamobrem etiam nos vacationem a laboribus, per hunc diem, celebramus, *appellantes eum* Sabbatum: *quæ vox requiem, Hebræorum lingua, ſignificat.*

Neque tunc etiam obtinebant ſacrificia.

XII. Neque etiam in ſtatu integritatis obtinebant ſacrificia: quorum poſt lapſum demum fit mentio. Neque illa juris naturæ, fruſtra id urgentibus Pontificiis, ſed poſitivi duntaxat, uſuſq; ceremonialis & typici eſſe apparet inter alia ex dictis, *Deus non habitat in templis manu fa-*

factis, nec à manibus hominum colitur προσδεόμενός τινος, Act. 17: 24, 25. *Numquid ego ederem carnem boum, & ſanguinem arietum biberem?* Pſal. 50: 8-13. *Sacrificia* etiam pertinent ad *inſtituta carnis, uſque ad tempus emendationis incumbentia.* Hebr. 9: 9, 10. Cultum ergo hoc tempore ſpiritualem duntaxat viguiſſe colligitur, qui conſummabatur in conſervatione imaginis Dei & caritate: cujus ſanctiſſimo amore cum homo arderet, legem de fugienda arbore ſcientiæ obſervando, conjugium ſancte habendo, dominium in res omnes inferiores ſapienter adminiſtrando, Deumque in auguſtiſſimo Paradiſi templo toto ſpiritu ſummaque voluptate colendo, ad beatitudinem, ſymbolo arboris vitæ ipſi repræſentatam, aſpiraſſet, & cœleſtis gaudii dulcedinem, Deo ſuo jam beatus, emenſo annorum ipſi à Deo in terra præſtitutorum decurſu, nullo interveniente mortis timore exſpectaſſet, tandemque ea potitus fuiſſet.

LO-

Digitized by Google

LOCUS NONUS

De Tranſgreſſione Fœderis naturæ.

CAPUT VI.

De Lapſu Hominis.

Felicem hunc hominis in integritate ſua ſtatum diabolus invidus tentat labefactare.

I. ATque hoc in ſtatu, ſi unquam, res hominis fuêre beatiſſimæ, cum à Deo ſuo recens, integer viribus, animo ac mente caſtus, Dei amicitia ac familiaritate frueretur, iiſque facultatibus inſtructus eſſet, ut invitus tanto bono privari non poſſet. At ut perpetua eſſet illa felicitas non tulit diaboli invidia; qui, per ſuperbiam excuſſo Dei jugo, eodem viſco, quo ipſe irretitus fuerat, hominem illaqueare conatus eſt, & verò effectum dedit. Cujus triſtiſſimi lapſus hiſtoriam, cum omnis mali cauſam ac originem comprehendat, paucis enarrare operæ erit pretium.

TENTATIONIS *modus. Tentator duplex,*

II. Ac primum *tentatorem* nobis ob oculos ponit ſacer ſcriptor, ita exordiens: ***Serpens autem erat prudens quavis beſtia agri, quam creaverat Jehova Deus*** &c. Gen. 3: 1. Sub quibus verbis tentator duplex repræſentatur; cum *apertus* & in oculos incurrens; tum *occultus* & ſerpentinis exuviis tectus. Moſes autem, cum hiſtoricum agat, ac tantum rei geſtæ ordinem narret, ſatis habuit quid mulier tentata viderit ac audiverit tradere; adeoque non tentatorem diabolum, ſed ſerpentem, ſub quo latebat, in ſcenam producit.

apertus ſerpens.

III Serpentem non verum hic adfuiſſe, ſed diabolum iſtius animantis larva protoplaſtis illuſiſſe, *Cyrilli* quondam, & poſtea *Cajetani* ac *Eugubini* fuit ſententia. Sed obſtat ſimplex ac nuda Moſis relatio; ut Serpentis ipſius tanquam callidiſſimi animalis *inter beſtias terræ* deſcriptio; atque eidem denique, in ſeductionis memoriam, non minus quam diabolo, cui pro parario ac inſtrumento inſerviverat, à Deo inflicta pœna. Ac magis adhuc aberrant, qui ne quidem externam ſerpentis imaginem hic admittunt, ſed à ſolo diabolo, ſerpentis nomine hic indigitato rem omnem peractam volunt, qui omnem hiſtoriam temere in allegoriam convertunt. Cum tamen manifeſto ſerpens appelletur,

nec

nec alia appellationis iſtius dari poſſit ratio, quam qualiſcunque illa ſerpentis ac diaboli unio, & ad perdendum hominem conſpiratio.

aſtutiâ & prudentiâ ſpecie inſignis.

IV. Commendabatur hoc animal homini ab *aſtutia*, & prudentiæ ſpecie, quæ non, ut in homine, ratione, vel qualicunque ejus umbra ac veſtigio, ſed celerrimo ſpirituum ac membrorum, ad hæc vel illa objecta, motu, conſtat: quæ & alibi in Scripturâ celebratur. *Venenum habent, quale eſt venenum ſerpentum; tanquam aſpidis ſurda quæ obturat aurem ſuam, ne audiat vocem muſſantium, incantatoris peritiſſimi.* Pſal. 58: 5. 6. γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις *ſitis igitur prudentes inſtar ſerpentum.* Matth. 10:16. Cujus ſpecies eſt, *videre malum & occultare ſe.* Prov. 22:3. Unde ad inſtruendam fraudem erat aptiſſimum, & peculiaris φρονιμότητος in hoc animante χαρακτὴρ, illud homini gratius & acceſſu blandius reddebat, & ſpiritum ſaltem, ſi quem in eo loqui deprehenderet, benevolum ac ſapientem commendabat.

Diaboli in uſu hujus inſtrumenti fraus & aſtus:

V. Atque hæc prima in nectendis hiſce inſidiis diaboli ars fuit, talis animalis ſpecie hominibus obrepere, quod ipſis acceptiſſimum & ſtruendæ fraudi ſuæ maximè foret idoneum. Hinc *Evam ſeduxiſſe* ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, 2. Cor. 11: 3. legitur. Diabolum enim triſtis hujus ſcenæ artificem ſub ſerpente latuiſſe extra dubium eſt; cum per ſerpentem loqui non niſi ſpiritus, neque falſa loqui niſi ſpiritus malus non potuerit. Unde *diabolus* dicitur *homicida ab initio, & in veritate non ſtetiſſe, quia veritas non eſt in eo.* Joh. 8: 44. & Paulus eodem loci ab eodem illo *ſerpente, qui Evam calliditate ſua ſeduxit, ſeſe Corinthiis metuere* dicit, *ne mentes ipſorum à ſimplicitate, quæ in Chriſto eſt, avertat.* Atque hinc Satan Serpentis quoque nomine in Scripturis paſſim inſignitur. *Et conjectus eſt Draco ille magnus, Serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, in terram* &c. Apoc. 12: 9. conf. c. 20: 2. *Serpentis eſca pulvis.* Eſai. 65: 25.

qui & per beſtiam humana verba ſonuit,

VI. Quod autem per beſtiam humana verba ſonuerit, non majorem difficultatem habet, quam quod aſinam etiam Bileamo locutam legimus, Num. 22. angelorum procul dubio miniſterio; vel quod in Romanis hiſtoriis, inter portenta, in foro bovem, vel attonito pecudes paſtore locutas, nonnunquam ſcriptores referunt; vel quod idem Pythoniſſarum ac vatum ſuarum rabida ac ſpumantia ora in inconditos ſonos ſæpe reſolverit. Quod in obſeſſis quoque nonnunquam videmus.

& ſe in

VII. Atque extra omne dubium eſt, ut homini adhuc ſancto & integro,

Digitized by Google

tegro, & à manu Dei recenti facilius imponeret, eum *in angelum lucis ſeſe transfiguraſſe*. Atque hæc Evæ quoque mens fuit, cum beſtiam loquentem audiret, forte bonum aliquem angelum, ſpecioſa animalis iſtius pelle indutum, ſecum ſermones habere. Sicut angelorum conſortia & colloquia iſto in ſtatu frequentiora fuiſſe veroſimile eſt; quorum rationem omnem nos quidem, poſtquam iſta felicitate excidimus, ac ſanctum illud cum cœlo commercium perdidimus, nunc nec capere, nec explicare poſſumus. Atque adeo non mirum eſt, quod ſerpentis alloquium non expaverit, cum illud miraculum potius & beneficium, quam rem mali ominis interpretaretur.

angelum luci transfiguravit.

VIII. Aſtus quoque in Satana fuit, quod hominem, prout videtur, adhuc tenerum & mollem, & à manu plaſtis ſui adhuc novum, in primo felicitatis ſuæ limine adortus ſit; antequam longiori uſu confirmatior rectitudinem ſuam melius tueri noſſet. Similiter quod non in viro, ſed in muliere, primum fraudis ſuæ periculum fecerit, abſente ejus viro. Quæ prima quoque fœminæ culpa fuit, quod tantis de rebus cum ſerpente colloqui, ejuſque ſermones contra præceptum Dei tendentes audire ſuſtinuerit, idque abſente etiam marito, ſine quo tamen nihil magni agere debuerat; nec illico ſuadam illam ac vipereos ſibilos cum indignatione rejecerit; inſtar caſtæ virginis, quæ ne verbis quidem atque adultero ſermone florem ſuum pollui patitur, ſed primas verborum blanditias, inſtar veneficii alicujus, refugit atque exhorret.

Satana aſtus, quod adortus ſit hominem recentem & novum, non virum, ſed mulierem.

IX. Tria autem præcipuè in ſermone ſuo cum muliere agit ſerpens. 1. præceptum Dei additamque comminationem elevat. 2. contra majus ac præſtantius fœminæ bonum promittit. 3. & medium ad id obtinendum monſtrat.

Quid Satanas in ſermone ſuo cum muliere egerit, exponitur.

X. *Dixit* ergo *mulieri: etiam quod dixit Deus, non comedetis de omni* vel *de ullo ligno horti*. vel ſic: *multò minus dixit Deus* &c. v. 1. Quibus verbis infauſti colloquii compendium, & extrema tantum verba ſubnotantur. Non enim hæc prima potuit eſſe compellatio; pariterque incertum eſt, an hac ſola unicaque vice hominem tentaverit, an vero jam ante depulſus nunc ex intervallo rurſus hominem adoriatur. Patet autem ſubtiliſſimi colloquii methodus. Specioſus enim prætextus erat homini univerſi mundi dominum ac principatum conceſſum: id Deum tam recenti beneficio teſtatum, dum hominem in novam mundi poſſeſſionem immitteret, omniaque animalia velut obſequii cauſa ad ipſum adduceret: cum eo autem pugnare, unius arbuſculæ tractu ho-

hominem prohibere, qua forte nec ipſa animalia arcerentur: nec vero Deum, cum reliqua conceſſerit omnia, unam eamque pulcherrimam arborem excepiſſe; quam tamen creaverit, hominique quotidie oſtendat & ingerat, ut viſu iſto perpetuo ſeſe cruciet, & tantum non intabeſcat: id cogitare, anguſti nimium ac puſilli animi eſſe; quin & ipſi Deo hoc pacto injuriam fieri, qui ea ratione vel ut invidus vel ut durus accuſetur; nec hoc de ipſo cogitare religionis, ſed ſuperſtitionis eſſe: oportere vero hominem ſeſe iſtis nodis, qui ipſum, ſi ſe ultra iis permittat, ſtrangulaturi ſint, exolvere & vincula diſrumpere: tangendam, guſtandam arborem eſſe, qui unicus abſoluti hominis imperii obex foret; idque Deo non invito, quin jubente, & amabiles iſtius arboris fœtus offerente. Ita verſatiles dolos ſtruit, & ambiguo ſermone hominem paulatim trahit, ac in præceps ducit. Nec primum Deum rectâ fronte criminatur, ſed vanam hominum opinionem, & ſuperſtitionem tantum accuſat, qua videl. larvatus hic doctor fœminam liberare volebat.

XI. Mulier verbum Dei repetens, reſpondet: *De fructu* quidem *arborum hujus horti comedemus; at de fructu arboris iſtius, quæ eſt in medio horto, dixit Deus, ne comedatis ex iſto, neque attingatis eum, ne moriamini.* v. 2. 3.

XII. Cum ergo videret Satanas, eam præceptum Dei tenere, nec ab eo depelli poſſe, ad ſanctionem præcepto additam pergit, quam elevare & negare, ac una ipſum præceptum tollere nititur. Mulieri itaque dicit, *non moriemini*; quod quomodocunque intellexerit, ſeu de morte animæ, ſeu de ſubita ac præſenti morte, nam æquivocatione quibuſdam uſus videtur, manifeſtum erat mendacium: unde & *Diabolus in veritate non perſtitiſſe, mendax, & mendacii pater dicitur.* Joh. 8: 44. Aperte enim hæc verba opponit comminationi Dei, atque illam non metuendam docet. Atque ita peſtilentiſſimam hæreſin primo ſerit, non moriturum hominem, etſi præceptum tranſgrediatur, & peccatum ac pœnam ejus divellit; qui error in pleriſque extra eccleſiam ſectis non uno modo pullulat. Imo in omni quotidie peccato hoc etiamnum hominibus ſuggerit, *non utique moriemini*; à quo verbo tanquam ſerpentino ſibilo, maxime cavendum eſt.

XIII. Sed omne tandem virus effundit, cum aperte, Deoque veluti in eos obloquens, addit: *Novit enim Deus, quo die comederitis ex eo, aperturos ſe oculos veſtros, & vos fore ſicut Deos ſcientes boni & mali*, v. 5. quibus ver-

verbis Deum invidiæ & male uſurpati in hominem imperii arguere quibuſdam videtur, ſuadetque homini vinculis iſtis ſeſe extricare, ac ſuo arbitrio ſua diſponere, cumque Deo veluti ex pari vivere: quod guſtato fructu illico aſſequi poſſint. Cum enim omnia homini conceſſa ſint, ſolam iſtam arborem obſtare ejus felicitati, quo minus creaturarum omnium dominus, & hæres, mundique princeps agnoſcatur. Itaque hunc obicem perrumpendum. Nec diu deliberandum, cum fructus adeo ſpecioſus & amabilis ſit, & nullo cuſtode ultro expoſitus, ut credibile non ſit Deum illo hominem arcere voluiſſe; vel ſi arcuerit, hoc ſummæ invidiæ ac impotentiæ eſſe, qui hominem velut parem metuens fatali iſta arbore, unde immortalitas ſperari poterat, interdixerit. Cum vero durius videatur, Diabolum apud hominem adhuc integrum, Deum tam diris ultraque omnem fidem horrendis calumniis impetere auſum, omnis hic ſermo potius eo directus videtur, ut mulieri perſuadeat, cum vel invidia, vel metus in Deum cadere non poſſit, tale præceptum ab eo proficiſci non potuiſſe; illudque vel non rectè intellectum, vel non ἀδόλως à viro ipſi traditum eſſe. Unde verba, *novit Deus*, quidam ita accipiunt, quaſi Deum ipſum dictorum ſuorum teſtem vocet; ſimulans ſeſe videl. doctorem veritatis, quique in nomine Dei loquatur; imaginem exhibens pſeudo-prophetæ illius qui deſcribitur *habiturus cornua agni, & locuturus inſtar draconis*. Apoc. 13: 11.

XIV. Magno vero argumento hominem adoritur, dum ipſum *inſtar Dei futurum* ſpondet, in inferiori nempe hoc mundo, inque ejus dominio & principatu, in quo, reliquas inter creaturas, veluti Deus degeret, cunctiſque imperaret, poteſtate nullis legibus impedita, quam ſola hæc arbor hactenus morari videbatur: itemque reſpectu vitæ beatiſſimæ ac immortalis, quam fructus hujus eſus oſtentabat. Quæ appellatione ſcientiæ boni ac mali, hoc eſt, liberrimi ad omnia arbitrii, ſtatuſque conſummatiſſimi & immutabilis, ad quem nec peccatum, nec error, nec mors pertingere queat, ſignificantur. Iſtique rei conſequendæ arborem iſtam, ad quam diſputatio hæc peragebatur, monſtrat, quæ fructuum quoque pulchritudine tantum bonum ſpondere videbatur; cumque Deum de ea aliquid edixiſſe conſtaret, vel hoc ipſo majorem ſingularis alicujus virtutis fidem faciebat. Atque hoc tandem objecto faſcino hominem infatuavit, & jam lapſantem impulit, deque ſtatu ſuo prorſus dejecit. *Effectus tentationis.* TRANSGRESSIO.

XV. *Et vidit mulier, quod bona eſſet arbor in cibum, & quod cupiditas eſſet*

Digitized by Google

oculis, & amabilis arbor ad conſiderandum: & accepit de fructu ejus, & comedit, & dedit etiam viro ſuo ſecum, & comedit, vers 6. Allubuit ipſi bonum oſtentatum, non ſatis pollente in animo ejus verbi divini memoria; nec timore Dei frenata ad altiorem iſtum ſtatum, quem mendax ſpiritus promiſerat, adhinniit; atque obverſante arbore, tantaque felicitate, quæ ex ea penderet, non ſatis firmos ad eam oculos habuit. Atque hæc aliaque ſecum agitat: ſummi boni conſecutio eſt in meâ poteſtate; arbor ipſa ſpecioſa fronde ac fructu blanditur; angelus quidam, hujus arboris vel curæ vel cuſtodiæ præpoſitus, omne ejus ſacramentum ac myſterium mihi expoſuit; unicamque in horto arborem, ex qua vitam ac immortalitatem guſtare liceat, eſſe edixit: Deus autem, cum bonus ſit, non fruſtra eam condidit, medioque in horto locavit; nec tale bonum, quale hæc arbor ſpondet, creaturæ ſuæ invidet &c. atque tentata à diabolo his ſimilibuſque ratiociniis ſe ipſam quoque tentavit ac decepit. Nec adſpicere ac attingere contenta, fructum tandem ejus audaci manu carpſit, eumque deguſtandum marito quoque obtulit, ut ejuſdem boni ipſum participem redderet.

Quomodo Adamus adductus fuerit ut comederet? XVI. Quæri ſolet, *quomodo Adamus adductus fuerit, ut comederet*, an iiſdem rationibus quibus Eva decepta fuit, quæ procul dubio colloquium cum ſerpente habitum marito narravit, ſuoque exemplo in vanum ex fructus ejus eſu mortem timeri firmavit? an vero alia ratione ad id permotus fuerit? Quod Apoſtolus potius affirmare videtur. 1. Tim. 2:14. *Non enim Adam eſt ſeductus*, ut nimirum vera crederet quæ ſerpens mulieri perſuaſerat; *ſed mulier ſeducta cauſa illi transgreſſionis fuit.* Quæ verba innuere videntur, ipſum potius amore conjugis lapſum, cujus animum affligere nolebat: adeoque etſi præcepti Dei conſcius, & Satanæ fraude intactus, tamen ne eam in iſto ſtatu deſereret, oblatum ab ipſa fructum etiam libavit: forte credens, affectum hunc erga ſponſam ſuam, à Deo ipſi datam, ſi quid hic peccatum foret, facile excuſaturum. Sicut huc collimare videtur ejus ad Deum reſponſio, qua non in ſerpentis mendacium, ſed in *mulierem, quam dederat ipſi Deus*, culpam rejicit. Mulier autem ſeductam ſeſe à ſerpente queritur: *Serpens iſte ſeduxit me, & comedi*, v. 12. Ex quo fœminæ & intellectum & voluntatem corruptam, virum vero non tam errore in intellectu ſeductum, quam affectui ſuccumbentem, in peccatum ruiſſe, confici videtur.

Uter pecca- XVII. Quo reſpectu gravius videtur viri peccatum, qui non viſo hoſte

Digitized by Google

hoſte, nec certaminis particeps, ſolis uxoris blanditiis ſuccubuit: quam tamen ut vir ac dux ejus ſapientia ſua regere, & ubi opus emendare debuiſſet; quique integro cæteroquin intellectus lumine, ſola voluntatis infirmitate prolapſus, & tantum nefas auſus videtur. Quanquam ab altera parte primum à fœmina peccandi exemplum datum fuerit, quæ à Diabolo adornata, quod ipſe aperta fronte deſperabat, virum quoque peſſundedit, & *Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier dejecit*, ut Hieron. Sicut enim à muliere peccatum initium ſumſit, ita in viro completum eſt; nec ante illud tempus ejus vim ſenſiſſe ipſa videtur. Unde *in Adamo omnes peccaſſe* dicit Apoſtolus Rom. 5: 12. non in Eva.

tàm gravius.

XVIII. Diſquiri hic etiam ſolet, *unde peccatum hoc initium ſumſerit*, ab intellectu, an à voluntate? quique ejus ordo fuerit? Cum vero mentis, ac judicii error, qui primus peccati hujus gradus fuit, non ad intellectum, ut vulgo fit, ſed ad voluntatem referendus ſit: judicare enim eſt velle, inque eo error committitur, cum judicium ultra perceptionem intellectus ſe extendit, & ſine præviâ ejus luce aberrat; patet ad voluntatem peccati primi originem referendam eſſe. Error enim hic, vel quicunque primus peccati hujus gradus, voluntarius, atque è voluntatis negligentia ortus fuit, adeoque ad voluntatem referri debet. Eam enim facultatem ac legem à Deo homo acceperat, ut non aſſentiretur niſi rebus rite percognitis; quâ cum male uteretur, voluntatis ſuæ culpa in errorem & peccatum incidit. Judicavit enim voluntas de eo, quod non ſatis perceptum fuerat ab intellectu; hinc Eva nimium fidei verbo ſerpentis tribuit; atque inde in concupiſcentiam prolapſa eſt. Præceſſit autem ſine dubio incuria circa verbum Dei, & non-attentio ejus, tepor in precibus, ſecuritas contraria timori Dei &c. quæ voluntatis ſunt. Secuta autem ſunt addubitatio de divinæ comminationis veritate, infidelitas, defectionis omnis radix, divinitatis affectatio, & hinc nati λογισμοὶ πολλοὶ, Eccl. 7: 29. tandemque manus ad fructum extenſio, myſticæque arboris violatio, inque illo ſtatu permanſio, deque comminatione Dei jam non dubitatio, ſed contraria perſuaſio in Eva, dum ſeſe mortuam non videt, tandemque viri etiam in ejuſdem peccati conſortium adductio. Quo pacto hi actus, quanquam inter ſeſe connexi & complicati, diſponi non incommodè poſſunt.

Quodnam fuerit primus peccati initium,

XIX. Atque hæc eſt magna illa ac lugenda primi hominis à Dei fœdere defectio, principale crimen generis humani, ac ſummus ſæculi reatus; in quo non hoc vel illud particulare peccatum, ſive gulæ, ſive ſuper-

& cujus generis peccatum illud fuerit;

ſuperbiæ, ut Pontificiis placuit, ſed omnium peccatorum ſemina ac confluxum cernere eſt. Fuit enim in eo inadvertentia divini præcepti, ſecuritas, timoris, amicitiæ Dei cuſtodis, excuſſio, infidelitas, deque Dei veracitate addubitatio, ſuperbia & divinitatis affectatio, Filii Dei, qui myſtica arbore repræſentabatur, abjectio, mala concupiſcentia, præpoſtera ſciendi curioſitas, contrectatio rei vetitæ, *ἀστοργία* in poſteros, denique rupto ac conculcato fœderis ſymbolo totalis à Deo apoſtaſia.

Et quam grave?

XX. Quæ omnia præterea exaggerantur à circumſtantiis: cum *perſonæ*, quæ tot beneficiis à Deo affecta, tot dotibus inſtructa erat, nec ullos peccandi ſtimulos patiebatur: tum *objecti*, quod tantâ rerum copiâ conceſſâ tam facile vitari poterat: tum *loci* denique ac *temporis*, quod vix è manibus conditoris ſui egreſſus, inque horto ac ſacrario Dei poſitus, ad primum tentatoris impetum vix viſo hoſte profugerit & haſtam parmamque abjecerit. Ut pateat peccatum hoc omni modo fuiſſe magnum ac graviſſimum, ac ſpirituum defectorum peccato ſuppar.

Quæ hominis ad peccatum hoc fuerit diſpoſitio?

XXI. Conſiderandum autem imprimis, quis *hominis* ad peccatum hoc fuerit *ſtatus*, quæ *diſpoſitio* ac *vires*. Difficulter enim concipi poteſt, quomodo homo, tantâ ſanctitate ac ſapientia præditus, tam facile faſtigio iſto excuſſus, & miſerandum in modum lapſus ſit. Atque hic Pelagiani, ad quos inter Pontificios Jeſuitæ, ac Remonſtrantes, accedunt, facile ſe expediunt, in *Paradiſo, ante maleſuadi venena ſerpentis, ante corruptam ſermone ſacrilego voluntatem*, homini *illiciti cibi libidinem* tribuentes, *Aug. op. imp. c. Iul. lib.* I. Quod, utcunque in peccatis poſt lapſum locum habeat, quæ à concupiſcentiæ fomite primum ſuſcitantur, Jac. I. cum beato tamen Adami ſtatu, & ſumma iſta corporis ac animi pace, plane pugnat, ac Deo præſertim conditori injurium eſt, in quem tanquam peccati actorem iſta operis ejus labes redundat; quique partem hominis principem formans, eique pravæ libidinis ſtimulum appones, non poteſt non dici hominem tentare ad peccatum. Si autem non mala, ſed naturalis iſta inclinatio fuiſſe dicatur; tum neque conſenſus & plena voluntas pro malo habenda eſſent; cum nihil mali in eo eſſe poſſit, quod quis naturali ſuæ cupiditati, quæ bona eſt, obſequitur. Non ergo ante peccatum in homine talis concupiſcentia ſtatuenda eſt; non magis quam in angelis, qui nulla materiæ labe adſperſi proniſſimâ voluntate lapſi ſunt: pariterque etiam homo, ſine ulla carnis ac

ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritus luctâ, liberrima voluntate ſeſe ipſum impulit ac evertit; ac, juxta Auguſt. *voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit.*

XXII. Nec tamen, etſi talem luctam in incorrupto adhuc homine negamus, nullum certamen ipſi relictum fuit, nec ſine ullo conflictu ac labore coronam adeptus fuiſſet. Adamus enim ſicuti peccare poterat, ita poterat à malo tentari, & externas peccati illecebras pati. Atque etſi intus nullos carnis ſtimulos ſenſerit, atque eâ moleſtiâ caruerit, aliunde tamen laborem difficultatemque habuit; cum ipſi magna cura ac circumſpectione opus fuerit ad imaginem Dei integram ſervandam, ne ea peccato fœdaretur, cujus laqueos undique tenſos videbat. Quo in labore atque vigili cura ipſius omne certamen conſtitit, poſt quod exantlatum coronandus atque æternum beandus fuiſſet. *& luctâ*

XXIII. Cum ergo nulla concupiſcentia impelleretur homo, quin imo ſanctus ac integer foret, labi tamen potuit, ac lapſus eſt, quia libertate ſua abuti, deque felicitate ſua excidere poterat.

XXIV. Conditus autem erat homo cum ſumma libertate, quæ non ſolum in ſpontaneitate ac animi lubentia, verum etiam plerumque in indifferentia ad ὁπότερον, inſtar bilancis in æquilibrio pendentis, collocari ſolet. Quod recte intelligendum eſt. *& libertatis ratio?*

XXV. Indifferentia enim hæc in homine, vel ad *facultatem*, vel ad *actum* referri poteſt. *Facultatis* indifferentia omni libero arbitrio intrinſeca eſt, inque eo conſiſtit, quod ita aliquid amplectamur vel fugiamus, ut à nulla vi externa nos impelli ſentiamus. *Actum* autem ipſum in particulari quod ſpectat, quod voluntas circa illum indifferens ac dubia eſt, ex imperfectione ac cognitionis defectu oritur, & libertatis infimus tantum gradus eſt. Si enim creatura rationalis ſemper quid verum bonumque ſit videret, & iſtius roboris eſſet, ut bono fortiter adhæreret, nunquam quid eligendum ſequendumque foret ambigeret, atque ita, quamvis libera, nunquam tamen indifferens foret. Primus autem homo, cum creatus foret cum bona voluntate ac imagine Dei, & ſufficienter bonum ac malum cognoſceret, non ad utrumque indifferens, ſed ad bonum potius aptus ac determinatus erat. Nec actus, ſed facultatis indifferentia iſti ſtatui propria erat. Eratque ejus libertas nihil aliud, quam recta Deo placendi, & bono ſuo incommutabiliter adhærendi voluntas. *Quomodo ſecundum illam indifferens fuerit?*

XXVI. Etſi vero liber ſanctiſque dotibus inſtructus, & ad bonum naturali facultate aptus paratuſque eſſet, labi nihilominus homo pote- *aut potius mutabilis.*

rat,

rat, quia *mutabilis*, & necdum in bono confirmatus erat. Quæ libertatis quædam imperfectio ex creaturæ *οὐδένεια* proficiſcebatur, quæ eo ipſo quod creatura eſt, atque ex nihilo producta, non omnem perfectionem comprehendit. Neque in eo magis accuſandus eſt Deus, quod creaturam non omni modo perfectiſſimam condiderit, quam quod eam Deum non fecerit. Oſtendi enim diſcrimen aliquod debebat inter creatorem ac creaturam. Neque tenebatur hominem, mox ut creatus erat, in bono confirmare, cum prius tentandus ac explorandus foret, antequam ſummum illum beatitudinis apicem conſequeretur; quo per gradus ipſum deducere Deus decreverat. Hunc enim ordinem divina ſervat ſapientia, ut non uno momento maxima ſua opera nobis oſtendat, ſed per numeros graduſque ſuos illa veniant, ſuoque ſingula tempore abſolvat. Ut enim *Aug.* lib. 22. de *Civit. Dei*, c. 30. *Servandi erant gradus divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo; noviſſimum, quo peccare non poſſet; atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.*

unde etiam lapſus eſt.

XXVII. Atque ex hac hominis mutabilitate fieri poterat, quod, cum à tentatore blandis verbis oppugnaretur, non attenderit ad Dei præceptum; atque ita in inſidias, quas prævidere alioquin potuiſſet, præcipitavit. Ut initium peccati fuerit, quod intellectus & voluntas hominis in officio ſuo ceſſaverint, nec ſatis diaboli laqueos ac fraudes vitaverint; cujus rei cauſa fuit defectus ille liberi arbitrii, quod oculos à ſummo bono avertere & libertate ſua male uti poterat. Quam imperfectionem, cum homo in bono nondum confirmatus eſſet, ex nihilo, ex quo creatus erat, atque ex qua tam multum adhuc participabat, trahebat. Ut unica ac intima peccati cauſa in voluntate ſit, quæ cum mutabilis eſſet condita, atque ultra modum ſeſe extendere poſſet, ultra etiam quam intellectus duceret, ſe ipſam mutavit, & in deterius lapſa eſt. *Nulla enim re de arce dominandi, rectoque ordine mens deponi poteſt niſi voluntate*, ut recte Aug. l. 1. de lib. arb. c. 16.

Quales primi hominis fuerint vires?

XXVIII. *Vires* tamen habuit Adamus ab obediendum idoneas, alioquin enim conditionem impoſſibilem tuliſſet Deus, & revera ipſum à fœdere ac amicitiâ ſuâ abjeciſſet: poteratque earum confirmationem à Deo poſtulare, atque urgente certamine etiam debebat. Dei autem, ex fœdere erat, homini in fide petenti vires conſervare & adaugere, ipſumque iſto in rerum cardine non deſerere. Non autem tenebatur omnem tentationem avertere, vel ad eam tolerandam hominem

minem præmunire, atquo efficere ut ne omnino laberetur. Sic enim ratio fœderis mutata fuiſſet, quod liberam hominis obedientiam, ac in bono perſeverantiam poſtulabat, quam oblato certamine explorari ac probari par erat.

XXIX. Facit huc conſideratio duplicis auxilii, ſive adjutorii, *ſine quo non*, & *quo*; qua Auguſtinus utitur. Quorum prius per modum habitus aut facultatis in homine conſideratur, alterum per modum actionis & impetus, ſive efficacis motus & inclinationis voluntatis ad bonum. Prius neceſſarium erat ad τὸ poſſe evitare peccatum, alterum ad illud actu evitandum: illud requirebatur ad τὸ poſſe perſeverare, hoc ad τὸ perſeverare ipſum. Aderat Adamo auxilium prius (licet non ejus arbitrio ſubjectum & ab illo determinabile, ſecundum Pelagium & ejus ſequaces) habebatque facultatem & habitum bene agendi; ipſumque auxilium, *quo* actu perſeveraret, ad manum habebat, modo rite petiiſſet, nec ſeſe proprio arbitrio corrumpendum dediſſet. Hic autem homo defecit, & prior Deum deſeruit, atque auxilium *quo* Deus actu in ipſo operaretur τὸ velle, nec petiit, nec impetravit; cumque Deum rectorem aſpernaretur, atque ab æternâ luce oculos averteret, in tenebras & perditionis barathrum propriâ ſponte prolapſus eſt. *Adjutorium ejus duplex:*

XXX. Non ergo Deus vires aliquas, vel gratiam prius datam homini ante lapſum ſubtraxit; ſic enim imaginem ſuam ipſe corrupiſſet, cum hæ vires bonique habitus pars imaginis divinæ forent. Neque ſolet Deus prior hominem deſerere. Solummodo gratiam confirmantem, quæ ipſum potenti manu ſuſtentaret, atque actu à lapſu præſervaret, non largitus eſt; ad quod neque obligabatur. Cum hæc ratio fœderis foret, ut homo libere obediret, & in amore Dei perſeveraret, ac graviori præſertim in lucta ad Dei opem reſpiceret, nec ab ea pendere deſineret. Quod cum non faceret, nec cœleſti ope niteretur, nec eam peteret propriiſque potius viribus confideret; non eam Deus ipſi negavit, ſed non petenti, & vix tanti illud facienti, non largitus eſt. *à Deo ipſi non ſubtractum.*

XXXI. Ut non recte hæc digerant *Remonſtrantes*, ſtatuentes, hominem ante lapſum accepiſſe adeo ſufficiens auxilium ad ſtandum, ut alio præterea auxilio opus non habuerit. Quod aperte falſum eſt; cum, ut ex eventu patuit, in ipſo perſiſtendi actu defecerit. Sunt enim gradus auxilii ſufficientis, poſſe, velle & perficere. *Dederat autem Deus homini poſſe ſi vellet, non autem velle quod poſſet*, juxta *Auguſt. de corrupt. & grat. c.* 11. Atque eodem modo aberrant, cum hominem ſtare potuiſſe contendunt, ſive poſſibilitatem cauſæ ſpectes; intelligunt autem hoc

Digitized by Google

nomine facultatem ſtandi; ſive effectus, ita ut ille dari potuerit, etiam reſpiciendo ad Dei decretum & providentiam. Quod ex ipſo eventu refutatur. Sic enim homo actu perſtitiſſet.

Non tamen ſine Dei providentia lapſus eſt. XXXII. Quamvis autem homo liberè defecerit, non tamen excludenda ab hoc peccato eſt *Dei providentia*, quaſi ille cœlo ſuo incluſus mortalia neglexerit; vel tantum certamen, quod totius generis humani fata ſecum tracturum erat, otioſus ſpectaverit; cum ne quidem *paſſerculorum* alter, *quorum duo aſſario vaneunt, in terram non cadat ſine Patre* cœleſti, Matth. 10. 29. nedum ut nobiliſſima creatura, mundi domina & princeps, Deo vel inſcio, quod Sociniani velint, vel incurio & rebus humanis neutro, ut alii, ſaltem pugnæ hujus non arbitro, ac utram in partem res vergeret ambiguo, ex tanta felicitate exciderit. Quod non aliud foret quam univerſi mundi regimen Deo abrogare. Tanti enim momenti res hæc erat, ut ab ejus arbitrio removeri Deus nullo modo poſſit; cum ex ea mundi recens creati nova gubernatio, novuſque rerum ordo inchoatus fuerit; atque exinde mundus non amplius ſancta Dei civitas, ut in primo ortu, ſed duæ in ea civitates, altera Dei, altera diaboli extiterint, in quarum regimine univerſa Dei providentia abſolvitur; ac Chriſtus tandem, Dei filius, in carne apparere mundumque rurſus reſtituere debuerit. Quæ tam magna ac illuſtria Dei ſunt opera, ut ea fortuito ac temere, vel etiam nudo quodam ejus permiſſu, contigiſſe dici non queat.

Quomodo ea hic ſe habuerit? XXXIII. Modus autem, quo circa hoc peccatum verſatus eſt, ſanctiſſimus fuit. Actum enim phyſicum peccato ſubſtratum potentiſſimè operatus eſt: auxilium autem gratiæ & ſuavem illum influxum, quo homo actu perſeveraſſet ſuſpendit; neque enim largiri illum tenebatur; præſertim cum ipſe homo viribus ſuis fidens iſtud non expeteret. Unde in culpa Adamus fuit, qui, divina licet præmotione carens, tamen ipſe quoque liberrime actum obediendi ſuſpendit. Unde actus ille malus evaſit, hominique in peccatum vertit.

Ut extra omnem culpam manſerit. XXXIV. Nihil ergo culpæ hac doctrina homini demitur, vel Deo adſcribitur; ſive ea quæ in tempore circa lapſum Deus peregit, ſive æternum ejus decretum ac præſcientiam ſpectes. *Non enim ex creatione aliquid mali* homini inſeverat: quod adverſarii non dubitant dicere, qui tamen hic maximè noſtras Eccleſias criminantur, illudque de Deo peccati auctore identidem ingeminant. Nec ejus *permiſſio ac non-impeditio* in culpam trahi poteſt; cum Deus non fuerit obligatus homini, nec peccatum omne arcere teneretur (ut quidem inter homines legi ob-

obnoxios locum habet) cum ex malo bonum elicere norit. Neque accuſari poteſt, *quod homini ipſum velle actuale* non dederit. Sufficientes enim ipſi vires reliquerat; nihilque, niſi ſalva ejus libertate, ipſi negavit; nec aliud negavit quam quod optimo jure ipſi negare poterat, quodque cum à Deo homo non peteret, eo potius illud aſpernari, ac ne Deus largiretur, promereri videbatur. Nec deniq; *decretum Dei* culpari poteſt, cum quod illud, malum attinet, tantum fuerit de lapſu permittendo. Differunt autem illa, permiſſionis peccati, atque ipſius peccati, auctorem eſſe. Non autem peccatum ipſum, ſed ejus permiſſio à Deo ordinata fuit, ut ἀφορμὴ & occaſio ad opus aliud longè dignius.

XXXV. Omnis igitur peccati culpa non in Dei ulla actione, ſed in hominis ipſius voluntate ſita eſt. Non enim malum conſiſtit in volitione ut fiat malum, ſed in malâ volitione ejus quod à Deo prohibitum eſt. Atque eo magis ab omni labe remotus fuit Deus, quod illam mali permiſſionem tanquam medium aut ἀφορμὴν ad majus bonum procurandum adhibuerit; quodque ex humani generis ruinis dignius longe opus extruere, atque admiranda ſua attributa, juſtitiam ac miſericordiam, quæ ſine peccato æternum latuiſſent, digne explicare noverit: ut illa jam pulcherrima luce radient. Unde benè Apoſtolus animadvertit Tit. 3: 4. quod nunc ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ ἐπεφάνη. Quæ profecto tanti erant, ut abſque crimine Deus peccatum permittere potuerit. Et quanquam omne bonum melius eſt omni malo, præſtitit tamen permitti aliquod malum, quam in obſcuro manere omnia illa bona, quæ ex lapſu poſtea conſecuta ſunt. Sicuti ergo lapſum generis humani non debuiſſemus optare, nec in eo exultamus; ita viciſſim illo jam poſito non deſperamus: verum quemadmodum juſtitiam Dei venerabundi adoramus, ita ex miſericordia ejus animos erigimus & in ea triumphamus, conſilio ejus acquieſcentes & gloriam ejus amantes. *Quæ in ſolo homine hæſit.*

XXXVI. Atque hæc primævi lapſus ratio fuit. Cujus *tempus* cum plane incertum ſit, de eo fruſtra inquiritur. Damnandæque *ab unâ parte* Cabbaliſtarum ineptiæ, qui illud nimium producunt, & vigeſimo anno Adamum cecidiſſe ex litterulis quibuſdam supputant. Nec felicius alii Adamo 33. integritatis annos aſſignant, quot Chriſtus ſecundus Adam in carne egerit. Nec probanda *ab altera parte* Talmudicorum quorundam audacia, qui illud breve nimis faciunt, nec ultra ſex horas Adamum perſtitiſſe memorant; & quod diei ac noctis reliquum erat in mœrore ac pœnitentia egiſſe, ac proximo mane iterum in gratiam *Tempus lapſus incertum.*

Digitized by Google

tiam acceptum. Nos autem, etſi tempus ipſum definire non poſſimus, non repugnare tamen putamus, quo minus aliquod tempus, nobis quamvis ignotum, in beato iſto ſtatu exegerit: cum nulla ratio nos cogat, maxima Dei opera tam anguſtè circumſcribere, atque ita calculum ponere, quaſi mundus in primævâ pulchritudine vix unum diem ſeſe videndum præbuerit, opuſque illud adeo infirmum fuerit: ut mox ac è manibus Dei prodiret conciderit. Saltem eodem die, quo conditus eſt homo, lapſum non eſſe, ex iis quæ Gen. c. 2. narrantur patet: cum ne quidem Eva eo die creata fuiſſe videatur. Nec ſine myſterio Scriptura lapſi mundi tempus ſilentio involvit, cujus creati hiſtoriam per ſingulos dies tam accuratè ediſſerit; ut inter Dei ac hominum opera diſcrimen faciat, atque ad illa admiranda & prædicanda, hæc autem, veluti ſilentio digna, perpetuo deploranda, nos invitet.

CAPUT VII.

De PECCATO.

PECCATI, jam propius conſiderandi,

ITque ita, datâ porta, peccatum, cum omni comitatu ſuo, in mundum introiit, *per unum* illum *hominem*, Rom. 5: 12. qui cum mundi decus & gloria exiſtere debuiſſet, ejus præcipua calamitas ac lues extitit, ac Dei creaturam miſere defœdavit, omnique honore ſpoliavit. Cujus cum in rerum ordine nunc primum mentio occurrat, atque operum Dei filum ſecuti in ejus ortum ac originem nunc incidamus, naturam effectuſque ejus propius conſiderabimus; quippe cum illud non minimum Theologiæ noſtræ poſt lapſum caput factum ſit.

nomina varia.

II. Peccatum Græcis *ἁμαρτία*, Hebraicè חַטָּאָה dicitur, quod aberrationem à ſcopo vel via notat; ut ſit propriè *fruſtra eſſe*, excidere deſtinato, *ἀτυχεῖν*: *Quilibet jaculabatur funda ad pilum,* וְלֹא יַחֲטִא *neque fruſtrabatur jactum.* Jud. 20: 16. *Ubi viſitaveris manſionem tuam,* וְלֹא תֶחֱטָא *non eris fruſtra.* Job. 5: 24. *Qui feſtinat pedibus* חוֹטֵא *peccat.* Prov. 19: 2. Vocatur etiam in Scripturis פֶּשַׁע *ἀποστασία* ſeu *ἀνομία*. *Condonans* עָוֹן וָפֶשַׁע וְחַטָּאָה *pravitatem & defectionem & peccatum.* Exod. 34: 7. עָוֹן *ἀδικία, pravitas*, quæ rectitudini opponitur; עֲוֹן עֲקֵבַי *Pravitas calcaneorum meorum circumſtabit me.* Pſal. 49: 6. עֲבֵרָה *παράβασις*; *transgreſſio* עָבְרוּ בְרִית *transgreſſi ſunt fœdus.* Hoſ. 6: 7. עָבְרוּ תוֹרֹת. *transgreſſi ſunt leges.* Eſai 24: 5. מֶרִי *ἀπείθεια*, *inobedientia*, imo & מֶרֶד *rebellio.* *Si* בְּמֶרֶד *in rebellione & ſi*

Digitized by Google

& ſi במעל *in pravaricatione in Jehovam! ne ſervato nos hodie.* Joſ. 22: 22. eodemque ſenſu בגד *perfidia.* בוגדים בגדו *perfidi perfidè egerunt, & perfidia perfidorum perfide* egerunt. Eſai. 24: 16. & מעל *pravaricatio*, quæ eſt occulta adverſatio ſub ſpecie amicitiæ. ותמעל מעל באישה *pravaricata eſt in maritum ſuum.* Num. 5: 27.

III. Definitur, ex 1. Joh. 3: 4. *ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, peccatum eſt transgreſſio legis.* *Definitio.*

IV. Intelligitur autem ſolius Dei lex, qui *eſt unicus ille legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere.* Jac. 4: 12. Leges enim humanæ non obligant conſcientiam per ſe, ſed tantum ob legem Dei, qui, dum mundum hunc ſanctiſſimo ordine regere vult, *omnem animam poteſtatibus ſuperioribus* ſubjecit, Rom. 13: 1, 5. eaſque tanquam majeſtatis ſuæ præſtantiſſimam imaginem, & ſupremum in terris nomen, omni cultu ac honore affici voluit. *Subjecti eſtote omni humanæ conditioni propter Dominum. Deum timete, regem honorate.* 1. Pet. 2: 13, 17. Unde tantum magiſtratui parendum eſt, quando non præcipit contraria legi Dei, quippe *πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Act. 5: 29. Leges autem Eccleſiaſticæ per ſe non obligant conſcientiam; non magis quam cujuſlibet privati cœtus conſtitutiones. Unica enim tantum in humanis eſt poteſtas legiſlativa, eorum videl. penes quos imperium eſt: ſicut in divinis ac ſpiritualibus illa ſolius Dei eſt. Peccatur autem in eas ſolo contemtu & publico ſcandalo, quando ordo omnis protervè nimis conculcatur, & eccleſiæ unitas laceratur; quod non leve flagitium eſt. Hebr. 13: 17. *Obedite ductoribus veſtris & cedite: ipſi enim vigilant pro animabus veſtris* &c.

V. Peccati naturam quod attinet, *non eſt ſubſtantia, vel ſubſtantiale* quid; quod, de originali ſaltem labe, M. Flaccus Illyricus docuit, Manichæis nimium vicinus; dum inter naturæ corruptionem, & ipſam naturam corruptam diſtinguere neſcivit. Neque quid *poſitivum* eſt, juxta Scholaſticorum quoſdam, cum ita Deum auctorem habere deberet. Neque etiam eſt quid *relativum*, ſicut Vaſquez ejus formam in relatione aliqua extrinſeca oppoſitionis & inconvenientiæ cum natura rationali ponebat; quod rude nimis & ſecum ipſo pugnans eſt. Neque denique mere *negativum*, ac nihil eſt reſpectu hominis: aliud enim eſt nihil omnino agere, aliud male agere. Sed proprie eſt privatio, ſeu nihil *privativum*, h. e. nihil, relatum ad certum ſubjectum, ad quod referri non debebat. In ſe enim peccatum nihil eſt.

Non eſt ſubſtantiale quid aut poſitivum, nec relativum quid, aut merè negativum, ſed nihil privativum.

VI. Adhæret autem hæc privatio vel potentiæ & habitui, vel actio-

adhærens vel potentiæ, vel actioni noſtræ.

ni noſtræ; quorum illud in peccatis *omiſſionis*, hoc in peccatis *commiſſionis* magis locum habet. In illis tota ſubſtantia actus tollitur, in his actus non tollitur, ſed corruptus exit, & debitâ conformitate cum lege Dei caret.

Cauſa peccati, (quæ non efficiens, ſed deficiens)

VII. Cauſa peccati non efficiens, ſed deficiens datur: ac proinde auctor ejus Deus eſſe non poteſt; cum peccatum producendo, quod ſua natura non ens ac nihilum eſt, omnipotente virtute ſuâ nihil produceret; quod implicat. Quando autem peccatum permittit ac regit, iſta permiſſio reſpectu Dei, mera eſt negatio perfectionis, quam creaturis dare non tenetur: creaturarum autem reſpectu, quibus illa debita ac neceſſaria eſt, non mera negatio, ſed privatio & peccatum eſt.

vera eſt, tum Satan,

VIII. Vera autem peccati cauſa eſt, tum *Satan*, inſignis ille mundi corruptor ac operum Dei turbator; ut in initio ejus, Gen. 3: 13. *dicebat mulier; ſerpens decepit me & comedi:* pariterque in novæ eccleſiæ exordio. Act. 5: 3. *Quare replevit Satanas cor tuum, ut mentireris in Spir. S.* ? &c.

tum homo.

tum *homo*, qui voluntate ac intellectu corruptiſſimus, malæ inſtar arboris non niſi in ſpinas ac ſentes ſylveſcit, locoque fœtuum lactentium, ac pretioſi uvarum roris, quæ guſtum perbelle tangere poſſunt, tetrum abſinthii liquorem, feroſque centauros, quæ fœdo ſapore ora pertorqueant, producit. *Quare exſpectavi ut faceret,* h.e. produceret *uvas, & fecit labruſcas*? Eſai. 5: 4.

Pontificii & Sociniani perperam volunt nihil eſſe peccatum, niſi τὸ ἑκούσιον.

IX. Errant autem Pontificii ac Sociniani, dum non τὸ ἄνομον ſolum, ſed & τὸ ἑκούσιον de peccati ratione formali ſtatuunt, nihilque peccatum eſſe volunt, niſi quod pariter ſit voluntarium, h.e. ſcienter ac deliberato factum; quod variis ſuis erroribus in diverſis religionis capitibus ita ex longinquo præſtruunt. Præcipuè autem corruptæ naturæ ſupparaſitantur, cujus motus primos, utcunque fœdos ac turpes, qui in noſtra poteſtate non ſint, ac pleno animi aſſenſu careant, peccata eſſe non ſtatuunt. Cum tamen in illis peccatorum omnium exordium, primuſque eorum conceptus ſit; atque iſto ſinu, nimium ſæpe fœcundo, educantur primo ac exeant; iſtoque veluti fomite quicquid porro cupiditatum eſt exardeſcat, conceptaſque flammas latiſſimè ſpargat. Ut à peccato excuſari non poſſit illud quod peccatorum omnium ac ſcelerum radix, officina, nutrix & fomes eſt.

Qui redarguuntur.

X. Verum litem hanc abſolvit Apoſtolus, proprio in exemplo, capite ad Rom. 7. ubi multa querens, ac indignans, ſeſe invitum ac obluctantem, contra interiorem animi ſenſum, ad peccata perpetuo abripi: *Quod odi, hoc facio. non enim, quod volo, facio bonum: ſed, quod nolo,*

mo-

malum hoc ago, v. 15. 19. effrenem iſtum concupiſcentiæ motum non ſolum *ἁμαρτίαν* vocat, ſed *ἁμαρτίαν καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλόν*; digno prorſus vocabulo, cum quicquid in homine mali eſt, inde moveatur: ac *legem* præterea *peccati* appellat, v. 21, 23. deque peccato iſto, ut duro domino, conqueritur, quod ipſum lege ac imperio ſuo veluti conſtrictum teneat; quodque divinæ legi, quæ omnem concupiſcentiam vetat, contrariam veluti concupiſcendi legem ferat. Utque de primis motibus eum agere intelligamus, peccati iſtius blanditias ac illecebras addit, ſeque à peccato iſto trahi ac ſeduci ait, v. 11. Cætera enim peccata committunt homines, ubi jam ſeducti ſunt. Quod vero de involuntario cauſantur, id tanti non eſt: nam primi illi motus, & ſurrepens oblectatio, quanquam deliberato ac maturiori voluntatis conſenſu careant, neque iis animus diu immoretur, iſtiſque in ſordibus ſe volutet, ſed ad primum earum attactum potius exhorreat & refugiat; non tamen prorſus involuntarii, ac ſine omni voluntatis labe ſunt; cum ipſiſſima voluntas ſit quæ concupiſcit, cujus integritas ſaltem levi aſſenſu & motu delibatur; quod ex ipſa concupiſcentiæ titillatione, ac blando ſenſu, quo vel ſub primum ictum animum permulcet, pateſcit. Eſt autem illud ſolum involuntarium à peccato liberum, quod involuntarium eſt per nolitionem poſitivam, cum homo in externis actibus vim patitur; non autem illud quod tale eſt per nolitionem negativam, cum aut ceſſat voluntas velle, aut in lucta inter concupiſcentiam ac bonæ voluntatis motus, non toto aſſenſu in rem aliquam fertur.

XII. Effectus peccati ſunt hi tres, 1. macula, 2. reatus, 3. pœna. *Peccati effectus.*

XIII. *Macula* peccati eſt pollutio illa ſpiritualis, qua anima, corruptâ ac deletâ Dei imagine, omni honore ac ornatu ſuo ſpoliata eſt; atque, introrſum fœda ac turpis, non habet quo amplius creatori ſuo placere poſſit, ſed immundo potius viſu ſanctiſſimos ejus oculos offendit. Talis enim deformitas & vilitas in animâ, poſtquam priſtina pulchritudine per peccatum excidit, locum habet. *Quod egreditur ex ore, hoc polluit hominem.* Matth. 15:11. *Qui ſordet, ſordeſcat amplius.* Ap. 22:11. *1. Macula:*

XIV. Ineſt vero ea labes tum actionibus, quatenus illæ *ἀνομίαν* ſuam habent, nec ad Deum decorandum ſunt, tum etiam præcipue facultatibus & habitibus, in quibus vitium ac dedecus iſtud firmius hæret ac permanet. *inhærens actionibus & facultatibus:*

XV. Oriturque inde reſpectu Dei averſatio & abominatio, qui *purior eſt oculis, quam ut malum videat*, Hab. 1:13. *Abominatio Domini* eſt *unde oritur Dei retro-*

Digitized by Google

abominatio, hominiſque pudor & metus.

retrocedens, Prov. 3: 32. & reſpectu hominis, ex mali iſtius conſcientia pudor ac metus. *Quem igitur fructum habebatis tunc ex iis, quorum nunc vos pudet? nam finis illorum mors eſt*. Rom. 6: 21.

2. Reatus.

XVI. *Reatus* juriſconſultis eſt conditio, in qua ſunt rei, donec vel abſolvantur, vel condemnentur. Theologis eſt, *obligatio ad pœnam ex peccato:* qua quis dicitur אָשֵׁם Lev. 5: 2, 3, 4, 5. ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, *ſub peccato eſſe*; & ὑπόδικος γίνεσθαι τῷ θεῷ, *obnoxius fieri Deo*. Rom. 3: 9, 19.

qui duplex.

XVII. Conſequitur autem peccatum, *partim* ex intrinſeca ejus natura & demerito: non enim res media ac indifferens eſt, ſed ſua natura pœnam flagitat, ut benefacta laudem ac præmium; quod niſi confuſis ac inverſis rerum naturis, omnique boni ac mali diſcrimine ſublato, negari nequit: *partim* virtute leges divinæ. Prius intrinſecam pœnæ dignitatem, poſterius actualem ordinationem ad pœnam dicit. Iſte *reatus potentialis*, qui à peccato inſeparabilis eſt; hic *reatus actualis*, qui per Dei miſericordiam ab eo ſeparari poteſt, appellatur.

Qui medium quid eſt inter culpam & pœnam; adeo ut reatus culpæ & pœna unus ſit. Cui adverſantur Pontificii: qui redarguuntur.

XVIII. Eſt ergo reatus medium quid inter culpam & pœnam: ex culpa enim oritur, & ad pœnam ducit; adeo ut unus ſit reatus culpæ & pœnæ, qui inter iſtos utrinque terminos medius veluti intercedit, & ab utroque ex æquo denominatur. Quæ perperam non diſtinguunt ſolum, ſed & divellunt Pontificii, dum reatum culpæ tolli ac remitti poſſe, imo aliquando actu tolli affirmant, in iis videl. qui igne purgatorio torquentur, manente reatu pœnæ. Quod ſecum ipſo pugnat, cum culpa condonata dici non poſſit, ſi peccatori pro ea adhuc luendum ſit: & juſtitiæ Dei contrarium eſt, qui creaturam jam in gratiam acceptam, & culpæ immunem, tamen veluti ſontem perſequi non deſinat. Si vero diſtinctionem iſtam ſic explicent, ut per reatum culpæ intelligant id quod nos vocamus reatum potentialem, & per reatum pœnæ reatum actualem, quod Bellarminus facit, incommodè valde loquuntur, nec hypotheſibus ſuis, quibus firmandis ſcholaſticam hanc diſtinctionem invenerunt, ſatis ſerviunt.

XIX. Atque ex hac maculæ ac reatus diverſa conſideratione patet contra Pontificios, quomodo in baptiſmo peccati originalis reatus deleri poſſit, manente ejus maculâ; ut non opus ſit cum ipſis ſtatuere, ipſam quoque labem, ſeu concupiſcentiam, per ablutionem iſtam tolli. Quod mirum in adverſariis eſt, quod nunc maculam & reatum primævæ iſtius noxæ adeo inſeparabilem faciant; cum tamen mox viderimus ipſos reatum pœnæ à culpa nimium quantum diſcerpere in iis, qui in purgatorio cruciantur. In quo ſibi manifeſto contradicunt.

XX. Ter-

Digitized by Google

XX. Tertius peccati effectus eſt *pœna*: quod eſt malum à Deo vindice peccatori propter peccatum inflictum, ei caſtigando ac in ordinem redigendo. Eſtque malum, non turpe, qua tale, ſed triſte; non abſolutè ac per ſe tale, ſicut peccatum, ſed creaturæ tantum reſpectu, cujus commodis adverſatur, cum Dei reſpectu bonum ſit & actus juſtitiæ. Eſt autem peccati pœna, ut vidimus, mors; quæ non una facie homini peccatori incubuit. *3. Pœna.*

LOCUS DECIMUS

De Effectibus tranſgreſſionis in homine primo & poſteris.

CAPUT VIII.

De Effectibus peccati in primo homine.

I. Poſtquam enim homo à Deo defecerat, tum vero verſa rerum facies, reſque humanæ, quæ hactenus beatæ & florentes ſteterant, non ſolum levi ictu afflictæ, ſed prorſus corruptæ ac deperditæ fuere. Excidit enim homo amicitia ac familiaritate Dei, quem tanquam patrem adire hactenus conſueverat; nec cum fiducia accedere ad eum amplius potuit; divinæque iræ ac *κατάρα maledictioni* obnoxius, omnibus exinde malis, tum animi, tum corporis, implicitus, ne quidem ſpem ullam rediture felicitatis reliquam habuit. Quos peccati effectus nunc propius in primo homine, tum inde in nobis conſiderabimus. *Peccati EFFECTUS in primo homine.*

II. Impletum autem mox in ipſo eſt divinæ ſententiæ carmen, *quo die comederis, moriendo morieris*, Gen. 2: 17. quod in ſeſe omnia mortis ac pœnarum genera comprehendit. *Cui à lapſu incubuit mors.*

III. Incubuit enim ipſi primo *mors ſpiritualis*, ac à Deo vitâque ejus extorris, veluti amiſſo ſole ſuo, in tenebris palpitabat, ne minimæ quidem lucis ſpiritualis particeps; unde nihil ſancti ac læti in ipſo ſupereſſe poterat; ſed intus æſtuans, cupiditatibus pariter ac pudore agitabatur, peccatorum omnium ſpolium & ludus. *ſpiritualis.*

IV. Apparuit enim mox à lapſu nuditatis ſenſus, & pudor, qui aliquid in homine pudendum extare arguebat, quale in primævo Dei opere non ſine conditoris contumelia cogitari poteſt. Unde naturalia *cujus argumentum exhibetur in agnita*

pudenda nuditate.

velare, veluti libidinis ſtimulis impar, inſtituit: quæ nihil niſi peccati in membris jam dominantis erubeſcenda confeſſio erat, quibus videlicet abeunte ſpiritu ducatus jam ceſſerat. Quod in fœdiſſima iſta voluptate potiſſimum apparet; ubi proprium concupiſcentiæ regnum eſt. Quæ cum in homine primo jam viſa ſint, jam tum peccatum ingreſſum eſſe teſtabantur.

V. Non enim iſte genitalium pudor in primo ſtatu, cum nihil in animo impuri, nihil in corpore inordinati foret, locum habuiſſet, niſi Deum aliquid pudendum creaſſe dicamus. Cum enim nihil niſi opus Dei in homine tum extaret, de eo ſaltem erubeſcere hominem non decebat, niſi Deo vel ſapientior vel honeſtior haberi voluiſſet. Ut hic pudor à peccato venerit, ejuſque juſta ſit vindicta in homine, qui *cum ſuperiorem dominum ſuo arbitrio deſeruerat, jam nec inferiorem famulum ad ſuum arbitrium tenebat*. Aug. de Civ. Dei lib. 13. c. 13.

& hypocriſi peccatum tegente.

VI. Cum hac nuditatis conſcientia oſtendit ſeſe etiam in homine hypocriſis in peccato tegendo. *Audiens enim vocem Jehovæ Dei, ab ejus facie ſeſe abſcondebat inter arbores horti*, Gen. 3: 8. qui non exiguus ſapientiæ defectus erat, ac ſi inter arbuſta vigilem Dei oculum fallere potuiſſet. Cumque ipſum in ſecreto ſuo Deus deprehendiſſet, primum, quod roganti ipſi reſpondebat, mendacium ſonabat, dum dixit, ſeſe latebras iſtas quæſiiſſe *eo quod timuerit, quod nudus eſſet*, v. 10. Cum tamen fugæ cauſa eſſet peccati conſcientia, & pœnæ metus. Eademque arte, cum de peccato interrogaretur, in fœminam, quam Deus ipſi dederat, culpam omnem rejecit; atque hæc in ſerpentis dolos.

Unde pateſcit in primo homine amiſſio imaginis Dei, corrupta

VII. Ex quibus pateſcit, imaginem Dei protinus miſerè corruptam ac prorſus fœdatam fuiſſe. Perierant enim præcipuæ ejus partes, ac in perfectiſſimâ tabulâ lineæ illæ, quæ ſolæ divinæ pulchritudinis erant æmulæ, *ſapientia* videl. ac *rectitudo*, quarum illa *ignorantiâ* obnubilata, hæc *concupiſcentia* corrupta erat.

per ignorantiam,

VIII. *Ignorantiam* ac ſtuporem prodidit in fuga illa, quam vidimus, & miſero tegendi peccatum ſtudio; quod, etſi ſtultum ac irritum, hinc omnibus tamen peccatoribus fatali quadam cæcitate familiare eſt; qui noctem peccatis ſcelerique obducere nubem, quam nec Deus ipſe pervideat, ſeſe poſſe ſperant, accepta à primis parentibus labe ac exemplo. *Percutiet te Jehova amentia, & cæcitate & ſtupore cordis.* Deut. 28: 28.

IX. Atque ignorantia hæc porro etiam in aliis rebus Adamum ſecuta eſt. Non quod unico momento rerum omnium ſcientiam perdiderit:

Digitized by Google

derit; ſed quod recto iſto habitu benè utendi ratione, ut non niſi bene perceptis aſſentiretur, orbatus fuerit.

X. *Concupiſcentiam*, ejuſque turpes motus, ſatis pudor & velamenta poſt lapſum quæſita teſtabantur; quæ tam valida eſt, ut veluti pondere quodam animam porro trahat, atque terræ affigat, ubi ea, cœleſtis pabuli expers, ad bona hæc inferiora tanquam ad vilem & degenerem paſtum abjicitur: nec unquam emergere poteſt, ſed tanquam captivo motu ſeſe in vinculis ſuis perpetuo jactat ac verſat, nec unquam ad originem ſuam aſſurgit. Quæ juſta peccati talio eſt, qua homo, dum neſcio qua libertatis imagine illi ſervire noluit, cui naturaliter ſubjectus erat, jam in veram ac fœdam ſervitutem, amiſſa libertate, præcipitatus eſt. *& concupiſcentiam.*

XI. Excuſſo enim caſto illo amore Dei, qui hominem ſoli Deo, legitimo ſuo domino, ſubjectum, cætera autem liberrimum faciebat, ſucceſſit perverſus ſui ac creaturarum amor, qui non amor, ſed *concupiſcentia* eſt, qua homo in perpetuum vinctus tenetur: quæque ut animam verâ luce ac ſanctitate ſpoliat, ita illicita omnia deſideria in ea accendit, *corpuſque* ipſum & ſanguinem, ac ſpiritus, tanquam arma & tela, contra eam movet. Sicut enim magno illo humani generis peccato univerſus naturæ ordo turbatus & decore ſuo ſpoliatus eſt, & *creatura vanitati ſubjecta propter* hominem *qui ſubjecit illam vanitati*, Rom. 8: 20. ita præcipue corpus, homini proximè conjunctum, eam labem paſſum eſt; jamque frænum pati indocile contra hominem ipſum inſurgit, & pravorum affectuum officina & ſedes quotidiano veluti bello hominem fatigat. Unde oritur miſer animæ ſtatus. Etenim motus illi tam vehementes ſunt, ut maximam partem à voluntate ex hoc ſolo quod velit, compeſci ac tolli nequeant.

XII. Neque enim cum hac controverſia, ut Auguſt. appellabat, & corporis ac ſpiritus pugna homo primum conditus erat. Neque, ut corpori laſſitudo, fames, ſitis, ita homini, corpore & anima conſtanti, licet ſingula naturales ſuas inclinationes habeant, iſtud inter diverſos illos motus diſſidium à primævâ origine adhæret. Non enim illa potuit eſſe hominis à Deo creati indoles, ut voluntas ejus ſecum ipſa perpetuo contenderet ac jurgaretur, atque alia vellet, dum proprios, alia dum corporis motus ac irritationes ſequeretur. Naturalis enim ordo inclinationes iſtas repreſſerat, & carnem ut inferiorem ſpiritui ſubjugaverat, nec illi effrenes iſtos motus, vagam libertatem, quam in brutis adhuc cernimus, indulſerat; ſed ſpiritui, ut rectori ac duci parere

 juſ-

Digitized by Google

juſſerat: at contrarium jam facit caro, non natura, ſed prava conſuetudine, quæ in naturam verſa eſt.

Qua tanta mutatio in homine facta eſt ex lapſu, tum meritoriè, tum efficienter.

XIII. Facta autem eſt tanta in homine ex lapſu mutatio, tum *meritorie*, poſtulante hoc Dei juſtitia; tum *efficienter*, dum tam fœda apoſtaſia hominem de ſtatu evertit, omnemque bonam mentem ipſi expectoravit. Ut hinc ad vulgarem objectiunculam reſponſio pateat, quomodo unico peccato tanta ſtrages dari, atque univerſa natura corrumpi potuerit? Iſtud enim vel minimi peccati *meritum* eſt, ut hominem à Dei communione amoveat, ipſiuſque pacem & amicitiam rumpat. Homo autem extra Dei communionem poſitus, nullaque cœli luce colluſtratus, hoc ipſo corruptiſſimus eſt, tantumque in cœno ſuo ſe volutat; dumque ipſum Deus ne minimo quidem aſpectu dignatur, ab eo veluti neglectus, omniſque cœleſtis opis exſors, nihil quoque boni præſtare poteſt. Acceſſit & peccati ipſius *gravitas*, quod immane ac atrox valde fuit, atque ex eorum genere quæ vaſtantia vulgo appellantur; ut propria vi ac efficacia omnem rectitudinis habitum homini excutere, & mentis apicem in contrarium dirigere ac figere potuerit. Perfide enim à Deo defecit, ſuique ipſius veluti idololatra divinitatem affectavit, & ſecundum à creatore in terris numen eſſe voluit. Imo hæc cujuſcunque peccati ratio eſt. Sicut oculus ſeſe à ſole avertens, unico ictu ac motu perpetuas ſibi tenebras facit, nec ullius luminis particeps eſt, niſi rurſus ad ſolem accedat. Quod peccatori, Deo irato ac averſo, impoſſibile eſt.

Cum imagine Dei periit quoque homini dominium rerum externarum.

XIV. Hac imagine Dei perditâ, etiam dominio rerum externarum homo excidit. Peccator enim hæres Dei eſſe non poteſt, neque bonis ejus, ac ſi Deum ſibi adhuc faventem ac ſibi ſimilem haberet, ſeſe ſatiare. Unde impura homini omnia ac vetita. *Omnia quidem pura puris, inquinatis vero & infidelibus nihil purum. Sed polluta eſt eorum & mens & conſcientia.* Tit. 1:15. *Omne vero quod non ex fide eſt, peccatum eſt.* Rom. 14:23. ipſaque rerum natura *invita* ipſi ſervit. Rom. 8:20.

XV. Atque ita, inſtar dilapſæ in cineres facis, periit quod pulcherrimum in homine fuerat; nec quidquam jam ſupereſt niſi infelicis naufragii tabulæ, & rudera quædam ac reliquiæ, veluti in pictura fugientis imaginis tenues quædam umbræ; quæ non magis imago Dei dici poſſunt, quam imago hominis trunca ejus & vetuſtate exeſa in pariete effigies. Quæ rudera tamen, tanquam pretioſæ olim veſtis extremas oras, Deus aſſervare & supereſſe voluit, ut ex iis integræ olim imaginis præſtantia agnoſceretur: tum ut ab humano genere non omnis prorſus

ſus decor ac honeſtas abiret; verum illud tenui iſta luce ad vitæ officia & commoda uteretur; utque contra eam peccantes eo magis inexcuſabiles fierent: denique ut ex iſtis veluti ruinis tandem novum opus extrueret, & *novam creaturam formaret ad eandem imaginem*, *ad quam prius eramus conditi*. Col. 3: 10. Eph. 4: 24.

XVI. Spiritualem hanc mortem comitata quoque fuit *corporalis*; quæ licet ipſi non fuerit omni ſuo modo mox inflicta, cum Deus longanimitatem ſuam vellet exercere; ejus tamen prodromi, omnigenique vitæ hujus labores ac moleſtiæ ſtatim ſeſe oſtenderunt. Atque huc triſtis illa Dei in Adamum ac Evam lata ſententia pertinet: quos etſi in gratiam acceperat, tamen in exercitiis iſtis caſtigatoriis peccati amaritudinem guſtare, ejuſque toto vitæ curſu pœnitentiam agere voluit.

Mortem ſpiritualem comitata eſt; mors corporalis: in omnigenis hujus vitæ laboribus & moleſtiis. Evæ & Adamo impoſitis.

XVII. Evæ autem, quæ, quia prior in peccatum conſenſerat, etiam prima ſibi *pœnas* denunciari audit, imponitur 1. partus dolor. Gen. 3: 16. *Multiplicando multiplicabo dolorem tuum, & conceptum tuum, in dolore paries liberos*. Qui quomodo in ſtatu integro ἀνώδυνος futurus fuerit, nunc quidem ex naturalibus iſtius ſexus non ſatis recte æſtimamus. Niſi quod matrum faſtidia, ac in emittendo dolores tunc abfuturos fuiſſe conſtat: quemadmodum etiam nunc in nonnullis, etſi paucis, accidit, iique in reliquis animalibus aut nulli, aut mitiores ſunt: ut illi etiamſi nunc ex naturalibus cauſis proveniant, tamen ad naturam non neceſſario ac per ſe pertineant. 2. ſubjectio ſub viro. *Et ad virum tuum erit accurſatio tua*, præſto eris viro tuo, *& ipſe dominabitur tibi*. Quamvis enim mulier ex creationis lege etiam antea viro ſubjecta erat, cum *Adamus prior formatus ſit*, *deinde Eva*; *atque non vir propter illam, ſed hæc propter virum ſit condita*, 1 Tim. 2: 13. 1 Cor. 11: 9. per lapſum tamen illa ſubjectio valde aggravata fuit; quæque antea mollis ac blanda erat, jam in pœnam converſa eſt, qua mulier, quæ ſe ipſam non rexit, ac virum præterea pellexit, jam regimini ejus ac imperio ſubjicitur; idque poſtquam imagine Dei ſpoliatus ſæpe durum ac difficilem ſeſe dominum præbet.

XVIII. Viri quoque pœna duplex eſt: prima ad vitæ hujus curriculum pertinet, in quo multo cum labore ac ſudore verſaretur, terramque cum moleſtia exerceret, quæ ipſa tam ingrato hoſpiti victum ſæpe denegaret, & licet exculta ac ſubacta in ſentes ac ſpinas ſoboleſceret. *Maledicta propter te terra, in labore comedes ex eâ ſingulis diebus vitæ tuæ; ſpinam & tribulum germinabit tibi; & comedes herbam agri, in*

 ſudore

ſudore vultus tui veſceris pane tuo, v. 17, 18, 19. Ita homini, qui ante jucundo labore paradiſum coluiſſet, nunc in proxima arva relegato labor, ut pœna, ac petulantis carnis frenum, imponitur; iſque ſæpe irritus & vanus, dum fructus agricolæ votis non reſpondet, ac inter nitentia culta infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ. Quod ſaltem antea locum non habuiſſet, cum quidem ſpinis ac ſentibus terra alibi inhorruiſſet, non autem Paradiſus & loca culta, ac in fruges ac herbas vel naturæ ingenio, vel humana manu manſuefacta. Altera ejus pœna, ſed quæ mulierem *ἀναλόγως* quoque tangit, vitæ hujus exitum ſpectat: *donec revertaris in terram, unde deſumtus es: nam pulvis es, & in pulverem reverteris*, v. 19. Ubi mors corporalis ita vitæ hujus ponitur terminus, ut & ipſa pœna ſit, tum omnium hominum, tum præcipue impiorum reſpectu, quibus illa graviorum pœnarum initium eſt.

3 Mors æterna.

XIX. Sed & eodem tempore, quo peccavit, factus quoque eſt reus *mortis æternæ*, quatenus ſeparari meruit à ſummo bono ſuo, in quo æterna ipſius felicitas conſiſtebat, factus ὑπόδικος, & ὑπὸ κατάραν poſitus, Rom. 3: 19. Gal. 3: 10. Mors enim ſpiritualis, quam mox à lapſu ſubiit, ab æternâ non differt, cum ipſa ſuâ naturâ æterna ſit: eſtque mors æterna nihil aliud quam ſpiritualis illius mortis in inferno continuatio, cum cruciatibus & pœnis convenientibus.

Cujus reatus manifeſtabatur cum conſcientiæ horrore,

XX. Ac duobus maxime argumentis ille mortis æternæ reatus in homine ſe oſtendebat: cum horrore illo conſcientiæ, quo homo, ſervi inſtar fugitivi, à Deo, *πιστῷ κτίστῃ fideli creatore*, quo cum antea tam familiariter & tam jucundè egerat, in aliquo horti receſſu ſe abſcondebat, ad omne adventantis ejus murmur pavitans & trepidus. Refert enim Moſes, *audiviſſe* ipſos *vocem Jehovæ Dei itantem per hortum ipſum ad ventum illius diei*: & inde *abſcondiſſe ſe Adamum & uxorem ejus à facie Jehovæ Dei in medio arborum illius horti. Inclamante* autem *Jehova Deo Adamum*, & dicente, *ubi es?* illum dixiſſe, *vocem tuam audiebam in hoc horto: tremui, eo quod nudus ſim, & abſcondi me*. Gen. 3: 8, 9, 10. tum

tum expulſione ex Paradiſo,

actuali ex Paradiſo expulſione, & ab arbore vitæ excluſione, quæ vitæ cœleſtis ſymbola ac fœderis pignora erant; quæ cum Deus homini eriperet, quid niſi ruptum fœdus, ac bonis ejus & benedictionibus omnibus hominem indignum ac exutum teſtabatur? Gen. 3: 22, 23, 24. *Et dixit Jehova Deus, Ecce homo eſt ſicut unus ex nobis, cognoſcendo bonum & malum! nunc igitur, ne extendens manum ſuam accipiat etiam de fructu arboris vitæ, & comedat victurus in ſæculum. Emiſit itaque eum Jehova Deus ex horto Edenis ad colendam terram ex qua deſumtus erat. Quumque*

narrata à Moſe, Gen. 3: 22, 23, 24.

Digitized by Google

quæ expuliſſet hominem, inſtituit à parte anteriori horti Edenis Cherubinos, flammamque gladii ſeſe vibrantis, ad cuſtodiendum viam, quæ ferebat ad arborem vitæ.

XXI. Quæ Dei ſententia tres habet partes. Primo enim ſuperbiam illis exprobrat, non ſine acerbo irriſu, & *σαρκασμῷ*, *Ecce homo factus eſt ſicut unus ex nobis!* quæ juſta arrogantiæ hominis pœna eſt, cujus vanitatem ita proſtitui decebat. Sicut &, præter ſuperbos, idololatras quoque in ſacris Dei veluti illudentis ac indignantis riſu excipi legimus. *Ite, & inclamate Deos quos elegiſtis, illi ſalvent vos tempore anguſtiæ veſtræ:* Jud. 10: 14. *Et ubi* ſunt *Dei tui, quos feciſti tibi? ſurgant, ſi ſunt ſervaturi te tempore mali tui?* Jer. 2: 28. *Stent, age, & ſervent te aſtrologi, qui contemplantur ſtellas* &c. Eſai. 47: 13. *Et illuſit eos Elias, & dixit, vociferate voce magna quandoquidem Deus eſt, nam colloquium habet, aut, quia in ſeceſſu eſt, aut, quia via ipſi; fortaſſe dormit, & evigilabit.* 1. Reg. 18: 27. Quæ duo peccatorum genera ſunt, quæ Deo de cœlo proſpectanti, & mirabiles hominum tumultus intuenti peculiari ſua vanitate veluti ludibrium debent. Quanquam hic ipſe riſus non ſine ſtomacho & indignatione ſit. *Sedens enim in cœlis ridet, & Dominus ſubſannat ipſos. Tunc loquetur ad illos in ira ſua, & in æſtu ſuo percellet illos.* Pſal. 2: 4, 5. Cum autem addit, *ut unus noſtrum*, numerum pluralem, non honoris cauſa, ut nonnullis videtur, ſed perſonarum in divina eſſentia trinitati ſignificandæ adhibet. *Quæ ſententia 1. Superbiam illis exprobrat.*

XXII. Dein exilium denunciat, *ne forte homo mittat manum ſuam, deque arbore vitæ ſumat, & comedat, & vivat in ſæculum*, v. 22. Quæ verba non proprie accipienda, ſed *μιμητικῶς*; ſuntque præcedentis ironiæ continuatio. Nec rei ipſius reſpiciunt eventum (ſacramenta enim peccatoribus & fœderis deſertoribus nihil obſignare amplius poſſunt) ſed ſtultam hominis cogitationem, qua impoſterum ſibi imponere, & ex guſtata illa arbore, velut opere operato, vel qualicunque juſtitia præſtita, vitam ſibi polliceri potuiſſet. Et nolebat Deus, poſtquam homo fœdere exciderat, fœderis ſymbola ac pignora ipſi tractanda permittere: atque ipſe quoque ablato è ſinu ejus iſto amoris Dei arrhabone ac pignore, ſeſe morte dignum fateri debebat. *2. Exilium denunciat.*

XXIII. Atque hanc denunciationem ſequitur ipſa hominis extra fortunata iſta arva relegatio, & in alium veluti orbem, ac potius perpetuum exilium, expulſio: ubi longas inter calamitates dum vitam traheret, triſtem ſuum ac univerſi generis ſui caſum deplorare ac plangere, ac Dei gratiam in promiſſo ſemine apprehendere ſolum curæ habe- *3. Actu illud ipſi infligit.*

habere debuit. Quo ipſum omnia impellebant, dum extra ſe creaturas omnes, ſuum ob crimen, priſtino decore ſpoliatas, ac mundi fata immutata; intra ſeſe autem carnis tumultum, intellectus tenebras, voluntatis faſtigio ac regno ſuo evolutæ turpiſſimam ſervitutem & languorem, quotidie intueretur: quodque Deus miſeræ ejus vitæ ſolatium adhuc dederat, in generis humani multiplicatione, illud vero in ſobole ſua, Abele & Caino, & ſequenti nepotum ſerie, ad impietatem & vitia omnia prolabentium, corrumpi & amaroris pleniſſimum eſſe ſentiret.

Impedimento, ne redire in Paradiſum poſſent, protoplaſtis fuere cuſtodes ejus Cherubim.

XXIV. Collocavit quoque Deus ad horti cuſtodiam angelos, quos Cherubinorum nomine Eccleſia Iſraëlitica, ob formas in propitiatorii operculo, noverat; qui ardentis gladii laminam perpetuo verſarent. Sive illa ſpecies gladii fuerit, viſibili modo ab angelis ad horti aditum vibrati. Qua forma eos, ad judicia Dei exequenda miſſos, ſæpius apparuiſſe legimus; Bileamo, Num. 22:22, 23. Joſuæ, c. 5:13. Davidi, 1. Chron. 21:16. Ezechiëli, cap. 9:2. ſive, juxta Grotium, per flammantem gladium perpetuos ignes, & cavernas bitumine ac ſulphure ſtagnantes, quales in Babyloniæ campis ſcriptores produnt, intelligas. Quomodo & in Sodomæ agris priſtini incendii reliquias ex bituminis magna copia agnoſcere licet. Sive denique iſta voce impropriè ignea Dei lex, qua Deus hominem Paradiſi aditu prohibebat, additis legis vindicibus ac cuſtodibus angelis, intelligenda ſit, conf. Deut. 33: 2. *Jehovah*, qui *ex Sinai venit* &c. *& venit à myriadibus ſanctis, à cujus dextra ignis legis ipſis* extitit. Putida enim ſunt quæ Pontificii nonnulli de zonâ torridâ, quaſi illic terrarum, & ſub ipſo ſideris incendio, Paradiſi ſedes quærenda foret; vel audacius alii de purgatorii ignibus fabulantur. Sufficit nobis, hominis è Paradiſo exilium cœleſtis hæreditatis amiſſæ imaginem fuiſſe; ipſumque à cœlo, magiſque à Deo ſuo, exulem, & *tanquam ſpem non habentem, ac ἄθεον*, & ſine Deo fœderato ac amico, in mundo agentem Eph. 2:12. æternæque iræ ac maledictioni obnoxium, admonuiſſe, ut eo ardentius gratiam Dei, quæ in ſemine promiſſo oſtentabatur, anhelaret & quæreret.

Paradiſus, cum hominem colonum amplius non pateretur, deſtructus.

XXV. Sed & Paradiſum ipſum, cum hominem colonum pati amplius non poſſet, nec, abolito priſco fœdere, ac ſuperinducto novo, tale ejus ſymbolum perpetuo extare, ac ante oculos verſari pareſſet, deſtructum eſſe multis, etiam ex Pontificiis, probabile, nobis autem certiſſimum eſt. Cum in Meſopotamiæ vel Armeniæ campis, ubi olim ejus ſedes fuerat, nulla horti iſtius veſtigia nunc extent: & per diluvii aquas.

aquas, quæ toti terræ tam diu incubarunt, quicquid priſtini decoris locus iſte forte adhuc ſervaverat, prorſus corruptum ac extinctum videatur. Fieri enim non potuit ut hortus tam delicatus, ſervata loci venuſtate ac gratia, perpetuum virens ac florens, nullo frondium ac comarum diſpendio, annum ferme integrum ſub aquis perduraſſet; cum vel firmiſſima ædificia eo tempore, laxatis compagibus, fatiſcere ac collabi deberent. Ad miracula autem confugere, extra Scripturarum auctoritatem, ineptum eſt. Ut meræ fabulæ ſint, à Judæis, peritiſſimis talium mercium mangonibus, primum hauſtæ, quæ Pontificiorum magna adhuc pars de Enocho & Elia ſomniant, quos in Paradiſo adhuc attineri volunt, donec in ultima mundi ſenecta in terram reduces Antichriſtum oppugnaturi ac Judæos converſuri ſint. Quibus firmandis perperam adducunt locum Mal. 4: 5, 6. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ magnus ille & terribilis: ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipſorum; ne veniam & percutiam terram anathemate*, & ex Apocryphis Eccleſ. 4: 17. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*; ſed corruptum; in Græco enim nulla Paradiſi fit mentio: & Apoc. 11: 3. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt dies mille ducentos amicti ſaccis.* Cum Paradiſi nulla iſtis locis mentio exiſtat, quæque ibi narrantur, alium longe ſenſum habeant, nec in Enochum vel Eliam quadrare poſſint.

XXVI. Cum autem omnes has pœnas commeritus ſit homo, ac partim pertulerit, dubium hinc oritur, *an primi parentes damnati ſint?* Quod temere nimis inter veteres quidam affirmarunt, præſertim Novatiani, id in hæreſeos ſuæ firmamentum rapientes; alii autem addubitarunt, quia in fidelium catalogo, Hebr. 11. quem ab Habele Apoſtolus demum exorditur, non comparent. Sed falſo. Mox enim poſt lapſum in gratiam recepti leguntur: & primæ promiſſionis auditores fuerunt, cui procul dubio fidem habuerunt, cum ſecuturo mundo ejus veluti obſides, & divinæ gratiæ amplectendæ poſteris ſuis auctores ac exemplar fuerint. Unde & Eva, poſt lapſum, nomen *matris viventium* ſortita eſt, quod ab Abele & Caino certe, quos infauſto partu ediderat, vel univerſa poſteritate quam in mortem omneſque calamitates genitura erat, accipere non potuit; ſed à longe meliori ſemine, cujus mater exiſtere non potuiſſet, ſi divinam promiſſionem non ante fide acceptaſſet. Sed & nomina quæ liberis deinceps impoſuit, præſertim illuſtre illud Caini, quem tanquam maximum Dei donum amplexa, &

Q. an primi parentes damnati ſint?

Digitized by Google

in infante iſto vel ipſum ſemen promiſſum, vel ejus ſaltem venturi pignus ſeſe tenere exiſtimans, ea ipſa à re denominavit; ut & Sethi, ac alia, quæ teſtabantur ipſam de progenie ac poſteritate ſua non deſperare; ut & ſacrificiorum oblatio, quam ex ſpeciali fiducia factam in Habele ipſorum filio conſtat, cum *fide potius ſacrificium præ Caino obtulit Deo*, Hebr. 11:4. quid niſi fidei ipſorum manifeſta profeſſio fuerunt?

Hi peccati effectus ex Dei benignitate variè mitigavit.

XXVII. Atque hi peccati effectus in primo homine mox ſeſe oſtenderunt, ac exinde porro in poſteros ejus derivati ſunt. Qua in re tamen, ex Dei benignitate ac amore in genus humanum, multiplex ſe oſtendit moderatio, dum iram ſuam variè temperat, & tum internis, tum externis beneficiis iſtam non unius generis mortem diluit, ac peccatori non falſam ſpem gratiæ facit, & ad ſeſe quærendum interim invitat. Non enim, ut perfectiones ſuas demonſtret Deus, peccatum omnibus modis & quantum poteſt punire tenetur; ſed χάριτος potius ac χρηστότητος ejus eſt, beneficentia ac patientia uti, nec humanum genus, protinus ac conditum eſſet, unius ob noxam penitus abjicere.

quoad mortem corporalem,

XXVIII. Quoad mortem enim corporalem, non exigui amoris erat, quod, lata jam mortis ſententia, non voluit hominem primum, omneque hominum genus mox extinguere. Inde non ſolum primi hominis vitam ad longiſſimum tempus protraxit, ut diu rebus humanis præeſſe, eoſque qua pollebat ſapientia regere, & tradita ſibi cœleſtia oracula ad poſteros tranſmittere poſſet; ſed & mundum adhuc, quamquam impium, & conditori ſuo rebellem, nec ipſum ut decet agnoſcentem ac colentem, ſed blaſphemantem potius & abnegantem, per tot annorum millia tolerat, & quotidie de cœlo viſitat, quanquam in univerſali iſta corruptione vix quicquam in eo ſuperſit quod ipſi placere poſſit. Duratque etiamnum ſemel à Deo conſtitutus ordo: præſertim in hominum generatione, cujus leges gratioſè conſervat, atque ad vagas & inceſtas libidines, quas ſterilitate ulciſci poſſet, tamen prolem indulget. Quin & externa quælibet bona, & vitæ commoda, ac ſolatia peccatoribus largitur, nec ad neceſſitatem ſolum, ſed & ad delicias menſam ipſorum inſtruit. Ut bonis iſtis juſte ac pleno jure uti poſſint: non quidem quoad jus ſpirituale, & in Chriſto, ſecundum bonam conſcientiam; iſto enim reſpectu, cum amicitia Dei careant, etiam bonis ejus exciderunt, nec ad ea jus habent; ſed tamen quoad jus quod ipſis ex indulgentia Dei naſcitur; cum creaturæ Dei ſint, quas iis, quibus in hoc mundo vitam pro miſericordia ſua prorogat, etiam utendas proponit: ut peccatores eas accipere poſſint, cum Deus eas veluti manu

Digitized by Google

nu ſua ipſe tradat & offerat, & in mundo exponat. Licet enim in abuſu creaturarum ſæpiſſime peccent, quod cum gratiarum actione eas non uſurpent, & ad luxum plerumque iis abutantur; in eo tamen quod rebus à Deo datis ſimpliciter utantur non peccant, nec in eo culpandi ſunt. Quibus Deus oſtendere voluit, ſe habere conſilium gratiæ, ac propoſitum miſerendi, & quoſdam ſaltem ad vitam æternam reducendi; unde una cum vita omnem ſpem gratiæ homini præcidere noluit, ſed potius longanimitate iſta homini miſericordiæ non levem tantum ſuſpicionem, ſed & ſpem dedit. Reprobis autem etiam iſtis beneficiis ſe teſtatum reddere voluit, ut non haberent quod Deum accuſarent ut immitem, vel crudelem, cum vel ad faſtidium bona ſua iis offerat, ut non niſi propria libidine perire poſſint.

ſpiritualem.

XXIX. Circa mortem ſpiritualem non leve temperamentum eſt, quod imaginis ſuæ reliquias, ac extremas ſaltem lineas, & pretioſæ iſtius tabulæ fragmenta, in homine ſupereſſe faciat, è quibus veluti emorientibus radiis priſtinæ lucis ſplendor & gloria agnoſci queat. Qualia ſunt in intellectu rationis ac humanæ ſapientiæ uſus, in voluntate ſummi boni amor, ac languentis animæ ſitis, quæ nullâ re terrena ſatiari poteſt; quin & virtutum ſimulachra, & artium ac diſciplinarum adinventio, quæ vitæ humanæ multa commoda & ornatum ac decus addunt. Quo etiam pertinet multorum peccatorum ac ſcelerum in ipſis infidelibus impeditio, ac *παιδεία ἐθνῶν diſciplina gentium*, Pſal. 94: 10. Qua cœleſtis cenſuræ ſeveritate mundus hic continetur, ne hominum ſocietates ac cœtus, quibus nihil beatius in hac mundi corruptione dari poteſt, divellantur, ac in mera latrocinia degenerent. Ut enim Deus humanum genus amat, ita præcipue benè ordinatos eorum cœtus, hominumque mutuo ſe amantium ac juvantium conventus, quas politias vocamus, curat. Hinc parentum, magiſtratuum, dominorum auctoritatem tuetur, iſtiſque veluti repagulis peccatorum ac miſeriæ curſum aliqua ex parte morari ac impedire ſolet.

& æternam.

XXX. Tandemque, etſi mortem æternam non auferat, tamen vaſa iræ, ad interitum præparata, ſapientiſſimis modis regit, ſuamque *χρηστότητα* ac perfectiones omnes variè oſtendit. *Si verò volens Deus oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum; & ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam*: non habet poteſtatem? Rom. 9: 22, 23. *Aut divitias bonitatis ipſius & tolerantiæ ac longanimitatis contemnis: ignorans, quod bonitas Dei ad reſipiſcentiam te ducat?* Rom. 2: 4. tan-

Digitized by Google

demque pœnas ipſas ita temperat, ut peccatum non omnibus modis puniat quibus puniri poteſt; &, ſicut bona opera ultra condignum remunerari, ita peccata citra condignum vindicare ſoleat.

CAPUT IX.

De peccato Originali.

Primævi peccati effectus in nobis.

I. NOn ſtetit autem in primo homine primævæ tranſgreſſionis labes; ſed, cum ille communis mundi parens ac princeps eſſet, in univerſam ſobolem ac poſteritatem ejus propagata, hinc omnes porro homines reos fecit, ac ſub *κατάκριμα* poſuit. Quem peccati hujus in nobis effectum conſideraturi, agemus de peccato, cum *originali*, tum *actuali*, tum de ſtatu illo veluti peccati hinc orto, quem liberi *arbitrii ſervitutem* appellamus.

Peccati ORIGINALIS *vox.*

II. *Peccati originalis* vox in Scripturis non reperitur, ſed eccleſiaſtici uſus eſt, ut multæ aliæ; ab Auguſtino aliiſque ſcriptoribus eum ſecutis adverſus Pelagianos frequenter uſurpata, ad nativam lucem exprimendam.

complectitur reatum & labem.

III. Vox autem illa duo complectitur: tum *reatum*, quem ab Adamo habemus, *τὸ κρῖμα*, *meritum judicii*, quod eſt ἐξ *ἑνὸς εἰς κατάκριμα*, *in condemnationem*, quia judicati ſunt *in eo omnes peccaſſe*, ut loquitur Apoſtolus Rom. 5: 12, 16. tum ipſam illam *labem* nobis inhærentem. Prius peccatum originale *imputatum*, poſterius *inhærens* dicitur.

Imputatio peccati in quo conſiſtat?

IV. Quæ *imputatio* non tam in eo conſiſtere videtur, quod ipſum Adami peccatum, ipſeque ille actus, & veluti fructus deguſtatio, nobis irrogetur; cum nemo alterius voluntate nocens fieri poſſit: ſed potius in eo, quod propter conjunctionem quam cum Adamo habemus, cum naturæ, tum præcipuè fœderis Dei reſpectu, poſtquam ille peccaviſſet, jam rupto Dei cum univerſo genere humano fœdere, nos quoque ejus liberi, cujuſcunque illius fortunæ hæredes, extra Dei amicitiam naſcamur, nec Dei amplius, ſed Adami imaginem geramus; unde non niſi corruptiſſimi eſſe poſſumus. Quod cum non niſi ratione peccati iſtius primi nobis eveniat, non tantum *mediata*, ſed & *immediata* ejus imputatio eſt, ut recentiores loquuntur.

Ejus ratio nititur cum natura, tum fœdere.

V. Ratio autem hujus imputationis eſt, tum *natura*, quam ab Adamo hauſimus, quam nobiliorem nobis dare non poterat quam ipſe habuit, cum ejus liberi ac pars ſimus: tum præcipuè Dei *fœdus*, non cum

Ada-

Adamo ſolo, ſed cum univerſo genere humano initum; quod in primo parente violatum univerſam ejus ſobolem eidem calamitati involvit.

unde Adamus conſiderandus ut generis humani caput.

VI. Atque ita Adamum conſiderandum fuiſſe, ut commune vid. generis noſtri caput ac fœderis principem, ad oculum docet ipſa primi hominis hiſtoria; ubi bona malaque omnia ipſi ut publicæ perſonæ, quæ ſequentis mundi exemplar ac veluti obſes foret, tributa legimus; tum ante lapſum egregia illa, Dei imaginem, imperium in creaturas, matrimonium, legeſque conjugales; tum etiam poſt lapſum omnes illas miſerias & calamitates, quæ exinde non illum ſolum, ſed præcipuè poſteros ejus afflictura erant.

Quod aſſeritur ex Scripturis.

VII. Atque idem confirmat Scripturæ auctoritas, & imprimis inſignis ille Apoſtoli ad Romanos locus, cap. v. ubi propria argumenti hujus ſedes, v. 12. ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον: quod ſive vertas, *in quo omnes peccaverunt*, non inſolenti Nov. Teſtamenti ſcriptoribus phraſi, qui & alibi ἐπὶ ſumunt pro ἐν, ut in illis: *Demittunt grabatum*, ἐφ᾽ ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο. Marc. 2: 4. *Solummodo* ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι &c. Hebr. 9: 10. *Ad redemtionem* τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων, *quæ ſub priori Teſtamento erant tranſgreſſionum*. Hebr. 9: 15. quo etiam ducunt antecedentia verba, ubi de uno & primo illo homine, deque triſti quem in mundum intulit comitatu, ſermo eſt; quæ oratio continuatur: ſive, *quo peccante omnes peccaverunt*, ἐφ᾽ ᾧ (ἁμαρτάνοντι) πάντες ἥμαρτον; quomodo ἐπὶ uſurpatur Hebr. 9: 17. *Teſtamentum enim* ἐπὶ νεκροῖς *in mortuis firmum eſt*: ſive denique non ſubjective, ſed cauſaliter, *eo quod omnes peccaverunt*; in eundem omnia ſenſum exeunt; cum etiam vel ita neceſſe ſit in eandem ſententiam verba ſupplere, ac intelligere, *eo quod* (videl. in uno illo homine) *omnes peccaverunt*; cum Apoſtolus ab uno illo homine peccati pariter & mortis in mundo initium arceſſat. Quod ita generaliter de univerſo mundo, deque omnibus hominibus etiam nondum natis dicere, cunctoſque homines eidem reatui involvere nequiviſſet, niſi omnes in primo illo homine pariter peccati & mortis rei fuiſſent: præſertim cum moriantur etiam illi, qui nulla propria culpa obſtricti communi tantum generis humani crimine tenentur. Ut fruſtra Pelagiani ad imitationis exemplum hæc verba reſtringant. Hoc enim in infantibus ſaltem locum non habet. Atque hoc porro innuit Apoſtolus v. 14. ubi mori *etiam illos addit, qui non peccarunt in ſimilitudine Adami*, h. e. non proprio & actuali peccato; adeoque imputato: quod hic manifeſto innuit Apoſtolus. Sed & eodem verſu Adam τύπος τοῦ μέλλοντος dicitur, *typus futuri*, h. e. Chriſti. Ut ergo Chriſtus

electorum ſuorum perſonam ſuſtinuit in impletione legis, ita idem & Adamus fecit in ejus tranſgreſſione. Talis etiam partium oppoſitio eſt v. 15. inter *unius offenſam*, qua *multi* dicuntur *mortui*, & inter *donum gratiæ*, quod pariter eſt *unius hominis Jeſu Chriſti*, *quod abundans* fuit *ſuper multos:* ubi utrobique eſt imputatio. Pariterque v. 19. ubi ſimili modo *ex unius crimine multi dicuntur rei*; ſicut *per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi*. Per *multos* autem illos, qui unius ex crimine crimen habent, patet intelligi omnes ab Adamo ortos; cum hi multi non opponantur aliis multis, qui ab eodem parente orti inſontes remanſerint, ſed Adamo ipſi qui unus ſolum erat. Nec eſt quòd in ea voce latebras adverſarii quærant.

Imputatio primi peccati negata à Pelagianis & Remonſtrantibus; ab aliis aſſerta, ſed abnegatâ hominis per id corruptione.

VIII. Male ergo *Pelagiani* Adami peccatum à nobis alienum cenſent, nec ullo modo imputari poſſe contendunt. Nec ſatis rectè *Remonſtrantes* pœnam iſtius peccati ad poſteros tranſire, ex naturæ videl. humanæ conditione, quæ nunc omni bono gratiæ ac gloriæ veluti veſte nudata ſit; non autem ipſum peccatum, neque ideo nos reos ac peccatores coram Deo ſtatui, docent: quod ſecum ipſo pugnat. Sicut è contra alii, ut ante Lombardum *veteres*, & inter recentiores *Albertus Pighius* & *Ambroſius Catharinus*, peccatum originale ad nos tranſire, ſed nulla relicta labe, voluerunt, nihilque aliud eſſe quam ſolam Adami inobedientiam nobis imputatam, nec ultra integritati noſtræ nocentem. Quæ & olim Remonſtrantium, dum peccatum illud videbantur agnoſcere, ſententia fuit.

Quare diſtinctius conſideratur ejus corruptionis.

IX. Conſideranda ergo, præter imputationem, etiam *inhærens* naturæ noſtræ corruptio, & prava lues, quæ tum in Adamo, tum in poſteris ejus remanſit. Quod tanquam virus quoddam eſt, quod ab epoto veneno, vel depaſtis noxiis dapibus, in præcordiis poſtea deſævit, hominemque perimit. Cujus permanentis noxæ 1. exiſtentiam, 2. naturam, 3. propagationem luſtrabimus: quatenus nempe in privationem hæc omnia cadere poſſunt.

exiſtentia, qua aſſeritur.

X. Exiſtentiam ejus tum *Scriptura*, tum *ratio*, tum denique *experientia*, ipſeque ſenſus ac *conſcientia* noſtra teſtantur. Ut omni argumentorum genere hæc veritas, quæ inter Chriſtianas veritates tanti ponderis eſt, confirmari poſſit.

ex Scripturâ.

XI. Ac Scriptura quidem illuſtri loco, Gen. 6: 5. *Vidit Deus quod plurima eſſet malitia hominis, in terra, & omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum malum eſſet omni die.* & Gen. 8: 21. *Quia figmentum cordis hominis malum à pueritia ejus.* Occurrit enim iis locis judicium *ipſius Dei*

de

Digitized by Google

de opere ſuo, ſed corrupto & fœdato: optimè autem poteſt figulus ſentire de vaſculo, quod ipſe effinxit, inquit alibi *Hieronymus*. Nec de hoc vel illo ſolum peccatore, ſed de *univerſo genere humano*. Idque, facto ante examine, & poſtquam de cœli arce veluti *proſpexerat*, ac terras luſtraverat. Idemque judicium *bis*, iiſdem ferme verbis repetit; non de mundo ſolum illo, quem ob ſcelera ultricibus aquis delere decreverat; ſed & de novo mundo quem ex ſuperſtite Noachi ſobole proſeminaturus erat. Ne quis per hyperbolem veteris ſæculi flagitia exaggerari tantum dicat. Ac denique cœleſtis hæc ſententia tam gravibus verbis exponitur: intimi *cordis* omnes *cogitationes*, eaſque adhuc informes, eorumque primas veluti umbras & deformationes ac *figmenta*, eſſe *mala*, & *tantum* mala, quin *malitiam* ipſam, à prima uſque *pueritia* & origine. Ut non de actualibus ſolum & voluntariis peccatis ac primi mundi ſceleribus hæc verba intelligenda veniant, ut adverſarii excipiunt. Cum & de ſequenti mundo illa iterentur, Gen. 8:21. & fortia nimis, ac univerſalia ſint, quam ut ipſam nativam labem non comprehendant. Quin potius, expoſita corruptiſſimâ hominum iſtius ætatis vitâ, hinc ad ipſum mali fontem Scriptura aſcendit (ut ſæpe alibi, Pſal 51:7. Ezech. 16:4. *Et quod attinet genituras tuas, quo die genita fuiſti, non fuit præſectus umbilicus tuus, & aquis non fuiſti lota ad nitorem, vel ad jucundum aſpectum meum, & ſaliendo non eras ſalita, & faſciis non eras involuta.* Eph. 2:3. *In quibus peccatis & nos omnes converſati ſumus quandoque in concupiſcentiis carnis noſtræ, facientes voluntates carnis & cogitationum: & eramus filii natura iræ; ut & reliqui.* Pſal. 103:14. *Nam ille novit figmentum noſtrum; memor eſt nos eſſe pulverem.*) atque unde tam diræ cupiditates, & tanta ſæculi impietas provenerit, exponit; ex vitiata nempe origine, quæ inſtar corrupti fontis non niſi noxias aquas continuo egerebat, & non ſecus ac incenſa fornax flammas & ſcintillas undique jactabat.

XII. Accedit Pſal. 51:7. *Ecce in pravitate editus ſum, & in peccato concepit me mater mea.* Quem locum etiam inter Judæos Aben Ezra & Sal. Jarchi de innatâ concupiſcentiâ expoſuerunt. Ut non ferenda Socini ac Anabaptiſtarum audacia ſit, Davidem vel matris peccatum confiteri, vel hyperbole uti, & excuſando proprio peccato, humanam fragilitatem deplorare, & ad communem hominum ſortem, ad quam nati omnes ſumus, ingemiſcere. De proprio enim lapſu manifeſto Propheta agit, & à peccato ſuo mundari petit: *Expiabis me hyſſopo, & purus ero; lavabis me & præ nive albeſcam.* v. 9. *Averte faciem tuam à peccatis*

tis meis, & omnes pravitates meas dele. v. 11. nec inanibus verbis abutitur, neque in ἀνυποκρίτῳ illa ἐξομολογήσει Deo obmurmurat, ac providentiam ejus incuſat, quod naturam noſtram tam lubricam, & ad carnis tentamenta tam mollem finxerit: iſtæ enim gentilium querelæ, non vero ſanctorum hominum fuêre, qui operis Dei rationem, atque imbecillitatis humanæ originem & cauſas, melius edocti, in edenda peccatorum confeſſione longe ſanctius ſe gerebant: ſed *veritatem* ex animo & intimis ſenſibus ſe amare profitetur, & potius ſapientiam & gratiam ac fidem Dei exaltat, ut amoris ac miſericordiæ ejus particeps fiat. *Nam defectiones meas ego novi, & peccatum meum coram me eſt ſemper.* v. 5. *Tibi ſoli peccavi, & malum in oculis tuis feci; ut juſtificeris, quando loqueris, & mundus ſis, quando judicas.* v. 6. *Ecce veritate delectatus es in renibus, & in occulto ſapientiam me facis cognoſcere.* v. 8.

XIII. Quibus adde Job. 14: 4. *Quis dabit purum ex impuro? non unus.* Unde & idem ſacer ſcriptor negat, filium *Adami*, muliere prognatum, purum eſſe, aut juſtificari poſſe coram Deo. *Homo natus muliere brevis eſt vita & ſatur commotionis.* cap. 14: 1. & 15: 14. *Quid eſt homo deploratus, ut jus illi ſit, & ut juſtus ſit, natus muliere?* Et Prov. 22: 15. *Stultitia alligata eſt animo pueri*: quod etiam Rabbi Levi ben Gerſon de ſtultitia adnatâ intelligit. Nec aliud innuebat *circumciſio* infantium in membro genitali inſtituta, niſi corruptam ipſorum originem, cui hoc ſacramento remedium parabatur: quod & baptiſmo infantium in Nov. T. peragitur. Et fatentur ipſi Judæi aliquo modo hoc naturæ vitium, ex antiqua Patrum procul dubio fide ac Catecheſi, in homine יצר הרע, *figmentum malum*, ponentes; & naturæ humanæ languorem ac veluti tabem aliquam agnoſcentes; quamvis illam cæteroquin peccatum eſſe negent. Denique confirmat idem Chriſti auctoritas, Joh. 3: 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Niſi quis naſcatur denuò, non poteſt videre regnum Dei.* Ibid. v. 3. *Amen dico tibi; niſi quis naſcatur ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.* v. 5. & Apoſtolus ita gentes natura peccatores affirmat, Gal. 2: 15. *Nos, natura Judæi & non ex gentibus peccatores*, ut idem etiam ad ſuam gentem ac Judæos extendat. Eph. 2: 3. *Et eramus filii natura iræ; ut & reliqui.*

ratione. XIV. Nec refragatur *ratio*: cum enim Adamus generis humani parens ac ſator, ejuſque quaſi radix foret, in ejus corruptione omne hominum genus vitiatum fuiſſe oportet. Radice enim putrefacta non niſi rami putridi proveniunt, qui eandem tabem ſpargunt ad alios ex

ſe

Digitized by Google

ſe naſcentes ſurculos: & ſcaturigine corrupta, omnes quoque rivuli putres aquas trahunt, ejuſque veneni primordia ad ultimos uſque latices derivant. Sic ipſa naturæ lege ac jure omnis Adami hæreditas ad poſteros pervenit; atque ipſe per peccatum corruptus, & amore terreno languens univerſæ poſteritatis ſuæ corruptor evaſit. Non enim dignum Deo erat, homini peccatori, nec quærenti ſemen Dei, ſanctam ſobolem dare, ac imaginem ſuam per vitioſam, ac fœdam ſæpe & varia libidine pollutam generationem, propagare ad ejus poſteros; adeo ut peccator, ab amicitia & fœdere Dei alienus, & ſtirps & caput foret ſeminis ſancti.

XV. Probat hoc etiam *experientia*: quæ cum univerſum mundum corruptum eſſe doceat, ne uno quidem excepto, qui à nativa lue purum ſe oſtendat, (vide Rom. 3: 10, 11, 12. *Sicut ſcriptum eſt: non eſt juſtus, ne unus quidem. Non eſt animadvertens, non eſt quærens Deum: omnes declinaverunt; ſimul inutiles facti ſunt; non eſt, qui faciat bonum, non eſt ad unum uſque.*) univerſalem communemque vitii iſtius cauſam prodit; ipſamque naturam, quam à primo parente trahimus, in ipſo ortu ac origine ſua laborare, jamque tum ægram eſſe, arguit. Alioquin in tantâ mortalium turba vel unus inventus foret, quem naſcentem benigniori ſinu natura excepiſſet, quique ab ipſa origine ſua purus & ſanctus eſſet. *experientia,*

XVI. Ipſe denique ſenſus ac *conſcientia* noſtra hoc confirmat: quæ vel ipſa rationis obſtrepentis ac reſponſantis os occludit. Dum videmus, qualibus in tenebris, quantâque in caligine, hoc ævi quodcunque eſt tranſigamus; quam infirma & debilis ſit voluntas, quæ reginæ inſtar humanæ vitæ præſidere deberet; & quanta affectuum ſit rabies, qui ferocibus equis non abſimiles, exturbata ratione, ceu auriga excuſſo, intemperanter ac ſine modo vel in optimis quibuſque laſciviunt; atque ipſi denique ſenſus noſtri quantopere torpeant, ſemperque humi ſerpant, & in craſſioribus objectis volutentur, nec unquam ad verum robur ſe attollant. Quid quod, quæ præcipua noſtra calamitas cæterarumque cauſa eſt, indignum in modum, animam hanc ipſam, à primo ortus ſui momento, ita corpori ſuo immerſam atque iſto carcere veluti ſepultam conſpicimus, ut vix ullam cogitationem, niſi occaſione corporis motuumque ejus, fingat, quin & motibus ejus automaticis, quos regere ipſa debebat, ita obſequatur, ut tanquam funibus ac nervis quibuſdam vincta videatur, à qua conſuetudine ac ſervitute multi vix tota vitâ ſe extricant. Quæ profecto homini nobiliſſimæ *& conſcientia.*

creaturæ convenire non poſſunt, niſi Deum, cui vel minima opera ſua placent, præſtantiſſimo huic operi infenſum dicamus. Adeoque alii cauſæ & primævæ iſti labi hæc adſcribenda veniunt.

Quam naturæ corruptionem negant Judæi, Pelagiani,

XVII. Negant hanc naturæ corruptionem *Judæi*, hæreſeon omnium patres ac pigmentarii, qui quanquam promtitudinem ad peccatum & figmentum malum in homine concedant, peccatum tamen eſſe negant. Quos ſecuti ſunt plerique ſere extra Eccleſiam hæretici, imprimis *Pelagiani*, qui homines ſine vitio ac reatu naſci, atque inſtar Adami ante lapſum ſuum, incorruptos in mundum prodire ſtatuunt: ac Adamum peccantem non niſi exemplo poſteritati ſuæ nocuiſſe, ac naturam noſtram ſolum frequentibus vitiorum actibus corrumpi, & ſola ejus peccati imitatione ream fieri, docent. Quæ per omnia *Socinianorum*, ac plerorumque inter *Anabaptiſtas* hodie quoque ſententia eſt. Quæ & Scripturæ, & experientiæ, ut vidimus, repugnat; quæ inſontem ac innoxium ex fingentis naturæ manibus etiamnum hodie exire hominem non admittet.

Sociniani & plerique Anabaptiſtæ:

XVIII. Quæ enim ex S. S. litteris producunt, *infantes dici innocentes: Et fuderunt ſanguinem innoxium, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum; quos ſacrificarunt idolis Cananæis*. Pſal. 106: 38. *Et ego indoleſcerem Nineva, urbi maximæ, in qua ſunt amplius duodecim myriades hominum, qui non dignoſcunt dextram ſuam à ſiniſtra ſua, & pecudes multæ?* Jon. 4: 11. quin & *ſanctos: Liberi veſtri impuri eſſent. Sed ſancti ſunt*. 1. Cor. 7: 14. non ſimpliciter intelligenda ſunt, ſed tum comparatè quoad adultorum ſcelera & flagitia; tum de ſanctitate, non inhærente ſed relativâ ac fœderali, phraſi Judaicâ. *in ſanctitate nati ſunt*, h. e. non Ethnici, ſed Chriſtiani: quam tamen ipſam ſanctitatem non ex naturâ, ſed ex gratia ac fœdere Dei habent. Quod addunt: corruptionem hanc, ſi qua poneretur, *non eſſe voluntariam; neque etiam legem ullibi* iſtam naturæ infirmitatem ac languorem *vetare*, adeoque nec eſſe peccatum; partim ſupra excuſſum eſt, partim ipſis legis verbis adverſatur; quæ cum incontaminatum ac omni ex parte integrum Dei amorem poſtulet, apertis verbis iſtud concupiſcentiæ adulterium proſcribit: *non concupiſces*.

extenuant Pontificii:

XIX. Extenuant illam *Pontificii*, dum concupiſcentiam eſſe naturæ quandam ægritudinem ac infirmitatem, non autem propriè peccatum, præſertim poſt baptiſmum acceptum, ſtatuunt. Sicut concilium Tridentinum illam in regenitis eſſe peccatum expreſſe negat, contra Apoſtolum, Rom. 7. quibus affinia *Remonſtrantes* habent: inter quæ Epiſcopius docuit, hominem quidem per ſeſe parum ad beatitudinem

quibus affinia docent Re-

aptum

Digitized by Google

aptum ac idoneum eſſe; ſed tamen nihil in ipſo eſſe, quod peccatum *monſtrantes.*
proprie dictum, vel Dei odio dignum, vel peccati pœna ſit; nec etiam eſſe ipſum adeo corruptum, quin doctrina ac promiſſis excitari & ad Deum reduci poſſit.

XX. Naturam autem ejus quod atttinet, dicit peccatum iſtud totius naturæ vitium & à recto ordine deviationem, à primo ortu, primiſque mentis cogitationibus, ei adnatam. *Hujus corruptionis natura,* Conſiſtitque in eo, quod homo ita anima ac corpore ſit conſtitutus, ut à materno utero, primaque utriuſque unione, non niſi ſtulta cogitet, & ad terreſtria pronus vix quicquam ultra motus corporeos ſomniet, nec divina ac cœleſti ulla re afficiatur. Aquâ actuali à Deo averſione, & ad carnalia inclinatione, quam in ipſis operationis ſuæ primordiis patitur, quamque repetitis jugiter actibus confirmat, talis vitioſus habitus, ac concupiſcentiæ dominatus ac fœda illa animæ macula exoritur, quam corruptionem originalem appellamus. Ita ut hic etiam locum habeat; quod homo prius actu quam habitu ſe corrumpat; & à primarum cogitationum labe omnis porro naturæ corruptio derivata ac confirmata fuerit.

XXI. Habet autem ea corruptio duas quaſi partes, averſionem animæ à bono, & inclinationem ad malum, ſeu concupiſcentiam; quarum *duabus partibus conſtans.* illa στερητικῶς ſeu privativè: *Omnes declinaverunt; ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt ad unum uſque.* Rom. 3: 2. hæc θετικῶς ac poſitivè in Scripturis exprimitur. *Video autem aliam legem in membris meis belligerantem adverſus legem mentis meæ, & captivantem me legi peccati, quæ eſt in membris meis.* Rom. 7: 23. *Et vidit Dominus quod multa eſſet malitia hominis in terra, & omne figmentum cogitationum cordis tantùm malum eſſet omni die.* Gen. 6: 5. Quæ non ita differunt, quaſi non utrobique ſit privatio; ſed quod ibi abſit habitus bonus, hic adſit quidem habitus, ſed qui non in rectum exeat, verum perverſo objecto ſe applicet ac corrumpatur. Eſt ergo hic poſitivum non niſi logicum, & ſolo vocabulo tale; quo Scriptura utitur, tum ne peccatum illud pro mero nihilo & merè negativo habeamus, tum ut pernicioſiſſimos illius effectus conſideremus.

XXII. Subjectum inhæſionis eſt *totus homo*, tum animâ, tum corpore. *Subjectum ejus, inhæſivè, totus homo,* Unde menti cœcitas, voluntati perverſitas, & corpori denique ac membris rebellio inſanique impetus tribuuntur: *Animalis homo*, ſpiritu rectore deſtitutus, *non recipit*, approbat & admittit, *ea quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim ipſi ſunt. neque poteſt ea cognoſcere; quia ſpiritua-*

 liter

liter examinantur & dijudicantur. 1. Cor. 2: 14. *Reliquæ gentes ambulant in vanitate mentis ſuæ, obtenebrati cogitatione, quia ſunt abalienati à vita Dei propter ignorantiam, quæ in ipſis eſt, propter obdurationem cordis ipſorum.* Eph. 4: 17, 18. *Neque ſiſtatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed ſiſtite vos Deo, ut ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.* Rom. 6: 13. Ut male Pontificii, ſoli animæ parti inferiori ac ignobiliori, ſolique ſenſualitati, ut appellant, vitium adſcribant, illæſo mentis ac voluntatis apice: cum eadem ſit anima quæ ſentit & quæ intelligit; ut ea præcipuâ ſui parte ſana, alia vero ægra concipi non poſſit.

(non ſola anima pars inferior ut Pontificii volunt) extenſivè omnes homines.

XXIII. Extenſive ejus ſubjectum ſunt *omnes homines*, omnes videl. Adami poſteri, ſine ulla exceptione: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Joh. 3: 6. ἐφ' ᾧ *in quo*, uno homine, Adamo, *omnes peccarunt.* Rom. 5: 12. *Quemadmodum enim in Adamo omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur.* 1. Cor. 15: 22. Fruſtra Pontificiis ferè omnibus, extra Dominicanos, obnitentibus, & beatam Virginem excipientibus, quæ iſta labe intacta, ſupra communem humanæ naturæ ſortem in mundum edita, nec ullius unquam peccati rea fuerit. Qui error à Canonicis Lugdunenſibus, circa annum Chriſti 1136. ex immodico in Matrem-Virginem cultu ortus & à Bernardo & Scholaſticis iſto ævo refutatus, tandem Scoti acumine ac auctoritate in ſcholis prævaluit, Franciſcanis ac Jeſuitis, contra Dominicanos, acerrimè pro eo nitentibus Donec tandem litem illam, quam concilium Tridentinum, ob certamina Theologorum, definire non auſum, ambiguis verbis involverat, noſtra ætate Pontifex Rom. è ſede ſua non ſine orbis ſtupore decidit, & lata ſententia Virginem ab omni nativitatis labe abſolvit, idque pro Eccleſiæ dogmate credi in poſterum juſſit. Cum tamen Bellarminus ipſe opinionem hanc incertam & inexploratam eſſe fateatur; imo & Mariam Chriſti ſanguine expiatam dicat: quo ipſo peccatricem & ream fateri debuit; cujus rei etiam in Euangelica hiſtoria manifeſta indicia ſunt; quod fidem ſuam in Deum Servatorem teſtetur: *Exſultat ſpiritus meus in Deo Servatore meo.* Luc. 1: 47. quod veteris legis ſacrificia, quæ non ſine peccati confeſſione fieri poterant, peregerit; ſicut & quotidiana prece Deum adire, & commiſſorum veniam petere non dedignata eſt, ſolemnibus iſtis verbis, *remitte nobis debita* &c. imo quod à Filio increpata legatur. *Dicit ipſi Jeſus: quid tibi & mihi, mulier? nondum venit hora mea.* Joh. 2: 4. conf. Marc. 3: 31. & ſeqq. quod denique quaſcunque vitæ ærumnas & calamitates, velut amaros peccati fructus, non leviter delibaverit, ſed ad plenum perguſtaverit.

etiam beata Virgo.

XXIV. So-

Digitized by Google

XXIV. Solus autem excipiendus ab hac labe Jeſus Chriſtus, qui cum in Adamo numeratus non fuerit, neque fœderis (erat enim alterius fœderis caput) neque naturæ reſpectu, cum miraculo natus, nec vi primævæ benedictionis: *Creſcite & multiplicamini & implete terram*, Gen. 1: 28. ſed gratioſæ promiſſionis, *Semen mulieris conteret te*, ſerpentem, quoad *caput*, Gen. 3: 15. in mundum venerit; à communi iſta forte eximius, atque ab utero ſanctus & purus fuit. *Spiritus ſanctus veniet ſuper te & virtus altiſſimi inumbrabit te, ideo etiam, quod naſcitur, ſanctum vocabitur filius Dei.* Luc. 1: 35. *excepto ſolo Jeſu Chriſto.*

XXV. Sequitur peccati hujus *propagatio*; cujus ratio etſi occulta & ferè inexplicabilis ſit, nihilominus tamen certiſſima eſt, atque hoc propemodum modo concipi poſſe videtur. *Primi peccati* PROPAGATIO.

XXVI. *Animam* quod attinet, quæ præcipua hujus peccati ſedes eſt, ea cum in Adamo cenſita, ejuſque lapſu rea facta ſit, à Deo, conſiderato non tantum ut creatore, ſed & ut judice, creatur nuda ac inveſtis, ſine ſpirituali iſto decore ac ornatu, ut par eſt peccatoris prolem ac ſtirpem prognaſci. Quæ Dei quidem reſpectu juſtiſſima peccati pœna, hominis autem ratione, qui ſanctus ac creatori ſimilis eſſe debebat, maxima culpa eſt. Neque Deus magis in talis animæ productione accuſandus eſt, quam in peccatricis animæ conſervatione; quod cum circa unum hominem decorè, & cum bonitatis ſuæ laude, facere poſſit, cur non & majori beneficentia uti, atque humanum genus, jam corruptum, ejuſque ſtirpem & ſanguinem, per longam nepotum ſeriem, iſto in ſtatu conſervare ac propagare poſſet? Quæ humani generis conſervatio continuam novarum animarum, non Dei, ſed hominis defectoris imaginem gerentium, creationem dicit; adeoque Deo non indigna eſt, ut potius miſericordiam ac longanimitatem ejus teſtetur. Anima autem ita primæva ſua pulchritudine orbata, cum actuoſa ſit, ac neceſſario cogitationes ſuas exerceat, nec in agendo ceſſare poſſit, variiſque dotibus polleat; eæ cum in rectum exire nequeant, hoc ipſo pravæ ac diſtortæ, & vanitatis ac ſtultitiæ pleniſſimæ ſunt. *quoad animam,*

XXVII. Accedit & *corporis* contages, cujus vitium Adami ac Evæ pudor jam ab initio fatebantur. Iſta autem ſanguinis ac ſpirituum intemperies, omniſque iſta peccati armatura, naturali generatione proſeminatur. Cumque anima, mox ac creata eſt, tabido iſto ſinu excipiatur ac immergatur; recenſque adhuc nec ullo cogitationum uſu firmata, cognati corporis motus & impetus ſentiat, atque abſque illis in tenera iſta ætate vix ullas cogitationes formet, hinc patet quantopere *& quoad corpus*

Digitized by Google

ipſa à corpore corrumpatur, ejuſque tandem ſerva evádat; quod ipſiſſimum concupiſcentiæ regnum eſt.

XXVIII. Denique anima à primordio jam ægra, ſeque regere neſciens, non in corpore ſolum, ſed & *in mundo*, tanquam communi valetudinario, ponitur: ubi cum non niſi mala exempla videat, quæ eam undique obſident, & potentiſſimis illecebris ad malum impellunt, hinc ipſa nullis præſidiis munita, inermis inſtar fœminæ raptori cuicunque expoſitæ, peccatorum omnium ſpolium ac ludibrium evadit; ac, jam antea corrupta, ſeſe ipſam ac mundum ipſum amplius corrumpit.

ſit, tum per modum meriti, tum per modum efficientiæ cujuſcunque realis.

XXIX. Propagatur itaque peccatum ab Adamo, tum ad modum meriti, quatenus eſt pœna; tum per modum efficientiæ cujuſcunque realis; qualis nempe efficientia in privationibus locum habere poteſt, quarum una ſæpe eſt cauſa alterius. Ex ſolo autem primævo Adami peccato hæc labes in progeniem ejus tranſit, quia eo ſolo fœdus Dei violatum fuit. Reliqua enim Adami peccata non tam naturæ quam perſonæ fuerunt, nec magis ad poſteros tranſeunt, quam perſonalia ejus vel corporis vel animæ dona.

Cum peccato tranſit & pœna.

XXX. Cum peccato autem ſimul *pœna*, omniſque mortis reatus in omnes homines tranſit. *Amen, amen dico tibi, niſi quis naſcatur denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Joh. 3: 3. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* v. 6. *In quibus* peccatis *& nos omnes converſati ſumus quandoque in concupiſcentiis carnis noſtræ, facientes voluntates carnis & cogitationum: & eramus filii natura iræ; ut & reliqui.* Eph. 2: 3. *Scimus autem quod, quacunque lex dicit, iis, qui in lege ſunt, dicat, ut omne os obturetur & obnoxius fiat omnis mundus Deo.* Rom. 3: 19.

Quam veritatem vario & adultero colore incruſtant adverſarii.

XXXI. Quæ, cum negare prorſus non poſſint adverſarii, varie iterum incruſtant, & adultero colore linunt: dum *vel* mortem non peccati, ſed naturæ ſequelam eſſe ajunt, ut Pelagiani, quod ſupra excuſſimus. *Vel* effectus quoſdam primi peccati, hincque orta mala, univerſum mundum occupaſſe concedunt; verum illa in poſteris non pœnæ propriè, ſed tantum naturalis conditionis, rationem habere; quæ humanæ naturæ è priſtino faſtigio lapſæ nunc naturaliter debeatur: ut Sociniani; quod ſecum ipſo pugnat: quod enim à primo peccato ortum in omnes tranſiit, quia omnes in uno peccaverunt, neceſſario pœna eſt. *Alii* pœnam, quæ nobis ex Adami culpa incumbit, non æternam, ſed tantum temporalem eſſe volunt; ut cum Socinianis Anabaptiſtæ errant. Quod itidem inane eſt, cum peccati pœna non alia ſit quam una, mors vid. æterna. Cumque aliquam peccati pœnam concedant,

dant, quid vetat omnem concedere? unde Remonſtrantes has pœnas nonnihil augent, & æternas, ſaltem damni pœnas inde humano generi incumbere dixere.

XXXII. Atque hæc effata præſertim *infantibus*, etiam infidelium, applicatum ivêre, quos ab omni omnino pœna liberant cœloque adſcribunt Anabaptiſtæ, aliique ex Pelagii ſobole: Pontificii autem pœnam ſolum damni iis infligunt, & infantes omnes non baptiſatos limbo cuidam ac viridario, propter ſtygiæ ripæ marginem, includunt: non aliter ac olim Pelagiani, inferno eos eximentes, diſtinguebant inter vitam æternam & regnum cœlorum. Quæ partim fabuloſa, partim pugnantia, partim falſâ hypotheſi nixa ſunt. Nullibi enim Scriptura inferni Ditis regiam, & vaſti iſtius carceris ſpecus ac receſſus, prætextoſque iis limbos ac campos, ita deſcribit, ut hi homines fecêre; qui ut cœlum, ita & infernum metari, ac in ſua ſpatia deſcribere auſi ſunt. Nec ſatis rationali creaturæ congruit, pœnam damni ſolum pati, non autem pœnam ſenſus; cum damni iſtius neceſſario conſcia ſit, illudque ſentire, eoque cruciari ſummopere debeat. Denique quod infantes quoſcunque non baptiſatos huic pœnæ ſubjiciunt, accepto ab Auguſtino errore, qui tamen non limbum aliquem, ſed ipſos inferorum ignes, quanquam mitiores, iis aſſignavit, illud ſacrorum ſignorum vim ac neceſſitatem nimis extollit, à quorum uſu ſalutem omnino ſuſpendunt; quæ à Dei fœdere ac gratiâ expectari ſolum debet.

CAPUT X.

De PECCATO ACTUALI.

I. EX peccato originali fluunt *actualia*; quæ corruptæ iſtius arboris & flores & fructus ſunt, noxio ſucco radicis venenum teſtantes. *Non poteſt arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere.* Matth. 7: 18. *Manifeſta autem ſunt opera carnis: quæ ſunt adulterium* &c. Gal. 5: 19. *Ex originali fluunt peccata* ACTUALIA.

II. Deſcribi poteſt hoc peccatum, deviatio à normâ ac lege Dei: *καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, & aberratio eſt defectio.* 1. Joh. 3: 4. Aut, cogitatum, dictum, factum, contra legem Dei. *Eorum definitio.*

III. Diſcrimen ac diviſio eorum, ſicut in privationibus fieri conſuevit, ab oppoſita rectitudine commodiſſimè peti poteſt. *Diviſio.*

I. ratione partium, in peccata omiſſionis ac commiſſionis. IV. Ac ratione *partium*, occurrit diſtinctio in peccatum *omiſſionis* ac *commiſſionis*: *Igitur qui noverit rectè facere, nec facit, is peccato tenetur.* Jac. 4: 17. *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi quo veſcerer: ſitivi, & non dediſtis mihi potum.* Matth. 25:42. Quæ non diverſæ peccatorum ſpecies, ſed ejuſdem peccati quaſi partes ſunt. Cum in omni peccato actuali ſimul omiſſio ac commiſſio notari poſſit; quod vel omiſſionis appellatur vel commiſſionis, prout hæc vel illa peccati ratio in eo dominatur ac eminet. Atque inde etiam peccatum omiſſionis ad actualia refertur, quia moraliter loquendo nunquam ſine actu ullo, vel præcedente vel concomitante, exiſtit.

II. Subjecti, in peccata cordis, oris, operis. V. Ratione *ſubjecti*, aliud eſt peccatum *cordis*, aliud *oris*, aliud *operis*: *Etenim hypocritæ corde ponunt iram, non implorant, quando vinxit eos.* Job. 36: 13. *Ego vero dico vobis, quicunque aſpicit mulierem ut eam concupiſcat, jam adulteravit eam in corde ſuo.* Matth. 5: 28. *Nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſcortationes, furta* &c. Matth. 15: 19. Quæ tamen ita diſtinguuntur, ut ſe mutuo ſæpe includant: Quæ enim opere patrantur, prius corde concepta fuere, atque ibi homo peccare incipit.

atque hæc, vel in corpore, vel extra corpus. VI. Eodem reſpectu alia ſunt peccata *carnis*, alia *ſpiritus*: *Purificemus nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus.* 2 Cor. 7: 1. Atque iſta rurſus vel *extra corpus*, vel ipſo *in corpore* patrantur, illudque polluunt. Quod de ſcortationis probro Apoſtolus valide urget. 1. Cor. 6: 18. *Fugite ſcortationem. omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus eſt, ſed qui ſcortatur, in proprium corpus peccat.*

III. Objecti, in peccata in Deum, & in homines. VII. Ratione *objecti*, vel *in Deum* peccatur, vel etiam *in homines*. *Pater, peccavi in cœlum* (i e. in Deum. vide Dan. 4. 26. *Regnum tibi firmum eſt, ex quo cognoveris, quod poteſtatem habeant cæli*) *& in tuo conſpectu.* Luc. 15: 18. *Si quis in alterum peccaverit, judicabit eum Deus; ſed ſi in Jehovam quis peccat, quis orabit pro eo?* 1. Sam. 2: 25. In Deum omne peccatum committitur propriè & formaliter, ac ratione offenſæ: *Tibi ſoli peccavi, & malum in oculis tuis feci.* Pſal. 51:6. In hominem vero non niſi materialiter, ac damni & injuriæ ratione delinquitur.

IV. Modi, in voluntaria & involuntaria, VIII. Ratione *modi*, peccatum eſt vel *involuntarium*, ex *ignorantiâ* ſc. vel *infirmitate* commiſſum: *Aberrationes quis intelligat? ab occultis abſolve me.* Pſal. 19:13. qui Moſi *error*, (*Et expiationem faciet ſacerdos ſuper toto cœtu filiorum Iſraël, & remittetur eis, quia error eſt.* Num. 15: 25.) Tertulliano peccatum quotidianæ incurſationis appellatur: vel *voluntarium*, deliberatò & ex prava libidine factum: *Etiam à protervis com-*

parce

parce ſervum tuum, ne dominentur in me;tum integer ero *& mundus ero à defectione multa.* Pſal. 19: 14. quod lex appellat, *peccare elatâ manu*, pro quo non erat ſacrificium: *Et anima, quæ fecerit elatâ manu, ſive ex indigenis, ſive ex peregrinis, Dominum is contumeliâ afficit, & exſcindetur anima illa è medio populi ſui.* Num. 15: 30. A quo diſcrimine, peccatorum & pœnarum gravitas aut levitas præcipuè dependet. *Quin etiam dico vobis: Tyro & Sidoni & terra Sodomorum tolerabilius erit in die judicii quam vobis.* Matth. 11: 22, 24. *Ille autem ſervus qui novit voluntatem domini ſui, & neque ſe comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cadetur multis; qui verò non novit & fecit digna plagis, cadetur paucis.* Luc. 12: 47, 48. *Qui tradit me tibi, majus peccatum habet.* Joh. 19: 11. *Et inobediens extitiſti judiciis meis ad improbitatem plus quam gentes ipſæ* &c. *idcirco ſic ait Dominus, Ecce me irruentem in te, me inquam, ut faciam in medio tui judicia coram oculis gentium* &c. Ezech. 5: 6, 8. Atque huc ſpectat quoq; diſcrimen peccati *regnantis*, & *non-regnantis. Ne igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore, ut obediatis in concupiſcentiis illius.* Rom. 6: 12. *Peccatum enim vobis non dominabitur. non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* v. 14. *Nunc autem non jam ego operor illud, ſed, quod habitat in me*, peccatum. Rom. 7: 17. illud eſt, cui quis plenâ voluntate indulget, ac ſeſe immergit; accedente ſpeciatim legis impulſione: hoc vero, cui homo obluctatur, & per gratiam Sp. S. obnititur, vel antequam fiat, vel poſtquam jam vulnus accepit, quod pœnitentiâ lavat ac expiat. Quæ omnia ex iis quæ ſuo loco dicentur pleniorem lucem accipient.

regnantia & non-regnantia.

IX. Ratione *effectus*, peccata alia ſunt *clamantia*, alia *tolerantia. Aut divitias bonitatis ipſius & tolerantiæ ac longanimitatis contemnis: ignorans, quod bonitas Dei ad reſipiſcentiam te ducat?* Rom. 2: 4. *Volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum.* Rom. 9: 22. Clamantia appellantur in Scriptura, non omnia peccata, quamvis magna, ſed præcipue immania illa, quorum in Scripturis mentio: 1. Effuſio ſanguinis innoxii. Extat *vox ſanguinis* fratris *tui clamantis ad me à terrâ.* Gen. 4: 10. 2. Defraudatio mercedis operariorum. *Ecce, merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, per vos interverſa clamat: & vociferationes eorum qui meſſuerunt, in aures Domini Sebaoth introierunt.* Jac. 5: 4. 3. Rapina. *Nam lapis è pariete clamabit, & trabs è ligno reſpondebit illi.* Hab. 2: 11. 4. Concuſſio & oppreſſio viduarum, orphanorum, & pauperum. *Et dixit Dominus: videndo vidi paſſionem populi mei qui eſt in Ægypto; & clamorem eorum au-*

v Effectus, in peccata clamantia vel tolerantia.

divi propter exactores ejus, quia novi dolores ejus. Exod. 3: 7. *Nullam viduam aut orphanum affligitote. Si qua afflictione afflixeris eum (nam ſi tantillum clamet ad me, utique exauditurus ſum clamorem ejus) tum accenſa ira mea occidam vos gladio.* Exod. 22: 22, 23, 24. confer v. 27. 5. Scelus Sodomiticum. *Dixit ergo Dominus: clamor Sodomæ & Gomorrhæ cum multus ſit, & peccatum iſtorum cum grave ſit valde, deſcendam nunc* &c. Gen. 18: 20.

Remiſſibilia vel irremiſſibile; quod eſt peccatum in Sp. S. quale illud ſit?

X. Eodem pertinet diſtinctio inter peccata *remiſſibilia*, & ſpeciale illud quod Scriptura dicit *irremiſſibile*, quod eſt peccatum in Sp. S. De quo videndum tum quale illud ſit, tum cur dicatur irremiſſibile.

XI. Intelligitur autem hoc nomine non omne peccatum, quod in Spiritum S. committitur, quod in errorem quoſdam induxit; nam hoc modo ab ipſis fidelibus perſæpe peccatur: *Ne contriſtate Spiritum Sanctum Dei, quo obſignati eſtis.* Eph. 4: 30. Neque Servator Matth. 12: 31, 32. illud ſimpliciter ita appellat, nec de peccato quolibet, ſed de *blaſphemia* in Spiritum S. loquitur. *Propterea dico vobis, quodvis peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: blaſphemia verò in Spiritum non remittetur hominibus. Et quiſquis loquutus fuerit adverſus Filium hominis, remittetur ei; quiſquis autem fuerit loquutus adverſus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Ut hoc peccatum ſit immanis illa blaſphemia, qua quis veritatem divinam, cujus vim in animo ſentiit, negat, blaſphemat, oppugnat; & contra Spiritus illuminationem oculos claudit, mentemque roborat ac armat, luci ipſi cœleſti, cujus potentes radios ac ictum vel invitus ſentit, iratus ac infeſtus. Unde appellationis ratio patet, quare peccatum in Spir. S. peculiariter appelletur; propter illuminationem videl. mentis, quæ cum auctore Spiritu contemnitur ac reſpuitur.

Irremiſſibile eſt.

XII. Eſt autem peculiariter irremiſſibile (*non remittitur*, inquit Salvator, *nec in hoc, nec in futuro ſæculo*, Matt. 12: 32. quod vel de Veteris ac Novi Teſt. ſæculo; vel de futuro poſt reſurrectionem ævo, ubi publica remiſſionis promulgatio ac præconium peragetur; vel ſimpliciter de non remiſſione ſeu punitione perpetuâ ac æterna intelligitur: (Conf. Marc. 3: 29. *Quicumque blaſphemarit in Spiritum S. non habet remiſſionem in æternum,* εἰς τὸν αἰῶνα *h. e. nunquam, ſed tenetur æterno judicio.*)

Ob Dei Iuſtitiam.

potiſſimum duas ob cauſas, 1. ob juſtitiam Dei, quæ tantam à creatura ſua contumeliam ſuſtinere, & peccatum tam atrox ac infandum, tamque protervè ac procaciter contra gratiam ac amorem ſuum commiſ-

ſum

ſum, negligere, ac in levi habere non poteſt: *Deus* enim *ſe irrideri non patitur*, Gal. 6: 7. *ἑκουσίως voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, non amplius pro peccato relinquitur hoſtia.* Hebr. 10: 26. 2. ob ipſam peccati iſtius rationem, quod unicum vitæ medium, Chriſti ſacrificium, abnegat, crucemque Salvatoris blaſphemat & ridet; ac ſanguinem ejus, ac ſi nihil ſacri eſſet, & vel perditiſſimi latronis, eſſet cruor, vilem ac immundum habet: atque quod ipſam denique gratiam ac operationem Spiritus, qua ſola homo iſte converti tandem deberet, inſectatur & oppugnat. Hinc *peccatum ad mortem* dicitur 1. Joh. 5: 16.

& ipſam peccati iſtius rationem.

XIII. Non facile autem de hoc peccato judicandum eſt: latet enim plerunque perſuaſio ac convictio conſcientiæ, quæ hic præ-requiritur; nec ipſa Spir. Sancti calumnia ac blaſphemia adeo manifeſta eſt. Hinc Chriſtus Phariſæos non tam accuſare, & reos agere, quam præmonere de hoc peccato quibuſdam videtur, Matth. 12: 31. quod ſaltem de pleriſque ipſorum verum eſt. *Jeſus autem dicebat, Pater, remitte hoc ipſis, neſciunt enim quid faciant.* Luc. 23: 34. *Sed nunc, fratres, ſcio vos per ignorantiam* iſta *feciſſe, ſicut & primores veſtros.* Act. 3: 17. *Quam* ſapientiam *nemo principum ſeculi hujus cognovit: nam ſi cognoviſſent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 1. Cor. 2:8. Nec de Juliano Imperatore conſtat, quem veritatis Chriſtianæ oppugnatorem fuiſſe certum eſt; an autem intimo animæ ſenſu de eâ convictus ac perſuaſus unquam fuerit, maxime incertum eſt, & contrarium potius videtur. Multo autem minus, & non ſine injuria, Franciſcus Spira iſto in ordine locari debet; cum fidem Euangelicam non oppugnaverit, ſed ex infirmitate abnegaverit, lapſumque ſuum longis lacrymis ac celebri pœnitentia deploraverit, & ut ſperare licet, deleverit.

De hoc peccato non facile judicandum.

XIV. Impœnitentia finalis irremiſſibilis quoque eſt, non quia peccata de quibus pœnitentia non agitur, in ſe irremiſſibilia ſunt, ſed quia peccatorum curſum non ſiſtit, adeoque eatenus illa irremiſſibilia reddit.

Irremiſſibilis quoque eſt impœnitentia finalis.

XV. *Remiſſibilia* peccata quod attinet, perperam Pontificii illa dividunt in *venialia* & *mortalia.* Venialia autem appellant, non ſolum ex miſericordiâ Dei, ſed ex natura rei talia, quæ propter levitatem delicti venia non indigna ſint, cum amicitiam Dei lædant quidem, non autem ſolvant ac extinguant. Ita illi ad humanum modum Dei offenſas exigunt. Hinc illa volunt magis præter voluntatem Dei, quam contra

Remiſſibilia peccata Pontificii perperam dividunt in mortalia & venialia.

 eam

eam fieri; magis contra charitatem, quam contra expreſſos juſſus legis; nec perpetua Dei irâ ac inferorum cruciatibus, ſed caſtigatione ac flagello leviori, veluti à paterna manu; non morte, ſed verbere digna; & peracto ſupplicio tandem veniam acceptura. Metiuntur autem illa partim ex materiæ parvitate, in qua offenditur; ut ſi quis obolum furetur: partim ex ſubito motu ac ſubreptione, quâ offuſâ veluti nebula animi lux ac integritas libatur; ut in deſideriis non deliberatis: partim ex proprio peccati genere; ut in verbo otioſo. Atque iſti fundamento & alios errores inædificant, ut hominis in hoc mundo perfectionem ac impeccantiam; dum à gravioribus videl. ſeſe purum ſervat: tum & fictitia illa, confeſſionem auricularem, purgatorii ignes, ſacramentalia, quæ vocant, aquam luſtralem &c. quæ levibus iſtis noxis expiandis ac abluendis ſervire volunt.

Nos, qui peccatorum æqualitatem non aſſerimus, omnia tamen ex ſua natura morte digna ſtatuimus.

XVI. Nos vero, quanquam peccatorum æqualitatem cum Stoicis non teneamus; tantundem ut peccet, idemque, qui teneros caules alieni fregerit horti, & qui nocturnus divum ſacra legerit: cum peccata alia ſint levia, alia gravia; atque aliud ſit decem millia debere, aliud quadrantem: omnia tamen ex ſua natura credimus morte & æternis ſuppliciis digna; nec ulla venialia niſi ex peculiari Dei gratia ac miſericordia: quod tum Scriptura, tum ratione à Dei peccatique natura petita, firmatur.

duce Scriptura.

XVII. Huc enim ſpectat generale iſtud effatum: *Stipendia peccati mors.* Rom. 6: 23. Ac horrendum legis carmen, *maledictus* qui non יקים *fecerit extare*, h. e. rata fecerit & impleverit *verba legis hujus, ut ea faciat: & dicet totus populus, Amen.* Deut. 27: 26. *Scriptum eſt enim, maledictus omnis qui non manet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut ea faciat.* Gal. 3: 10. Quæ verba non de peccatis gravioribus, ſed de omnibus agunt, quæ juſtitiæ ac poſtulato legis *fac hoc & vives*, opponuntur. Unde Apoſtolus Jac. 2: 10. *qui in uno impegerit, omnium reus eſt.* Quod non de criminibus ſolum, ſed de quibuſvis delictis indefinite pronunciat: *quiſquis in uno* &c. Unde vel *verbum otioſum*, Chriſto judice, Matth. 12: 36. peccatum eſt, *deque eo ratio reddenda erit in ultimo judicio.*

& ratione.

Sed & ratio hoc evincit, cum omne peccatum gloriæ Dei adverſetur, illamque in levi habeat, ac ordinem ab eo inſtitutum conturbet; & vel minimum delictum perfectæ charitati ac illibato Dei amori repugnet, nec omnes ejus numeros ac gradus expleat, adeoque contra legem ſit, quæ jubet Deum diligi ex toto corde. Unde Deus, qui pecca-

caro-

catori ſimilis nec eſſe, nec videri poteſt, ipſi ſeſe amicum præbere, eumque tanquam bene meritum ad commmunionem ſui admittere non poteſt; tum enim ipſi ſimilis exiſteret. *Hoc feciſti, & ſilui, putaſti quod omnino tui ſimilis ſim. Arguam te, aciem dirigam contra oculos tuos.* Pſal. 50: 21. *Abnegare ſe ipſum Deus non poteſt.* 2 Tim. 2: 13. Extra Dei communionem autem ac amicitiam abjectum eſſe, ipſa mors eſt.

XVIII. Quæ vero adverſarii ex Scripturis objectant, levicula ſunt. *Objectiones adverſariorum ſolvuntur.* Nam Matth. 5: 22. *Ego vero dico vobis, quicumque iraſcitur fratri ſuo temerè, tenebitur judicio; quicunque vero dixerit fratri ſuo Raca, tenebitur conſeſſu; quiſquis autem dixerit, fatue, tenebitur gehenna ignis*, peccatorum ac pœnarum diverſi quidem gradus, phraſibus ex judiciis Hebræorum deſumtis, traduntur, non autem aliqua ex ſeſe ponuntur venialia; cum vel minimus pœnæ gradus ibi capitalis ſit. Et verba quæ ſunt Matth. 7: 3, 4, 5. *Quid autem ſpectas feſtucam quæ eſt in oculo fratris tui, trabem vero quæ eſt in oculo tuo non animadvertis? aut quomodo dices fratri tuo, ſine ejiciam feſtucam ex oculo tuo: & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem illam ex oculo tuo, & tum diſpicies ut ejicias feſtucam ex oculo fratris tui*, ad ſummum delictorum imparitatem oſtendunt, & proverbiali locutione nos monent, ab hypocriſi cavere, ſicque inter homines agere, ut æquos ac mites nos præbeamus, nec ſcutica dignum horribili ſectemur flagello, præſertim cum nos ipſi iiſdem ac majoribus vitiis urgeamur. Atque 1 Cor. 3: 12. (*Quod ſi quis ſuperædificet ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam*) ſtipula ipſa in ignem conjicitur; nec venialia peccata, ſed hæretica dogmata iſto nomine patres intelligunt. Jac. 1: 15. autem concupiſcentia adeo non à morte abſolvitur, ut ad eam ducere ibidem dicatur: *cupiditas poſtquam concepit, parit peccatum; peccatum vero peractum parit mortem.* Quibus verbis *ἁμαρτιγένεια* & peccati conceptus ac genitura, ejuſque quaſi curſus, tum ubi oriatur, tum ubi finiat, explicatur. Denique 1. Joh. 5: 16. diſtinctio traditur inter alia peccata, & illud peccatum, quod peculiariter ad mortem eſt, quodque nunquam remittitur, nec pro quo etiam orandum eſt, quod eſt peccatum in Spir. S. *Si quis viderit fratrem ſuum peccare peccato*, quod *non* eſt *ad mortem, petet & dabit ei vitam: peccantibus* dico *non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget.* Cum vero addunt, ne inter homines quidem leviculas offenſas amicitiam dirimere; male ad Deum hæc applicant; cum juſtitiæ divinæ ac humanæ rationes longe diverſæ ſint; Deo enim longe

Digitized by Google

ſanctius obligamur quam hominibus. Imo cum contra homines propriè non peccatur, ibi proprie dicta juſtitia puniens ne quidem locum habet.

Socinianorum dogma, ſolum peccandi habitum cœlo excludere.

ad quod accedit Epiſcopius.

XIX. Errant etiam Sociniani, dum non quemlibet vitioſum actum, ſed ſolum peccandi habitum & conſuetudinem cœlo excludere ajunt: ad quos circuitu & variis diſtinctionibus uſus accedit tandem Epiſcopius, ad quæſt. 64. q. 18. Contra expreſſa loca: *Quiſquis totam legem ſervaverit, impegerit autem in uno, damnas factus eſt omnium.* Jac. 2: 10. *Quiſquis ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Matth. 5: 19. *Nemo vos decipiat vanis ſermonibus. Propter hæc enim venit ira Dei in filios inobedientiæ.* Eph. 5: 6. *Neque fures neque avari* &c. *regni Dei hæreditatem poſſidebunt.* 1. Cor. 6: 10.

Ex multiplici hoc diſcrimine peccatorum patet, neminem vivere ſine omni peccato:

cui repugnat hominis in hac vita impeccantia, quam urgent omnes Pelagianizantes.

XX. Atque ex hoc multiplici peccatorum diſcrimine patet immenſus eorum numerus, quamque difficile ſit ea prorſus evitare, & non alibi obhærere, inque laqueos & inſidias eorum incidere. Unde nemo renatorum ſine omni peccato vivit, quanquam Dei gratia ſine crimine degat. Ut mera ſint mendacia, faſcinandis hominibus inventa, quæ Sociniani, Pontificii, omneſque Pelagii diſcipuli de hominis in hac vita impeccabilitate vel potius impeccantia docent, contra manifeſtam Scripturæ auctoritatem. *Nam non eſt, qui non peccat.* 1. Reg. 8: 46. *Si dicimus, quod peccatum non habeamus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis. Si dicimus, quod non peccaverimus, mendacem facimus eum, & ſermo ejus non eſt in nobis.* 1. Joh. 1: 8, 10. *Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus: perditè egerunt, abominanda facinora commiſerunt, non erat, qui faceret bonum. Dominus ex cælo proſpectavit ſuper filios hominis ad videndum, an eſſet animadvertens, quærens Deum. Quicquid eſt, receſſit, pariter ſorduerunt, non erat faciens bonum, non erat vel unus.* Pſal. 14: 1, 2, 3.

CAPUT XI.

De SERVO ARBITRIO.

Ex peccato orta ſervitus LIBERI ARBITRII.

I. POſt conſiderationem peccati originalis & actualis ſequitur hinc ortus in homine peccati veluti ſtatus, & *liberi arbitrii* miſerrima *ſervitus*; quæ ex primævo delicto nata, omnibus nunc hominibus, niſi gratiâ Dei ſanentur, incumbit. De qua

Digitized by Google

qua acturi conſiderabimus 1. liberum arbitrium in genere naturæ, ſeu abſolutè. 2. tum in genere moris, ſive relativè.

Quod conſideratur 1. abſolute, in genere naturæ.

II. Mentis humanæ duæ omnino ſunt facultates, pro diverſis cogitandi formis, intellectus & voluntas. Illius objectum ſtatuitur verum, hujus bonum: in illo affirmatio & negatio, in hoc deſiderium & fuga ponitur. Ac intellectus rurſus duplex ſtatuitur, theoreticus & practicus. Voluntatem autem cœcam ajunt; unde ab intellectu regi, ejuſque judicio ſubeſſe & determinari debeat.

Mentis humanæ duæ facultates, intellectus & voluntas.

III. Sed minus accuratè hæc digeruntur. Cum ad intellectum ſolummodo pertineat ſimplex perceptio, atque idearum repræſentatio & oblatio, qua luce tum univerſa anima illuſtratur. Qui primus mentis veluti actus eſt. Cæteri autem, qui conſequuntur actus (licet dubium videri poſſit, an non præcedant voluntatis actus) voluntatis ſunt, quæ, intellectus lumine accepto, circa quaſcunque porro res occupatur, tum circa verum, tum circa bonum, tum affirmando & negando, tum amplectendo & fugiendo. Unde non intellectus, ſed voluntas potius duplex eſt, pro diverſis actibus ejus, ac prout circa res vel contemplandas vel agendas exercetur.

Intellectus tantum eſt ſimplex perceptio, cæteri mentis actus ſunt voluntatis.

IV. Adeoque judicium non ad intellectum, ſed ad voluntatem pertinet; cum judicium ſimplici idearum perceptione, qui modus cogitandi intellectui proprius eſt, majus quid dicat, aliumque illi actum ſuperaddat, dum oblatas ab intellectu ideas vel accipit, vel repudiat, & pro arbitrio aut conjungit aut disjungit, varieque eas ordinat; quæ alterius facultatis ſunt, & non ſimplices percipiendi modi, ſed & volendi quidam actus ſunt. Tum etiam ille intellectus genius eſt, ut cum percipit, determinetur; ſicut voluntatis natura eſt determinare. Omnis vero qui judicat, determinat. Ergo judicare voluntatis eſt. Porro libertas formaliter eſt voluntatis, non autem intellectus. Illa autem non eſt in perceptione, ſed in judicio de illa: adeoque judicare voluntati tribuendum. Quod ipſum quoque experientia cuique dictat. Ad nos ipſos enim attendentes libere nos judicare, & affirmare ac negare, ac volentes id facere proprioque arbitrio ſentimus, adeoque non ſine arbitrii ac voluntatis actu; cujus rei ipſi nobis conſcii ſumus.

Adeoque judicium pertinet ad voluntatem.

V. Unde nec voluntas cœca eſt, nec ab intellectu determinatur. Eſt enim actus mentis, quæ tota lux eſt, & merâ cogitatione conſtat: præſertim cum actus intellectus & voluntatis ſe mutuo immeent, & ipſæ hæ facultates non realiter, ſed agendi tantum modo & ordine differant.

Quæ nec cæca eſt, nec ab intellectu determinatur.

rant. Primo enim actu homo percipit & intelligit, omnemque mentem iſta luce ſpargit: ad quam ſequitur ſecundus & ulterior actus, tum affirmandi, tum negandi, varieque judicandi, quod voluntatis eſt; quæ ex priori iſta luce non determinatur, ſed de accepta luce ipſa judicat, ſeque ipſam determinat: quin & intellectum ipſum ſæpe excitat & ad percipiendum determinat. Prærequirit autem voluntas neceſſario lumen intellectus; ſecus enim in ignotum ferretur, nec quid ipſa judicaret vel vellet, ſciret. Imo quo major in intellectu lux eſt, eo facilior ſequitur determinatio voluntatis, cum tum majoribus ad judicandum inſtructa ſit præſidiis; iſtumque Deus ordinem inter perceptionem & judicium inſtituerit, ut hi actus ſe mutuo ducant & ſequantur.

Ad utramque hanc facultatem conjunctim refertur liberum arbitrium.

VI. Atque ad utramque hanc facultatem conjunctim pertinet liberum arbitrium, cum univerſa mens libera ſit, & libere agat, ejuſque in omnibus ſuis actibus ſibi ſit conſcia. Ad intellectum autem radicaliter, & ad voluntatem formaliter refertur. Qua ratione homini τὸ αὐτεξούσιον tribui poteſt, non Dei, ſed aliarum creaturarum reſpectu; cum actionum ſuarum ipſe dominus ſit.

Prava ejus definitio Jeſuitarum, & cum iis Socinianorum ac Remonſtrantium.

VII. Definiunt liberum arbitrium Jeſuitæ, quos Sociniani & Remonſtrantes ſequuntur, per indifferentiam; & facultatem eſſe dicunt, qua homo, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, vel non agere vel agere pro lubitu poſſit. Quod ſi in ſenſu compoſito intelligant, multis modis abſurdum eſt: cum inter requiſita ad agendum, non divina ſolum, ſed ipſius quoque voluntatis ultima determinatio ſit, quibus poſitis hominem non agere impoſſibile eſt. Si vero in ſenſu diviſo hæc accipiant, quatenus ipſa facultas conſideratur, quæ, licet jam determinata, ſemper tamen libera manet, aliudque alio actu volendi ac agendi potentiam habet, concedi poteſt. Quanquam indifferentia, quam adeo crepant, non in omnibus actionibus neceſſaria ſit; cum potius indifferentem & dubium eſſe, aſſenſumque perpetuo alternare, libertatis imperfectio ſit, & à tenui ac dubia iſta luce, qua mens contingitur, proficiſcatur.

Liberi arbitrii definitio vera.

VIII. Commodius ergo definitur, facultas agendi quod lubet, præeunte judicio & conſilio; ita ut à nulla vi externa determinari nos ſentiamus. Illa enim, quæ in brutis videtur ὁρμὴ & impetus, non ſolum ſine ullo conſilio eſt, ſed ne libertatis quidem umbram habet; cum externi tantum motus ſint, ſimiles noſtris, ſed per ſolos ſpiritus ab objectis motos producti: unde non à ſpontaneitate aliqua, quæ impropriè ipſis tribuitur, ſed naturali neceſſitate proveniunt.

IX.

IX. Huic ergo libertati repugnat, cum neceſſitas phyſica & naturalis, in rebus materialibus; tum præcipue neceſſitas coactionis, quæ libertati huic potiſſimum opponitur: ſicut Scriptura τὸ ἑκούσιον & τὴν ἀνάγκην inter ſe componit: *ut non ὡς κατ' ἀνάγκην velut ex neceſſitate*, per coactionem *beneficium tuum eſſet, ſed κατ' ἑκούσιον, ſponte collatum*, Philem. v. 14. *Inſpectioni vacantes μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως, non coacti, ſed lubentes*. 1 Pet. 5: 2. Cum autem voluntas nullo modo cogi poſſit, quoad actus elicitos, in libertate hac à coactione arbitrii libertas proprie conſiſtit.

Cujus libertati repugnat neceſſitas phyſica, aut coactionis:

X. Non autem repugnat ei, ab unâ parte *neceſſitas dependentiæ*, aut *infallibilitatis*, aut *determinationis*, reſpectu Dei, decretorumque ac efficacis gratiæ ejus. Cum quæcunque à Deo proveniunt libertatem potius ponant, quum omnis in creaturis ordo, omniſque perfectio, à Dei decretis ac voluntate unicè pendeat; qui niſi ipſe foret liberrimum agens, qui liberrime hunc rerum ac cauſarum ordinem inſtituit & regit, nihil etiam in creaturis liberum foret, ſed omnia eadem neceſſitate traherentur. Neque etiam gratia aut ſpecialis ejus determinatio, vel minimam libertatis partem delibat, cum hæc duo optimè conſiſtant, Scripturâ teſte. Vide 2 Cor. 8: 16, 17. ubi *Titus αὐθαιρέτως & propria voluntate* iter *ad* Corinthios *ſuſcepiſſe* dicitur, & tamen additur, *Deum id cordi ipſius indidiſſe*: imo quo magis gratia Dei nos determinat, eo liberiores ſumus; quo magis enim *in nobis operatur velle*, Phil. 2: 13. eo magis volumus, eoque magis liberi ſumus. *Trahe me, poſt te, curremus.* Cant. 1: 4. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum; & ego reſuſcitabo eum ultimo die.* Joh. 6: 44. *Populus tuus* נְדָבֹת *ſpontaneus, voluntarius eſt*, aut *voluntariæ oblationes in die ſtrenuitatis tuæ*. Pſal. 110: 3.

non verò neceſſitas dependentiæ, infallibilitatis, aut determinationis divina;

XI. Nec etiam ab altera parte, creaturæ ipſius reſpectu, ei repugnat nativa illa corruptio, & neceſſitas ſervitutis ſub malo; cum corruptio hæc voluntatis ipſius arcem occupet, quæ iſta lue fœdata libenter voluntarieque peccat, nec ullam aliunde vim ac neceſſitatem patitur. *Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Joh. 8: 34. *Non ſcitis, quod cui ſiſtitis vos ſervos ad obedientiam, ſervi eſtis, eo quod obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obedientiæ ad juſtitiam?* Rom. 6: 16.

Nec creaturæ reſpectu nativa corruptio & ſub peccato ſervitus.

XII. Ut male Jeſuitæ & Remonſtrantes quamcunque neceſſitatem cum libertate pugnare velint: quod à perverſo indifferentiæ conceptu eſt; quam dum adeo urgent, hominem ſui per omnia arbitrii & à Deo ipſo independentem, & gratiam ejus præſertim inanem fa-

Quare perperam Jeſuitæ & Remonſtrantes

omnem neceſſitatem cum libertate pugnare ſtatuunt. Nec Lutherani quoque ſibi conſtant.

faciunt. Quod nihil aliud eſt quam Deo regnum in præcipuam ſuam creaturam, atque unde in cætera imperium eſt, atque adeo in maximam rerum humanarum partem eripere. Non conſtant autem ſibi Lutherani, dum ab una parte non omnem neceſſitatem libertati repugnare contra Jeſuitas tuentur; ab altera autem parte, ut noſtris obloquantur, neceſſitatem eventus & conſequentiæ, ex decreto & determinatione Dei, repudiant.

XIII. Atque hæc de libertate abſoluta & naturali, quæ in omnibus hominibus reperitur, nec à natura rationali abeſſe poteſt. Sequitur conſideratio ejus ſpecialis, in ordine ad habitus bonos ſive malos, diverſumque hominis ſtatum, ſive integritatis, ſive peccati, ſive gratiæ, ſive denique gloriæ: de qua præcipua cum adverſariis controverſia eſt; cum quibus non tam de natura, quam de viribus liberi arbitrii diſceptatur.

II. Liberum arbitrium conſideratur relative ad ſtatus hominis varios.

XIV. Ac in ſtatu quidem *integritatis* homo ponitur libertatem habuiſſe ad *ὁπότερον*, inſtar bilancis, neutram in partem inclinantis, dum juſtitia originali præditus uſum ejus in poteſtate haberet, & ad bona malaque ex æquo foret indifferens. Quod tamen minus accuratè dicitur, cum non tam indifferens, quam mutabilis conditus fuerit: non enim ſinebat eum imago Dei indifferentem ac dubium eſſe, ſed ad bonum potius determinabat; quos motus tamen negligere, & à rectitudine ſua deflectere, ac in certamine deficere poterat. Imo nullo in ſtatu homo proprie indifferens fuit, ſive integro, ſive corrupto, cum ſemper voluntas ipſius, aut bonis aut malis habitibus inſtructa, vel in bonum vel in malum ferri debeat.

a. Integritatis, in quo vere liberum fuit, ſed mutabile.

XV. In ſtatu ergo integritatis verè liber erat, non naturaliter ſolum, ſed & moraliter; quippe ſanctus & purus, omnique mala cupidine intactus, ſoli autem juſtitiæ deditus ac ſervus, quæ vera hominis libertas eſt.

b. Peccati, in quo impotens eſt in ordine ad actus verè bonos;

XVI. Hæc autem libertas per lapſum perdita eſt, ut ſupra vidimus; quod non de omnibus ejus actibus, vel naturalibus, vel civilibus, vel qualibuſcunque moraliter bonis, quomodo etiam Ethnicorum virtutes admirari ſolemus; ſed de actibus ſpiritualiter & verè bonis intelligendum eſt, ad quos nulla ipſi potentia vel libertas ultra ſupereſt; adeo ut, *ἑκουσίως* licet & libere, nihilominus neceſſario in malum tantum feratur, nec quicquam boni præſtare poſſit. *Vidit Jehova, quod magna eſſet malitia hominis in terra, & omnis formatio cogitationum cordis ejus tantum mala eſſet omni die.* Gen: 6: 5. *Figmentum cordis hominis malum*

Digitized by Google

lum eſt à pueritia ipſius. Gen. 8:21. *Nunquid mutabit Cuſchita pellem ſuam, & pardus maculas ſuas? etiam vos poſſetis benefacere, edocti male facere.* Jer. 13:23. *Arbor mala non poteſt fructus bonos ferre.* Matth. 7:18. *Senſus carnis inimicitia in Deum eſt. Legi enim Dei non ſubjicitur. Nam nec poteſt.* Rom. 8:7. *Sine me non poteſtis facere quicquam.* Joh. 15:5. *Animalis homo ea quæ ſunt Spiritus Dei non poteſt cognoſcere; quia ſpiritualiter examinantur.* 1. Cor. 2:14. *Non idonei ſumus per nos ipſos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipſis.* 2. Cor. 3:5. Quæ impotentia non moralis tantum, qua voce adverſarii nonnunquam diminutam ac læſam potentiam intelligunt, ſed reſpectu naturæ corruptæ, cui adeſt, naturalis & inhærens eſt.

XVII. Atque hoc reſpectu liberum arbitrium nunc *ſervum* eſt. Quod vocabulum immeritò in nobis culpatur, cum ex Scripturis deſumtum ſit. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Joh 8:34. *Veritas liberos vos faciet.* v. 32. *Si filius vos liberos fecerit, vere liberi eritis.* v. 36. *Libertatem ipſis pollicendo, quum ſervi ſint ipſi corruptionis: ſiquidem à quo quis victus eſt, huic etiam in ſervitutem eſt addictus.* 2. Pet. 2:19.

& Scriptura phraſi. ſervum.

XVIII. Quin Scriptura hominem non ſolum ſervum, ſed & *mortuum in peccatis* exhibet, Eph. 2:1. *Et vos, quum eſſetis mortui lapſibus & peccatis* &c. *Etiam, quum eſſemus mortui lapſibus, nos una vivificavit cum Chriſto.* v. 5. *Laſciviens autem vidua viva mortua eſt.* 1. Tim. 5:6. *Mortui audient vocem filii Dei, & qui audiverint vivent.* Joh. 5:25. Quæ tam fortia ſunt, ut corruptiſſimum hominis ſtatum, nullaque amplius parte integrum & illæſum teſtentur; niſi Deum inanes logos, & ultra modum ſonantia verba fundere velimus, quæ hominum ingenio demum debeant, quod in rectum ac tolerabilem ſenſum exeant.

Vnde & homo in peccatis dicitur mortuus.

XIX. Ita enim, poſt Pelagium, adverſarii, ac præſertim Remonſtrantes, in colloquio Hagienſi, minutè hæc omnia, interpretantur; atque ita mortuos peccatores volunt, ut tamen ſpiritualis vitæ veſtigia in iis remaneant, qui veluti ſopiti ignis cineres levi flatu animari poſſunt: ſupereſſe enim in hominibus aliquam Dei notitiam & ſenſum; ipſumque peccatorem ad ſui vivificationem aliquid conferre poſſe: unde Scripturam peccatores non ſolum mortuos, ſed & dormientes, ægros, & ſaucios appellare; mortuos autem dici, non omnes, ſed gravioribus ſolum peccatis ac ſceleribus obnoxios, omnique Dei cognitione vacuos.

Quæ effata S. Scripturæ, enervata ab adverſariis, imprimis Remonſtrantibus.

XX. Contra autem, omnes irregenitos, omneſque qui per Chriſtum vivificari & regenerari opus habent, quales etiam ſunt multi qui ex-

ab eorum contorſio-

nibus vindicantur. terna virtute pollent, nec Dei ſenſu ac metu plane vacui ſunt, iſto nomine Scriptura appellat. Eph. 2: 1, 5. *Et vos una vivificavit. quum eſſetis mortui in lapſibus & peccatis*: Atque *etiam nos, quum in offenſis mortui eſſemus, una vivificavit cum Chriſto, cujus gratia eſtis ſervati.* Nec obſtat, quod iidem dormientes ac ſaucii appellentur, cum iſta Scripturæ phraſis ſit, quod mortui dicantur dormire; & in ipſa ſpirituali morte hæ voces conjungantur & alternentur, & qui dormire dicebantur, mox ex mortuis exſurgere jubeantur. Eph. 5: 14. *Excitare, qui dormis, & exurge ex mortuis: & illucebit tibi Chriſtus*: ſimilique ratione ipſa mors Chriſti plaga, vibex, & vulnus appelletur, idque eodem loco, quem adverſarii, ut hominem vulneratum ac ſanatione tantum opus habentem, oſtendant, adducunt. 1. Pet. 2: 24. *Peccata noſtra ipſemet ſurſum tulit in corpore ſuo, ut peccatis mortui juſtitiæ viveremus: cujus vibicibus ſanati eſtis.* Eſai. 53: 5. *Vibice ipſius ſanatio nobis facta eſt.* Quodque dotes quaſdam & Dei notitiam in homine corrupto remanſiſſe ajunt; verum hoc eſt, ſed ad vitam ſpiritualem ac ſupernaturalem illa nihil faciunt, nec ejus pars ſunt; cum eadem in Satana reperiantur, & quidem illuſtriora. Nec tandem ad vivificationem & regenerationem iſtis ſuis dotibus homo plus confert, quam cadaver ac membra filii Sunamitidis, aut Zareptanæ, 1. Reg. 17: 21. & 2. Reg. 4: 34. recens extincti, unde vitalis calor nondum omnis diſceſſerat, per ſuperſtites qualitates & operationes ad ſui excitationem conferre poterat. Quicquid enim pollet atque agit peccator, ad vitam ſpiritualem ac ſupernaturalem nullum ordinem habet.

Hanc mortem ſpiritualem hominis negant etiam cum Sociniis XXI. In eundem modum *Sociniani* ſpiritualem hanc mortem negant; nam etſi humanæ naturæ fragilitatem & ad peccandum proclivitatem concedant, eo quod homines paulatim magis ac magis ſe corrumpant, vireſque eorum exiguas valde fateantur; aliquas nihilominus vires in ipſo ſupereſſe docent, quæ Dei ope, h. e. externo verbo & vitæ æternæ promiſſione, excitari ac roborari poſſint.

Anabaptiſtæ. XXII. Similiter *Anabaptiſtæ*, Socinianis in multis plus juſto accedentes, Adamum poſt lapſum Deo, per uſum rationis, auſcultare, & vitam in Chriſto promiſſam accipere potuiſſe, hominemque ſeſe convertere, & famem ſaltem ac ſitim ſentire, & ad gratiam Dei anhelare poſſe affirmant: nullos autem pro mortuis habent, niſi peccatis actualibus immerſos, & inſignes quoſque peccatores, probris omnibus ac ſceleribus incoctos; quos, altero commento, *mortuos*, h. e. propter peccata mortuos, & morti ac pœnis æternis obnoxios dicunt. Planè contra

Digitized by Google

tra Apoſtoli ſenſum, qui illos *naturâ* tales affirmat, Eph. 2: 3, 5. & non ſolum de æternæ mortis reatu, ſed & perpetua peccatorum ſervitute agit, v. 2. 3. *In quibus* peccatis *aliquando ambulaſtis, ſecundum ſæculum hujus mundi, ſecundum principem poteſtatis aëris, qui nunc operatur in filiis inobedientiæ; in quibus & nos omnes converſati ſumus quandoque in concupiſcentiis carnis noſtræ, facientes voluntates carnis & concupiſcentiarum.*

XXIII. *Pontificii* etiam hic paria habent, & poſt lapſum ſupernaturalibus quidem dotibus hominem excidiſſe, cætera vero vires hominis læſas, non autem prorſus extinctas docent. Quas tum pro arbitrio adaugent, & hominem utcunque fractum ad amorem Dei poſſe contendere, multa adhuc bona & Deo placentia peragere, modo graviori tentatione non urgeatur, quin dum irregenitus eſt opus aliquod omnibus circumſtantiis bonum præſtare poſſe, quod Jeſuitæ tamen iſto in ſtatu infructuoſum vocant, affirmare non verentur. Quæ multiplex venenum habent, & cum Scripturis ac ſecum ipſis pugnant. *& Pontificii.*

XXIV. Atque ex hac liberi arbitrii ſervitute & ſpirituali animæ morte, conſequitur 1. Hominem nihil ex ſeſe quod verè bonum ſit, præſtare poſſe. *Sine me non poteſtis quicquam facere.* Joh. 15: 5. *Sine fide impoſſibile eſt Deo* ἐυαρεςῆσαι *grata facere.* Hebr. 11: 6. Utcunque enim bona quædam ac virtutes edat, quas in gentilibus quoque videmus, illa tamen circumſtantiis peccant, & præſertim principio unde oriuntur (non enim ſunt *amor ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non fucata*, 1. Tim. 1: 5.) & fine, qui ſola Dei gloria eſſe debet, quò oculo ſincero ac irretorto ſpectare oportet. Cum autem defectus ille in accidentibus ſolummodo ſit, opus autem ipſum natura bonum ac rectum ſit, propter adhærens illud vitium iſtud non omittendum, ſed corrigendum eſſe patet. *Ex hac liberi arbitrii ſervitute ſequitur, 1. Hominem ex ſe nihil boni præſtare poſſe.*

XXV. Ad dubium, cur Deus homini, ad bonum quodvis inutili, officium nihilominus imperet? & an non fruſtra hoc faciat, imo injuſtè, cum ad impoſſibile ipſum obſtringere videatur? Reſp. Nullo modo inania eſſe Dei præcepta adjunctaſque minas & promiſſiones; cum hoc pacto Deus convenienter humanæ naturæ agat, quæ rationali modo duci ac regi amat: & reprobis ſaltem externæ diſciplinæ frænum imponat, humanumque genus aliquo in ordine ac honeſtate conſervet, ne ruptis vinculis ac legibus omnibus ferociat & diſſolvatur: electos denique ſuos per externa hæc media convertere, converſoſque in officio retinere ſoleat. Neque ideo culpandus eſt, quod impoſſibilia videatur præſcribere; cum eadem ſit ratio illius ſervi, Matth. 18. qui *Cui Deus propterea non fruſtra officium imperat; nec enim injuſtè ad impoſſibile obſtringit.*

 ad

Digitized by Google

ad rationes à domino ſuo vocabatur, cum ſolvendo non eſſet: non enim aptitudo hominis ex ſtatu ejus præſenti æſtimari debet, ſed ex eo tempore quo fœdus Dei primum inſtitutum eſt, cum homo vires idoneas habebat. Et diſtinguenda tandem eſt ipſa impoſſibilitas, cum alia abſoluta ſit ac involuntaria, quæ ſub præceptum non cadit, ut ſi Deus cœlum digito contingere jubeat: alia ſecundum quid, quæque non ſolum propria culpa contracta, & voluntaria eſt, ſed adhuc ipſa in voluntate hæret, ut homo iſto in ſtatu ſibi placeat, & ſumma cum voluptate ac lubidine peccet, nec aliter rem ſeſe habere velit; qualis hominis corrupti ratio eſt: quæ maxime ſub præceptum cadit.

II. Ethnicorum virtutes fuiſſe ſplendida peccata.

XXVI. 2. Hinc videmus quid de late ſplendentibus Ethnicorum virtutibus judicandum ſit. Quod nimirum fuerint ſplendida peccata, quæ vix quicquam præter externum fucum habuerunt; cum recto principio, corde videl. integro & Deum amante, ac fine, Dei gloria, nulla alia re libatâ, caruerint. Præterquam quod non pauci ex illis virtutem ſolum oſtentui habuerint, & ſanctiſſimam ejus imaginem inſtar meretricis ad quæſtum ſedere juſſerint, ipſi fœdi ac maculoſi, ac introrſum turpes, ſpecioſi pelle decora.

III. Non dari irregenitorum merita ex congruo, aut diſpoſitiones prævias, &c.

XXVII. 3. Cadunt errores, de irregenitorum meritis ex congruo; eorumque præparationibus & diſpoſitionibus præviis; & liberi arbitrii in ipſo converſionis momento ad gratiam divinam cooperatione &c. quæ ſaltem ab homine irregenito non magis quam à mortuo expectari non debent.

c. Gratia, in quo cum lucta bonum vult & facit.

XXVIII. Atque hic eſt ſtatus liberi arbitrii ſervi. In *regeneratione* autem cum nova vita novas vires accipit; ut cum antea nihil velle potuerit niſi malum, jam etiam per Sp. S. gratiam incipiat velle bonum, etſi cum lucta & difficultate. *Trahe me, poſt te curremus.* Cant. 1:4. *Omnis, qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit, quia ſemen ejus in ipſo manet: & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.* 1. Joh. 3:9.

An regeniti plus boni præſtare poſſint quam actu præſtant?

XXIX. Ad quæſtionem, an regeniti plus boni præſtare poſſint, quam revera præſtant? Reſp. Affirm. ſi actum primum, ſeu habitum & vires quas in Chriſto acceperunt, reſpicias: in actu autem ſecundo nihil agere poſſunt, niſi à Sp. S. excitentur & moveantur; cujus gratiam quia ſæpe negligunt, motuſque ejus ſurda aure prætervehuntur, ſua culpa peccant, minuſque boni faciunt quam facere revera poſſent.

d. Gloria, in quo liberrimum erit & immutabili-

XXX. Atque hiſce modis ſeſe habet liberum arbitrium. In ſtatu integritatis determinatum erat ad bonum; quanquam mutabiliter: in ſtatu peccati ſolummodo ad malum fertur: in ſtatu gratiæ rurſus ad bonum

Digitized by Google

bonum mutatur; & quanquam in particulari actu aberrare poſſit, in genere tamen & quoad univerſum ſtatum in bono confirmatum eſt: donec tandem in ſtatu gloriæ indeclinabili dilectione ſummo ſuo bono æternum adhæſurum erit. *ter confirmatum in fruitione ſumm boni.*

CAPUT XII.

De Fœderis operum Antiquatione.

I. Conſiderato hominis lapſu, quo fœdus Dei transgreſſus eſt, ut per illud amicitiam ejus ſperare amplius non poſſit, triſtibuſque effectibus ejus; ſequitur nunc conſideranda fœderis iſtius evacuatio, ac tandem antiquatio. *Et illi, ut Adam, transgreſſi ſunt fœdus: ibi perfide egerunt mecum.* Hoſ. 6: 7. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Rom. 6: 14. *Fœderis operum* ABROGATIO,

II. Variis autem gradibus abolitio ſeu abrogatio iſtius fœderis proceſſit. Nam 1. quoad *poſſibilitatem juſtificandi*, evacuatum ac inutile factum eſt per peccatum. 2. quoad *damnationem*, actu abrogatum eſt per Chriſtum, altero fœdere promiſſo, & fide accepto. 3. effectus ejus quod attinet; quoad *terrorem*, & iram, ac *ſervitutem*, cujus multiplex facies in Vet. T. extabat, ablata illa in Nov. T. factâ per Chriſtum peccati expiatione. 4. *quoad luctam cum peccato*, ab ea liberamur per mortem corporis. 5. reliqua denique omnia, per peccatum introducta, tandem pleniſſime auferentur per reſurrectionem corporis, omniaque Novi Fœderis bona fidelibus donabuntur. Nos primum nunc abolitionis ejus gradum ſpectabimus, cum reliqua ad fœderis gratiæ tractationem pertineant. *variis gradibus procedens: quorum primus hic conſideratur, abolitio ſc. illius per peccatum;*

III. Atque hæc inutilitas ſeu evacuatio fœderis operum per peccatum dupliciter ſpectari poteſt, quoad duplicem ejus partem; ſeu quoad pactum de *officio*, ſive præcepta fœderis, ſeu quoad pactum de *beneficio*, ſive promiſſa illius. *qua dupliciter ſpectari poteſt:*

IV. Ac priori quidem reſpectu, quod officium hominis ſpectat, nullo modo abrogatum eſt poſtulatum iſtius fœderis: non enim jus Dei per inobedientiam hominis mutatum eſt, quod non temporarium, ſed æternum ac immutabile eſt; ſicut æterna quoque hominis ſub Deo obligatio eſt. Quin ex adverſo aucta legis vis eſt, & principali hominis obligationi ad officium acceſſit inſuper ſecunda & gravior, qua etiam ad pœnam tenetur: à qua licet ſponſor noſter poſtea nos abſolvat, non tamen legis obedientiam nobis remittit ac condonat, illa enim perpetua eſt. *vel quoad præcepta hujus fœderis, quæ manent;*

V.

Digitized by Google

vel quoad promiſſa illius,

V. Alteram fœderis partem quod attinet, nimirum promiſſionem mercedis, ſive vitæ æternæ, ſi homo obediiſſet; illa cum hypothetica & temporaria fuerit, nec homo conditionem impleverit, non ſolum mutata, ſed in contrariam maledictionem converſa eſt. Atque eatenus fœdus hoc evacuatum eſt: Non ſolum enim Deus homini non amplius eſt debitor vitæ æternæ; ſed è contrario homo mortis & maledictionis reus factus eſt. Quod diſtinctius videri poteſt in triplici illo beneficio, quod homo, ſi officii legem implevisset, adepturus fuiſſet, nimirum 1. in *juſtificatione*, 2. *ſanctificatione*, 3. *glorificatione*.

nempe, juſtificationem.

VI. Quantum ad *juſtificationem*, cum Scriptura teſtetur *victurum eſſe* hominem, qui legis mandata *fecerit*, Lev. 18:5. Ezech. 20:11. ita ut talis, inſtar fidelis ſervi, de præſtita obedientia lætari, gloriari, ac mercedem petere potuerit: nunc, violato fœdere, iſte legis uſus in contrarium vertit; & quod homini amicitiam Dei vitamque parere debebat, factum eſt mortis ac damnationis ſententia. *Inventum eſt præceptum quod erat ad vitam, id ipſum mihi ad mortem.* Rom. 7:10. Unde lex nunc facta διακονία θανάτου *miniſterium mortis*, 2 Cor. 3:7. atque *potentia peccati* ad condemnationem, 1 Cor. 15:56. *Quotquot enim ex operibus legis ſunt, ſub maledictione ſunt.* Gal. 3:10.

ſanctificationem,

VII. Ad *ſanctificationem* pariter inutilis eſt. Cum enim lex Dei ſanctiſſima ſit, omniſque ſanctitatis typus ac deformatio in ea reperiatur, ejus quoque imaginem homo, ſi integer permanſiſſet, in ſeſe expreſſiſſet. Nunc vero contra animæ ſordes ac impuritatem non ſolum iſta ſua luce detegit ac exprobrat; ſed & fræno veluti injecto concupiſcentiam noſtram magis proritat & commovet. Unde *lex peccati*, cujus accuſationem depellere non poteſt, ſed potius juvat, illudque contra hominem, quem mancipii nexu ſibi dedi poſtulat, armat; *& mortis*, cui tanquam miniſtra famulatur, Rom. 8:2. & lethalis ac *occidens littera*, 2 Cor. 3:6. appellatur.

& glorificationem.

VIII. Unde nec poteſtatem *glorificandi* hominem, mercedemque tanquam benè merito adjudicandi habet; ſed contra mortis ſententiam in eum pronunciat. *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, ut ea faciat.* Gal. 3:10. Unde facta eſt διακονία θανάτου, *miniſterium mortis*, 2 Cor. 3:7. & *præceptum ad mortem*. Rom. 7:10. *Stimulus* enim *mortis peccatum eſt*, & *vis peccati lex*. 1 Cor. 15:56.

IX. Atque ita patet, quo pacto fœdus hoc, etſi uſus aliquos adhuc ſervet, tamen præcipuâ ſuâ ratione abrogatum ſit. Cum per peccatum exſtinctus ſit primarius ejus uſus ad juſtificandum ac vivificandum

dum

dum hominem, in quo formalis ratio fœderis ſita erat. Unde homo, etſi mandata Dei adhuc præſtare teneatur, non tamen ideo fœderatus Dei eſt, aut illum pariter fœderatum ac amicum habet, vel ex factis ſuis vitam ſperare poteſt: cum ex jure ac dominio Dei ſupremo iſta omnia jam debeat.

X. Cæteros autem ejus *uſus* quod ſpectat, illi pro diverſo hominis ſtatu varii ſunt. Ac in *ſtatu peccati*, abrogatum quidem illud eſt, quoad vim juſtificandi, hoc eſt primaria ſua ratione, cum eo ſolum inſtitutum fuerit, ut rationem ac medium ad amicitiam Dei perveniendi monſtraret; manet autem, 1. quatenus officium hominis poſtulare non deſinit. Non enim Deus per lapſum hominis jure ſuo excidit. 2. quatenus non miniſtra, vel ancilla, & amicitiæ Dei, ut antea, pararia, ſed domina facta, in peccatorem regnum exercet; cumque peccato, cui ſuccubuit, veluti ſervum dedit, illudque contra hominem vi ſua armat ac roborat: quod peccati ac legis regnum in cupiditatum rabie potiſſimum conſpicitur. 3. quatenus denique vim damnandi habet. *Fœdus hoc licet abrogatum, habet uſus adhuc aliquot: in ſtatu peccati,*

XI. Sed illuſtriores uſus habet in fœdere gratiæ, ac *ſtatu regenerationis*. Et quidem in *Vet. Teſtamento*, dum Chriſto venturo aditum parat, 1. maledictionem intentabat omnibus, qui propriam juſtitiam quærebant; quæ ſolum in promiſſo ſemine oſtendebatur, ac unice in eo quærenda erat. 2. interim peccatum, ut nondum deletum quotidiè accuſabat, atque iſta ſeveritate, quæ veteri jugo ac ſervitute non parum augebatur, ad Chriſtum fideles ſuſpirare faciebat. Erat enim *Lex pædagogus ad Chriſtum*. Gal. 3:24. In *Novo* autem *Teſtamento, antecedenter ad fidem*, 1. officium noſtrum ac perfectam juſtitiam nos docet. 2. illam exigit, ſive à nobis, ſive à Sponſore noſtro. 3. ad deſperationem peccatores adigit, atque extra ſeſe ad Chriſtum ire cogit. 4. cujus juſtitiam ac obedientiam ut ritè factam approbat. Et *conſequenter ad fidem*, 1. obedientiæ ac gratitudinis formulam tradit. 2. fœderali omni reſpectu expuncto, cum lex non domina amplius, ſed miniſtra fidelium facta ſit, eorum opera ex vero Dei amore profecta, utcunque nævis laborantia, probat & juſta ac laude digna declarat. Cum alioquin ex veteri rigore damnare ea debuiſſet. *& in ſtatu regenerationis ac fœderis gratiæ: cum ſub Vet. T. tum ſub Novo antecedenter, & conſequenter ad fidem.*

XII. Quæ omnia Apoſtolus egregia ſimilitudine explicat, Rom. 7:2, 3, 4. *Mulier viro obnoxia eſt*, ὕπανδρος, *lege, quamdiu ipſe vivit: ſi autem moriatur maritus, ſolvitur à mariti lege. Viro autem vivo adultera vocabitur, ſi alteri viro nubat. Si autem moriatur vir, libera eſt à lege. Ita & vos, fratres, mortui eſtis legi per corpus Chriſti, ut ſiatis alterius, qui e mortuis exci-*

Digitized by Google

tatus eſt. Ubi veluti matrimonium aliquod noſtrum cum lege conſiderat; quod triplicem hunc ſtatum habet: 1. *in prima ſui inſtitutione*, dum integrum ac inviolatum eſt. Quæ noſtri in prima creatione ratio erat; cum lex nondum adulterii nos arguere poterat: quo in ſtatu ſi perſeveraſſemus, illa, inſtar mariti caſtam conjugem mutuo amantis, fidem ſibi integre ſervatam, nulloque facinore libatam, pariter prædicare, noſque juſtificare debuiſſet. 2. *in ejus violatione*, per quam mulier læſæ fidei conjugalis rea, marito non ſolum obligata & *ὕπανδρος* manet; ſed mortis metu in duriſſimam ſervitutem ac perpetuam formidinem redacta, non amplius thori ſocia, ſed veluti ſerva, immitia ejus imperia pati debet, nec à maritali poteſtate exire unquam poteſt. Quæ hominis peccatoris erga legem ſervitus eſt, cujus ſanctitatem fœdis amoribus ac concupiſcentia ſua polluit. Unde lege vinctus, ejuſque ſervus factus, nec legi ſatisfacere, nec à vinculis ejus ſeſe expedire poteſt: ſed ejus iram ac terrores mortemque ipſam perpetuo expaveſcens, interim ſub legis, non amplius blande inſtar mariti ducentis, ſed inſtar heri ſævientis, quin concupiſcentiam ejus & ſopitos ardores potius proritantis, jugo perpetuo gemit. 3. tandem *in ejus diſſolutione*. Sicut enim priori marito mortuo talis fœmina maritali lege ac imperio exſolvitur & ad nova fœdera tranſeundi poteſtatem habet; ita nos in ſtatu gratiæ legi mortui, & per Chriſtum novo veluti matrimonio traditi, legem non ut dominam & accuſatricem, ſed ut miniſtram ſaluti noſtræ famulantem habemus. Atque hoc reſpectu *non ſumus ſub lege*, Rom. 6: 14. *eaque nobis mortua eſt*. Rom. 7: 6. cum *juſto lex non ſit poſita*, 1. Tim. 1: 9. nec ille ejus iram ac ſuperba imperia pati amplius cogatur, ut ipſi tanquam magiſtra imperitet, & tanquam ſervum conſtringat, ac juxta duo iſta, quibus armabatur, verba, vel ſontem damnet, vel obedientem abſolvat. Hoc jus & dominium in ſolos impios & injuſtos adhuc exercet, qui cum ad Chriſtum dominum nondum tranſierint, legem dominam ferre adhuc coguntur.

Contra hæc pugnant ſui erroribus Sociniani.

XIII. Contra quæ directâ fronte pugnant *Socinianorum* præcipuè errores, qui, ſicut ex operibus adhuc juſtitiam quærunt, ita priſcum fœdus abrogatum eſſe, aut illi antiquato novum gratiæ ſucceſſiſſe, tueri non poſſunt. Cum loco fœderis gratiæ inducant fœdus legale alterum, quod priori ſuperinducunt, ut eo perfectius, à Chriſto videlicet legiſlatore inſtitutum. Quin Veteris Fœderis, quod abolitum eſt, nomine non aliud quam Moſaicum intelligunt, iſtoſque ritus, & naſcentis Eccleſiæ crepundia ac rudimenta, quibus robuſtior ac perfectior

tandem

tandem ætas ſucceſſerit, quæ ludicris iſtis non amplius indiguerit;ſed Chriſto duce cœlum & ſpiritualia bona ſperare juſſa, ſub perfectioris obedientiæ lege ea tandem expectaverit. Quod iſtius Theologiæ arcanum & apex eſt; quo uti pleraque religionis capita deſtruunt, ita fœderum divinorum Oeconomiam & ordinem, omnemque ſalutis adipiſcendæ rationem, tum in Patribus, tum in nobis, omnemque adeo religionem, quæ in iſtis explicandis unicè verſatur, prorſus conturbant & uno ictu evertunt.

XIV. Peccant etiam, qui, ex naturalis cognitionis ſeminibus homini relictis, fœdus legale æternum, quod titulo fœderis naturæ venditant, introducunt; ſub quo homines omnes, qui Euangelii præconio carent,& juxta naturam vivunt,ponunt;quibus & vitæ æternæ ex fœdere iſto ſpem faciunt. Quæ mali commatis ſunt. Cum iſtæ naturalis lucis reliquiæ,quas Deus ad decus ac honeſtatem aliquam ſervandam, inſtar fræni,in humano genere ſupereſſe fecit,nihil præterea per ſeſe excelſi in homine operari, nec ipſi ſalutares eſſe, nec denique juſtitiam ac vitam ipſi conferre poſſint. In quo omnis ratio fœderis ſolum ſita eſt.

Illi quoque, qui fœdus aliquod legale æternum, quod naturæ appellant, introducunt.

LOCUS UNDECIMUS

De Fœderis gratiæ conſtitutione.

CAPUT XIII.

De Fœdere ac Teſtamento gratiæ.

I. ABolito ergo fœdere primo, & per peccatum inutili reddito,ſecutum eſt alterum,quod gratiæ appellatur, in quo ſolo homo ſalutem ſperare poteſt. Atque hic jam alius ſeſe rerum ordo aperit;& illuſtria illa Dei,circa ſalutem hominis laborantis,opera,ac conſilia ſeſe explicare incipiunt; & Mediator Chriſtus,ignotum primo fœderi nomen omniaque ipſius decora,ac in genus humanum merita; univerſaque tandem Eccleſiæ ejus in his terris œconomia & gubernatio;diverſæque illius ætates, & pro temporum ordine diverſa quoque facies, ac veritatis ſalutaris adminiſtratio, pulcherrimo ordine videnda ac fidei noſtræ conſi-

Fœderi operum abrogato ſucceſſit FOEDUS GRATIÆ:

conſiderandum in generali ſua natura, vel ſpeciali ejus œconomia.

deranda ſeſe exhibent. Quæ omnia nunc propius perluſtraturi, fœdus hoc primò in *generali* ſua natura, tum in *ſpeciali* ſua ratione, ac diverſa, pro varia mundi ætate, œconomia, conſiderabimus.

Quæ circa illud in genere notanda?

II. In *genere* conſideranda veniunt, 1. Fœderis illius *natura* & denominatio. 2. illius *Teſtamentum*, cujus hæredes ſumus. 3. Teſtamenti illius diſpoſitio, quoad *Mediatorem*. 4. ejuſque *ſponſio*. 5. inde Teſtamenti *promulgatio*, & *applicatio*. 6. denique illius *ſubjectum*, cui applicatur, ac *latitudo* ejus. Specialis autem ejus œconomia triplex eſt, ſub *Promiſſione*, ſub *Lege*, ſub *Euangelio*.

Ejus definitio,

& partes quatuor.

III. Nempe *fœdus gratiæ* eſt gratuita conventio inter Deum & peccatorem, in qua Deus ex libero ſuo beneplacito, per mandatum fidei ac reſipiſcentiæ, certo ſemini addicit juſtitiam & hæreditatem in mediatore; homo autem promiſſioni illi & mandato adſtipulatur per fidem, atque inde jus habet ad petendam hæreditatem cœleſtem. Ut fœderis hujus partes ſint quatuor: 1. *à parte Dei, ſtipulatio* ſeu *legiſlatio* ejus, per mandatum fidei & reſipiſcentiæ: *quod* Teſtamentum *ſuper potioribus promiſſionibus νενομοθέτηται in legis formulam redactum eſt*, Hebr. 8: 6. 2. præmii, ſive hæreditatis cœleſtis *promiſſio*: 3. *à parte peccatoris*, *adſtipulatio, ὁμολογία*, in Chriſto. *Conſiderate Apoſtolum & Pontificem τῆς ὁμολογίας ἡμῶν adſtipulationis noſtræ Jeſum Chriſtum*. Hebr. 3: 1. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui pertranſiit cœlos, Jeſum, filium illum Dei, teneamus adſtipulationem*, c. 4: 14. *Teneamus adſtipulationem ſpei indeclinabilem*. c. 10: 23. Unde & in Chriſto *omnes promiſſiones Dei ſunt ναὶ καὶ ἀμήν*, 2. Cor. 1:20. 4. & mutua *reſtipulatio*, ſive præmii poſtulatio, ejuſque ſpes & expectatio certiſſima.

Eſt hic fœdus:

IV. Quamvis enim ſæpius *teſtamentum* appellatur, ut videbimus, tamen & *fœderis* rationem habet, cum hic ſit pactum mutuum, de pace & amicitia, ac rationem & viam ad eam perveniendi doceat.

quod dicitur novum, ſeu ſecundum,

V. Vocatur autem *fœdus novum*, ſeu *ſecundum*, & *gratiæ*, reſpectu fœderis priſci, quod ante lapſum obtinuit: non enim appellatio iſta veteri Teſtamento opponenda, nec novum fœdus cum Novo Teſtamento, quod demum à morte Chriſti cœpit confundendum eſt. Novum autem hic eſt fœdus, cum per illud fœdus primum partim *antiquatum* ſit, nimirum reſpectu noſtri; partim vero, nimirum reſpectu mediatoris, illud *innovatum*, & novo modo inſtauratum ac impletum eſt. Cum enim primum fœdus immutabile Dei jus & ſanctitatem teſtaretur, eamque amicitiæ Dei legem ferret, quæ ſola Deo digna foret, aboleri prorſus ac vi ſuâ & poteſtate omni exui non poterat. Hoc enim

cum

Digitized by Google

cum juri Dei, tum ipſius fœderis jam lati ac confirmati, inque vim legis inviolabilis redacti, rationi obſtitiſſet. Mediator igitur in ſecundo ac novo hoc fœdere prioris pacti conditiones implevit; geminamque obligationem, qua peccator ex fœdere tenebatur, tum ad obedientiam, tum ad pœnam, exſolvit; ac bona omnia primi fœderis nobis acquiſivit, ut ea illæſo iſto fœdere, imo eo ipſo addicente, ſaltem non abnuente, nunc poſſideamus. Atque hæc principalis illa circumſtantia eſt, ſponſoris ſcil. ſubſtitutio, quæ hoc fœdus à primo illo, cum homine integro facto, diſcernit. Unde merito *novum* appellatur.

& gratiæ.

VI. Fœdus autem *gratiæ* dicitur, quia ex mera Dei gratia fuit profectum; qui & vires ad fœderis leges implendas gratioſe ſuppeditat; & gratiæ iſti manifeſtandæ & prædicandæ unicè intentus eſt. Ut omnimodo & undecunque hic gratia obtineat; & tum initium, tum medium, tum finis ejus mera ſit gratia. Unde Apoſtolus, cauſam hujus fœderis memorans, Eph. 1: 5. εὐδοκίαν τοῦ θελήματος τοῦ Θεοῦ *beneplacitum voluntatis Dei* appellat: omniaque pariter tendere in eundem finem affirmat, ad ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, v. 6. *ad laudem glorioſæ ejus gratiæ.*

omne meritum, omniaque opera reſpuens.

VII. Unde meritum omne, omniaque opera ab hoc fœdere excluduntur, ſive ea ut ſalutis cauſa, ſive ut conditio ſine qua non, ſive alio ſchemate conſiderentur. Nam fœderi operum, in quo ſolo illa locum habebant, hoc fœdus ex diametro adverſatur; adeoque omnia opera quocunque colore introducta hoc ſenſu reſpuit: neque ullam gratiæ ac operum mixturam facere hic licet. Nam vel per opera ſola ad juſtitiam & vitam contendere debemus, quod ipſum fœdus operum eſt, vel plane operibus omnibus, tanquam conditioni juſtitiæ, renunciandum eſt. *Nunc vero abſque lege juſtitia Dei manifeſtata eſt.* Rom. 3: 21. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia non manet gratia. Si vero ex operibus, non jam eſt gratia; alioqui opus non jam eſt opus.* cap. 11: 6. Quæ Theologiæ *Socinianorum, Anabaptiſtarum, Remonſtrantium*, aliorumque extra Eccleſiam labes fuit; qui dum opera huic fœderi admiſcere ſtuduerunt, tandem illud in novum fœdus operum tranſmutarunt, inſtitutum à novo legiſlatore Chriſto: quod dum à primo fœdere diſtinguere voluerunt in abſurdiſſimas ſententias inciderunt, & duplex fœdus operum fabricarunt; quaſi duplex Dei foret ſanctitas, duplexque ejus imago, atque alia opera cum ejus imagine convenire ac vitam conferre poſſent ſub novo, atque alia rurſus ſub veteri fœdere. Ita turpiter impegerunt, & non Chriſti ſolum gratiam, ac meritum, & Teſtamen-

Quæ huic fœderi admiſcere Theologia Socinianorum, Anabaptiſtarum, Remonſtrantium, labes eſt.

ſtamentum abnegarunt, ſed & ipſam Dei ſanctitatem & juſtitiam, cui hoc novo operum fœdere ſubſervire volebant, violarunt: ut nec Chriſtum, nec Deum, in Theologia ſua, atque hoc primario ejus capite, integrum reliquerint.

Fœdus hoc nititur TESTAMENTO *gratia.*

VIII. Cum vero Deus ab æterno gratiam exercere decreverit, & æterno *conſilio* ſuo & voluntate quaſi ultima fœdus hoc de hæreditate juſtitiæ & ſalutis, omnemque ejus ordinem jam ante deformaverit & delineaverit, Scriptura id *Teſtamentum gratiæ* appellat; atque eo nomine non minus utitur, quam nomine *fœderis*. Cum hoc Dei conſilium non minus, imo potius, Teſtamenti, quam fœderis rationem habeat. *Deus volens abundantius demonſtrare hæredibus promiſſionis immutabilitatem conſilii ſui, interceſſit jurejurando.* Hebr. 6: 17. *Nunc autem præſtantius ſortitus eſt miniſterium, quanto & potioris Teſtamenti eſt mediator.* c. 8: 6. *Propter hoc Teſtamenti Novi eſt mediator, ut, morte obitâ, ad redemtionem, quæ ſub priori Teſtamento erant tranſgreſſionum, promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis. ubi enim Teſtamentum, mortem neceſſe eſt contingere teſtatoris.* c. 9: 15. 16. Eſt enim hic res ipſa teſtamenti, propoſitum nimirum, ſive ultima voluntas Dei de cœleſti hæreditate largienda, teſtatoris ſanguine ac morte firmata. Quo pacto fœdus hoc à priori differt. Illud enim fœdus tantum erat, non teſtamentum; cum fœdus gratiæ ſimul & fœdus & teſtamentum, imo magis proprie teſtamentum ſit.

IX. Hujus autem teſtamenti gratiæ conſideranda occurrunt, I. *Nomen*. II. Definitio, ſive *natura*. III. *Teſtator*. IV. *Hæreditas*, ſive bona. V. Sanctio ſive *confirmatio*.

Cujus conſideratur I. *Nomen*, בְּרִית, διαθήκη.

X. Teſtamentum autem hoc, (quod hic ſimpliciter & in univerſum conſideramus, *Teſtamentum* videl. illud *æternum*, Hebr. 13: 20 quod juxta varias executionis partes, vel *primum*, quod Iſraëli propoſitum fuit, vel *ſecundum*, quod à morte Chriſti incepit; ſive *Vetus* & *Novum* appellatur, de quibus poſtea) Hebræis ברית dicitur: quæ vox, etſi promiſcue fœdus & teſtamentum, συνθήκην & διαθήκην in ſacris ſignificet, tamen proprie συνθήκης *pacti* ſeu *fœderis* notione venit. LXX τὸ ברית plerunque per vocem διαθήκης reddunt; quæ licet etiam utrumque notet, tamen potius poſterius, ſive Teſtamentum, dicit. Unde ea notione non ſolum apud profanos, ſed etiam apud ſacros Scriptores uſurpatur. Vide Matth. 26:28. *Hic eſt enim ſanguis meus,* τῆς καινῆς διαθήκης *Novi Teſtamenti. Hoc poculum Novum Teſtamentum,* quod eſt *in ſanguine meo.* Luc. 22: 20. *Et ego* διατίθεμαι *teſtamento vobis diſpono regnum,*

gnum, ſicut διέθετο teſtamento mihi dedit Pater meus regnum. v. 29. *Nam hoc* בְּרִית *fœdus, quod pangam cum domo Iſraël* &c. Jer. 31: 33, 34. coll. Hebr. 8: 10, 12. *αὕτη ἡ διαθήκη hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël* &c. præcipue autem Hebr. 9: 15, 16. ubi Apoſtolus retinens vocem qua LXX uſi erant, ænigma id expoſuit & elucidavit, vocem clariorem & inſtitutioni in regno Chriſti convenientem, inde eliciens.

XI. Eſt autem illud *æternum Dei propoſitum*, ſive *immutabilis voluntas de danda hæreditate ſua, vel de hæredibus bonorum ſuorum inſtituendis, tum Chriſto, tum ſemini ipſi dato.* Adeo ut duplex quaſi hic ſit voluntas Dei, tum qua voluit ut filius ſuus eſſet hæres omnium, Hebr. 1: 2. *Quem poſuit hæredem omnium.* Eſai. 53: 10. *Ubi poſuerit anima ejus* amor ipſius *ſatisfactionem, videbit ſemen.* Zach. 6: 13. *Et conſilium pacis erit inter utrumque,* Dominum, & virum Tſemach, h. e. germen; tum qua voluit certos homines eſſe hæredes Chriſti, qui morte ſua cœleſtem hanc hæreditatem iis legavit. Utrumque complectitur Chriſtus Luc. 22: 29. *Ego vero teſtamento do vobis, prout teſtamento dedit mihi Pater meus, regnum.* 2. *Definitio.*

XII. *Teſtator* hic proprie eſt filius Dei. Deo Patri enim in teſtamentaria hac diſpoſitione tribuit Scriptura *conſilium* gratiæ, quo rem omnem ab æterno veluti præformavit & decrevit, *τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς voluntatem immutabilem,* Hebr. 6: 17. & *pactum* pacis cum filio initum, quod teſtamento huic firmitatem conciliavit. Filius vero, hæreditatis hujus veluti arbiter, ita eam cum Patre decrevit, ut tamen ſimul de ſuo eam promittat, Luc. 22: 29. ipſeque hujus teſtamenti & teſtator, Hebr. 9: 15, 16. & mediator, & ſponſor, ac tandem etiam executor ſit. *Traditus eſt propter lapſus noſtros, & ſuſcitatus eſt propter juſtificationem noſtri.* Rom. 4: 25. Quod in nullum merum hominem cadit. 3. *Teſtator.*

XIII. *Bona* hujus Teſtam. Deo ac Chriſto teſtatore digna ſunt, & duobus maxime beneficiis abſolvuntur, pleniſſimâ cum Deo reconciliatione in hac vitâ, & tandem vitæ æternæ legatione & exſpectatione in futurum. Quorum hoc *ultimum*, illud *intermedium* teſtamenti hujus bonum appellari poteſt. Chriſtus *nobis factus eſt à Deo juſtitia.* 1. Cor. 1: 30. *Si autem filii, & hæredes ſumus: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Rom. 8: 17. 4. *Hæreditas, ſive bona.*

XIV. Cumque illa bona à Teſtamento gratiæ inſeparabilia ſint, communia fuerunt omni ejus tempori ac ſtatui, variæque ejus œconomiæ tum ſub Vet. tum ſub N. Teſt. Ita tamen, ut, pro varia Eccle-

ſiæ

ſiæ ætate, in adminiſtratione hujus gratiæ non-nihil intercederet diſcriminis, & ſub Vet. T. daretur quidem ingreſſus in gloriam, poſt vitæ hujus labores, nam *multis filiis in gloriam introductis*, tandem *princeps ſalutis ipſorum per paſſiones conſummatus eſt*, Hebr. 2: 10. non tamen perfecta πλειώσις & conſummatio in terra; cum reatus per ſacrificium Meſſiæ nondum extinctus eſſet, & extaret adhuc *peccati commemoratio*, Hebr. 10: 3. fidelibus toto iſto ſeveritatis tempore ferenda, cum metu mortis & ſervitute elementorum mundi, & altaris ac ſanctuarii alicujus terreſtris cultu, in quo procul veluti adſtantes nondum in interiorem thalamum ac domum admiſſos ſeſe fatebantur; quo & terræ Canaan hæreditas, ac potius ſervitus, pertinebat. In Novo vero Teſtam. exhibetur conſummatio in terris, & communio plenæ juſtitiæ & libertatis, una cum hæreditate mundi, ſive gentium, & regno, ſive converſione earum, in perpetua lætitia, ſine ulla jugi ac iræ ſpecie. *Non docebunt amplius quiſque proximum ſuum, & quiſque fratrem ſuum, dicendo, cognoſcite Dominum. Nam omnes cognoſcent me, à parva eorum uſque ad magnum eorum. Nam propitius ero iniquitatibus ipſorum, & peccatorum ipſorum non recordabor amplius.* Jer. 31: 34. coll. Hebr. 8: 11, 12. *Ubi autem remiſſio horum, non adhuc oblatio pro peccato eſt.* Hebr. 10: 18. Unde & de bonis hujus Teſtam. gratiæ, licet ea ad generalem illius conſiderationem proprie pertineant, cum tamen in Nov. Teſt. magis eluceant, ad iſtum locum diſtinctius agemus.

Quæ Sociniani evertunt, Remonſtrantes hypotheſibus ſuis labefactant.

XV. Quæ beneficia ſicut Sociniani, inſignes fœderis Dei corruptores, profanis ſuis erroribus evertunt; ita non parum Romonſtrantes hypotheſibus ſuis labefactant, dum Chriſti reconciliationem pro omnibus & in commune peractam docent; ſive potius per eum viam factam ajunt, qua ad amicitiam Dei iterum aditus detur, ac ruptis prioribus tabulis, unuſquiſque per novas veluti pactiones, novumque fœdus operum, eam acquirat. Quibus commentis nec certam hæreditatem, nec certos hæredes (hoc enim aperte negant) nec omnino teſtamentum ullum relinquunt. Quæ errorum præcipitia ſunt, divinoque fœdere ac teſtamento ſummopere indigna; cum vel hominis teſtamentum ac ſuprema juſſa longe ſanctius ac reverentius haberi ſoleant, quam hi in æterno Dei teſtamento explicando agunt. *Et propter hoc Teſtamenti Novi mediator eſt, ut, morte obita, ad redemtionem, quæ ſub priori Teſtamento* erant, *tranſgreſſionum, promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis. Teſtamentum enim in mortuis firmum* eſt. Hebr. 9: 15, 17.

XVI. Acceſſit denique huic teſtamento *ſanctio* ſive confirmatio cjus,

Digitized by Google

ejus, ſuo tempore morte teſtatoris facta : *Ubi enim teſtamentum eſt, mortem neceſſe eſt contingere teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis firmum eſt : ſi quidem nunquam valet quando vivit teſtator.* Hebr.9:16,17. Quo ſpectabat typica ejus confirmatio in V.T. per victimarum ſanguinem, quo teſtam. illud typicum initiatum fuit : nam *ne* quidem *primum teſtamentum ſine ſanguine initiatum eſt.* Heb. 9: 18. Unde Moſes : *Ecce ſanguis fœderis, quod ſecavit Dominus vobiſcum, ſuper omnibus verbis iſtis.* Exod. 24: 8. Qui typi cum mentiri non poſſent, nec Deus externa ſcena populum in cultu ſuo paſcere ac deludere vellet, iſto pecudum cruore pretioſior ſanguis, qui olim pro mundi ſalute libandus foret, monſtrabatur, *ſanguis videl. teſtam. novi*, quo cœleſtis hæreditas nobis obſignanda & tradenda erat. *Hoc poculum Novum Teſtamentum, quod eſt in ſanguine meo* Luc.22:20. Non enim, ut in humanis, teſtator moritur, ut vacuam relinquat hæreditatem, ſed iſto veluti libamine facto teſtamentum obſignat; cunctaque in eo ſcripta rata facit.

5. Sanctio, ſive confirmatio.

XVII. Sunt itaque hic omnes teſtamenti partes, 1. *hæreditas*, gloria æterna, non proprio aliquo merito, ſed jure *υἱοθεσίας* ac hæredum more adeunda; 2. & *hæredes*, ab æterno in tabulis Dei ſcripti; 3. & liberrima ac immutabilis *voluntas*; 4. & *mors* denique ipſa teſtatoris, voluntatis iſtius teſtis, bonorumque omnium ac cœleſtis hæreditatis pretium, & obſes, & pignus.

Quare in hoc omnes teſtamenti partes ſunt.

CAPUT XIV.

De Mediatore Fœderis gratiæ.

I. CUm autem fœdus gratiæ peccatum & inimicitiam inter Deum & homines præſupponat, teſtamentum, quo hæreditas & bona ejus deſtinantur electis, ſine *mediatore* concipi non poteſt, qui in fœdere hoc intervenit, ejuſque vinculum eſt inter Deum & homines. Unde Scriptura cum teſtamento hoc *mediatorem teſtamenti* conjungit. *Nunc autem præſtantius ſortitus eſt miniſterium, quanto & potioris eſt teſtamenti mediator.* Hebr.8:6.

Teſtamentum gratiæ concipi non poteſt abſque MEDIATORE.

II. *Mediator*, *μεσίτης*, מֵלִיץ dicitur, qui medius eſt inter duas partes diſſidentes, ad eas reconciliandas. Sive *qui ſtat inter Deum & homines*, ut de ſe Moſes, Deut.5: 5. Veteribus *ſequeſter*, Juriſconſultis *interventor*, *interceſſor*, *internuncius*, *interpres*, *advocatus*, Ulpiano *interre-*

Mediator qui ſit?

conciliator appellatur. Ex uſu Scripturæ *Mediator* dicitur, cujus videl. officium eſt inter partes utrimque intercedere. Hoc enim proprie eſt *μεσιτεύειν*.

Quem Socinus perperam tantum divinæ voluntatis interpretem eſſe ſtatuit.

III. Male ergo *Socinus* mediatorem hunc vult ſolum eſſe divinæ voluntatis interpretem & internuncium; quod exile nimis eſt. Quamvis enim vox mediatoris interdum ita ſumatur, ut de Moſe: *Lex injuncta eſt per angelos in manu mediatoris: mediator autem ille unius non eſt*. Gal. 3: 19, 20. qui tamen ipſe, cum in typo & imagine mediator foret, non ſine victimarum ſanguine prius illud teſtamentum dedicavit, quod non meri interpretis eſt: attamen in proprio ſenſu ſuo, cumque alicui eminentiori modo tribuitur, quod hic fit, ubi excluſis reliquis omnibus *unus mediator* dicitur, qui Deum inter & homines intercedere, ſoluſque ad Deum accedere poſſit, *εἰρηνοποιὸν*, *reconciliatorem*, & pacis arbitrum ac auctorem ſignificat. Unde cum libamine & ſanguine ad Deum accedere dicitur; ſemperque ipſi iſto in munere redemtionis pretium, fuſus ad aram cruor, mors denique, cunctaque placando numini facientia adſcribuntur. *Unus Mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus, qui dedit ſe ipſum redemtionis precium pro omnibus*. 1. Tim. 2: 5, 6. *Propter hoc Novi Teſtamenti Mediator eſt, ut, morte obita, ad redemtionem, quæ ſub priori teſtamento* erant *tranſgreſſionum, promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis*. Hebr. 9: 15. *Acceſſiſtis ad Teſtamenti Novi Mediatorem Jeſum, & ſanguinem aſperſionis meliora loquentem præ Abel*. c. 12: 24. *Per eum reconciliavit ſibi omnia, pacem faciens per ſanguinem crucis ejus*. Col. 1: 20.

Mediatoris neceſſitas à peccato, cauſâ diſſidii mutui inter Deum & homines.

IV. Neceſſitas mediatoris à peccato eſt, quod diſſidium ac divortium inter Deum & homines fecit. *Pravitates veſtræ fecerunt diviſionem inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra fecerunt abſcondi faciem à vobis, ne audiat*. Eſai. 59: 2. Cui tollendo juſtitia divina pleniſſimam obedientiam ac mortem peccatoris expoſcebat. Deus enim ſanctificandus, & tanquam purus ac ſanctus manifeſtandus erat. Quod & per nebulam gentiles viderunt, qui etiam ſacrificia ſua, aliaque conciliando numini piamenta habuerunt; & ne interceſſoribus carerent, magnam illam minorum Deorum turbam in cœlum induxerunt, per quos tanquam cœleſtis aulæ apparitores & miniſtros ipſi ad ſupremum numen adducerentur. Ut non ſatis integre Sociniani hic inimicitiam tantum à parte hominum ſtatuant, quam Chriſtus, hominem convertendo & ad Deum reducendo, per Euangelii præconium abſtulerit. Cum non

Quod Sociniani negant, dum inimicitiam hic

apud

apud homines ſolum, ſed etiam apud Deum, qui offenſus erat, & peccatorem averſabatur, quædam peragenda fuerint, iſque digno interveniente ſacrificio, quod ſanctitatem ac juſtitiam ejus teſtari poterat, placandus hominique conciliandus foret. Non ſolum enim homines Dei inimici erant: *Vos quum eſſetis quondam abalienati & hoſtes mente operibus malis intentâ, nunc ſane reconciliavit.* Col. 1: 21. Sed & Deus homines peccatores odio proſequebatur. *Revelatur enim ira Dei de cælo in omnem impietatem & injuſtitiam eorum hominum, qui veritatem in injuſtitia detinent.* Rom. 1: 18. habebatque eos pro inimicis ſuis, quibus reconciliandus fuit. *Quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ipſius.* Rom. 5: 10. *tantum à parte hominum ſtatuunt.*

V. Mediator autem, Deum homineſque reconciliaturus utriuſque naturæ particeps, & non officio ſolum, ſed & natura medius eſſe debebat, & juxta utramque naturam munus illud exercere. Ita tamen ut utraque natura diſtincta maneat quoad proprietates & operationes, quæ externo opere & ἀποτελέσματι pariter ſeſe oſtendunt. Quæ opera θεανδρικὰ & Deo-virilia appellantur, ad quæ Deus ſimul & homo concurrunt. *In mediatore requiſita,*

VI. De *natura humana* id in confeſſo eſt. 1. Cum enim mediator hominis perſonam ſuſtinere deberet, & poſtulatum priſci *fæderis* adimplere, omnino hominem eum oportebat eſſe. Alioquin fœdus illud, quod ſolum hominem ſpectabat, non impletum, nec inſtauratum, ſed violatum potius & abrogatum quantum ad obligationem ſuam fuiſſet. 2. Accedit quod non aliter caput hominum ſalvandorum, eorumque tanquam proprii *corporis ac carnis ſuæ*, quam tenerrimè adamare debebat, cuſtos & *conſervator*; neque etiam *frater* eorum, ac *Goël*, qui ex communis ſanguinis jure eos tanquam à ſe non alienos aſſerere & redimere, & tanquam proprios ſibi vendicare ac poſtulare poſſet, eſſe potuerit. Unde Apoſtolus egregie Chriſtum, ex eo quod *caput Eccleſiæ* eſt, etiam *corporis ſui conſervatorem*, Eph. 5: 23, 25, 26. & Hebr. 2: 10, 11, 14. *cum qui ſanctificat, illoſque qui ſanctificantur* & redimuntur, *ex uno* ſanguine *eſſe* pronunciat, mutuoque *fratres* appellare *non veretur*, illudque ſummopere *decuiſſe* innuit. 3. Quid quod mediator *legi* charitatis, de amando proximo ſuo ad mortem uſque, deque quærenda Dei gloria ac ſanctitate, obnoxius eſſe; & cum idem ſacerdos eſſe deberet, juſtitiæ Dei oſtendendæ & placandæ, ſanguinem quem libaret, & corpus quod offerret, habere debuerit: quæ naturam humanam requi- *natura humana,*

Digitized by Google

rebant. Unde Apoſtolus connectit *γενόμενον ἐκ γυναικὸς*, & *γενόμενον ὑπὸ νόμον*, Gal. 4: 4. ideo incarnatum innuens, ut in iſta natura, quæ ὑπόδικος erat, legis reatum ſuſciperet & extingueret: & peragendo ſacerdotio Chriſto *corpus formatum* dicit: Hebr. 10: 5.

ſancta & immunis ab omni peccato:

VII. Debebat autem eſſe homo ſanctus ac purus, atque ab omni labe immunis. Alioquin enim mox reus, non fœderis iſtius capax, illudque in primo ortu ſuo diſſolutum fuiſſet. *Talis* enim *nos decuit* mediator, qui *ſanctus, pius, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*, foret, Hebr. 7: 26. quique fœderis leges implere poſſet, eaſque *cordi* haberet *inſcriptas*. *Facere voluntatem tuam volupe mihi fuit, & lex tua erat in medio viſcerum meorum*. Pſal. 40: 9.

& divina.

VIII. Verum, præter humanam naturam, etiam *divina* in mediatore requirebatur. *Non alius* enim *nos decebat Pontifex*, nec ſine alio mediatore ad Deum accedere hominibus fas erat, quam qui non ſolum ſanctus &c. ſed & *ſublimior cœlis*, ipſeque dominus de cœlo, & ſummus ac altiſſimus foret. Hebr. 7: 26. Nec in alio *gloriari* par erat, quam *in Jehova redemtore* noſtro: *Et hoc nomen ejus quo appellabunt ipſum: Jehova juſtitia noſtra*. Jer. 23: 6. Quod *tum* ex ipſa *muneris mediatorii dignitate*, quod divina omnia decora complectitur; cum qui mediator eſt, idem fœderatorum caput ac princeps, ſalutis arbiter ac dominus, & fidei ac ſpei omniſque religionis unicum objectum ſit: *tum* ex ſingulis *mediatoris operibus* apparet, quæ divinam vim ac virtutem requirebant; ut ex incarnatione: (*Sermo caro factus eſt*, ſive *eſſe incepit*, *& habitavit in nobis*. Joh. 1: 14.) Euangelii ac ſalutis præconio: (*Venite ad me omnes, qui fatigati eſtis & onerati, & ego faciam ut requieſcatis*. Matth. 11: 28. quæ verba merus homo fari non poterat; cum non niſi Dei ſit dicere, *Reſpicite ad me, & ſervamini omnes fines terræ: nam ego ſum Deus fortis, & nullus præterea*, Eſai. 45: 22.) morte, ac corporis ſui voluntaria oblatione: (*Nemo tollit animam meam à me: ſed ego pono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo recipiendi eam. hoc mandatum accepi à Patre meo*. Joh. 10: 18.) ejuſque dignitate; (*Paſcite Eccleſiam Dei, quam ſibi lucratus eſt proprio ſanguine*. Act. 20: 28. *Dominum gloriæ crucifixerunt*. 1. Cor. 2: 8.) reſurrectione, (*Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*) Joh. 2: 19. aſcenſione, interceſſione, Sp. S. miſſione, ac univerſæ porro ſalutis applicatione, quæ ab homine ſaltem proficiſci non poteſt, liquidiſſime conſtat.

IX. Ubi ab una parte vitandus error *Oſiandri*, qui efficaciam à meri-

to

Digitized by Google

to diſtinguere neſcius, ab officio mediatorio humanam Chriſti naturam excluſit; & juſtitiam Chriſti divinam ac eſſentialem noſtram juſtitiam eſſe aſſeruit: & ab altera parte *Stancari* opinio, qui dum ſervidius ſeſe collegæ ſuo objicit, in alterum extremum deflexit, & Chriſtum ſecundum humanam naturam tantum mediatorem eſſe pronunciavit. Quæ & Magiſtri ſententiarum opinio fuerat; quam Pontificii fere ſequuntur, ut eo colore fidem Eccleſiæ ſuæ de ſanctorum hominum & angelorum mediatione facilius tueantur. Nec ſatis ſententiæ iſtius probrum ac invidiam declinat Bellarminus, diſtinctione *principii quod*, & *quo*; ut illud ſit tota mediatoris perſona, hoc vero ſola ejus natura humana: cum nec aliud Stancarus voluerit, qui nec Deitatem Chriſti, nec perſonarum unionem negavit. Principium autem quo hic non ſolum eſt humana, ſed & divina Chriſti natura, ut in operibus mediatoriis jam vidimus.

Ab officio mediatorio Oſiander excluſit humanam.

Stancarus divinam Chriſti naturam.

Cum quo faciunt Pontificii.

X. Apoſtolus quidem, 1. Tim. 2:5. *mediatorem* appellat *hominem Jeſum Chriſtum*. Verum ſermo ibi tantum eſt de perſona in concreto; quam Apoſtolus cum Deum antea appellaſſet, nunc peculiari de cauſa ab humana natura denominat; tum quia mox λύτρȣ ac mortis illius mentionem facturus erat, v. 6. tum quia fideles in precibus ſuis de nullo hominum genere deſperare jubebat, quia mediator, cum homo exiſteret, communem omnium hominum perſonam ſuſtinuerat.

XI. Quod porro objicit Bellarminus, mediatorem differre debere à Deo, cum mediator omnis ſit ad alterum; adeoque Chriſtum ſecundum divinam naturam id munus gerere non poſſe, niſi apud ſemet-ipſum mediator ſtatuatur, mera argutia eſt. Cum enim apud Patrem, ex peculiari hujus operis œconomia, juxta Scripturæ uſum mediatio peracta fuerit; atque ille judicis ac legiſlatoris, Chriſtus autem ſponſoris ac mediatoris perſonam ſuſtinuerit, ſatis patet quam inanis hæc ſit ratiuncula. Differt enim filius à Patre, tum perſonæ divinæ reſpectu, tum potiſſimum qua θεάνθρωπος, & ratione incarnationis ſuæ, ſive œconomiæ, ut Græci Patres loqui amant, de qua Phil. 2:7, 8. *Se ipſum exinanivit, dum formam ſervi aſſumſit, quando in ſimilitudine hominis eſſe incepit, &, quum habitu inveniretur ut homo, humiliavit ſe ipſe, dum ſe præſtitit obedientem uſque ad mortem, mortem verò crucis*. Et quanquam nemo ſui ipſius mediator eſſe poſſit officii ratione, fructus tamen mediationis ad ipſum quoque pertingere poteſt. Adeoque cum Filius juxta cum Patre læſus fuerit, quid obſtat quo minus & ipſius juſtitiæ ſacrificio

Objectiones Bellarmini ſolvuntur.

Digitized by Google

iſto ſatisfactum, ipſeque ut Deus cum Patre peccatoribus placatus ac reconciliatus dicatur? quanquam Scriptura, peculiarem operis hujus œconomiam ſpectans, aliter loqui amet, Patremque potius, in quo tota trinitas cenſetur, nobis placatum dicat. Nulla etiam hæc Deitatis in Chriſto diminutio eſt, quod ſecundum eam mediator dicatur. Non enim quia mediator eſt, minor Deo eſt; cum illud æque ſit divinum opus & decus, ac creare. Quæcunque autem minoratio Chriſto attribuitur, non ſimpliciter ob mediatorium munus, ſed ob formam ſervi, quam in mediatione aſſumſit, ipſi attribuitur; juxta quam etiam *Patrem* ſeſe *majorem* fatetur, Joh. 14: 28.

Chriſtus ſolus mediator: XII. Cum ergo mediatorem eſſe divinum opus ac decus quoque dicat, divinamque in Chriſto naturam requirat, apparet ipſi quoque ſoli hanc dignitatem competere. *Non eſt in alio quoquam ſalus. nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo quod datum ſit inter homines in quo oporteat nos ſalvari.* Act. 4: 12. *Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem niſi per me.* Joh. 14: 6. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ipſius.* Eph. 3: 12. *Unus eſt Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui ſe ipſum dedit redemtionis precium pro omnibus.* 1. Tim. 2: 5, 6. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* 1. Joh. 2: 1, 2. Unde Auguſtinus: *Hoc dicit Servator tuus; non eſt quò eas, niſi ad me, non eſt quâ eas, niſi per me* Non enim aditur Deus, niſi per Deum; non Filius fide, niſi trahente Patre; non Pater oratione, niſi deducente Filio.

Non angeli, ſancti, aut beatâ virgo, ut Pontificii volunt. XIII. Ut non ſine ſacrilegio Pontificii Servatori de hoc primario ſuo titulo controverſiam moveant, ac ſacerdotium ejus etiam ad alios, tum in cœlo, tum in terra, transferant. Hæc enim Bellarmini verba ſunt, *eſſe ſanctos aliquo modo redemtores: nec eſſe cur timeamus nomen mediatoris transferre ad ſanctos.* De ſanct. beat. l. 1. c. 20. & Virginem ipſi vocant *generis humani Redemtricem*; quam etiam protoplaſtis monſtratam volunt, Gen. 3: 15. ubi, ſacrum codicem nefando ſcelere corrumpere auſi, legunt היא pro הוא. Blaſphemiam autem potiſſimum hoc colore tegunt, quod diſtinguunt inter mediatorem primarium & ſecundarios, inter mediatorem redemptionis & interceſſionis; quo in cenſu ſanctos ponunt. Qui dolus propius detegendus eſt.

Diſtinctionis eorum inter mediatorem XIV. 1. Apoſtolus enim non ſolum Col. 2: 18. contra Platonicos ac Angelicos agens, omnes iſtos minutos ac de plebe Deos, omnemque iſtam interceſſorum turbam cœlo proſcribit, damnans omnem

θρησκειαν

θρησκείαν τῶν ἀγγέλων *angelorum cultum.* Erat autem illorum hominum idem prætextus qui Pontificiorum, ſeſe angelos ut interceſſores venerari. Sed 2. 1. Tim. 2: 5. ubi expreſſe de precibus in Eccleſia fundendis agit, *unicum* dicit eſſe *mediatorem*, ut per iſtum ſolum, non per alios, Deum debere adiri oſtendat: utque conſtet, quantam per hunc interceſſorem in precibus noſtris habeamus fiduciam, addit v.6. talem eſſe mediatorem, *qui ſe ipſum dedit in redemtionis pretium pro quibuſvis.* Quibus verbis naturam interceſſionis mediatoriæ declarat. 3. Interceſſio enim hæc non eſt actus cujuſlibet Deum pro alio orantis, ut ea ſanctis etiam adſcribi poſſit; ſed eſt officii ſacerdotalis pars, & proprius ſacerdotis actus, qui ſe interponit pro peccatore, omneque malum averruncat, nec tam petit, quam poſtulat. Qualis interceſſio egregiè tribuitur Jobi 33: 23, 24. *Angelo advocato, uni ex mille*, qui, *ubi anima propinqua eſt fovea, gratia hominem complectitur, & dicit, redime ipſum ne deſcendat in foveam, inveni lutrum.* Quo pacto nullus hominum aut ſanctorum Deum adire & pro alio orare poteſt. Non enim ille ſanguinem ſuum ac redemtionis pretium oſtendere poteſt; nec ejus eſt ad jam jam pereuntis animæ extremos gemitus occurrere, eamque dato pretio ac lytro ſervare, & dicere, redime ipſam &c. inveni lytron. Hoc autem proprie in hac cauſa eſt intercedere, per fuſum victimæ ſanguinem, per undantem altaribus cruorem, per datam in pretium animam, quod Chriſto conveniebat, Deum obteſtari, & magnis argumentis vel irato miſericordiam extorquere. 4. Unde Apoſtolus 1. Joh. 2: 1, 2, ut oſtendat qualis ſit Chriſtus interceſſor, qualique nos interceſſore egeamus, mediationem ejus interceſſioni adjungit, & non alium interceſſorem agnoſcit, quam qui pariter *paracletus* & *advocatus* noſter in judicio Dei ſit, quique *ipſe ſit propitiatio pro peccatis noſtris* v. 2. Quæ in merum hominem non cadunt. 5. ſed & adverſarii, (adeo ſe mutuo hæc conſequuntur) non preces ſolum, ſed & merita ſanctorum Deo imputant; ipſoſque liberatores & vindices vel in media morte appellant & invocant, & quidem ex vi meritorum. Quæ ipſiſſima eſt redemtio. Non enim niſi verè mediator & redemtor liberare animam in morte poteſt. Moſes autem, quem mediatorem Apoſtolus vocat, Gal. 3: 19. & Vet. Teſtamenti ſacerdotes, qui *pro hominibus conſtituti erant in iis quæ apud Deum agenda erant*, Hebr. 5: 1. (quæ exempla urgent) non ſanctorum, vel angelorum, ſed Chriſti ſolius imaginem ſuſtinuerunt; qui ideo Novi Fœderis, & *melioris teſtamenti ſponſor & mediator* dicitur, Hebr. 7: 22. 8: 6. 9: 15. 12: 24.

redemtionis & interceſſionis fraus detegitur.

XV.

Digitized by Google

An, & quomodo Filius Dei ante incarnationem munus mediatorium geſſerit?

XV. Cum vero adhuc in temporibus ante mediatoris adventum verſemur, quæritur an, & quomodo, ibi munus mediatorium geſſerit? Reſp. Filium Dei *æterno* Patris conſilio in mediatorem datum fuiſſe: cum ſit *agnus ille inculpatus & incontaminatus, præcognitus ante jacta mundi fundamenta*. 1. Petr. 1: 20. *Jeſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſæcula*. Hebr. 13:8. In tempore autem *mox à lapſu*, ſponſionem actu ſubiiſſe; eumque in finem *veteri Eccleſiæ* propoſitum, ab eâque fide acceptum fuiſſe. Ac eo nomine Eccleſiæ iſtius, tanquam peculii ſui, curam geſſiſſe, ſeque ut regem, protectorem ac vindicem ejus variis operibus exhibuiſſe. Unde & dictus מַלְאָךְ הַגֹּאֵל, *angelus aſſertor, vindex*, Gen. 48:16. *in cujus medio nomen Dei*. Exod. 23: 20-23. Cum autem ad propriam officii mediatorii functionem requireretur naturæ divinæ & humanæ concurſus, peculiare iſtud munus & mandatum à Patre ſibi traditum non ante peregiſſe, quam cum in *plenitudine temporis* formam ſervi indutus in terris verſaretur. *Quum verò venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum, naſcentem ex muliere, ſe ſubjicientem legi*. Gal. 4: 4.

Mediator hic fœderis inventus probat religionis noſtræ ſupra alias præſtantiam.

XVI. Atque ex hoc mediatore fœderis gratiæ invento æſtimare licet Chriſtianæ religionis ſupra omnes alias præſtantiam; cum hæc ſola verum mediatorem, gentibus ignoratum, Judæis repudiatum, nec à Muhammedanis agnitum, ab hæreticis denique juſtitiariis non recte cultum, commonſtret; atque in eâ *unicum hoc ſub cælo nomen* inveniatur, in quo ſolo juſtitia & *ſalus* reperiri poteſt, Act. 4: 12. ut merito huic nos ſalvandos planè tradere opus habeamus.

CAPUT XV.

De Sponſione Fœderis gratiæ.

SPONSIO *fœderis gratiæ.*

I. POſt conſiderationem mediatoris novi fœderis ſequitur ejus ſponſio, quâ officium iſtud in ſe ſuſcepit, ac fœdus omne ratum fecit (*Teſtamentum ante ratum factum à Deo in Chriſtum, lex non facit irritum ad abolendam promiſſionem*. Gal. 3: 17.) Cujus *natura*, & tum *ſponſoris*, tum ipſius *ſponſionis conditio* & qualitas; ac porro præmium ac *remuneratio*, & ſponſionis iſtius *firmitas*, & fructus denique ac *effectus* conſideranda ſunt.

II. *Sponſio*

II. *Sponſio* hæc nihil aliud eſt, quam *pactum* mutuum inter Patrem & Filium, quo Pater Filium dat ut λυτρωτὴν & caput populi præcogniti, & Filius viciſſim ſe ſiſtit ad ἀπολύτρωσιν hanc peragendam. In quo fœdere ac pacto Pater ſtipulatur à Filio aſſumtionem naturæ humanæ ex ſemine mulieris, & in ea obedientiam uſque ad mortem; ac repromittit ipſi pariter ſemen ſpirituale & regnum : Filius viciſſim ſiſtit ſeſe ad faciendam Patris voluntatem ; & altrinſecus reſtipulatur ſalutem ſui ipſius, & populi ſibi è mundo dati. Atque hoc eſt *conſilium* illud ac fœdus *pacis*, Zach.6: 13. de quo videri amplius poteſt Jer.30:21. *Et erit princeps ejus ex ipſo, & poteſtatem habens ejus ex medio ipſius exibit, & faciam eum accedere, & accedet ad me. Nam quis eſt qui in fidem* ſuam *recipit cor ſuum, ut accedat ad me?* Eſai.42: 1. *Ecce ſervus meus.* v. 6. *Ego Jehovah vocavi te in juſtitia, & tenebo manum tuam & retinebo te & dabo te in fœdus populi in lucem gentium.* Sic Eſa. 49: 5, 6, ... 12. *Et nunc dixit Jehovah (qui format me ab utero in ſervum ſibi ad reducendum Jacobum ad ſeſe, Iſraël ipſi colligetur,* vel *non colligeretur? & honoratus ero in oculis Jehovæ; & Deus meus extitit robur meum) dixit, inquam : Leve eſt, ut ſis mihi ſervus* ad *erigendas tribus Jacobi, & retentos Iſraëlis ad reducendum; ſed dabo te in lucem gentium, ut ſit ſalus mea uſque ad finem terræ.* Eſai.53: 10,11. *Et Dominus volentem enervare ipſum ad impotentiam redegit, ubi poſuerit anima ejus ſatisfactionem, videbit ſemen,* quod *prolonget dies, & in cujus manu voluntas domini proficiat. A labore,* quem *videbit anima ejus ſatiabitur; in agnitione,* h. e. fide *ſui juſtificationem dabit juſtus ſervus meus multis, & peccata ipſorum ipſe portabit.* Pſal.40: 7,8,9. *Sacrificium & munus non voluiſti; aures perforaſti mihi. Tunc dixi, Ecce veni is, de quo in volumine libri ſcriptum eſt. Facere voluntatem tuam cupio, & lex tua eſt in medio viſcerum meorum.* conf. Hebr.10: 5,6,7,10. *In hac voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel* factam. Pſal.16: 2,3. *Dixiſti ad Jehovah, Dominus es tu. Bonum meum non eſt ſuper te, pro ſanctis qui ſunt in terra.* Pſal.2:8. *Poſtula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & proprietatem tuam extrema terræ.* Job.33:24. *Redime illum, ne deſcendat in foveam, inveni λύτρον.*

quid ſit?

III. Quantum ergo ad *Filium*, ſponſio ejus nihil aliud eſt quam voluntas ejus offerendi ſemet ipſum in ſacrificium pro humano genere. Unde nomen ſponſoris ipſi tribuitur. *Melioris Teſtamenti ἔγγυος ſponſor eſt Jeſus*, Hebr.7:22. *Patris* autem erat, ſponſorem hunc humano generi dare & ſponſionem ejus accipere. Eſt enim eadem hic voluntas Patris & Filii, æterna illa ac divina voluntas, ſive *voluntas ſpiritus*

æterni. Hebr. 9: 14. ſed quæ pro diverſitate perſonarum utrique diſtincte appropriatur : Patre perſonam rectoris ac legiſlatoris, Filio perſonam Angeli aſſertoris, & tum divinæ gloriæ ac ſanctitatis, tum Eccleſiæ vindicis ac reſtitutoris gerente; ſicut Spiritus Sancti eſt hæreditatem hoc fœdere partam fidelibus applicare & obſignare : *In quo etiam credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ*. Eph. 1: 13, 14.

Qualis debuerit eſſe perſona ſponſoris?

IV. Atque hinc *ſecundo* patet qualis debuerit eſſe *perſona ſponſoris*, & qualium naturarum particeps, divinæ nimirum & humanæ.

V. *Divinæ*. Non enim mera creatura pro aliis, juſtitiæ divinæ ſatisfacere, & gloriam ac ſanctitatem ejus illuſtrare; nec hominum ſalvandorum caput & princeps, eorumque, tanquam hæreditatis ac peculii ſui, dominus, in quo confidere & tanquam in ſalvatore ſuo gloriari poſſent, exiſtere; nec denique ab æterno pro iis apud Deum intercedere & ſpondere, ac porro in omnem æternitatem eos ſervare poterat. Hæc enim divina αὐχήματα ſunt.

VI. *Humana* autem, quia illa ex fœdere Deo obligata erat; quod fœdus mutari non poterat. Adeoque humana obedientia, hominisque officia requirebantur. Imo non homo ſolum, ſed & *Filius hominis* Pſal 8: 5. exiſtere debebat, ut legem charitatis, qua hominem *ut carnem ſuam adamare* debebat, (*Membra ſumus corporis ipſius, ex carne ejus & ex oſſibus ejus*, Eph. 5: 30.) implere, & pro iis tanquam *fratribus* intercedere, eorumque *Goël* (Job. 19: 25. *Ego novi Goël, vindex meus vivit*) exiſtere, & denique tanquam *primogenitus* univerſam Dei familiam ſacrare, & ad Deum adducere poſſet. *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes; quare non pudet eum fratres eos vocare*. Hebr. 2: 11. *Quia igitur pueri communem habent carnem & ſanguinem, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem* &c. v. 14, 15, 16, 17.

Sponſionis ipſius qualitas, in ſubjectione ſponſoris ſub legem.

VII. Ipſius porro *ſponſionis conditionem* & legem quod attinet, conſiſtit illa *in ſubjectione* ſponſoris in natura humana *ſub lege* Dei. Intelligitur autem *lex* illa amoris Dei ac proximi, qua omnes homines, adeoque etiam ſponſor tenebatur. Amor autem Dei jubebat ipſum gloriam Dei quærere, eamque quam maxime fieri poterat illuſtrare & perficere; quod potiſſimum in redemtionis opere, quo Deus peculiari modo ſanctificatus eſt, factum eſt. Amoris in proximum erat, fratrem ſuum ex morte eripere, & vel ſuam ipſius vitam pro eo interponere. *Si condonas peccatum ipſorum*, bene eſt, *& ſi non eſt*, ſc. remiſſio, dele me *ex libro quem ſcripſiſti*, Exod. 32: 32.

VIII.

VIII. Subjectio illa Chriſti ab Apoſtolo Phil. 2: 6, 7, 8. in duobus ponitur: 1. in gloriæ ſuæ abjectione vel occultatione, & profunda illa ſui *exinanitione*, qua, cum, ut olim, glorioſus in terris apparere, & Deum fateri potuiſſet, diſſimulatâ majeſtate, ac ſervi in formam compoſitus, in terris egit. 2. in legis obedientia uſque ad mortem crucis. *Qui, cum eſſet in forma Dei, non raptum duxit eſſe inſtar Dei, ſed ſeipſum exinanivit, dum formam ſervi aſſumſit, quando in ſimilitudine hominis eſſe incepit, & quum habitu inveniretur ut homo, humiliavit ſe ipſe, dum ſe præſtitit obedientem uſque ad mortem crucis.*

IX. Quæ obedientia propriè ſubjectionis ſub lege in Chriſto ſpeciem habebat. Duplex enim ſubjectio illa eſt; vel naturalis, quæ ab omni creatura rationali debetur, vel ex peculiari fœdere ac pacto; quæ proprie in Scripturis ſubjectio ſub lege, atque *ſub lege eſſe*, appellatur: atque ea ratione de Chriſto uſurpatur. Quanquam enim natura humana, quatenus Dei creatura eſt, Deo ſemper ſubeſſe debeat, nec niſi ſancta ac juſta Deo placere poſſit, quomodo & Chriſti in cœlo humanitas, & beatæ animæ ad eandem ſanctitatis legem perpetuo tenentur; hoc tamen propriè & ſtrictè ſubjectionem hanc ſub lege non dicit: non enim beati in cœlis, quanquam ſancti eſſe debeant, amplius legi ſubjecti ſunt. Et ſic Chriſtus, abſque ſponſione ſuâ, legi quoque obedire, Deum proximumque adamare, & homo ſanctus ac juſtus eſſe debuiſſet; non tamen legi proprie ſubjectus fuiſſet. Subjectio enim ſub lege ſtrictè dicit, ſub eâ eſſe, ut dominâ obedientiam imperante, tanquam beatitudinis conditionem; nec eam addicente ante conditionem præſtitam. Qua ratione nec beati in cœlo, nec Chriſtus, quanquam homo, abſque ſponſione ſua, in terris, ſub lege fuiſſet, cum mox comprehenſor ac beatitudinis hæres eſſe potuiſſet, nec eam poſt longum obedientiæ curſum demum expectare neceſſe habuiſſet. Atque ita Chriſtus, cum ex ſeſe legi ſubjectus non foret, nec ad iſtas conditiones teneretur, ſeſe ipſum liberrima voluntate legi ſubjecit, pro nobis, per ſponſionem ac pactum ſuum cum Patre. Quæ ſubjectio naturali illi ſanctitati, quam ut homo etiam pro ſe præſtare debebat, acceſſit; & certum aliquod præterea obedientiæ curriculum poſtulavit, ante quod impletum præmium ſperare non poterat: ſumſitque initium à prima ejus nativitate, ac terminata eſt ejus morte; qui ab Apoſtolo appellantur *dies carnis ejus*, Hebr. 5: 7. qui nunc ceſſant: *non enim amplius cognoſcimus Chriſtum ſecundum carnem*. 2. Cor. 5: 16. Unde jam intelligi

 poteſt,

Digitized by Google

poteſt, quomodo ſanctitatem & legis obedientiam, quam pro ſeſe debebat ut homo, tamen nihilominus pro nobis ac noſtro nomine ac bono adimpleverit.

Quæ ſubjectio conſiſtit in obedientia vitæ & mortis.

X. Conſiſtit autem hæc ſubjectio Chriſti proprie dicta in obedientia *vitæ* & *mortis*; ac trinam illam perfectionem poſtulabat, partium, graduum & perſeverantiæ; quæ tota *vita* præſtita, in *morte* Chriſti potiſſimum elucebat ac abſolvebatur : in qua ipſius reſpectu erat obedientiæ ac amoris ejus probatio, & *πειρασμὸς* (*Quantumvis eſſet filius, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam*, Hebr. 5: 8.) noſtri autem reſpectu *τιμωρία* & propriè dicta pœna. *Paradigma pacis noſtræ ſuper ipſo erat, & vibice ipſius ſanatio nobis facta eſt*. Eſai. 53: 5.

Quam quidam perperam divellunt, diſtinguendo juſtitiam ejus activam & paſſivam.

XI. Quam obedientiam Chriſti perperam quidam non diſtinguunt ſolum, ſed & divellunt, duplicem ejus juſtitiam facientes, *activam* & *paſſivam*, priorem Chriſto vendicantes, alteram nobis. Cum quicquid Chriſtus præſtitit, id omne ad juſtitiam requiſitum fuerit, & unicam juſtitiam pepererit, quæ univerſa activa potius dicenda eſt; omniſque ea nobis fuerit debita, tum quatenus juſtitiam legis implevit, tum quatenus mortis reatum expunxit & delevit. Tota enim illa obedientia Chriſti unum tantum facit *δικαίωμα*, unicamque juſtitiam, per quam ſalvi conſtituimur: Nam *τὸ χάρισμα quod per gratiam datur*, eſt *ex multis lapſibus εἰς δικαίωμα in juſtitiæ cauſam*, Rom. 5: 16: eſt *per unum δικαίωμα juſtitiæ meritum in omnes homines in juſtificationem vitæ*. v. 18. Nec hæc curioſe adeo diſtinguenda, multo minus diſcerpenda ſunt, & juſtitia Chriſti laceranda & mutilanda.

Sponſoris remuneratio.

XII. Hanc ſponſoris ſubjectionem *ad breve* tempus *βραχύ τι* Hebr. 2: 7, 9. *ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ in diebus carnis ejus*, Hebr. 5: 7. in quibus ſe ipſum *ἐφάπαξ ſemel obtulit*, Hebr. 7: 27. conſequi debuit *quarto* ipſius *remuneratio* & exaltatio, ut præmium obedientiæ peractæ. *Ubi poſuerit ſatisfactionis pretium anima* ejus, *videbit ſemen*, quod *prolongabit dies*; *& beneplacitum Jehovæ in manu ejus proſperabitur* &c. Eſai. 53: 10, 11. *Qui propter paſſionem mortis gloria & honore coronatus eſt*, Heb. 2: 9.

Quæ eſt exaltatio ejus, ut capitis Eccleſiæ, præ omnibus ejus membris.

XIII. Quæ ejus exaltatio non nude conſiſtere debuit in collatione vitæ æternæ, quod erat præmium fœderis operum cuilibet juſto conferendum; ſed ſicut ille peculiare mandatum à Patre acceperat, & peculiare pactum cum eo inierat, quo ſingulare etiam præmium ipſi promiſſum erat; & ſicut *θεανθρώπου* meritum majus plane eſt merito nu-

nudi hominis;ita etiam glorioſior exaltatio ipſi debebatur;non ex fœdere operum ſimpliciter,ſed ex pacto illo cum Patre. Quæ in eo conſiſtit, quod ipſe peculiari gloria effulgens, & ad dextram Dei conſidens, ſalvandorum dux & princeps,eos ſecum in gloriam introducturus, inque iis ſemper glorioſus extiturus ſit. Quæ tamen gloria ejus non tollit naturalem illam ſubjectionem, qua humanitas Chriſti divinitati ſubjecta manet ut creatura. *Quum vero ſubjecta fuerint ei omnia, tunc & ipſe Filius ſubjicietur ei, qui ſubjecit ipſi omnia, ut Deus ſit omnia in omnibus.* 1. Cor. 15:28.

XIV. Cum autem exaltatio hæc Filio ex pacto iſto debita fuerit, obedientia & ſubjectio ejus veri & propriè dicti *meriti* rationem habuit, & ad gloriam ipſius non tantum antecedenter, ut quidam volunt,verum etiam meritoriè præceſſit. Imo meritum hic fuit non tantum ex pacto,ſed etiam ex condigno:tanta enim humiliatio tantæ perſonæ gloriæ iſti & exaltationi proportionata fuit. Unde 1. Chriſtus à Deo exaltatus dicitur *ideo* & *propter* obedientiam ſuam, Phil. 2: 9. *Quamobrem & Deus ipſum ſuperexaltavit.* Hebr. 1:9. *Dilexiſti juſtitiam -- ideo unxit te, Deus, Deus tuus oleo alacritatis præ conſortibus tuis*, coll. cum Pſal. 45: 8. Hebr. 2:9. Διὰ *propter paſſionem mortis gloria & honore coronatus eſt*. Eſai. 49: 4. *Certe judicium meum eſt apud Dominum, & opera pretium cum Deo meo.* 2. Et commutatio obedientiæ & gloriæ ejus innuitur, תחת אשר *ejus vice, pro eo quod in mortem effudit animam ſuam, propterea dabo ipſi partem in multis.* Eſai. 53: 12. 3. Denique expreſſè *dignitas* ad gloriam ipſi adſcribitur, ut Apoc. 5: 12. *Dignus eſt agnus qui mactatus eſt, ut accipiat potentiam* &c. Ac tantum abeſt quod hæc negari queant, ut Chriſtus ſi ſibi nihil meritus ſit, ne nobis quidem aliquid meritus fuiſſe dici poſſit.

Quare obedientia ejus habuit rationem meriti, & quidem ex condigno: quod probatur,

XV. Citra *ἀκυρολογίαν* igitur meritum Chriſto adſcribi poteſt circa exaltationem ejus : ubi tamen attendendum 1. meritum hoc tantum reſpicere gloriam illam, qua nunc fruitur natura ipſius humana, non vero revelationem glorioſam divinitatis in humanitate,quæ ſupra omne meritum eſt, æque ac ipſa incarnatio, quæque non meriti, ſed gratiæ fuit, ut Apoſt. expreſſè Phil. 2:9. monet voce ἐχαρίσατο: *nomen* enim illud, *in quo omne genu ſe* debeat *flectere*, nullo merito acquiri poteſt, ſed naturæ ejus divinæ jam ante conditum mundum competebat, juxta illud: *Et nunc glorifica me, tu Pater, apud te gloria, quam habui priuſquam mundus eſſet*, Joh. 17: 5. 2. omne Chriſti meritum, omnemque

*& diſtincti*ſ*im explicatur.*

que ejus gloriam tandem exire in bonum noſtrum, atque uſu noſtram eſſe: non enim ſuum lucrum quæſivit, ſed Eccleſiæ ſuæ, cujus *caput*, & tanquam proprii *corporis ſalvator eſt*. Eph. 5:23. Non enim illa quæ ſibi & quæ nobis promeruit nimium diſcernenda ac diſcerpenda ſunt. Nos enim ſibi in peculium & hæreditatem acquiſivit, ac ſibi proprios promeruit. Quæ pariter & Chriſti & Eccleſiæ gloriam ac beatitudinem comprehendunt. Ut Sociniani prorſus aberrent, dum Chriſto meritum ſui ipſius reſpectu attribuunt, ut eo colore meritum ipſius reſpectu noſtri abnegent. Quod alienum & ſecum pugnans eſt. Sicut enim gloria ejus ſine Eccleſiæ gloriâ non conſiſtit, cum in eâ potius ſita ſit; ita illam ſibi promeruiſſe, ut nihil interim Eccleſiæ meruerit, nec dici nec concipi poteſt.

Sponſionis hujus conſtantia, negata à Remonſtrantibus: XVI. Sequitur *quinto* loco ſponſionis hujus *firmitas* & *conſtantia*; qua Filius Dei cauſam noſtram, quam ſuſceperat, deſerere, & ſponſioni ſemel initæ renunciare non potuit. Quod *Remonſtrantes* temerè, nec ſine impietate aliquâ affirmant, cum Chriſtum abſque peccato & pœnâ ullâ provinciam ſuſceptam deponere potuiſſe aſſerunt, hac ſola noxâ, quod ſimul præmium & gloriam promiſſam abdicare & negligere debuiſſet. Quod & fœderi gratiæ, & ſponſionis naturæ, & Chriſti ipſius dignitati ac ſanctitati, fidelium denique ſub V.T. ſpei ac fidei repugnat.

qui redarguuntur. XVII. Hoc pacto enim 1. Non ſolum electionem divinam ac decretum ejus, quo Chriſtus *ante jacta mundi fundamenta præcognitus* & in vadem deſtinatus erat, 1. Pet. 1:20. incertum ac mutabile reddunt: ſed fœdus ipſum gratiæ, omneque teſtamentum Dei, pactumque Patris & Filii, quo ſolo ſalus noſtra nititur, & *voluntatem æterni ſpiritus, per quam ſanctificati ſumus*, Hebr. 9:14. 10:10. prorſus perimunt; imo pactum hoc cum Filio, & mandatum Patris, quo ipſi redemtionis opus commiſſum fuit, in nudam permiſſionem convertunt, *licet tibi ſatisfacere pro fratribus, ſi vis*. 2. Sed & ſponſionis ipſius naturam evertunt, quæ ejus generis eſt, ut ſemel accepta ſine peccato deponi iterum non poſſit. Quod in Chriſto magis verum eſt, cui ille honos non ſine *jurisjurandi* religione contigit, ad firmitatem & æternitatem ejus ſignificandam. *Lex homines conſtituit ſacerdotes habentes infirmitatem: ſermo autem jurisjurandi, quod poſt legem eſt, Filium in æternum conſummatum*. Hebr. 7:28. 3. Quin & Chriſtum ipſum cum Durando peccato ac damnationi ſubjiciunt: ſponſionem enim factam frangere, vadimonium deſerere, facer-

Digitized by Google

ſacerdotium jurejurando firmatum profanare, & ſummum iſtum in genus humanum amorem abjicere, perfidia & ſcelus eſt, ac pœnam meretur. 4. Ac denique ſpem omnem atque fidem filiorum Dei, ac præſertim Patrum ſub V. T. qui iſto ſponſore nixi animas ſuas Deo crediderunt, fallacem ac dubiam ponunt. Cum tamen tanta cum certitudine ac fiducia Jobum loquentem audiamus, c. 19:25. *Sane ego novi, quod vindex meus vivit, & poſtremus ſupra pulverem ſtabit. Et poſtquam cutis mea deſtrinxerint hoc, etiam ex carne mea videbo Deum.* Non enim ſpes ac fides ulla in Deum mendax eſſe, vel hominem fruſtrari poteſt.

XVIII. Chriſti autem in munere hoc obeundo fidelitas & conſtantiſſima obedientia, quæ nulla vel minimi peccati labe adſpergi poterat, duplici fundamento nitebatur, *unione hypoſtatica*, & *unctione Spir. S.* Illa faciebat ipſum amicum, quin & Filium Dei: impoſſibile autem erat Filium Dei, eundemque θεάνθρωπον & Deum, Dei per peccatum inimicum fieri, & hæreditate ſuâ excidere, tandemque damnari. Per hanc autem *ſupra conſortes ſuos inunctus*, Pſal. 45:8. *Spiritum S. non ex menſura accepit*, Joh. 3:36. & in prophetam infallibilem, ſacerdotem incontaminatum ac ſanctiſſimum, regem denique ſpiritualem, & ſalutis ducem ac ἀρχηγὸν certiſſimum, & ſanctitatis omnis exemplar ac auctorem conſecratus ac Eccleſiæ datus eſt.

XIX. Πρῶτον ψεῦδος adverſariorum eſt, Chriſtum Patri obediiſſe liberrimè, h. e. ut ipſi interpretantur, ſine ulla ſubjectione ſub lege, vel pœnæ comminatione: unde ſine peccato munus quod acceperat, rurſus deponere potuerit; hoc ſolo, quod ſimul promiſſum præmium abdicare neceſſe fuerit. Cum tamen & pactum Patris, & mandatum ipſi traditum legamus, quo ſaltem adſtringebatur: quæ poſtea univerſæ ipſum legi ſubjecerunt, ejuſque præſtandæ reum fecere. Iſta enim ſponſoris ratio eſt, omnem hominis obligationem ſubire & præſtare. Neque etiam obedientia ipſius abſque hoc fuiſſet obedientia vera, vel δικαίωμα τοῦ νόμου, *impletio legis ad juſtitiam.* Ut legi ſubjectum fuiſſe conſtet; pariterque etiam comminationibus legis: non enim iſtæ propriè labendi periculum dicunt, ut adverſarii urgent, ſed juſtitiam ac ſanctitatem Dei, ejuſque erga peccatum odium teſtantur; & in Chriſto præterea divinæ iræ ſenſum, quam ut ſponſor noſter deguſtare debebat, operabantur, adeoque ejus ſtatui nullo modo adverſabantur.

Adverſariorum πρῶτον ψεῦδος.

XX. *Effectum denique* ac fructum ſponſionis quod attinet, ille duplex eſt: non-imputatio peccati noſtri, utpote quod in ſponſore punitum ac deletum fuit; Rom. 8:1. *nulla nunc condemnatio iis, qui ſunt in*

Sponſionis effectus, ſeu fructus.

Chri-

Chriſto Jeſu: & imputatio juſtitiæ ac obedientiæ ſponſoris noſtri, ad acquirendam vitam & ſalutem, non ut mercedem nobis debitam, ſed ut hæreditatem à fratre Chriſto nobis donatam. *Chriſtus factus eſt ſapientia à Deo, juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio.* 1. Cor. 1: 30. Cujus juſtitiæ participes reddimur per unionem ac communionem cum ipſo, ut cum capite noſtro; quæ à Spiritu ſponſoris per fidem, ac vitam ſpiritualem in nobis perficitur.

Huic ſponſioni Chriſti adverſantur Sociniani qui volunt eum duntaxat dici ſponſorem, quod pro Deo apud nos ſpoponderit qua eorum ſententia refellitur.

XXI. Adverſantur autem huic ſponſioni Chriſti palam *Sociniani*, eamque impie detorquent & corrumpnnt, dum Chriſtum ἔγγυον τῆς διαθήκης & *ſponſorem teſtamenti* dictum volunt, non quod noſtro nomine apud Deum egerit, ſed contra quod pro Deo apud nos ſpoponderit; quod videl. Dei nomine ad nos venerit, fœdus nobiſcum fecerit, ejuſque bona ac promiſſiones rata fore promiſerit, modo ea fide accipiamus, idque morte ſua ac ſanguine firmaverit. Quæ 1. mera vocis κατάχρησις eſt: ſponſor enim proprie eſt qui alterius debita in ſeſe recipit & præſtat. 2. Quæ & ſponſionis Chriſti ratio fuit: ſicut Apoſtolus Hebr. 7. ſacerdotis & ſponſoris vocabula alternat; unde hæc ſponſio apud Deum peragenda erat, nec ſine Chriſti ſacerdotio ac ſatisfactione intelligi debet. 3. Quam cum adverſarii negant, infirmum eum valde ſponſorem, etiam apud homines faciunt: nihil enim ſponſor ſpondere poteſt niſi quod ipſe impetraverit: hi autem Chriſto omne meritum abrogant. 4. Imo cum omnem Chriſti promiſſionem & annunciationem, quam hi homines ſponſionem vocant, conditionalem ponant, utpote quæ obedientiâ noſtrâ nitatur, quæ adeo difficilis eſt, quamque propriis viribus peragendam ajunt, profecto iſta ſponſio fidem noſtram parum firmare & ſtabilire poteſt. 5. Et porro, an fides noſtra ſine tali ſponſore non poſſet Deo promittenti credere? an non Abraham, reliquique fideles ſine eo crediderunt? & quid ille tum adeo neceſſarius? & quomodo Apoſtolus ipſum ſponſorem *Deo dignum* dicit, idque tantopere, ut abſque eo Deum adire, eique ſe permittere, nefas ac ſummopere indecens foret? *Decebat ipſum, propter & per quem ſunt omnia, multis filiis in gloriam introductis, principem ſalutis ipſorum per paſſiones conſummare.* Hebr. 2: 10. *Talis nos decebat ſacerdos, pius, ſine vitio* &c. c. 7: 26. Adeo tenuem ac inutilem & nullum tandem ſponſorem hi homines relinquunt; & præſtantiſſimis iſtis vocabulis Sponſoris, Sacerdotis, Redemtoris nullum planè ſenſum ſubjiciunt. Quod ſollemne ipſis eſt, ita omnem Scripturæ ac univerſæ religionis vim ac potentiam enervare ac tollere.

LO-

LOCUS DUODECIMUS
De Fœderis gratiæ executione.
CAPUT XVI.
De Promulgatione & Applicatione Fœderis GRATIÆ.

I. NOn ſufficit autem Deum ab æterno habuiſſe conſilium dandi, in mediatore & ſponſore, ſemini electo hæreditatem per formam teſtamenti, niſi illud in tempore hæredibus illis notificetur & applicetur. Atque huc *quinto* facit teſtamenti hujus *promulgatio* & *applicatio*. *Teſtamenti gratiæ* PROMULGATIO & APPLICATIO.

II. *Promulgatio* illius conſtat tribus partibus, 1. *notificatione* illius. 2. *præcepto fidei*. 3. *promiſſione ſalutis*. PROMULGATIO *conſtat tribus partibus.*

III. *Notificatio* ac declaratio hujus teſtamenti facta eſt ab ipſo Deo, tum *primis parentibus* ſtatim à lapſu: *Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter ſemen tuum, & inter ſemen ejus: illud conteret te* quoad *caput, & tu conteres illud* quoad *calcem*. Gen. 3: 15. tum *Abrahamo: Et faciam ſtare fœdus meum inter me & inter te, & inter ſemen tuum poſt te, in ætates ipſorum, in fœdus ſeculi, ut fiam tibi in Deum & ſemini tuo poſt te*. Gen. 17:7. tum deinceps multoties, *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως per Prophetas*, Hebr. 1: 1. Atque in N. T. vocatur *ἐπαγγελία*, ſive *promiſſio*. Rom. 4: 16. *Ut firma ſit promiſſio toti ſemini*. vide & Gal. 3: 14, 16, 17, 18, 21, 22. Hebr. 11: 9, 13, 17, 39. quibus locis eadem appellatio frequentatur. *1. Notificatione illius.*

IV. Promulgatur *deinde* teſtamentum gratiæ per verbum mandati, ſive *præcepti*, quo omnes homines, quos Deus externa vocatione dignatur, jubentur credere in Chriſtum; juxta illud Act. 16: 31. *Crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & ſalvaberis tu, & domus tua*. In quo præcepto fidei ſimul continetur præceptum reſipiſcentiæ & ſtudii conſervandæ bonæ conſcientiæ in charitate. Natura autem fides reſipiſcentiam præcedit; illa enim ad Deum primo nos adducit; quanquam tempore ſimul ſint. *2. Præcepto fidei & reſipiſcentiæ.*

V. Ad *quæſtionem*, an mandatum hoc fidei ſit præceptum legis an Euangelii? Reſp. 1. mandatum legis eſſe eatenus, quatenus ea homini omne *An hoc fidei mandatum ſit*

legis an Euangelii?

omne Dei verbum recipere jubet. 2. non tamen eſſe mandatum *legale*, h. e. præceptum habens conditionem pacti. 3. cumque fluat ex promiſſione illa teſtamentaria, de ſervando ſemine electo per fidem; atque non omne teſtimonium Dei, ſed proprie bona in Chriſto oblata unicè apprehendat; eatenus eſt *Euangelicum*, & *lex fidei*, Rom. 3:27. uno verbo quoad obligationem, fides hæc legis eſt; quoad originem, Euangelii.

An Chriſtus in fœdere gratiæ ſit legiſlator?

VI. Unde etiam ſolvi poteſt *altera quæſtio*, an Chriſtus in fœdere gratiæ ſit legiſlator? Eſt enim revera, & dici legiſlator poteſt, quatenus legem, h. e. doctrinam & viam ſalutis hominibus tulit, ſive potius juſſit, tum in Vet. tum in Nov. T.; atque etiam obedientiam erga mandata Dei ab hominibus flagitat, quin & ea cordibus ſuorum inſcribit. 2. reſpiciendo vero ad legem operum, non ſine blaſphemia vocari poteſt novæ legis lator, quaſi aut ad legem operum aliquid addiderit, aut auctor fuerit novi fœderis operum, per quod, ſub conditione obedientiæ præſtandæ, homines ſervare velit.

3. Promiſſione fœderali ſalutis, diſtinguenda à promiſſione teſtamentaria.

VII. Tertius actus promulgationis fœderis gratiæ conſiſtit in *promiſſionibus* fœderalibus, quæ annectuntur mandato fidei. Quæ fœderales promiſſiones diſtinguendæ ſunt à promiſſionibus teſtamentariis, quibus Deus declarat ac notificat teſtamentum ſive conſilium ſuum. Nam promiſſiones teſtamentariæ nudè dicunt quid Deo propoſitum ſit efficere, & concipiuntur verbis abſolutis; ex. gr. *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis:* promiſſiones vero fœderales proponuntur axiomate conditionato, & connectuntur mandato fidei, atque ad hominem propius diriguntur, ex. gr. *ſi credideris, ſervaberis.* Unde hominis officium, videl. adſtipulationem ejus & amorem ac quæſtionem boni promiſſi poſtulant. Quo pacto teſtamentum hoc in formam quandam fœderis abit. *Potioris eſt teſtamenti mediator, quod ſuper potioribus promiſſionibus νενομοθέτηται in legis formulam redactum eſt.* Hebr. 8:6.

VIII. Cum verò Deus approbet omnem veritatem ex mandato & conſilio ſuo fluentem, hinc etiam propoſitiones iſtas conditionatas univerſales approbat, *omnis qui credit, habet vitam æternam* &c. non tamen voluntas ejus à conditione aliqua ſuſpenſa eſt. Ac ſub tali propoſitione conditionata ſalus offerri poteſt omnibus vocatis, ſine ulla illuſione, aut deſiderio, ac voluntati incompleta in Deo. Æternùm enim illa connexio vera eſt, *qui credit, ſalvabitur.* Non enim fruſtra quis ad Chriſtum, rupem ſalutis, confugere poteſt. Unde officium hominis monſtratur, ut ad Chriſtum confugere non dubitet, & ſalutem tantam non ne-

Digitized by Google

negligat. Quod cum Deo homineque ſummopere dignum ſit, Deus illud non poteſt non probare ac jubere,& laſſam ſitientemque animam recipere ac ſolari. Reprobi autem, in officio ſuo deficientes, ipſi ſibi deſunt, manente tamen propoſitione in ſeſe vera.

Teſtamenti gratia APPLICATIO; *circa quam conſideranda, ejus cum principia,*

IX. Promulgationem hanc externam ſequitur interna fœderis hujus *applicatio*. Circa quam occurrunt cum *principia* ejus, à quibus pendet, tum *operationes* & *beneficia*, per quæ in propiorem hujus fœderis communionem adducimur.

X. *Principia* ac cauſæ hujus applicationis ſunt partim *Chriſti meritum*, partim efficax ejus per *Sp. S. gratia*. Eſai. 49: 4, 6. *Judicium meum eſt cum Jehova, & opera pretium meum cum Deo meo --- dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus Dei uſque ad finem terræ*. Eph. 4:10. *Qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleat omnia*. Adeo ut rejiciendi ſint, qui putant, non obſtante Chriſti merito, fieri potuiſſe, ut nemo in ipſum crederet, & per ipſum ſalvaretur. Quæ meriti Chriſti abnegatio eſt.

tum operationes & beneficia.

XI. *Operationes* ac *beneficia* iſto ex fonte fluentia, quæ nos bonorum fœderis participes faciunt, ſunt, 1. vocatio efficax, 2. regeneratio, 3. fides, 4. juſtificatio, 5. ſanctificatio, 6. reſipiſcentia, 7. glorificatio, 8. atque inde reſultans perſeverantia & certitudo ſalutis. Quæ bona omnia, ut & ipſum meritum ac gratia ſponſoris Chriſti, cum excellentius ſub N. T. emineant, quam ſub ulla alia fœderis iſtius œconomia, tractationem eorum ad iſtum locum reſervabimus; quamvis cæteroquin bona iſta omnibus hæredibus communia ſint, & ad omnia teſtamenti iſtius tempora ex æquo pertineant.

CAPUT XVII.

De ſubjecto Fœderis gratiæ. Ubi de ejus latitudine & gratiâ univerſali.

Fœderis gratiæ SUBJECTUM, *non angelis*

I. SEquitur denique *ſubjectum* fœderis gratiæ, cui id applicatur: cui cohæret diſquiſitio de *latitudine ejus*, quouſque ſe ſe extendat.

II. Ubi in ipſo limine occurrit *quæſtio, an etiam ad angelos* pertingat hoc fœdus, & an Chriſtus eorum mediator ſit? Ad quod reſp. Apoſtolus, Hebr. 2: 16. *Non angelos* ἐπιλαμβάνεται *aſſumit*, ſive aſſerit, ſcil. ut eorum Goël & aſſertor ſit, *ſed ſemen Abrahæ*.

III.

Sublatis eorum, qui aliter ſentiunt ſcrupulis;

III Nec rectè contrarium infertur, ex locis Eph. 1: 10. Col. 1:19, 20. ubi *per Chriſtum omnia recollecta ac reconciliata* dicuntur, *tum quæ in terra, tum quæ in cœlo ſunt*. Poſito enim per *ea quæ in cœlo ſunt* intelligendos ibi eſſe angelos reconciliati ſunt illi, non Deo, ſed nobis. Hominibus enim Chriſti beneficio cum Deo reconciliatis, etiam angeli Dei miniſtri ac amici, qui propter peccatum ab ipſis alieni ac divulſi fuerant, reconciliati ſunt: atque per eum, reductis ab errore ſuo hominibus, univerſa Dei domus & familia rurſus pacata & compoſita dici poteſt. Potius autem ibi agitur de reconciliatione illa, quâ reconciliavit Chriſtus ſatisfaciendo pro peccatis ipſorum, ſimul tum beatos, qui tunc temporis in cœlo erant, tum electos, qui in terra agebant & porro acturi erant. Conf. Hebr. 11: 40. *Quum Deus de nobis melius quid providiſſet, ne ſine nobis conſummarentur.*

IV. Neque etiam juvat diſtinguere inter mediatorem unionis & reconciliationis. Scriptura enim non alium quam reconciliationis mediatorem agnoſcit. Adeo ut, quamvis non ſine Filio Dei angeli boni perſeveraverint, utpote per quem Pater omnia operatur, & cujus gloriam quærit; iſque etiam angelorum, atque univerſi cœlitum populi caput & princeps ſit, qui eum proinde *adorare* jubentur (*Quum rurſus introducit primogenitum in orbem habitabilem, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. 1: 6.) non tamen eorum mediator eſt. Non enim quæcunque gratia, etiam in Filio præſtita, gratia mediatoris eſt. Illa enim ſolummodo circa miſeros & inimicos Dei locum habet.

Ad ſoli homines, ſemen promiſſionis.

V. Reſtringendum ergo hoc fœdus eſt ad ſolos homines, ſive illos inter homines, quos Scriptura *ſemen & filios promiſſionis*, exque eâ veluti prognatos, & *ſemen Abrahæ*, cui ſpecialis promiſſio facta legitur, ac *ſemen benedictum* appellat. *Non filii carnis, hi filii Dei: ſed filii promiſſionis reputantur in ſemen. Promiſſionis enim ſermo hic: ſecundum hoc tempus veniam & erit Saræ filius.* Rom 9: 8, 9. *Ut firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei, quod ex lege eſt, tantum, ſed & ei, quod ex fide Abrahami eſt: qui eſt pater omnium noſtrum. (Sicut ſcriptum eſt, patrem multitudinis gentium poſui te) --- qui contra ſpem ſecurè credidit ſe factum eſſe patrem multarum gentium, ſecundùm id quod dictum eſt, ſic erit ſemen tuum.* Rom. 4: 16, 17, 18. *Scriptura prævidens Deum ex fide juſtificare gentes, ante euangelizavit Abrahamo: Benedicentur in te omnes gentes.* Gal 3: 8.

Non ergo fœdus gratiæ eſt univerſale

VI. Cui ſemini cum affixum ſit fœdus gratiæ, non illud tanquam *univerſale* concipi, & ad omnes & ſingulos homines extendi debet. Obſtat enim, cum propria fœderis ac ſponſionis ratio; tum præſertim ipſa adminiſtratæ ſalutis œconomia & hiſtoria.

VII

Digitized by Google

VII. Chriſtus enim fœderis hujus *ſponſor non ſpopondit* pro omnibus & ſingulis, nec omnium coram Deo cauſam egit, adeoque fœdus ipſum univerſale dici non poteſt. Cum hoc ſponſione Chriſti unicè nitatur: nec latius ſe extendat fœdus Dei cum hominibus, quam fœdus & pactum ejus cum Filio; cum ejus tantum ſit repetitio, & ad homines applicatio. Fœdus enim & teſtamentum Dei idem ſunt; adeoque ultra teſtamenti tabulas extendi non poteſt. Pro omnibus autem non ſpopondiſſe Filium, ex eventu patuit; niſi pro quibuſdam eum non impetraſſe, nec cauſam obtinuiſſe ſtatuamus.

omnes & ſingulos homines comprehendens. Quod demonſtratur, cum ex ipſa fœderis & ſponſionis ratione, tum ex ipſa adminiſtratæ ſalutis œconomia.

VIII. Sed & ipſa *experientia ac Eccleſiæ* à prima ſua origine *hiſtoria*, ac pro triplici ejus ætate, diverſa gubernatio & œconomia, diſcrimen hoc à Deo obſervatum, nec univerſum mundum ad fœdus Dei pertinuiſſe, oſtendit. Alii enim Eccleſiæ, alii mundi limites fuêre; ac utriuſque civitatis fines diſcreti ſemper manſêre. Ut fruſtra, contra ipſam rei geſtæ lucem, fœderis hujus latitudo & univerſalitas ratiunculis quibuſdam urgeatur.

IX. Et *ſub promiſſione* quidem 1. In ipſo ejus exordio, ac prima ſalutis promulgatione, manifeſta quorundam à fœdere rejectio & excluſio conſpicitur, *ſeminis* vid. *ſerpentis*, quod *ſemini mulieris* ex adverſo opponitur, Gen. 3: 15. 2. Et in ſecunda mundi nativitate, poſt diluvium, cum una cum mundo Eccleſia quoque inſtauranda eſſet, mox à ſancto fidelium cœtu, ac Eccleſiæ liminibus, arcetur Chamus, vel ſaltem Cananæi, poſteritas ejus. 3. Reſtituta denique ac firmata in Abrahami progenie vera Eccleſia, quidam ex ipſa patriarcharum ſobole, ut ſanctæ ſtirpis dedecora, ac cortices & putamina, reſecti & abjecti ſunt: quod in Iſmaële, Eſavo eorumque poſteris patuit. *Neque, quia ſunt ſemen Abrahami, omnes filii, ſed in Iſaaco vocabitur tibi ſemen.* Rom. 9: 7.

X. Sub V. T. electus fuit *Iſraël*, cæteræ autem gentes, veluti ſollemni decreto, ac Dei judicis edicto, extra Eccleſiæ pomœria ablegatæ ſunt. Nam *Deus præteritis ætatibus ſivit omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere*, Act. 14: 16, atque *indicavit verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua & judicia Iſraëli. non fecit ſic ulli genti.* Pſal. 147: 19, 20. quin erexit quoque *ſeptum intermedium*, Eph. 2: 14 quod toto iſto ſeveritatis tempore populos omnes arceret, & tanquam profanos abſiſtere juberet.

XI. Denique ſub N. T., ut hæc hic prælibemus, ſublatum quidem fuit diſcrimen gentium, & *ſolutus* iſte *intermedius paries*, atque *per Chriſtum pax facta eſt, ut duos illos crearet in ſe in unum novum hominem*, Eph. 2: 14,

2: 14, 15. atque Apoſtoli juſſi *omnes gentes docere*, Matth. 28: 19. atque *Euangelium omni creaturæ, quæ ſub cœlo eſt, prædicatum fuit*, Col. 1: 23. Sed tamen rejecti rurſus maxima ex parte *Judæi*, & *delictum eorum divitiæ* fuit *mundi*, & *damnum divitiæ gentium*, Rom. 11: 12. Et quoad ipſas gentes obſervata fuit varia Dei diſpenſatio, qua non niſi per gradus ſalus ad eas pervenit: adeo ut vocatio communis quidem, nunquam autem generalis vel univerſalis fuerit ſub illa N. T. ætate. Prohibiti enim Apoſtoli leguntur, *in viam gentium ne abirent, & in urbem Samaritanorum ne ingrederentur*. Matth. 10: 5. rurſuſque *vetiti à Spiritu S. loqui ſermonem Dei in Aſia. Cumque veniſſent in Myſiam, tenderentque in Bithyniam, non ſivit eos* ire *Spiritus Jeſu*, Act. 16: 6, 7.

Adverſantur hiſce non uno modo varii gratiæ univerſalis patroni; qui refutantur:

XII. Valde autem laborant adverſarii, contra manifeſtam hanc rei ipſius lucem, uti fœdus & amorem Dei (prima enim hæc erroris cauſa eſt) ita gratiam quoque ejus in tempore, omniaque fœderis bona univerſalia reddere, variiſque commentis id efficere ſtudent.

1. cum Hubero Puccioque, Anabaptiſta.

XIII. 1. *Quidam* enim volunt in prima promiſſione, mox à lapſu, univerſum genus humanum in Adamo rurſus in gratiam acceptum; quod *Huberi, Puccii*, atque etiam *Anabaptiſtarum* commentum eſt. Cui ipſa Proteuangelii verba refragantur, quæ manifeſtam cujuſdam ſeminis excluſionem continent. In Adamo autem genus humanum non reſtitutum, ſed corruptum & peſſundatum Scriptura perpetuo commemorat, *uniuſque lapſu omnes mortuos* ait: *Si enim unius lapſu multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donatio in gratia, quæ eſt unius hominis Jeſu Chriſti, in multos abundavit* &c. Rom. 5: 15. & ſeqq. *Ut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. &c. 1. Cor. 15: 22, 45, 47. & ſeqq.

2. Pelagiani.

XIV. 2. *Alii* volunt vocatione quadam communiſſima, ſine verbo externo, ſolo fœdere naturæ, per opera creationis & providentiæ, omnes omnino homines à Deo vocatos, & ad ſalutem invitatos fuiſſe. Ita *Pelagiani*, omneſque iſtius ſcholæ diſcipuli. Cujus erroris πρόφασιν habent, quod ab Adamo ad Moſem nullum fuerit verbum ſcriptum. Unde, licet patriarchæ virique alii eximii, Deoque ſummopere chari, peculiari verbo vocati ſint, reliquam tamen Eccleſiam ac plebem Dei ſolo legis naturæ adminiculo & vocatam & ſalvatam volunt. Quo referunt Apoſtoli verba Rom. 2: 4. *Aut divitias bonitatis ipſius & tolerantiæ, ac longanimitatis contemnis: ignorans quod bonitas Dei ad reſipiſcentiam te ducat?*

XV. Verum multipliciter hi errant. Nam 1. Humanæ naturæ vires

res nimium extollunt, quaſi illa creaturarum voces & hortatus non ſolum audire, ſed ad illa ſeſe quoque ſalutariter convertere poſſit. 2. Effectus providentiæ communis cum præconio Euangelii, & naturam cum gratiâ, & vocationem ad Deum creatorem & conſervatorem (quæ ſola publicâ creaturarum voce peragitur) cum ſalutari vocatione ad Chriſtum confundunt. 3. Unde fides quoque quædam naturalis, & Ethnicorum abſque Chriſto ſalus extrui poſſit. 4. Et ſine cauſa, ac contra Scripturam, priſcæ Eccleſiæ, ante Moſem, per oracula & catecheſin prophetarum ac ſanctorum virorum, inſtitutionem negant. 5. Magiſque adhuc abſurdi ſunt, cum alia via patriarchas, ut Deo propiores, Deique alloquio dignatos, alia reliquam fidelium Eccleſiam, tum ad Deum iviſſe hariolantur. Cum nemo abſque Chriſto, & verbo promiſſionis, Deum adire potuerit. Nec alia fides patriarcharum, alia reliquorum fidelium fuiſſe potuerit: eſt enim ea in omnibus ἰσότιμος & æqualis, 2. Pet. 1:1, 2. cum in eundem Servatorem vergat, qui etiam pariter omnibus monſtratus eſſe debuit. Et eundem quoque ac parem ſeſe Deus omnibus credentibus exhibet: nec Abrahamo aliter vel alio modo in Deum fieri potuit, quam omnibus omni tempore fidelibus. Eſt enim *Deus unus*, Gal. 3:20. adeoque & *Dominus unus*, & *fides una*, Eph. 4:5. 6. Neque tandem locus ad Rom. 2:4. ipſorum inſtituto ſervit: cum ibi non de naturæ ac creaturarum viribus in convertendo homine; imo ne de naturali quidem vocatione & invitatione agatur; ſed de iſta vocatione, quæ Judæis contigit, per verbum & media extraordinaria: in quem ſenſum etiam χρηστότης Dei accipitur. Rom. 11:22. *Vide igitur χρηστότητα bonitatem & ſeveritatem Dei, in te bonitatem, ſi affixus manſeris bonitati, alioqui & tu excideris*: & Eph. 2:7. *Ut oſtenderet in ſeculis venientibus exceſſivas divitias gratiæ ſuæ ἐν χρηστότητι in bonitate erga nos in Chriſto Jeſu:* & Tit. 3:4. *Quum vero ἡ χρηστότης bonitas & erga homines amor apparuit Servatoris noſtri Dei.*

XVI. 3. *Remonſtrantes*, quanquam in ſuperioribus etiam Pelagii ve- *3. Remonſtrantes.*
ſtigiis hæreant, firmando errori huic aliud præterea commentum addunt, docentes, impetrationem ſalutis ſaltem univerſalem eſſe, ex conſilio & intentione Dei filium ſuum in mortem pro humano genere tradentis; applicationem vero & uſum ejus non niſi à fidelibus fieri. Quæ impetrationis & applicationis nimia diſtinctio eſt; utpote quæ impetrationem vanam & nullius pretii in pleriſque reddat. Per eam enim Deum placabilem, vel à ſua parte placatum redditum, idque omnibus hominibus ex æquo, tenue nimis eſt, & pretii à Chriſto ſoluti

vim

vim intervertit;cum eo non obſtante plerique condemnari poſſint,qui videl. à Deo jam reconciliato & placato æternum punientur. Sed, quod palmarium eſt, non fuit tale in Deo conſilium, nec talis voluntas omnium & ſingulorum *miſerendi*, ut ante vidimus; aut per Chriſtum eos *redimendi : Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat; ſed habeat vitam æternam.* Joh. 3: 16. Atque ipſe *dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret.* Eph. 5: 25, 26. *Ut purgaret ſibi ipſi* λαὸν περιούσιον, *populum peculii, accenſum ſtudio bonorum operum.* Tit. 2: 14. aut denique omnes & ſingulos per Chriſtum *vocandi*, cum *Jacobo verba ſua indicet, & ſtatuta ſua ac judicia Iſraëli; non autem ſic fecerit ulli genti*, Pſal. 147: 19, 20. Apoſtoloſque ſuos in Euangelii exordio ſolum *dimittat ad oves perditas domus Iſraëlis*, Matth. 10: 6. & Act. 16: 6-10. aliis præteritis, nocturno viſu Paulum evocet in Macedoniam, *ut iis euangeliſaret.*

XVII. Fruſtra autem urgent promiſſionem Euangelicam, *quicunque crediderit, habebit vitam æternam.* Non enim illa univerſalis eſt, niſi reſpectu credentium. Quos omnes, quocunque in tempore & ſtatu, modo vere reſipiſcant & credant, ſalutis participes Scriptura declarat. Ubi ipſi adverſarii, qui gratiam Dei tantopere crepant, deficiunt, dum ſero reſipiſcentibus cœlum polliceri verentur; non enim certa promiſſa extare, adeoque non nimis confidendum putant. Diſtinguenda autem in illa promiſſione hæc tria ſunt, 1. præconium, & notificatio ſalutis in Chriſto. 2. mandatum ſalutem iſtam non negligendi, ſed amplectendi, quod eſt præceptum fidei ac reſipiſcentiæ. Atque hæc omnibus auditoribus communia ſunt. 3. ipſa promiſſio ſalutis; quæ non pertinet niſi ad illos qui jam priores conditiones impleverunt. Adeo ut non omnes jubeantur credere Chriſtum pro ſe eſſe mortuum: hæc enim ipſiſſima fidei conſolatio, & magnum illud Euangelii bonum eſt: ſed tantum peccatores credentes & reſipiſcentes. Reliqui vero contrarium credere tenentur. *Ne date ſanctum canibus, nec projicite margaritas veſtras coram porcis.* Matth. 7: 6. *Non eſt tibi pars neque ſors in hoc negotio; cor enim tuum non eſt rectum coram Deo.* Act. 8: 21.

XVIII. Σοφὸν autem φάρμακον eſt, quod adhibent, dum excipiunt, Deum univerſo humano generi initio mundi in Protoplaſtis, ſecunda ejus ætate in Noacho, ac tandem poſtrema rurſus in Chriſto & Apoſtolis ſalutem obtuliſſe; nunc autem propter poſterorum peccata & ingratitudinem fieri, quod multi hoc beneficio orbati ſint. Cum enim re-

reconciliationis beneficium non gentile bonum, nec nationi vel populo alicui in commune acquiſitum, ſed ſingulorum hominum proprium ac perſonale bonum ſit, non ſufficit illud majoribus propoſitum fuiſſe; qui, ſicut pro poſteritate ſua reſpondere non potuerunt, ita nec pro illis illud accipere, neque etiam repudiare potuerunt. Quanquam illud toti mundo unquam oblatum fuiſſe, merum commentum eſt.

4. Lutherani.

XIX. 4. Aliâ rurſus facie univerſalem gratiam reducunt *Lutherani*, ſtatuentes æternum in Deo conſilium de omnium univerſim hominum ſalute per Chriſtum fide apprehendendum; quod niti volunt tribus fundamentis, 1. infinitâ & univerſali Dei miſericordia, 2. univerſali Chriſti merito, 3. univerſali vocatione ac verbi miniſterio. Ac in tempore Deum paratum docent omnes & ſingulos per ordinaria media vocare & regenerare, voluntate quidem conditionata, ſed tamen ſeria. Quæ non ſatis ſana ſunt, & varios ſecum errores trahunt, de amore aliquo Dei univerſali, tum ab æterno, tum in tempore oſtenſo, qui merum figmentum & non ens eſt; de voluntate ejus conditionata, ſive velleitate in Deo; de mortis Chriſti efficacia ac pretio non ritè agnito; deque fide partim ab humano arbitrio ſuſpenſa, quod hinc vel invitis ipſis ſequi debet &c. quæ jam alibi excuſſa ſunt.

5. Illi inter noſtros, qui aſſerunt gratiam univerſalem objectivam.

XX. 5. Nec probandi denique illi inter *noſtros* qui gratiam univerſalem objectivam, ſive oblationem fœderis univerſalem, comminiſcuntur; negant autem gratiam univerſalem ſubjectivam, ſeu vires ſufficientes. In quo ab heterodoxis differunt. Quæ tamen ἀσύστατα ſunt. Inanis enim eſt gratia univerſalis objectiva, & merum ludibrium, ac mendacium, nec hoc nomine digna, nec Deo tandem decora, niſi etiam adſit talis gratia ſubjectiva. Atque ipſa fœderis oblatio, ut ante vidimus, etſi omnibus nationibus communis, non tamen univerſalis eſt, nec unquam fuit, ſive ſingulos homines, ut neceſſe eſt, ſive ſingulas quoque urbes & populos ſpectes.

LIBER III.

De Oeconomiâ Fœderis gratiæ ſub PROMISSIONE.

LOCUS DECIMUS TERTIUS

De prima Promiſſione, ejuſque propagatione uſque ad Moſem.

CAPUT I.

De prima Promiſſione, ejuſque propagatione uſque ad Abrahamum.

Fœderis gratiæ SPECIALIS *œconomia, pro triplici ejus ſtatu.*

I. Conſiderationem fœderis gratiæ *generalem* ſequitur nunc illius tractatio *ſpecialior*, pro diverſis illius œconomiis: partim ſub *Promiſſione*; partim ſub V. T. *& lege*; partim ſub N. T. & *Euangelio*. Atque, pro hac varia gratiæ & ſalutis adminiſtratione, triplex veluti Eccleſiæ ætas diſtingui poteſt, infantiæ, adoleſcentiæ, & maturæ virilitatis.

II. Non ſatis accuratè enim inſtituunt, qui omnia Eccleſiæ tempora in duas periodos diſtinguunt, cum Vet. tum Nov. T. ad Vetus Teſtamentum omne ante Chriſti adventum tempus referentes; quod perperam confundunt, atque omne ejuſdem ſtatus & conditionis faciunt. Initium enim ſumſit demum V. T. à Moſe, & hæreditaria poſſeſſione terræ Canaan, quam ex teſtamento illo Dei populus poſſedit, in melioris hæreditatis typum ac pignus. Nec ante Teſtamentum illud Vetus locum habuit, nec habere potuit.

Primus eſt PROMISSIONIS.

III. Prima igitur Oeconomia gratiæ ἐπαγγελία ſive *Promiſſio* dicitur, & προευαγγελισμός, quaſi anticipatio Euangelii, in oppoſitione ad rem illius promiſſionis nobis exhibitam per Euangelium. Vide Gal. 3: 8. *Scriptura prævidens Deum ex fide juſtificare gentes*, προευηγγελίσατο *ante euangelizavit Abrahamo: benedicentur in te omnes gentes*. v. 14. *Ut promiſſionem Spiritus acciperemus per fidem*. v. 16. *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones*.

ſiones. item v. 17, 18, 19, 21, 22, 29. Hebr. 11:9. *Juxta fidem mortui ſunt hi omnes, non acceptis promiſſionibus.* & v. 13. *Omnes teſtimonium adepti per fidem non ſunt potiti promiſſione.* Act. 13: 32. *Vobis euangelizamus eam promiſſionem, quæ patribus facta eſt.* Rom. 1: 2. *Ante promiſerat Euangelium per prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.* conf. c. 4: 13, 14. *Si qui ex lege, hæredes ſunt, exinanita eſt fides, & abolita promiſſio.*

IV. Ac circa eam conſideranda ſunt hæc quatuor. 1. *Promiſſio* ipſa, ejuſque propagatio à Paradiſo uſque ad Moſen. 2. *Verbum* & revelatio divina, quibus illa promiſſio manifeſtata & expreſſa fuit. 3. *Sacramenta*, quibus confirmata fuit. 4. *Status* & latitudo *Eccleſiæ* ſub illa. *Quæ circa eum conſideranda?*

V. Promiſſio ipſa bis potiſſimum audita fuit, atque duos gradus maxime notabiles habuit. Unde dupliciter conſiderari poteſt, vel 1. prout facta legitur primis parentibus *in Paradiſo* : vel 2. prout *Abrahamo*, ejuſque poſteris, poſt diluvium, repetita eſt.

VI. Primò ea facta eſt in ipſo Paradiſo : *Et inimicitiam ponam inter te, & inter mulierem; & inter ſemen tuum, & ſemen ejus; illud conteret te* (quoad) *caput, & tu conteres illud* (quoad) *calcem.* Gen. 3:15. Quod verbum matrix & radix fuit omnis verbi gratiæ, quod in poſterum auditum eſt, quodque in Eccleſia unquam audiri debuit; & fundamentum fidei ac ſalutis Adami, ſequentiſque in omne ævum Eccleſiæ. Unde & illa in prima ſua periodo ſub promiſſione fuiſſe dicitur. Cujus idcirco promiſſionis ſenſum propius videbimus. *Promiſſio prima in* PARADISO.

VII. Dirigitur autem hic ſermo omnis ad *ſerpentem*, in pœnam ipſius; ſed ita, ut in eo contineatur hominis benedictio & ſalus. Non autem nudum illud animal, ſub cujus ſpecie Diabolus latebat, intelligitur. Jejunum enim nimis, nec Deo dignum eſſet, homini cum bruto animante certamen veluti indicere, quaſi illud par foret Deo dignum, quod ipſe inter ſeſe componeret & in arenam induceret; idque, tanquam res aliqua magni momenti foret, in omnem ætatem ſine miſſione duraturum prædicere; tandemque homini ex difficili videl. pugna victoriam promittere. Quæ ridicula ſunt. Altius enim hæc ſpectant. Atque alia pugnantium paria hic cogitanda ſunt, aliudque certamen, quod, Deo auctore & arbitro dignum, ipſius oculos morari poſſit, cujuſque eventum tanto ante prædici par ſit. Ut ex ipſo verborum ac ſententiæ pondere patet. *Quæ enunciatur.*

VIII. Igitur Deus 1. ſeſe pugnæ iſtius auctorem ac moderatorem ferens, *Ego ponam inimicitiam* &c. 2. diverſa deinde pugnantium paria

Digitized by Google

producit: 3. ac tandem victoriam ſemini mulieris promittit: 4. ſed non ſine ſudore ac ſanguine acquirendam.

IX. 1. Dicit ergo Deus, *Ego ponam*, non homo, mulierve, ſed Deus. Quod in triſti hoc rerum humanarum caſu verbum gratiæ eſt, ac promiſſio, qua Deus propoſitum ſuum ac voluntatem immutabilem, de ſemine electo dando deque victoria in diabolum per illud obtinenda, declarat. Atque ita Deus, cum Diabolus jam pro victore ageret, atque ſeſe mundum, Dei opus, mox ut conditus erat, corrupiſſe lætaretur, deque homine, ut à ſe proſtrato, ſibique jam in ſervum addicto, tantum non triumpharet; aliud reſtare bellum edicit, & maximum illud certamen, quod tot ſæculis duraturum erat, & in quo Diabolus tandem cum cohorte ſua omni vi ac poteſtate exueretur, indicit.

X. 2. Diverſa hoſtium paria conjungit. 1. *Serpentem*, h. e. Diabolum, qui, ſicut potiſſimum ſuperandus erat, ita in hoc certamine præcipuè ſpectabatur: ſicut ſerpentis nomine ipſum in Scripturis ſæpe venire jam ante vidimus: & *mulierem*, quam ex adverſo cum eo componit; quæ ſicut familiarius cum eo conſueverat, atque ab eo ſeducta & ſuperata fuerat; ita nunc ejus jugo & ſervitute eximitur, & adverſo in agmine ipſi opponitur. Quod protinus gratiæ Dei documentum erat; cujus ſolius erat mulierem à diabolo proſtratam erigere, & veluti redintegrato certamine, iterum contra eum in arenam inducere, non ſine ſpe victoriæ. 2. *Semen ſerpentis*, quod maxima ex parte, juxta uſum Scripturæ, ſunt homines reprobi, qui patrem habent diabolum. *Zizania ſunt filii illius mali*, Matth. 13:38. *Progenies viperarum*, Matth. 3:7. 12:34. 23:33. *Qui dat operam peccato, ex Diabolo eſt*, 1. Joh. 3:8. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & cupiditates patris vultis exſequi.* Joh 8:44. & *ſemen mulieris*, quod priori ſemini oppoſitum de Evæ poſteritate pia. & gratiæ ac electionis participe, intelligere oportet; deque civitate illa Dei, quæ in hac terra perpetuo depugnat contra civitatem diaboli; juxta hanc Dei, quam audimus, legem, qua non primis parentibus ſolum, ſed univerſæ ipſorum poſteritati manſurum perpetuo bellum indicitur. pugnent ipſique nepotes 3. Denique, ne certamen inter iſtas partes impar foret, tandem *Semen* illud, quod peculiari notione in Scripturis ita appellatur, & *Serpens* antiquus inducitur. Intelligitur autem ſeminis nomine unus quidam ex iſto ſemine, qui nomine & bono totius ſeminis certamine hoc defuncturus erat; ſicut ex adverſo ipſi non aliud ſemen, ſed ipſe antagoniſta ſerpens opponitur; cujus caput hoc

ſemen

Digitized by Google

ſemen contriturum erat: quod non eſt niſi ſingularis iſtius ſeminis. Sicut Scriptura, in promiſſione Abrahamo facta, quæ eadem eſt cum hac noſtra, ſemen illud ſingulariter de Chriſto ſolo ſumit, Gal. 3: 16. *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus, quaſi de multis: ſed quaſi de uno, & ſemini tuo: qui eſt Chriſtus.* Nec alienum à Scriptura eſt notione ſeminis unicam perſonam intelligere, ut Gen 4: 25. *Poſuit mihi Deus ſemen alterum pro Abele.* Gen. 15: 3. *Et dixit Abraham, ecce mihi non dediſti ſemen.* 21: 13. *Filium ancillæ hujus in gentem ponam eum, quia ſemen tuum eſt:* & Gal. 3: 16. Appellatur autem Chriſtus ſemen *mulieris*, quod, ſine viri congreſſu, ex Matre-Virgine prodierit.

XI. 3. Atque in hoc ſemine demum victoria promittitur. *Illud conteret tibi caput.* quod cum ab homine ſolo fieri non potuerit, ſimul Chriſti deitas innuitur. Per caput autem intelligitur omnis poteſtas diaboli, per peccatum illi data; quæ in ſerpentibus in capite potiſſimum eſt, quo læſo ac obtrito, nocere amplius non poſſunt. Contritum autem fuit caput diaboli, omniſque ejus poteſtas deſtructa, tum per mortem Chriſti, qua divinæ juſtitiæ ſatisfactum, omnique jure accuſandi Satanas excuſſus fuit. *Ut per mortem aboleret eum, qui imperium habebat mortis, hoc eſt diabolum.* Hebr. 2: 14. tum per prædicationem Euangelii. *Spectabam Satanam, ut fulgur, è cœlo cadentem. Ecce, do vobis poteſtatem calcandi Serpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem vim inimici: & nihil vos lædet.* Luc. 10: 18, 19. tum per juſtificationem & ſanctificationem noſtram: *Mortificate ergo membra veſtra terreſtria,* Col. 3: 5. *Qui genitus eſt ex Deo, conſervat ſe ipſum, & improbus ille non attingit eum,* 1. Joh. 5: 18. tum per mortem corporis noſtri. *Ultimus hoſtis aboletur, mors,* 1. Cor. 15: 26. & pleniſſime denique in reſurrectione ultima. *Deus pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros,* Rom. 16: 20.

XII. 4. Non futura autem erat hæc victoria ſine agone & *ὠδῖναις*: *Et tu conteres ei calcaneum.* Diabolus nempe per omnes tentationes, dolores, mortem denique & ſepulturam contrivit Chriſtum quoad calcaneum, h. e. carnem, qua terram calcavit; non tamen cum exitio: mox enim iterum reſurrexit, & victor evaſit. Adeo ut hic conjungantur Chriſti perpeſſiones, & poſt illas *ſecuturæ gloriæ, quas & ſcrutati ſunt prophetæ* &c. 1. Petr. 1: 11. *Qui prædixerunt Chriſtum fuiſſe paſſurum, ac primum ex reſurrectione mortuorum lucem annunciaturum huic populo & gentibus.* Act. 26: 23.

XIII. Atque hæc primævæ iſtius promiſſionis ſententia erat, quæ

Digitized by Google

præcipua fidei capita comprehendit. Ita ut illa audita, theologia protoplaſtorum poſt lapſum tribus illis capitibus, quæ in omni peccatorum theologia reperire eſt, jam conſtaret. Habebant nempe 1. Normam *fidei* & Euangelii, promiſſionem nimirum hanc à Deo datam, quæ erat fundamentum omnis fidei. 2. Normam *obedientiæ* & legis, præcepta moralia, quibus conſtabat theologia ἔμφυτος; cui dein ſucceſſit decalogus. 3. Normam *cultus* externi; in quo eminebant ſacrificia: de quibus infra.

Sociniani eam prorſus corrumpunt & enervant.

XIV. Hanc autem promiſſionem *Sociniani* prorſus corrumpunt, omnemque primorum parentum ſequentiſque Eccleſiæ fidem ac conſolationem extinguunt; dum in ea nihil de Chriſto prædictum reperiunt, de quo primam promiſſionem Abrahamo demum factam volunt. Sed quid magni hæc promiſſio tum continuiſſet? Cumque conſolatione ſpirituali imprimis protoplaſtis opus eſſet, & remedio, non contra brutum animal, ſerpentem, ſed contra ipſum diabolum, à quo in ſummam miſeriam præcipitati erant; nec aliud verbum Dei ad ipſos extet quam hocce, cur negabimus illam verbis hiſce comprehenſam fuiſſe; præſertim cum in eorum poteſtate ſit iſta bona ſpiritualia ſignificare? Sicut ex Scripturæ analogia conſtat, quæ hoc vaticinium ad Chriſtum, ejuſque beneficia, ſæpiſſime applicat, & ad illud variis loquendi modis manifeſto reſpicit. Vide Eſai. 11: 8. *Et ludet lactens apud foramen aſpidis, & in cavernam baſiliſci ablactatus manum ſuam projicit.* Eſai. 27: 1. *Illo die viſitabit Dominus gladio ſuo magno, gravi, firmo, ſuper balænam, ſerpentem impetuoſum, tortuoſum, & occidet Draconem, qui eſt in mari.* c. 65: 25. *Serpentis cibus erit pulvis: non nocebunt nedum perdent in omni monte meo.* Pſal. 8: 3. *Ex ore infantium & lactentium fundaſti robur, propter hoſtes tuos, ad abolendum inimicum & eum, qui ſe vindicat.* Pſal. 40: 8. *Ecce veni, de quo in volumine libri ſcriptum eſt.* coll. Hebr. 10: 7. ἐν κεφαλίδι βιβλίου. & præſertim in Nov. T. *Progenies viperarum* &c. Matth. 3: 7. & 12: 34. *Vos ex patre Diabolo eſtis.* Joh. 8: 44. *Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras.* 12: 21. *Venit mundi hujus princeps, & in me nihil habet.* 14: 30. *Spectabam Satanam ut fulgur è cœlo cadentem* &c. Luc. 10: 18, 19. *Quum plenitudo temporis venit, emiſit Deus filium ſuum naſcentem ex muliere, ſe ſubjicientem legi.* Gal. 4: 4. *Particeps factus eſt carnis & ſanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui imperium habebat mortis,* hoc eſt, *Diabolum.* Hebr. 2: 14. *Exutis imperiis & poteſtatibus palam* eas q. *in triumphum duxit.* Col. 2: 15. *Manifeſtatus eſt filius Dei ut diſſolveret opera diaboli.*

Digitized by Google

diaboli. 1. Joh. 3: 8. *Per hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii Diaboli* &c. v. 10. & maximè Rom. 16:20. *Deus pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros cito*. conf. Apoc. 17: 7---11. *Factum eſt bellum in cœlo, Michaël & Angeli ejus præliati ſunt contra Draconem illum magnum, ſerpentem illum antiquum, qui vocatur Diabolus & Satanas* &c. Et procul omni dubio eſt, Deum arcanos iſtius vaticinii ſenſus protoplaſtis retexiſſe, qui deinceps viva prædicatione ac catecheſi illos poſteris ac nepotibus ſuis tradiderunt.

XV. Fidei enim ipſorum, intellectæque promiſſionis non parva indicia ſunt, quod Adamus, audito Dei ſermone, mox uxorem appellaverit *Evam*, h. e. non mortuam, ſed vivam, & *matrem omnis viventis*, Gen. 3: 20. Quod illuſtre nomen, fœminæ, quæ peccatum mortemque in mundum intulerat, convenire non poterat, niſi promiſſionis illius reſpectu, cujus vim atque ſenſum Adamus capiebat, quâque ex mœrore ſuo relevatus, & vitam ſibi poſteriſque ſperare audens, ſemen præcipuè iſtud, in quo vera vita & victoria contra Satanam promiſſa erat, jam è Paradiſi umbris proſpectabat. *Promiſſio illa propagata per protoplaſtos.*

XVI. Similiter quoque Eva, in primo partu, cujus difficultates inque eo comminationis divinæ veritatem, & peccati ſui amarorem, prægustaverat, mox, cum marem edidiſſet, in eo promiſſionis divinæ fidem recolebat; ſeque ipſum illud ſemen, de quo tam magnifica promiſſa erant, in infante iſto jam tenere rata, lætabunda exclamat, *Acquiſivi virum Jehovam*, Gen. 4: 1. ſic enim את illud ſpecificativè ſumi poteſt. Non exiguam enim de illo infante ſpem habuiſſe oportet, quem eximio adeo nomine, tanquam pretioſiſſimum pignus à Deo acceptum, ab acquiſitione denominaverat. Sed & de ſemine iſto cogitaſſe indicio eſt, quod in Caino decepta, cum tertium filium pareret, itidem dicit: *Poſuit mihi Dominus aliud ſemen pro Abele, quia interfecit eum Cain*, Gen. 4: 25. ita Cainum occulte à ſemine excludens.

XVII. Fidem hanc etiam teſtatus eſt *Abel*, cujus ſacrificium Deus demiſſo è cœlis igne probavit. Unde *fide obtuliſſe* dicitur, *& teſtimonium accepiſſe, quod juſtus eſſet*. Hebr. 11: 4. *Patres.*

XVIII. Cumque ſub *Enoſchi* nativitatem *denominari captum fuerit à Jehova*, Gen. 4: 26. (quæ phraſis & Eſai. 44: 5. occurrit; וְזֶה יִקְרָא בְשֵׁם יַעֲקֹב *Hic nominabit nomen Jacobi*, non invocando, ſed dicendo: Jacobus eſt Pater meus, vel, ego facio cum Jacobo.) & Dei cultus, à Cainitis obliteratus, à ſanctâ Sethi ſtirpe inſtauratus, & publice conſtitutus fue-

fuerit; id quidem ſine verbi hujus & promiſſionis fide factum non fuit.

XIX. Eadem *fide Enochus*, Sethi trinepos. *ambulavit cum Deo*, Gen. 5:24. *εὐαρέστησε τῷ θεῷ grata Deo facere ſtuduit*, *acceſſit ad eum*, *quaſivit eum*, Hebr. 11:6. & ob ſummam Dei familiaritatem, nondum legitima confecta ætate, divinitus ex hominum cœtu atque oculis abreptus, & in cœlum tranſlatus eſt.

XX. Hujus nepos *Lamech*, vitæ humanæ labores ac calamitates miſeratus, hac una ſpe ſe ſolabatur, quam teſtatus eſt in nativitate filii ſui, quem *Noach*, h. e. conſolatorem appellavit, Gen. 5:29. quanquam in perſona aberraverit, ut ante eum Eva.

XXI. Ac paternæ promiſſionis hæres *Noah per fidem factus eſt hæres juſtitiæ*, Hebr. 11:7. qui *invenit gratiam in oculis Jehovæ, vir juſtus integer exſtitit in ætatibus ſuis, & cum Deo ambulavit*. Gen. 6:8, 9, & *præco juſtitiæ*, 2. Pet. 2:5. *Per Spiritum Chriſti* impio iſti mundo *prophetavit*, 1. Pet. 3:19, 20.

XXII. Poſt *diluvium* promiſſio hæc hæſit præcipuè *in tentoriis Semi. Perſuadebit Deus Japheto & habitabit in tentoriis Semi, & erit Canaan ſervus ipſis.* Gen. 9:27. & propagata fuit per patriarchas ſanctæ lineæ. Quo plurimum conferebat ipſorum longævitas. Solus enim Noachus, novi deinceps mundi conditor ac parens, antediluvianos omnes, tribus tantum prioribus exceptis, attigit; filiuſque ejus Semus, qui etiam primum mundum viderat, ad annum Jacobi quinquageſimum primum ſupervixit.

Imprimis Abrahamum, cui repetita.

XXIII. Cum autem, poſt nefas Babylonicum, ſtructamque turrim Deo æmulam, abrupto ſermonis commercio, genus humanum diſpergeretur, paulatim quoque hæc promiſſio, ac ſancta Patrum *κατήχησις* corrupta fuit. Donec de novo ſeſe Deus *Abrahamo* revelavit, circa annum mundi 2000. cujus ſtirpi iſtud ſemen, in quo omnes gentes beandæ forent, peculiariter aſſeruit, Gen. 12. & ſeqq.

CAPUT II.

De vocatione Abrahami, ac Fœdere Dei cum ipſo inito, & ſpeciali promiſſione ipſi facta.

Inſtauratio promiſſionis in ABRAHAMO.

I. COllapſa ergo Dei notitia, & primæva promiſſione, qua ſola Eccleſiæ fides ſteterat, non ſatis caſte cuſtodita, ſed in ipſa ſancta linea, ac Heberi ſtirpe, penes quam veræ religionis uſus remanſerat, paulatim corrupta ac adulterata; vocavit Deus

Digitized by Google

Deus Abrahamum, tunc Abramum, cumque eo fœdus integravit, & venturi ſeminis parentem, ac promiſſionis obſidem fecit. Ubi notanda hæc tria. 1. Abrahami vocatio. 2. Fœdus Dei cum ipſo erectum. 3. Promiſſio ſpecialis ipſi facta.

II. *Vocatus* fuit Abramus idololatra. *Ultra flumen Euphratem habitabant majores veſtri olim, Therah Pater Abrahami & Pater Nachoris: colebantque Deos alienos. Sed aſſumſi patrem veſtrum Abrahamum* &c. Joſ.24:2,3. Et, *Eligite vobis hodie quem colatis, ſive Deos quos coluerunt majores veſtri, qui habitabant trans flumen illud, ſive Deos Emoræorum* &c. v. 15. imo familia ejus prima in Scripturis idololatriæ rea peragitur. *Furata eſt Rachel imagines quæ* erant *patris ſui*. Gen.31:19. A Deo autem admonitus, ut domum ac patriam relinqueret, ex Ure Chaldæorum, Gen.11:31.15:7. cum patre in Meſopotamiam profectus, ætatis anno 70. circiter quinque annos Charane conſedit; atque eo mortuo, mox ut juſſus eſt, migravit in Cananæam, annum agens 75. Gen.11:32. Atque ab hoc exitu Abrahami ſupputandi anni 430. qui in Iſraëlitarum egreſſu ex Ægypto finiuntur. *Scias, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſuâ, quodque illos in ſervitutem reducturi ſint & debilitaturi quadringentis annis*. Gen.15:13. *Ætas quarta revertentur huc*. v.16. coll. Act.7:6. *Lex, quæ poſt quadringentos & triginta annos exſtitit, non facit irritum teſtamentum ante ratum factum*. Gal.3:17. conf. Exod.12:40. ubi Moſes dicit, *habitationem filiorum Iſraël, quam habitarunt in Ægypto, fuiſſe 430 annos*. — *Ejus* VOCATIO.

III. Variæ autem narrantur Dei revelationes ipſi factæ; unde Tertullianus ipſum divinæ familiaritatis virum appellat. Scriptura eas ad novem uſque recenſet: inter quas eminent duæ, Gen.15.& 18. Quoties autem Jehova ipſi apparuiſſe legitur, videtur ille plane fuiſſe Filius Dei: quo quidam etiam referunt locum Joh 8:56. *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum, & vidit, & lætatus eſt*. — *Apparitiones eiſa factæ.*

IV. Ac ſpeciatim in apparitione Gen. 18. exiſtimavit Auguſtinus, aliique, Deum apparuiſſe τριυπόστατον, & S. Triados ſymbolum exhibuiſſe, quatenus humanis oculis eam uſurpare fas eſt: quia *Jehova* dicitur Abrahamo apparuiſſe v.1. quem & compellavit, *& adoravit*, v.3. dicens, *Domine, ſi age, inveni gratiam in oculis tuis, ne, age, tranſeas præter ſervum tuum*. cum tamen *tres viros* viderit, nec unum aliquem reliquis digniorem ac legationis principem fuiſſe conſtet. Quod de *Angelis hoſpitio exceptis* ex Hebr.13:2. afferunt, id ad hanc hiſtoriam non pertinet, ſed ad hiſtoriam Loti, Gen. 19. Qui ipſi angeli tam ex

Jehova fuere, & eo nomine appellantur, Gen. 19:1,17,19,21,24. & duo fuiſſe narrantur: qui videlicet Filium & Spir. S repræſentabant; qui propter œconomiam miſſionis recte angeli vocari poſſunt. Pater autem iſto nomine non venit, nam Gen. 18:2,16,22. appellantur *tres viri*: nam & duo illi angeli ſub forma virorum viſi ſunt, Gen. 19:5, 10,12. conſ. Gen. 18:2.

FOEDERIS *cum ipſo initi* V. Cum autem Deus cum Abrahamo fœdus facere, ac promiſſionem patribus factam repetere, inque ejus familiam eam inferre vellet, atque eo revelationes ipſi factæ ſpectaverint; illa præcipue à nobis conſideranda ſunt. *Fœderis* autem cum Abrahamo initi obſervandum eſt cum *tempus*, tum ſumma ac *partes*.

VI. Circa *tempus* ejus variant Theologi. Quidam ejus *κύρωσιν* in ſa-
tempus, crificio illo, de quo Gen. 15:8. & ſeqq. poſuerunt; alii decennio citius; cum Abrahamus Charane exiret, Gen. 12:1,2,3.

VII. Quæ facile conciliari poſſunt, diſtinguendo inter promiſſionem ipſam primo datam, & ſollemnem ejus confirmationem, adhibitis certis ritibus, factam. Prius accidit cum adhuc in Chaldæa verſaretur: unde & 430 anni, de quibus proxime vidimus, exordium ſumunt. Quamvis enim illa promiſſio primo recenſeatur Gen. 12:1--3. in exitu ex Charane, facta tamen videtur capite præcedente, cum Abrahamus adhuc in Ure eſſet. Unde verba verti debent, *Dixerat Deus Abrahamo*, ſcil. in Ure. Sollemnis autem ejus confirmatio poſterius peracta eſt: atque hos tres gradus habet. 1. facta eſt per ritum ſollemnem, qualis eſt ineuntium fœdus, Gen. 15. 2. per ſacramentum circumciſionis, quod promiſſioni additum eſt, eique firmandò ſervivit, Gen. 17. 3. per jusjurandum, Gen. 22.

VIII. Hic autem de primâ confirmatione agimus, quæ facta fuit adhibitis ſollemnibus & ritibus quibuſdam, qui in fœdere firmando uſurpari ſolent; quæ narratur Gen. 15. atque 15 annis poſt promiſſionem in Chaldæa primum auditam, & 10 annis poſt exitum ex Charane peracta eſt. Ita ut Gen. 15:13. ubi 400 anni ſervitutis numerantur, centenarii tantum numerentur, cum exactiori calculo ab illo tempore 415 anni numerandi ſint.

IX. Nec obſtat auctoritas Apoſtoli, qui Gal. 3:17. *Legem* 430 *annos* poſt *διαθήκην προκεκυρωμένην latam* dicit: unde confici videtur, cum inter ſacrificium Abrahami, Gen. 15. & datam legem tantum 415 anni interceſſerint, non iſto in ſacrificio, ſed jam ante, in Chaldæa videl. ubi hi anni exeunt, hujus fœderis *κύρωσιν* fuiſſe. Sed facile hæc ſolvuntur. Apoſtolus enim *διαθήκην fœdus* 430 annos ante legem ponit,

nit,

nit,(quod verum eſt; cum Abramo adhuc in Ure verſante illud initum ſit) non vero κύρωσιν illius; illa enim quindecim annis poſt facta eſt: & ſimpliciter tantum dicit, illud *ante confirmatum* eſſe, non præciſe 430 annos ante, ſed in genere ante legem latam, & annorum illorum 430 finem. Ut conjungi non debeant fœdus & confirmatio ejus, ſed potius diſtingui. Quo obſervato difficultas omnis tollitur.

§. X. Sequitur nunc *fœdus ipſum*, cum à parte Dei initum, tum à parte Abrahami acceptum. A parte Dei obſervanda eſt. 1. *ſtipulatio fœderis*, 2. *promiſſio*.

XI. *Stipulatio* diverſis vicibus facta fuit, atque hæc præcipue præcepta comprehendit, 1. ut *exiret è patria ſua*, Gen. 12:1. idolorum cultui dedita, Joſ. 24:2. atque Deum ſequeretur; quod quorundam poſtea philoſophorum ſcitum tot ſæculis ante eos natos ab Abrahamo præſtitum fuit. In quo exitu imago exhibita fuit exituræ olim ex Babylone Eccleſiæ. *Exite ex illa, popule mi; ne communicetis cum peccatis ejus, & ne accipiatis de plagis ejus.* Apoc. 18:4. 2. *ne timeret*, Gen. 15:1. quod a Deo peccatori dictum ſpiritualia & æterna bona comprehendit; quæ ſola animam ſolari, ejuſque terrores tollere poſſunt. 3. *ut ambularet coram Deo, & eſſet integer*, Gen. 17:1. ac Deo veluti teſte perpetuo viveret, & ſinceram obedientiam præſtaret. Quæ totidem reſipiſcentiæ, fidei, ac charitatis præcepta erant. *ſtipulatio;*

XII. Promiſſio ſtipulationi adjuncta fuit, cum *generalis*, tum *ſpecialis*. *& illi adjuncta*

XIII. *Prior* eſt Gen. 15:1. ſe fore ipſi *ſcutum & mercedem ipſius multam valde*. & Gen. 17:7. *Se fore ipſi in Deum, & ſemini ejus poſt eum*. PROMISSIO, *generalis*,
Quæ rurſus præcipuè æterna bona dicunt, & juſtificationem ac ſalutem includunt; utpote cum Deus ſeſe-ipſum in mercedem offerat, & ſeſe verè Deum ipſi fore promittat. Quod nomen maxima quæque comprehendit. Ut enim ſi quis ſeſe in patrem alicui futurum ſpondeat, eo non vulgarem affectum teſtatur, nec vulgaria officia ipſi præſtare tenetur, ſed talia, qualia à parente proficiſci ſolent: ita in Deum alicui eſſe, ſeſeque Deum oſtendere, atque omnem nominis iſtius menſuram implere, infert talia beneficia, quæ nemo niſi Deus præſtare poteſt, hoc eſt, immortalia & æterna, eaque ſecundum corpus æque ac animam, cum utriuſque Deus ſit. Unde bene Servator ex promiſſionis hujus vi ac verborum pondere vitam & mortuorum reſurrectionem infert. *De reſurrectione verò mortuorum non legiſtis quod*

Digitized by Google

vobis dictum eſt à Deo, dicente, Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi? Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. Matth. 22: 31, 32.

Specialis, XIV. *Specialis* autem ac palmaria promiſſio, quæque propriè fœderalis erat, fuit illa de dando *Semine*, in quo benedicendæ erant omnes gentes, quæ per excellentiam inde appellatur *Promiſſio*: cui arrhabonis loco acceſſerunt promiſſiones ſpeciales ſecundariæ tres; de multiplicando ſemine ipſius; deque dandâ ipſis Cananæa, in pignus hæreditatis cœleſtis; & tandem eductione illorum ex Ægypto ad terram illam poſſidendam.

ter repetita. De benedictione gentium in Abrahamo. XV. Promiſſio illa præcipua ter repetita legitur. Primò Gen. 12:2. *Faciam te gentem magnam & benedicam tibi, & magnum faciam nomen tuum, & eſto benedictio.* quod emphaſin habet. Promittitur autem benedictio præcipuè ſpiritualis & æterna, quæ ſola hoc nomine digna eſt. *Et benedicam benedicentibus tibi, & maledicentes tibi execrabor:* & *benedictæ erunt in te omnes familiæ terræ*, v. 3. quæ benedictio rurſus corporalis eſſe non poterat; illam enim habebant gentes extra Abrahamum & ſemen ejus. Ergo ſpiritualis promittitur, in juſtificatione & glorificatione. Hanc enim nactæ ſunt gentes in ſemine Abrahami. *Scriptura autem prævidens, Deum ex fide juſtificare gentes, ante evangelizavit Abrahamo: Benedicentur in te omnes gentes, itaque, qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abrahamo.* Gal. 3: 8, 9. *In te.* 1. quia Abraham continuit in ſe Meſſiam, in quo omnis benedictio. 2. Quia dux ac princeps fuit fœderis Dei, & fidei ac benedictionis reliquis exemplar, adeo ut illi juxta cum ipſo fierent benedicti: ſic enim Apoſtolus Gal. 3: 8, 9. illam promiſſionem de benedictione gentium *in Abrahamo* explicat, *σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ cum fideli Abrahamo.* Et ſic etiam ſumenda vox Hebraica בְּךָ, in qua particula ב idem valet quod עִם *cum.* Vide Exod. 15: 19. *Venit equus Pharaonis* בְּרִכְבּוֹ *cum curru ejus* וּבְפָרָשָׁיו *& cum equitibus ejus in mari.* Licet tamen illa particula hic aliquid amplius quam *σὺν cum* notet.

XVI. Eadem benedictio repetitur: *Et benedicentur in eo omnes gentes terræ.* Gen. 18: 18. Adſtricta adhuc benedictione ad Abrahamum, etſi jam nato Iſmaële. *Sarah uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Iſaak, & conſtabiliam fœdus meum cum ipſo.* Gen. 17: 19, 21.

& ſemine ejus. XVII. Et tertia vice expreſſius: *Benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Gen. 22: 18. Ubi variatio eſt: non *in te*, ſed, *in ſemine tuo*; non *benedicentur*, ſed, *benedicent ſibi.* Non enim de Abrahamo agitur, ut ante, in quo *benedicendæ* dicuntur gentes, ut ejuſdem benedictionis ſocio

ſocio & exemplari; ſed de ſemine ejus, de quo ſolo dici poteſt, quod *in eo benedicent ſibi*, h. e. benedictionem petent & conſequentur omnes gentes. Hoc enim ſemen benedictionem non accepturum, ſed daturum erat.

XVIII. *Semen* autem Abrahami duplex fuit; unum *primarium*, alterum *ſecundarium*, ſive vel *ſanctificans*, vel *ſanctificatum*, Hebr. 2: 11.

XIX. Hic vero, ubi de ſemine agitur, in quo ſibi benedicturæ ſint omnes gentes, ſemen *primarium* præcipuè intelligitur, quod fuit Chriſtus, ut Apoſtolus colligit. *Sed Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. non dicit, & ſeminibus, quaſi de multis; ſed quaſi de uno, & ſemini tuo; qui eſt Chriſtus.* Gal. 3: 16. ex eo, quod numerus ſingularis hic uſurpetur; quodque ille unus ſit, cui hæc verba in pleno ſuo ſenſu attribui poſſint. Ut ſemen Abrahami, quod fons & cauſa benedictionis foret, idem ſit cum *ſemine mulieris* ſerpentis caput contrituro, Gen. 3: 15.

XX. Sed & ſecundo in loco ac latius intelligi poteſt ſemen Abrahami *ſecundarium*, quod fuit cum Iſaacus, tum reliqui Judæi fideles, filii Abrahami ſecundum carnem. In illis enim benedictæ etiam fuerunt gentes, ut in typo & exemplari. Fuit enim Iſaacus typus Chriſti, & benedictiones Judæorum terreſtres adumbrarunt ſpirituales benedictiones Eccleſiæ; & tum in Iſaaco, tum in Judæis credentibus, fuerunt prima benedictionis exempla, juxta illud: *In Iſaaco vocabitur tibi ſemen.* Gen. 21: 12. *Vos eſtis filii prophetarum, & pacti, quod pepigit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abrahamum: & in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ; vobis primùm Deus, quum reſuſcitaſſet puerum ſuum Jeſum, miſit eum benedicentem vobis.* Act. 3: 25, 26 inque iis, ac poſt eos, ac ad eorum exemplum benedictæ ſunt gentes, ac de ſilveſtri ſtipite *oleæ Judaicæ inſertæ* ſunt, Rom. 11: 17.

XXI. Sic ergo gentes in & cum ſemine Abrahami, cum primario, tum ſecundario, benedictæ ſunt. Utrumque enim ſemen, in quo nempe futura erat benedictio, ſic appellatur; tum Chriſtus ſolus, Gal. 3: 16. tum ipſe Abraham cum poſteris credentibus, quibus pariter hæreditas mundi per fidem addicitur, quatenus gentes ad ipſorum exemplum benedictæ ac juſtificatæ ſunt. *Non enim per legem promiſſio Abrahamo aut ſemini ejus, nempe hæredem eum eſſe mundi; ſed per juſtitiam fidei* &c. Rom 4: 13--17. quo pacto hæc loca concilianda ſunt.

XXII. Cum autem benedictio hæc plena non poſſit dici, impoſito jugo & intentatâ maledictione, inde ſequitur, ſemen Abrahami carna-

 le-

Digitized by Google

ſe aliquando à jugo illo & maledictione, quæ ipſis deinceps imponi poterant, fuiſſe liberandum, & gentes hujus jugi planè immunes fore.

XXIII. Unde patet, quomodo διαθήκη hæc προκεκυρωμένη ſit ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν, Gal. 3: 17. & quomodo promiſſio hæc ſpiritualis fuerit. Judæi enim male illam de corporali benedictione explicant, quam gentes omnes in Abrahamo, Iſaaco & poſteris eorum ſibi apprecaturæ eſſent: quod nunquam factum eſt, nec fiet. Et quomodo in Abrahamo, quem pleræque gentes non noverant; vel in Iſaaco & Iſraëlitis, exiguâ gente, inque Syriæ angulo ſepoſita, omnes familiæ terræ benedictionem ſibi promittere poterant? præcipuè cum Abrahamus & poſteri ejus benedictionibus externis ſæpe caruerint; & ferè gens iſta contemtui reliquis gentibus fuerit; nec tantæ ac tam florentes eorum res fuerint, ut mundi oculos in ſe convertere, & tanquam in terrenæ felicitatis exemplum poſiti videri potuerint. Ut benedictio hæc non niſi ſpiritualis & fœderalis intelligi poſſit, quam in ſemine Abrahami primario, cum Abrahamo & ſemine ejus ſecundario conſecuturæ erant omnes gentes; quod ex ipſo eventu manifeſtum eſt, cum jam in Nov. T. in iſto Abrahami ſemine omnes gentes ſibi benedicant.

> *Cui acceſſerunt promiſſiones tres aliæ ſecundariæ. 1. de multiplicando ſemine.*

XXIV. Promiſſioni huic primariæ, arrhabonis loco, acceſſerunt ſecundariæ tres. 1. *Multiplicatio* ſeminis Abrahami in *Iſaaco*. 2. Promiſſio terræ *Canaan*. 3. Eductio è ſervitute *Ægypti*.

XXV. Promittitur ipſi primo multiplicatio ſeminis in Iſaaco. *Et faciam te gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum:* Gen. 12: 2. *Et ponam ſemen tuum ut pulverem terræ* &c. conf. c. 15: 5. 17. 2, 6. & 22: 17. Intelligitur autem hæc promiſſio non de omni carnali ejus ſemine, cum multi carnales Iſaaci & Iſraëlis filii excludantur; atque alii, ex Abrahamo non geniti, ſed ad exemplum ejus credentes, includantur: *Non omnes, qui ex Iſraële, hi Iſraël. Neque, quia ſunt ſemen Abrahami, omnes filii; ſed in Iſaaco vocabitur tibi ſemen. Hoc eſt, non filii carnis, hi filii Dei: ſed filii promiſſionis reputantur in ſemen.* Rom. 9: 6. 7, 8. ſed præcipuè de ſemine ejus ſpirituali, cum ex Judæis, tum ex Gentibus credentibus. Quod ſemen propriè fuit innumerabile. *Turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente, & tribubus, & populis, & linguis.* Apoc. 7: 9. quale non fuit carnale ejus ſemen.

XXVI. Ac veritas ejus promiſſionis Abrahamo velit in pignore adumbrata & confirmata fuit in Iſaaco, qui natus fuit ipſo ferme emortuo, & Sara ſterili effœtaque. Quod, ut ex eventu patuit, notabat

1. ſe-

Digitized by Google

1. ſemen ſpirituale primarium proditurum è virgine, quæ non magis quam Sara ad edendam prolem apta futura erat. 2. ſemen benedictionis ſecundarium non futurum carnis, ſed promiſſionis filios, qualis Iſaacus fuerat. *Non filii carnis, hi filii Dei; ſed filii promiſſionis reputantur in ſemen.* Rom. 9: 8.

XXVII. *Secunda* promiſſio fuit de danda terra *Canaan. Semini tuo dabo terram hanc.* Gen. 12: 7. *Totam terram, quam tu vides, tibi dabo, & ſemini tuo in ſæculum.* c. 13: 15. conf. c. 15: 7. & 17: 8. quæ tum in Abrahamo, qui poſſeſſionem ejus veluti prælibavit, in miti illo ac non inopi exilio, quod ibi toleravit; tum præſertim in ejus poſteris, poſt annos quadringentos, impleta fuit. *2. de danda illi terra Canaan.*

XXVIII. Ac ſub hac donatione ſimul involvuntur duo Teſtamenta; Vetus, in quo Deus promittit hæreditatem iſtius terræ, tanquam typi & pignoris cœli: *Dabo tibi & ſemini tuo terram hanc*; & novum, in quo promittit ſeſe in illa *ipſis futurum in Deum*, Gen. 17: 8. h. e. Meſſiam in carne in terra illa manifeſtatum iri.

XXIX. *Tertia* promiſſio ſpecialis fuit de eductione poſterorum ejus è ſervitute Ægyptiaca, ad κληρουχίαν illius terræ, poſt annos 400. *Scias, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, quodque illos in ſervitutem redacturi ſint, & debilitaturi ſint ipſos 400 annis. Atque etiam gentem, cui ſervient, ego judico. Et poſtea exibunt cum facultatibus magnis.* Gen. 15: 13, 14. De quibus annis ſupra vidimus. Effluxere autem ex illis anni 220 ab exitu Abrahami ex Chaldæorum regione uſque ad deſcenſum Jacobi in Ægyptum; in ipſa autem Ægypto tranſacti fuerunt reliqui 210 anni, qui terminabantur ipſa nocte exitus. *Fuit vero exactis quadringentis triginta annis, fuit eodem ipſo die, ut egrederentur omnes exercitus Jehovæ è terrâ Ægypti.* Exod 12:41. Atque hæ promiſſiones Abrahamo factæ cum tam multiplices ſæpiuſque repetitæ fuerint, & tot ac tanta contineant, in plurali dicuntur αἱ ἐπαγγελίαι: *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus.* Gal. 3: 16. *Juxta fidem mortui ſunt hi omnes,* μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, *non acceptis promiſſionibus.* Hebr. 11: 13. *3. de eductione poſterorum ejus è ſervitute Ægyptiaca.*

XXX. Sequitur nunc ab altera parte in hoc fœdere conſideranda Abrahami *fides*, ſive fœderis & promiſſionis adſtipulatio. **FIDES** *Abrahami.*

XXXI. *Fides* ejus conſideranda, tum in *naturâ*, tum in *circumſtantiis*, tum in *fructibus* ejus.

XXXII. Natura ejus deſcribitur: *Credidit Abraham Jehovæ,* *Ejus natura.*

Gen.

Gen. 15: 6. h. e. amplexus fuit promiſſionem de ſemine, v. 4. 5. & expectavit ab eo bona omnia, non tantum corporalia, ſed præcipue ſpiritualia & æterna; quæ Deum illi promiſiſſe ſupra vidimus. Quæ ipſius fides fuit juſtificans & ſalvans. Nam *credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Rom 4: 3.

circumſtantia, XXXIII. Circumſtantiæ autem hic tres notandæ. 1. quod crediderit res tam arduas & plane incredibiles; terræ poſſeſſionem, at poſſeſſam à potentiſſima gente, cum ipſe ſolus eſſet: prolem, ipſo & Sara jam effœtis: benedictionem omnium gentium in ſemine ſuo; at primário ſemine nunquam à ſe viſo, ſecundario vero per 400 annos opprimendo. Adeo ut fides ejus verè fuerit *ſpes.* Rom. 4: 18. *Qui contra ſpem ſecure credidit, ſe factum eſſe patrem multarum gentium.* conf. Hebr. 6: 11, 18. 2. quod primus, & ſine exemplo, crediderit promiſſiones adeo ſingulares & remotas. Unde *Pater credentium* dicitur, Rom. 4: 11. 3. quod fuerit in fide adeo conſtans & immotus. Nam *decem annis*, uſque ad natum Iſmaëlem, nullam videbat prolem, Gen. 16: 3. iterumque plures tredecim annis fluebant uſque ad natum Iſaacum, Gen. 17: 25. Atque ipſe interim centenarius, & Sara ſterilis ac effœta erat. Nihilominus tamen credidit, *& minime languens fide, non conſideravit corpus ſuum jam emortuum, centum circiter annos habens, nec emortuum uterum Saræ; verum in promiſſionem Dei non diſceptavit incredulitate; ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo; certiſſimum habens, eum, quod promiſerat, etiam faciendi poteſtatem habere.* Rom. 4: 19-21.

& fructus: cum reſpectu ipſius, in obedientia; XXXIV. Fructus ipſius fidei fuerunt duplices, cum in *obedientia*, reſpectu ipſius; tum in *præmio*, reſpectu Dei.

XXXV. *Obedientiam* oſtendit, 1. quod exiverit è domo patris ſui, *incertus quo iret*, Hebr. 11: 8. Quæ ſumma obſequii gloria eſt, Deum ducentem ſequi, atque ire quo ipſe neſcias, &, quod maximum eſt, ubi ignores, an bene, an male tibi futurum ſit.

XXXVI. 2. quod obtulerit filium. *Fide obtulit Abraham Iſaacum, quum tentaretur: & unigenitum offerebat is, qui promiſſionem acceperat.* Hebr. 11: 17. vide Gen. 22: 2. Quod erat naturam omnem, omneſque affectus humanos exuere; filium, innocentem, dilectum, unicum, occidere, eumque propriis manibus mactare, &, non ſine mora, ducto per ſingula membra ferro, ſacrificii in morem dilaniare, ac intima ejus viſcera ſcrutari, eaque aris imponere, illumque in holocauſtum tandem offerre, ut univerſus conſumatur; idque præmeditato, toto triduo inter

iſtas

Digitized by Google

iſtas cogitationes exacto: quod ſacrilegium potius, quam ſacrum, contra fas omne, divinum, humanum, & omne exemplum, mixtumque cum infamia & periculo, iſta in terra, ubi exulem agebat, quæ tam crudelem religionem averſatura erat; conveniens potius diabolo, placandiſque diis inferis, quam Dei præcepto; repugnans denique promiſſioni datæ de ſemine benedicto, & maximè benedicente, naſcituro ex Iſaaco; adeoque evertens Abrahami & omnium fœderatorum æternam ſalutem & fidem. Quæ ſumma tentatio erat. Unde cum emphaſi dicitur hîc *tentatus*; quaſi ultima & maxima omnium tentatione, Gen. 22: 1. Hebr. 11: 17. Attamen obedivit, & paratus fuit, ex *fide reſurrectionis mortuorum*, Hebr. 11: 19 etiam filium offerre. Ex qua ſingulari obedientia *amicus Dei* dictus eſt, 2. Paral. 20: 7. Eſai. 41: 8. Jac. 2: 23.

XXXVII. *Præmium* hujus fidei fuit *juſtificatio* ejus. *Nam credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*, Gen. 15: 6. Rom 4: 3. Deus enim gratuito bonum aliquod promittens, illudque accipi jubens, eo ipſo declarat, quod accipientem habiturus ſit pro juſto, id eſt, qui jus habeat bonum promiſſum petendi & expectandi. Atque ita juſtificatio Abrahami facta fuit ex fide, promiſſiones illas accipiente, non ex operibus. Ad minimum enim 15 annis, ante oblatum Iſaacum, jam juſtificatus dicitur, Gen. 15: 6. Atque opus illud ipſum fidei ipſius probatio & fructus tantum fuit, illamque conſummavit: *Fides cooperata eſt operibus ejus, & ex operibus fides conſummata eſt, Et* ita *impleta eſt Scriptura, quæ dicit, credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam, & amicus Dei vocatus eſt*. Jac. 2: 22, 23. Atque notat præterea Apoſtolus aliam circumſtantiam temporis, quo juſtificatus fuit, ſcil. *cum eſſet in præputio*, Rom. 4: 10. ut nec ex circumciſione, nec ullo alio ex opere, vitam ſperare potuerit, ſed ex ſolâ fide in ſemen iſtud, benedictionis auctorem ac principem.

tum reſpectu Dei, in præmio.

XXXVIII. Unde patet, fidem Abrahami (ſola temporis circumſtantia excepta) eandem fuiſſe cum noſtra: cum in Meſſiam, ſemenque iſtud benedictum crediderit, atque *ejus diem* proſpectaverit, &, per tot ſæculorum licet caliginem, tamen *viderit*, Joh. 8: 56. tum in crebris apparitionibus, tum in illuſtri promiſſione ſeminis, tum in Iſaaco venturi ſeminis typo & obſide; atque eadem nobiſcum bona æterna ſperaverit & acceperit: *Expectabat enim eam, quæ fundamenta habet, civitatem, cujus artifex & conditor eſt Deus.* Hebr. 11: 10. conf. v. 13, 14. Quod & Apoſtolus confirmat, cum benedictionem Abrahami probat

Fides Abrahami eadem cum noſtra

fuiſſe juſtificationem per Chriſtum. *Scriptura prævidens, Deum ex fide juſtificare gentes, ante-euangeliſavit Abrahamo: benedicentur in te omnes gentes: itaque qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abrahamo.* Gal. 3:8, 9. Impia ergo Smalcii gloſſa eſt, Abrahamum diem Chriſti vidiſſe, ſed abſque Chriſto vel notitia ejus. Qui nec dies Chriſti fuiſſet, nec Abrahamo lætitiam præbere potuiſſet; contra ac Chriſtus eo loco docet.

CAPUT III.

De propagatione Promiſſionis ab Abrahamo uſque ad Moſen.

Promiſſio poſt Abrahamum devoluta, in ISAACUM;

I. ABrahamo in hæreditate promiſſionis ſucceſſit *Iſaacus*, cui Deus illam quoad ſingulas ejus partes addixit, eadem formula, qua ad Abrahamum ante uſus fuerat. *Peregrinare in hac regione, & ero tecum, ac benedicam tibi: nam tibi & ſemini tuo dabo omnes regiones iſtas, & præſtabo juramentum illud, quod juravi Abrahamo patri tuo: multiplicabo enim ſemen tuum, & benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Gen. 26: 3, 4. conf. Gen. 22: 17, 18.

eum excluſione Iſmaëlis.

II. Data autem fuit illa promiſſio *Iſaaco*, cum excluſione *Iſmaëlis*, & reliquorum *Abrahami* filiorum. *Sed quid dicit Scriptura, ejice ancillam & filium ejus. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Gal. 4: 30. vide Gen. 21: 10, 12. & 25: 5, 6. Unde Iſmaël proponitur ut reprobationis exemplum, & typus. *Neque, quia ſunt ſemen Abrahami, omnes filii; ſed in Iſaaco vocabitur tibi ſemen. Hoc eſt, non filii carnis, hi ſunt filii Dei; ſed filii promiſſionis reputantur in ſemen. Promiſſionis enim ſermo hic: ſecundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* Rom. 9: 7, 8, 9.

III. Nec excipi poteſt, hanc tantum eſſe excluſionem quoad bona corporalia & externa, non vero ſpiritualia & æterna; nec ipſum adeo intelligi Iſmaëlem, quam poſteros ejus. Contrarium enim patet 1. ex ſcopo Apoſtoli Rom. 9. qui iſto exemplo rejectionem Judæorum à fœdere Dei ſub Nov. T. probare intendebat. Quod ſicuti merè ſpirituale erat, & bona ſpiritualia ac æterna comprehendebat; ita eo allatum exemplum etiam ſpectabat. 2. Unde Iſmaëlem, quanquam ab Abrahamo prognatum, non tamen ejus fuiſſe τέκνον v. 7. id eſt, promiſſionum & fœderis hæredem, aſſerit. 3. Conſiderat enim Abrahamum, non

non ſolùm ut patrem carnalem, ſed præcipuè tanquam fœderis caput, & promiſſionum veluti parentem; quæ tum typicæ erant, de terra Canaan, multiplicatione ſeminis, &c. tum antitypica de ſpirituali hæreditate boniſque internis; à quibus omnibus Iſmaël cum poſteris ſuis excluſus fuit, Gen. 21: 10, 12. Gal. 4: 30. 4. Diſtinguit enim Apoſtolus inter *filios carnis*, qui non ſunt filii Dei, & *filios promiſſionis*, qui *in ſemen reputantur*, v. 8. Eodem modo ut & ſuo tempore v. 6. inter verum Iſraëlem, eoſque qui quocunque modo ex Iſraële erant orti diſtinguit. 5. Sed & perverſa indoles Iſmaelis, ac profanus animus in Scriptura notatur, in acerba illa irriſione, Gen. 21: 9. quam *perſecutionem* vocat Apoſtolus Gal. 4: 29. Atque ita reproborum in Scripturâ typum gerit, ut ipſe eorum pars ac exemplum fuerit. 6. Unde & ipſe & poſteri ejus, non à benedictionibus externis, quas affatim habuerunt, ſed à fœdere Dei ac Eccleſia extorres egerunt.

IV. Verè ergo reprobus fuiſſe videtur *Iſmaël*; qui, cum nihilominus primogenitus eſſet, repræſentavit, 1. fœdus operum & indolem operariorum; ſicut Iſaacus repræſentavit fœdus gratiæ & fidei. *Nos autem, fratres, ſecundùm Iſaac, promiſſionis filii ſumus.* Gal. 4: 28. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & pangam cum domo Iſrael & cum domo Judæ fœdus novum. Non ut fœdus, quod pepigeram cum patribus ipſorum, die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos ex Ægypto.* &c. Jer. 31: 31, 32, 33, 34. 2. cumque è matre ſerva fuerit natus, *Hieroſolyma* terreſtris quoque imago fuit, quæ ad ſervitutem parit, & montis *Sinai*, ex quo lex prodiit; ſicut *Iſaacus*, è matre libera natus, exhibuit Hieroſolymam cœleſtem, quæ liberos parit ex fide ad libertatem & ſpiritum adoptionis filiorum. *Hieroſolyma quæ ſurſum eſt, libera eſt: quæ eſt mater omnium noſtrum. Scriptum enim eſt: lætare ſterilis --- nos autem, fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus. Sed quemadmodum tunc qui ſecundum carnem generatus erat, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc.* Gal. 4: 26--31.

V. *Iſmaële* ergo excluſo, promiſſio in *Iſaaco* ſtetit, qui in ſua familia pariles vices conſpexit, ac ante Abrahamus. Cum enim benedictionis ac fœderis hæredem inſtituere vellet *Eſavum*, primogenitum ac ſibi dilectum, Gen. 27: 4. interveniente Dei conſilio, & ſingulari, nec undiquaque probando *Rebeccæ* aſtu, pro Eſavo, Jacobo ignarus benedixit, & quidem benedictione fœderis, ut colligitur ex Gen. 27: 29. *Serviant tibi populi --- maledicentium tibi quiſque maledictus eſto, & qui benedixe-*

Ab Iſaaco derivata ad IACOBUM:

nedixerit tibi, eſto benedictus. coll. cum Gen. 12: 3. *Et benedicam benedicentibus tibi, & maledicentem tibi execrabor; & benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Quod ubi vir ſanctus animadvertit, ac Dei nutum in hac parte deprehendit, benedictionem datam iterato confirmavit, ipſumque expreſſis verbis magnæ ac primariæ illius promiſſionis, Abrahamo factæ, hæredem ac traducem fecit: *Det tibi Jehova benedictionem Abrahami* &c. Gen. 28: 3, 4.

Reprobatio Eſavi. VI. Atque ita rurſus in familiâ Iſaaci diſcrimen apparet, & exemplum electionis & reprobationis divinæ in Jacobo & Eſavo, quamvis iiſdem parentibus natis, editum fuit. *Necdum enim natis, quumque non egiſſent quicquam malum aut bonum, (ut, quod ſecundum electionem eſt, Dei propoſitum maneret; non ex operibus, ſed ex vocante) dictum eſt ei: major ſerviet minori. Quemadmodum ſcriptum eſt, Jacobum dilexi, Eſavum odio habui.* Rom 9: 11, 12, 13.

Remonſtrantium contra hoc exemplum exceptiones. VII. Contra quod exemplum fruſtra excipitur: 1. Illos electionis & reprobationis duntaxat typos reſpectu Nov. T. non vero exempla fuiſſe. 2. Benedictionem illam beneficia ſolum externa, non vero ſpiritualia ſpectare. 3. & de poſteris eorum potiſſimum, non vero de ipſis, intelligendam eſſe. 4. idque ex Mal. 1:3 conſtare, ubi *odium Eſavi* de deſolatione Idumeæ à propheta explicatur. 5. aut odium Eſavi comparativè tantum de minori aliquo amore intelligendum eſſe. Quæ Remonſtrantium commenta ſunt.

quæ diluuntur. VIII. Ad quæ reſpondemus: 1. Iſtud fratrum par ita electionis & reprobationis geſſiſſe typum, ut ejus etiam in ſe ipſis expreſſerint imaginem & exemplum. Sicut vox typus ſæpe alibi exemplar notat. Vid. 1. Cor. 10: 6. Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν, *Hac autem typi noſtri fuerunt, ut ne concupiſcamus res malas.* 1. Theſſ. 1: 7. ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους *adeo ut fueritis exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & in Achaja.* 1. Tim. 4: 12. τύπος γίνου *exemplar eſto fidelium.* Et manifeſto de perſonis eorum accipiendum eſt, quod eſt Rom. 9: 11. *nondum natis* &c. 2. Nec de externis ſolum beneficiis, ſed de maxima ac fœderali promiſſione, quam Iſaacus Patriarcha, ejus hactenus cuſtos, filiis tradere parabat, inter fratres iſtos agi, tum ex Apoſtoli ſcopo & verbis, tum ex ipſo vaticinii ac benedictionis ſenſu patet. Agit enim Apoſtolus iſto capite de Judæorum à fœdere Dei rejectione, deque æterno ac libero reprobationis conſilio; illique probando ac confirmando ex ipſa patriarcharum familia exempla petit, ac duos hoſce fratres adducit.

Cir-

Digitized by Google

Circa quos diſcrimen dicit eſſe factum ex *Dei propoſito*, προθέσει τῇ κατ' ἐκλογὴν, v. 11. quod prædeſtinationem æternam infert; & Eſavum introducit ut *ſervum fratris*, v. 12. quo Dei fœdere, boniſque fœderis, quæ una cum primogenituræ jure ad Jacobum fratrem minorem tranſlata erant, excidebat; & *Deo exoſum*, v. 13. quod majus aliquid ſonat, quam externo aliquo beneficio carere; quod certe hominem Deo exoſum, niſi alia accedant, non facit; & *miſericordiam non conſecutum*, v. 15. 16. denique ut induratum, ac *Pharaoni* ſupparem, v. 17, 18. quin & *profanum* eum ac manifeſte impium alibi deſcribit. *Ne quis ſcortator, aut profanus; ut Eſau, qui pro edulio uno vendidit primogenituram ſuam.* Hebr. 12: 16. Nec poſteros Eſavi ſolum, ſed ipſam ejus perſonam ſpectari, Apoſtoli verba innuunt, *Nondum natis pueris* &c. Rom. 9: 11. 12. Unde ſæva & profana ipſius indoles in Scriptura notatur; ejuſque perpetuum à fratre diſſidium, & degener animus protinus à materno utero ſe oſtendit: *Jehova autem dixit ei, duæ gentes* ſunt *in ventre tuo, & duæ nationes*, editæ *ex viſceribus tuis ſeparabuntur, quarum natio una robuſtior erit altera, & major ſerviet minori* &c. Gen. 25: 23. & ſeqq. Nec poſteros tetigiſſet hæc prædictio, niſi ipſum prius Eſavum eorum parentem ſpectaſſet. 4. Quod vero Idumæi à Saule & Davide ſubjugati & Iſraëli ſubjecti fuerint, illud ſero demum evenit, nec admodum diu duravit; cumque etiam aliis vicinis gentibus acciderit, tantum non eſt, ut hujus vaticinii fidem abſolvat, & odium illud Dei, ac maledictio, in Eſavum peculiariter lata, quæ amori ejus erga Jacobum (qui amor omnem bonum affectum, & omnia ac ſumma beneficia dicit) opponitur, dici mereatur. Quanquam alioquin non negemus, externas iſtas clades *ex odio* iſto profectas, (*At Eſavum odi, & poſui montes ejus deſolationem, & hæreditatem ejus draconibus deſerti*, Mal. 1: 3.) æterni illius odii ac maledictionis effectus ac partem fuiſſe, illamque incluſiſſe & oſtendiſſe. 5. Nec comparativè Dei odium pro minore aliqua dilectione interpretandum eſt. Quanquam enim de hominibus iſto ſenſu phraſis illa nonnunquam veniat (*Videns Jehova exoſam eſſe Leam, aperuit vulvam ejus*. Gen. 29: 31. ſic & v. 33. *Uxor Simſonis ei dixerat: tantum odiſti me, ac non amas me.* Jud. 14: 16. *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum --- non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14: 26.) nullibi tamen Deus odiſſe aliquem niſi in pleno ac vero ſenſu dicitur. Neque enim leviter adeo Dei odium ſumere licet. Ac manifeſto nimis Jacobus & Eſavus ſibi mutuo opponuntur: alter enim ſervus, alter dominus; alter dilectus,

 alter

Digitized by Google

alter exoſus; alter miſericordiam conſecutus, alter reprobatus dicitur; quæ non gradibus tantum, ſed toto genere differunt.

IX. Atque hæc Eſavi & Jacobi conditio iterum typica erat, ut antea fuerat illa Iſaaci & Iſmaelis. Nam 1. Eſavus exemplar & typus eſt reproborum operariorum, qui externis prærogativis & operibus nituntur. Quamvis enim nihil legatur Eſavus feciſſe juſtitiæ cauſa, tamen externis ſuis prærogativis nixus legitur: *Quod cum rediret à venatione ſua, paraverit cupedias, & attulerit patri ſuo, eique dixerit, ſurgat Pater meus, & comedat de venatione filii ſui, ut benedicat mihi anima tua.* Gen. 27: 31, 32. Jacobus vero typus erat electorum & fidelium. 2. Eſavus, cum ex majori fieret minor, referebat rejectionem Judæorum, & aſſumtionem gentilium. *Sic ultimi erunt primi, & primi ultimi.* Matt. 20: 16.

à Iacobo promiſſio propagata

X. Jacobus tertius benedictionis hujus hæres, & promiſſionis tradux, duodecim habuit filios; qui totidem patriarchæ, ſeu tribuum patres futuri erant. Ad quem numerum ſæpe reſpicitur in Nov. T. Matth. 19: 28. *Sedebitis in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Conf. Apoc. 21: 12.

XI. In tanto autem filiorum numero, quamvis duo duntaxat ſine crimine eſſent, ſc. Joſephus & Benjamin; pater nihilominus ſingulis benedixit, cunctoſque, veluti patriarcharum nepotes, & ſanctum ſemen, promiſſionis Abrahamo olim factæ hæredes inſtituit; atque apud eos, tanquam naſcentis Eccleſiæ patres pretioſum illud cœli pignus depoſuit.

potiſſimum ad JUDAM; *cui facta promiſſio de Meſſia, Gen.* 49: 10.

XII. Ubi conſideranda potiſſimum pars illa hæreditatis longè maxima, quæ *Judæ* obtigit, cui inter cæteras tribus principatus, tandemque veri principis Meſſiæ ex ſemine ejus exortus, illuſtri vaticinio addicitur: *Non auferetur (tribus) ſceptrum de Judà, neque (doctor legis) legiſlator de inter* (qui ſit *ex intra*) *pedes ejus, uſque dum veniet Schiloh: & ei* (erit) *aggregatio* (vel *obedientia*) *populorum*, Gen. 49: 10. Cujus oraculi tum *ſenſus*, tum *implementum* propius videnda ſunt.

Cujus ſenſus & implementum propius conſiderantur.

XIII. Occurrit ibi vox שֵׁבֶט, quæ communiter *virgam*, aliquando *ſceptrum*, ſeu virgam regiam (שֵׁבֶט *ſceptrum rectitudinis eſt ſceptrum regni tui.* Pſal. 45: 7.) denique ſæpiſſime *tribum* notat; & מחקק, quod *legiſlator* vertitur, h. e. legis & ſtatutorum Moſaicorum præceptor & inculcator. Adeo ut per duo hæc vocabula omnis Judæorum intelligatur regnatrix poteſtas, ſeu ſacra, ſeu civilis, quæ iſto in populo mire conjunctæ erant, cum iidem Eccleſiæ ac Reipublicæ tum forent limites,

Digitized by Google

mites. *Non auferetur, uſque dum* &c. Quod non de hac vel iſta poteſtatis ſpecie, ſed in communi de omni iſta poteſtate accipitur. Nam & reſpublica & Eccleſia in iſta gente uſque ad Meſſiæ tempora permanſit, & publica utriuſque facies, etſi poſt longas calamitates, ſuperfuit. Nam ad templum, & ad populum ſuum venit. Cum nec templum ſine populo & politia iſta; nec hæc ſine templo ac ſacerdotio ſubſiſtere potuerit. Quod poſtea ex eventu patuit. *De inter pedes ejus*, LXX. & Mercerus ad generationem referunt, & de propagatione poſteritatis, ac longa nepotum ſerie intelligunt. *Uſque dum veniat Schiloh.* quod vocabulum, ſive à שָׁלָה tranquillum eſſe, quaſi *tranquillatorem* dicas, ſeu potius ab Arabico שִׁיל *fluxit*, unde cum affixo ה pro ו, quod Arabibus frequens eſt, & interdum Hebræis quoque uſitatum, שִׁירָה *profluvium*, h. e. *ſemen ejus*, cum tres Targumiſtæ, LXX. omneſque alii interpretes de Meſſia explicent, probare id ſupervacaneum eſt. *Illi* autem *erit aggregatio*, ſeu obedientia, *populorum*: qui ſunt fideles ex omni populo.

XIV. Cum autem hic Judæ peculiare aliquid addicatur ſupra fratres ejus, quanquam cæteroquin beneficium quod hic promittitur, cæteraque de interitu & fine iſtius reipubl. quæ hic ſimul innuuntur, omnes tribus ſpectent; ad oraculi fidem & implementum ſufficit, iſtam familiam ac tribum ſupra cæteras longe eminuiſſe, inde domum regnatricem exortam, atque in ea longo tempore imperii ac religionis ſedem fuiſſe, tandemque univerſam gentem & rempublicam ab iſta tribu Judaicam ſive Judæorum dictam fuiſſe: quæ appellatio potiſſimum tempore Meſſiæ uſurpata fuit; quo veniente ſceptrum omne iſtius gentis, qualecunque tunc erat, omniſque poteſtas, Judæorum dicta fuit: ſicut illa tribus poſt longas clades ferè ſola ſuperfuit, cæterarumque princeps ſola religionis ac reipublicæ dignitatem ſuſtinuit: denique, quod palmarium eſt, Meſſiam ipſum, qui hic appellatur שִׁילֹה h. e. ſemen ejus, ex tribu iſta prodiiſſe.

XV. Circa cujus adventum, juxta oraculi hujus ſenſum, ſceptrum deſiit: quod per gradus factum fuit, 1. Pompeji bellis, quibus Judæa ſubacta, & caput gentis Hieroſolyma capta fuit, annis ante Chriſtum 63. 2. Herode, gente extero, in Aſmonæorum ſolium evecto. 3. Judæâ paulo poſt Chriſtum natum in provinciam redacta, & Syriæ attributa. 4. tandem pleniſſime republica eversa, temploque deleto ſub Veſpaſiano; quando vaticinium hoc omnibus numeris ſuis impletum fuit. Iſta enim omnia conjungenda ſunt, cum eodem tendant, tandemque vaticinium hoc abſolvant.

XVI. Cum

Digitized by Google

XVI. Cum ergo, templo ac politiâ everſis, ſceptrum à Juda ablatum ſit, & jam per ſexdecim ſæcula eo caruerint, quod non diffitentur ipſi Judæi, omniumque ore teſtatur & deplorat R. David Kimchi ad hæc Hoſeæ verba c. 3:4. *Diebus multis ſedebunt filii Iſraël ſine rege & ſine principe*; certo certius eſt, Meſſiam ſeu שִׁילֹה dudum adveniſſe.

XVII. Atque hæc probabiliſſima ac facillima hujus vaticinii interpretatio eſt, quæ *ſceptrum* & *legiſlatorem* non nimis curioſe diſtinguit aut divellit, ſed ea in unum conjungit, præſertim circa Meſſiæ tempora; cum utroque vocabulo imperium & poteſtas illius populi, qualiſcunque illa ſit, deſignetur, quæ ad Meſſiæ adventum duratura perhibetur; cum, dilatatis Eccleſiæ pomœriis, gentes adducendæ forent, nec amplius regnum Dei in ſola Judæorum natione conſtiturum.

XVIII. Alii tamen *ſceptrum* & *legiſlatorem* diſtinctè ſumi volunt, quia conjunctiva particula in textu occurrit. Cumque utrumque pariter ad Meſſiæ tempora manſurum dicatur, & alterutrum tamen ante Chriſtum jam remotum conſtet; vocem שֵׁבֶט per *tribum* convertunt, quomodo & v. 16. *Dan judicabit populum ſuum* כְּאַחַד שִׁבְטֵי, *ut una tribuum Iſraëlis*, & v. 28. *Omnes iſtæ* ſunt שִׁבְטֵי *tribus Iſraelis duodecim*, ſumitur, & מחקק per *ſcribam* ſeu doctorem legis ceremonialis. conf. Deut. 33:21. מְחֹקֵק סָפוּן *Legiſlator incruſtatus*. & Num. 21:18. *Puteus, quem effoderunt ingenui populi* בִּמְחֹקֵק *cum legiſlatore ſcipionibus ſuis*. & מבין רגליו *de inter pedes ejus*, de more, quo diſcipuli ad magiſtrorum pedes, ipſique in diſcipulorum corona, & in medio veluti pedum eorum, ſedebant, accipiunt. conf. Deut. 33:3. *Cujus omnes ſancti* ſunt *in manu tua: & illi medii perambulati ſunt pedi tuo, ut acciperet à loquelis tuis*. Luc. 10:39. *Maria aſſidens ad pedes Ieſu, audiebat ipſius ſermonem*. Act. 22:3. *Ego* Paulus, *Judæus ſum, nutritus in hac ipſa urbe apud pedes Gamalielis*. Ut tria Judæ privilegia hic denotentur: unum primarium, de Schilo ex eo prodituro; duo ſecundaria, quæ ut totidem circumſtantiæ tempus adventuri Meſſiæ exprimunt, 1. quod diſtinctio tribus Judæ, 2. quod doctrina ſeu inſtitutio ſacra Levitarum, non ſint perituræ ex illa tribu ante adventum Meſſiæ. Quæ duo, cum etiam aliis tribubus communia fuerint, peculiaris tamen bonorum iſtorum continuatio & conſtantia, uſque ad ultima reipublicæ iſtius tempora, & ipſum tandem Meſſiæ adventum, iſti tribui præ reliquis adſeritur.

XIX. Quod & eventu comprobatum fuit. Corruptis enim ac deperditis cæterarum tribuum genealogiis, per abductionem Aſſyriacam,

Digitized by Google

cam, Eſr. 2: 59. Neh. 7: 61. &c. ſola tribus Juda integra reliquiſque impermixta remanſit; & ante, 1. Sam. 11: 8. & 15: 4. 2. Sam. 24: 9. 1. Chron. 21: 5. & poſtea, uſque ad templi urbiſque excidium, Luc. 2: 3, 4, 5. Similiterque cum per regni divortium religio quoque contaminaretur, ac reliquæ tribus mox Levitarum miniſterio & ſincera ac incorrupta legis inſtitutione carerent, 2. Chron. 11: 13, 14. & 13: 9. in Juda tamen ſacra inſtitutio ac Levitarum miniſterium perennavit, & ad ſecundum templi excidium perduravit, ipſo Chriſto teſte, *in cathedra Moſis ſedere Scribas & Phariſæos, omniaque quæ dixerint ſervanda & facienda eſſe*, Matth. 23: 2, 3. Sicut & Judæi tradunt, extincta *Hillelis* proſapia, qui ad excidium templi ſcholam Hieroſolymitanam rexerat, veros doctores, per χειροθεσίαν ordinatos, in terra Iſraëlis defeciſſe. Atque hæc de vaticinio iſto ſufficiant.

XX. Aliud fidei ſuæ teſtimonium edidit Jacobus, eodem cap. v. 18. *Salutare tuum*, vel ſalutem, *expectabo*, vel expecto, *Jehova*. Quod dictum de Meſſia agere etiam Paraphraſtes Hieroſolymitanus eximiis verbis agnovit; ut fruſtra illud detorqueant Sociniani. Conferri autem poſſunt verba Simeonis, Luc. 2: 29, 30. *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum, cum pace. Quia viderunt oculi mei ſalutem tuam.*

XXI. A *Jacobo* propagata deinceps hæc promiſſio per duodecim ejus filios, Judaicæ gentis patres, in Ægypto apud poſteros eorum permanſit. Quos in tribus diſtributos *Moſes* in novam gentem ac populum compoſuit, quem data terra ac ſanctuario verborum Dei deinceps depoſitarium fecit. de quo ſuo loco.

*Per Patriarchas duodecim propagata eſt promiſſio ad eorum poſteros in Æ*GYPTO; *communicata etiam quibuſdam extra ſanctorum Patrum familiam.*

XXII. Quanquam iſto tempore aliis etiam hominibus, extra ſanctorum Patrum familiam, promiſſio hæc communicata fuerit, ut *Jobo*, Eſavi ut quibuſdam creditur, abnepoti, qui Moſi coætaneus videtur fuiſſe, & de Meſſia eximiè agit, ſub nomine *Goëlis ſui, quem vivere ſe noſſe* ait, cap. 19: 25. *amiciſque* ejus, ex quibus *Elihu*, ſub nomine *Angeli* & *Interpretis ſelecti ex mille*, cujus eſt dicere, *redime ipſum ne deſcendat in foveam; inveni lytrum*, cap. 33: 23, 24. eum introducit; aliiſque, quos nunc omittimus.

XXIII. Atque hoc promiſſionis Meſſiæ ab Adamo uſque ad Moſen curriculum fuit. In quo ſpatio paulatim ea majori luce ac incremento Eccleſiæ affulſit. Cujus peculiaris gradus circa *Abrahami* tempora obſervari poteſt. 1. Cum enim hactenus ad certam ſtirpem alliga-

ta non foret, niſi quod in *Semum* à *Noacho* fœderis hæreditas collata videatur, Gen. 9:26, 27. *Benedictus Jehova Deus Semi* &c. clarius deinde ad Abrahami ſobolem ea adſtricta fuit; quam in familiam ſuam veluti adoptavit Deus, tradito ei fœderis ordinario ſymbolo & ſacramento. 2. Deus ſeſe propius ac ſpeciali nomine *El Schaddai* illi manifeſtavit, quod ante id tempus factum non legitur. 3. Addidit & clariorem promiſſionem vocationis gentium, quam antea audita fuerat.

Inde ſpeciali modo DAVIDIS *familiæ adhæſit,*

XXIV. *Davidis* vero tempore promiſſus Meſſias ut *Rex* proponi cœpit. 2. Sam. 7: 12, 13. *Excitabo ſemen tuum poſt te & confirmabo regnum ejus. Ipſum ædificabit domum nomini meo, & confirmabo ſolium regni ejus in ſæculum.* Pſal. 89 poſtque illud tempus iſto nomine in Eccleſia perpetuo agnitus & expectatus fuit. *Et ſervient Jehovæ Deo ſuo, & Davidi Regi ſuo, quem excitabo ipſis.* Jer. 30: 9. *Et conſtituam ſuper ipſas paſtorem unum, & paſcet eas, ſervum meum Davidem. Et ego Jehova ero ipſis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio earum.* Ezech. 34: 23, 24. *Et ſervus meus David Rex ſuper ipſis, & paſtor unus erit omnibus, & in judiciis meis ibunt* &c. c. 37: 24. *Poſtea convertentur filii Iſrael, & quærent Jehovam Deum ſuum & Davidem Regem ſuum.* Hoſ. 3: 5. *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, dabitque ei Dominus Deus thronum Davidis patris ipſius. Regnabitque in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.* Luc. 1: 32, 33. *Et obſtupuit tota turba dicebatque, nonne iſte eſt filius ille Davidis?* Matth. 12: 23. *Quid vobis videtur de Chriſto illo? cujus filius eſt? dicunt ei, Davidis.* c. 22: 42. *Quomodo dicunt ſcribæ Chriſtum eſſe Filium Davidis?* Marc. 12: 35. & Luc. 20: 41.

XXV. Ne autem Rex terrenus expectaretur, indicatæ ſunt ſimul ipſius paſſiones & mors, Pſal. 22. & 69: 22. Eſai. 50: 6. & 53. Dan. 9: 26. Zach. 9: 9, 11: & 11, 12, 23. & 12: 10. & 13: 7. ut & ejus reſurrectio & gloria, Pſal. 68. & 110.

ejuſque poſteris, uſque ad captivitatem BABYLONICAM,

XXVI. Deinde poſt annos circiter 300, tempore Achazi Regis, cum Davidis domus ruinam minitari videretur, eadem promiſſio repetita, ſimulque Meſſiæ *mater* nominata fuit: *Ecce virgo concipit, & parit filium: & vocabit nomen ejus Immanuel.* Eſai. 7: 14.

XXVII. Eſaïæ σύγχρονος Micheas, velut diverſorii Mariæ metator ac cunarum Domini cuſtos, locum Meſſiæ natalem, ex quo poſt annos circiter 700 proditurus erat, indicavit, Cap. 5: 1. *At tu, Bethlehem Ephrata parva es, ut ſis inter familias Judæ? Ex te mihi prodibit,* Judex, *ut ſit dominator in Iſraële. Cujus egreſſiones ſunt ab initio, à diebus ſæculi* conf. Matth. 2: 4, 5, 6.

XXVIII.

XXVIII. Denique poſt captivitatem Babylonicam, imo & in ea everſo Davidis ſolio, ac valde imminuta templi majeſtate, promiſſionem hanc inſtaurarunt tria maxime illuſtria oracula, Dan. 9: 24--27. *Septuaginta ſeptimanæ deciſa ſunt ſuper populo tuo, & ſuper urbe ſancta tua, ad coercendum defectionem, & ad conſummandum peccata* &c. Hagg. 2: 4--10. *Major fiet gloria domus hujus poſterioris quam prioris, & in loco hoc dabo pacem* &c. *Mal.* 3: 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam ante me, & derepente veniet ad templum ſuum Dominus ille, quem vos quæritis, angelus ille fœderis.*

& poſt eam.

XXIX. Per hos ergo gradus promiſſio hæc cucurrit. 1. *Preteplaſtis* ſemen illud, in quo mundi vita foret, promiſſum eſt in genere. 2. Genus illius indicatum eſt in *Abrahamo*, ejuſque poſteris. 3. Propius deſignata fuit tribus in *Juda*, ut & generale tempus adventus ipſius. 4. Familia & regnum monſtrata ſunt ſub *Davide*. 5. Mater, ſub *Achazo*. 6. Locus, qui naſcentem exciperet, à *Micha*. 7. Tempus tandem cum propinquaret, indicatum illud & ſpecialioribus notis inſignitum fuit, ſub ſecundo templo à *Daniele*, ultimiſque prophetarum. In quibus omnibus admiranda Dei providentia elucet.

Unde elucent præcipui promiſſionis gradus.

C A P U T IV.

De fide Patrum ſub Promiſſione, eorumque juſtitia, ac ſpe ſalutis.

I. HÆc de promiſſione. Videamus nunc 1. quæ *Patrum* ſub eâ fuerit *fides*. 2. quæ eorum redemtio & *juſtitia*. 3. quæ denique ſalutis *ſpes*.

Patrum FIDES, *eadem cum noſtra.*

II. Cum ergo ſæpe adeo, multiſque modis, promiſſio de Meſſia repetita fuerit, & quidem ſine jugo ullo ac legis accuſantis onere: ſequitur conſideranda nunc ipſorum in iſtam promiſſionem *fides*. Illa enim ex promiſſione iſta univerſa dependebat; ita ut fundamentalis Eccleſiæ Meſſiæ ætatem antegreſſiæ fuerit articulus ille de promiſſione Meſſiæ, ſeu ſeminis mulieris & Abrahami, ſerpentis caput contrituri, & in quo benedicendæ eſſent omnes gentes terræ, cum neceſſariis ſuis ſequelis ſeu appendicibus acceptus. Quam illorum fidem temporis accidentiumque circumſtantiis ſolummodo di-

verſam, cæteroquin re ipſa eandem fuiſſe cum noſtra, tum ſacræ Scripturæ teſtimoniis, tum rationibus inde deductis, tum denique exemplis conſtat.

Quod adſtruitur Scriptura teſtimoniis. III. 1. Teſtatur enim Scriptura, commune fidei objectum omnibus ætatibus fuiſſe Chriſtum, *Qui heri & hodie idem eſt & in ſæcula* Hebr. 13:8. *Omneſque prophetas de eo teſtimonium perhibuiſſe*, Act. 10:43. & *quæſiviſſe & ſcrutatos eſſe de ſalute nobis facta, in quod ſc. & quale tempus, Spiritus Chriſti, qui in ipſis erat, ſignificaret Chriſti paſſiones & glorias ſequentes* &c. 1 Pet. 1:10, 11, 12. Unde Paulus veteres in Chriſtum προηλπικότας *ante ſperantes* appellans, Eph. 1:12. τὸ δωδεκάφυλον *duodecim tribus ſuas*, Deum *nocte & die* ἐν ἐκτενείᾳ *aſſidue colentes, ſperaſſe ſe deventuras ad promiſſionem patribus factam*, profitetur Act. 26:7. *Chriſtum* nempe *paſſum, primum ex reſurrectione mortuorum, lucem annunciaturum huic populo & gentibus.* ibid. v. 23. & eandem Abrahami ac noſtram fuiſſe fidem ac benedictionem probat. Gal. 3:6. 10, 14.

fœderis divini naturâ IV. 2. Sed & *fœderis* divini natura hoc evincit. Non enim illud varium eſſe poteſt; cum peccatori non niſi unicum ſalutem adipiſcendi medium reſtet, de quo fœdus hoc factum eſt. Unde Apoſtolus fœdus, quod cum Abrahamo initum eſt, Chriſtum præcipuè ſpectaſſe, idemque cum illo quod nobiſcum ſancitum eſt fuiſſe, docet. *Fratres, ſecundum hominem dico: tamen hominis ratum factum teſtamentum nemo rejicit aut ſupra diſponit.* Gal. 3:15. *Hoc autem dico, teſtamentum ante ratum factum à Deo in Chriſtum, lex, quæ poſt 430 annos exſtitit, non facit irritum ad abolendam promiſſionem*, v. 17. *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* v. 22. Nec diverſum eſſe potuit. Cum *Deus ſit unus, qui juſtificabit circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*, Rom. 3:30. *unuſque* pariter *Dominus*, ac ſalutis auctor, Eph. 4:5, 6. extra quem nulla ſalus, *aut nomen ſub cœlo datum in quo oporteat ſalvari*, Act 4:12. & unica ad ſalutem *via*, Joh. 14:6. adeoque & *una fides*, Eph. 4:5. quam operatur τὸ αὐτὸ πνεῦμα τῆς πίστεως *idem Spiritus fidei*, 2 Cor. 4:13. Quod Apoſtolus etiam in diverſis, tum Veteris, tum Novæ Eccleſiæ ſacramentis oſtendit, 1 Cor. 10:3, 4. quæ *eandem eſcam & potum ſpiritualem* ſignabant, & tanquam umbræ, modo antecedentes, modo ſubſequentes, pro variâ videl. diei luce, idem corpus comitabantur.

& fidelium exemplis. V. 3. Juxta quæ varia fidelium, qui in Meſſiam ſperaverunt, in Vet. & N. T. exempla producuntur: Protoplaſtorum, qui crediderunt

pro-

Digitized by Google

promiſſioni ipſis factæ *de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis.* Gen. 3: 15. Abelis, qui *fide potius ſacrificium præ Caïno obtulit Deo; per quod teſtimonium conſecutus eſt, quod juſtus eſſet*, Hebr. 11: 4. Enochi, qui *fide tranſlatus eſt ne videret mortem*, & *ante tranſlationem ſuam teſtimonium acceperat grata feciſſe Deo. Sine fide autem impoſſibile eſt Deo grata facere.* v. 5, 6. Noachi, qui *fide divinitus monitus, de iis, quæ necdum videbantur, metuens paravit arcam ad ſalutem domus ſuæ. Per quam damnavit mundum, & juſtitiæ, quæ eſt ſecundum fidem, factus eſt hæres.* v. 7. Abrahami, Iſaaci & Jacobi, qui *fide peregrinatum venerunt in terram promiſſionis tanquam alienam, exſpectantes eam, quæ fundamenta habet, civitatem, cujus artifex & conditor eſt Deus* &c. v. 8. & ſeqq. *Abraham pater veſter exſultavit, ut videret diem meum, & vidit, & lætatus eſt.* Joh. 8: 56. *Et ſignum accepit circumciſionis ſigillum juſtitiæ fidei.* Rom. 4: 11. coll. Col. 2: 11--15. *Angelus, qui me vindicat ab omni malo, benedicat pueris hiſce.* Gen. 48: 16. & ſequentibus temporibus, Iſraëlis, quem *Angelus faciei* Dei *ſervavit, & in dilectione & clementia ſua aſſeruit, bajulavit & tulit omnibus diebus ſæculi.* Eſai. 63: 9. Moſis, *majores divitias æſtimantis Ægypti theſauris improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem.* Hebr. 11: 26. Jobi, qui *noverat vindicem ſuum vivere* &c. c. 19: 25, 26. Elihu, qui confitetur eſſe apud Deum *Angelum advocatum unum ex mille, ad indicandum homini rectitudinem ejus*, cujus eſſet *gratiâ illum complecti, ac dicere: Redime ipſum ne deſcendat in foveam; inveni lytrum.* Job. 33: 23, 24. Davidis, *Dixit Dominus domino meo.* Pſal. 110: 1. coll. Matth. 22: 43. *Nam non eſt recta domus mea cum Deo, ſed fœdus perpetuum poſuit mihi, diſpoſitum inter omnes & ſervatum, quod omnis ſalus mea & omne beneplacitum* erit, *quum* domus mea *non germinabit.* 2. Sam. 23: 5. denique omnium juſtorum; *multi* enim *prophetæ, reges & juſti deſiderarunt videre & audire* quæ videbant & audiebant Apoſtoli, *ſed nec viderunt neque audiverunt.* Matth. 13: 17. Luc. 10: 24. quorum longum agmen Apoſtolus inſtruit, Hebr. 11. quos nobis ut *teſtes nos circumſtantes*, Hebr. 12: 1. commendat; quod fruſtra eſſet, ſi non ejuſdem fidei teſtes forent.

VI. Male ergo *Judæi*, ante latam legem, *Tohu* ſive inane ſtatuunt; mundumque ignotis illis temporibus in meris tenebris jacuiſſe, & vix Eccleſiæ aliquam faciem fuiſſe, ſaltem illam, nulla, vel exigua luce colluſtratam, in mera infantia, ac Meſſiæ ignorantia egiſſe volunt.

Hanc Patrum ante Chriſti adventum eandem cum noſtra fidem negant Ju-

VII. Quibus ſuppares *Sociniani* hæc docent: 1. Humanum genus ab Adamo uſque ad Moſem, lege naturæ fere contentum, tantum non er-

dai, Socinianí, raſſe ſine lege ac Deo; qui toto iſto tempore illud neglexerit, nec fœdus ullum ſpirituale cum eo fecerit; nec Chriſtum per duo annorum millia Eccleſiæ ſuæ vel per umbram fuiſſe viſum aut cognitum, quodque de eo Abraham aliquid inaudiviſſe videatur, id vero ſecus eſſe; nec eo tempore verba promiſſionis ab eo ſic intellecta eſſe; ſed Apoſtolum, ut veteris Eccleſiæ figuris ludere amat, poſt rei eventum illa Chriſto adaptaſſe: ſaltem, ſi Abrahamus & ſimiles viri excellentes deoque chariores illa ita intellexerint, tamen promiſcuam fidelium turbam & Eccleſiæ vulgus iſta ignoraſſe. Quibus 2. addunt, ne quidem figuras ullas de Chriſto illa ætate extitiſſe, ſed longè poſt Abrahami tempora eas demum Judæis traditas. 3. Unde non mirum eſt, quod nec fidem in Chriſtum, nec juſtificationem per fidem illis temporibus agnoſcant. 4. Euangelium autem ipſum demum à Chriſto in carne viſo promulgatum ſtatuant.

VIII. Quæ fundamentalia hominum iſtorum themata ſunt, quibus veluti pulcherrimis emblematis Theologiam ſuam interſtinguunt & exornant, atque iſtis pretioſis videl. effatis quicquid porro in religione ſua dogmatum habent ſubſervire ac famulari jubent; non ſolum inſigni in Eccleſiam veterem opprobrio, ſed commento, ipſi Euangelio & Chriſti ſub Nov. T. doctrinæ, quam tantopere extollere ſeſe putant, vel maxime adverſo; cujus nempe univerſa veritas ac fides laborat, ſi Veteris Eccleſiæ auctoritate & conſenſu careat, atque iſto principali ſuo tibicine deſtituatur. Unde Apoſtoli firmando Euangelio iſtam Veteris Novique Teſt. concordiam tantopere urgent: quam mendacibus argumentis à Paulo adſtructam volunt, dum ipſum oraculo ad Abrahamum facto priſciſque figuris myſticum quendam & alienum, nec à fidelibus iſtorum temporum intellectum, ſenſum attribuere docent. Saltem Zachariæ, apud Lucam c. 1: 72, 73, 74. verbis aſſentiri illi non poſſunt, qui Deum, exhibito Chriſto, *ſancti fœderis ac juramenti Abrahamo præſtiti recordatum*, illudque impleviſſe dicit. Quod fœdus, juramento firmatum, Abrahamum, fidelium parentem dictum, non intellexiſſe cogitatu inſanum eſt. Sicut autem iſtud intellexit, ita & poſteris ac ſequenti Eccleſiæ, iſtarum promiſſionum hæredi, illas fideliſſime tradidit & expoſuit. *Et Jehovah dixit: nunquid celo ego Abrahamum, quod ego facio? atqui Abrahami fiet gens magna & numeroſa, & benedicentur in ipſo omnes gentes terræ. Nam cognovi ipſum, ut præcipiat filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, & obſervent viam Jehovæ, ut faciant juſtitiam & judi-*

judicium, ut adducat Jehovah ſuper Abrahamum id, quod locutus eſt de ipſo, Gen. 18: 17, 18. 19.

IX. Impingunt & hic ipſorum diſcipuli *Remonſtrantes*, præceptum fidei in Chriſtum nolentes uſpiam in Vet. T. clare extare, & ſi quæ tum de illius adventu fides fuerit hiſtorica, illam equidem juſtificantem plane non fuiſſe; cum ad ſummum fides tantum in generalem illam promiſſionem Dei, & in typos ſolum ac umbras Chriſti, non vero propriè in Chriſtum lata fuerit; contra expreſſa Apoſtoli verba: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum*. Act. 10:43. & Joh. 8:56. *Abraham pater veſter exſultavit, ut videret diem meum, & vidit, & lætatus eſt*. Gal. 3: 16. *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus, quaſi de multis: ſed, quaſi de uno, & ſemini tuo: qui eſt Chriſtus*. Hebr. 11: 1. *Eſt fides eorum, quæ ſperantur pollicitatio, rerum demonſtratio, quæ non videntur*. v. 4. *Fide potius ſacrificium Abel præ Caïno obtulit Deo* &c. v. 7. *Fide divinitus monitus Noe de iis, quæ necdum videbantur, metuens paravit arcam ad ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit mundum, & juſtitiæ quæ eſt ſecundum fidem, factus eſt hæres*. *Remonſtrantes;*

X. Errant pariter *Anabaptiſtæ*, volentes fœdus Dei cum Abrahamo initum merè carnale fuiſſe, ut & circumciſionem, nihil vero ad conſcientiam & cordis purificationem feciſſe. Sed contra eſt, Jer. 4: 4. *Circumcidite vos Jehovæ, & auferte præputia cordis veſtri* &c. c. 9: 24, 25. *Viſitabo ſuper omni circumciſo cum præputio. Nam omnes gentes præputiatæ ſunt, & omnis domus Iſrael præputiati corde*. Ezech. 44: 9. *Omnis peregrinus præputiatus corde & præputiatus carne non intrabit ſanctuarium meum*. *& Anabaptiſta.*

XI. Atque ita manet Patrum in Chriſtum fides. Hæc autem in aliis major, in aliis minor erat; in quibuſdam explicita, in quibuſdam implicita, dum ſolâ promiſſione Abrahamo facta de benedicto ſemine niteretur. In genere tamen, ac cum noſtra comparata, ratione iſtius œconomiæ, obſcurior erat; quanquam quoad fiduciam in multis ipſorum major ac firmior erat, quam multorum fidelium ſub N. T.

XII. Hanc Patrum fidem in Meſſiam conſequitur etiam communio beneficiorum, cum *redemtionis & juſtitiæ* in hac vita, tum *ſalutis* & beatitudinis in futura. *Fidem Patrum conſequitur communio beneficiorum,*

XIII. *Redemtionis* Chriſti, etſi illo nondum incarnato, tamen propter firmitatem ſponſionis illius, ac, per illam, virtutem mortis ejus retroactivam, veteres fuiſſe participes, tum ex promiſſione ad ipſos *à RE-*

per-

DEMTIONIS. pertinente, quam jam vidimus, tum ex apertis Scripturæ teſtimoniis patet. Apoſtolus enim expreſſe ad Rom. 3: 24, 25. & ad Hebr. 9: 15. teſtatur *tranſgreſſiones, quæ ſub priori teſtamento* & παρέσει Dei admiſſæ fuerant, per mortem Chriſti fuiſſe deletas. Et ad Hebr. 9: 25, 26. ubi unicum Chriſti ſacrificium ſufficere probat, ait, *Chriſtum alioqui à jactis mundi fundamentis ſæpius debuiſſe pati.* Quod manifeſto infert, Chriſtum etiam fidelium ab ipſo mundi exordio peccata luere debuiſſe. Quin & apertis verbis Apoc. 13: 8. *agnus* hic *mactatus dicitur inde à jactis mundi fundamentis*, in agnis videl. illis, qui in ſacrificiis inde à mundi initio mactabantur. Unde Apoc. 4: 4, 6, 8, 10, 11. in cœleſti iſto 24 ſeniorum ac animalium choro non ſolum Nova ſed & Vetus Eccleſia Chriſto regnanti aſſurgit, ſeque agni iſtius ſanguine redemtam fatetur.

b. JUSTITIÆ, & REMISSIONIS *peccatorum:* XIV. Atque ex hac Chriſti redemtione ſequitur, Patres etiam veram *juſtitiam*, & peccatorum remiſſionem habuiſſe. Quod præſertim exemplo Abrahami & Davidis ab Apoſtolo oſtenditur, Rom. 4 conf. Gen. 15: 6. *Et credidit* Abraham *in Jehovam*, ויחשבה לו צדקה *& reputavit hoc ipſi juſtitiam.* Sic & Νῶε κατὰ πίστιν δικαιοσύνης ἐγένετο κληρονόμος *per fidem juſtitiæ factus eſt hæres*, Hebr. 11: 7. Et quotquot circumciſi ſunt, iis circumciſio fuit σημεῖον, σφραγὶς δικαιοσύνης, *ſignum, ſigillum juſtitiæ*, Rom. 4: 11. Fiebat enim hæc remiſſio per imputationem ſacrificii futuri Chriſti, & certitudinem ſponſionis ejus, licet peccata revera actu nondum expiata eſſent.

quæ fuit ΠΑΡΕΣΙΣ, *diſtinguenda ab* ἀφέσει. XV. Ubi tamen conſideranda eſt diverſitas quædam inter remiſſionem peccatorum, tum quæ illis, tum quæ nobis convenit; quod illa nempe fuerit πάρεσις, hæc noſtra ἄφεσις. Quæ voces ita differunt, quod πάρεσις ſit *prætermiſſio*, id eſt, *non-punitio* peccatorum, à παρεῖναι *ſinere præterire*, à παρίημι; ἄφεσις autem *remiſſio*, ab ἀφιέναι *miſſum facere*, cum aliquis id quod manu tenet miſſum facit. vide Joh. 20: 23. *Si quorum* ἀφῆτε *remiſeritis peccata*, ἀφίενται αὐτοῖς, *remittuntur eis: ſi quorum retineatis, retinentur.*

XVI. Veteris ergò temporis erat πάρεσις *prætermiſſio, non-punitio*, indulgentis videl. Dei; quamvis, reatu manente, & peccato necdum per dignum ſacrificium deleto, Deus illud identidem commemorare, ac quotidiano opprobrio homini peccatori ingerere poſſet; quod poſtea, poſt legem latam jugumque impoſitum, in ſollemni iſto cultu fecit. Ἄφεσις autem proprie eſt Nov. T. *Nam condonabo pravitatem eorum, & ipſum peccatum eorum non recordabor amplius.* Jer. 31: 34. & conjuncta

Digitized by Google

ὰα eſt cum ἀπολυτρώσει & perfecta redemtione Chriſti : *In quo habemus τὴν ἀπολύτρωσιν redemtionem per ſanguinem ipſius; τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων remiſſionem peccatorum.* Eph. 1: 7. Col. 1: 14. & non ſolum peccatorum prætermiſſionem, ſed eorundem in libro Dei deletionem, & chirographi abolitionem, omnemque eorum extinctam mentionem ac memoriam dicit: adeo ut, *ubi* ea eſt, *nulla amplius pro peccato oblatio* exigi poſſit, Hebr. 10: 18.

XVII. Atque ita hæc diſtinguit Apoſtolus Rom. 3: 25, 26. ubi priori tempori *tolerantiam* adſcribit, & *peccatorum quæ tum fiebant diſſimulationem*, præſtituto demum Chriſto, *per cujus ſanguinem placamentum* ac vera expiatio fieret, *per fidem in illum.* Unde fidelium peccata per longam ſæculorum ſeriem expianda remanſerunt, uſque ad Chriſti mortem, *qui ſemel circa conſummationem ſæculorum ad abolitionem peccati cum ſacrificio ſuo manifeſtatus eſt*, Hebr. 9: 26. & *peccatum totius terræ delevit uno die*, Zach. 3: 9. Et certe aliam longe faciem peccatorum remiſſio habet fuſo Chriſti ſanguine, & repræſentato redemtionis pretio, ac olim cum ſanguis ille adhuc fundendus eſſet. Adhuc enim ſcribi poterat, ac erubeſcenda & fidei imprimis gravis peccati confeſſio imponi, quamdiu de redemtione ut peracta nondum gloriari poterant. Illa autem præſtita, ac veræ victimæ cruore fuſo, plena facta eſt remiſſio, atque publica illa peccati commemoratio, ac confeſſio, certis ritibus peracta, quæ deinceps impoſita fuit, & perpetuum Eccleſiæ ut nondum conſummatæ teſtimonium erat, abrogata quoque eſt. Cum nihil jam ad conſummationem ejus reſtet.

XVIII. Illa tamen πάρεσις ſeu peccatorum tranſmiſſio, quæ priori tempori conveniebat, etiam gratiæ erat, multoſque gratiæ effectus ſecum trahebat: nimir. 1. *Vocationis* per promiſſionem & legem converſionis ac fidei. 2. *Sanctificationis*, quâ ſanctificabantur Patres per Sp. S. 3. *Aſſumtionis* in gloriam: *Decebat ipſum, propter & per quem ſunt omnia, multis filiis in gloriam introductis, principem ſalutis ipſorum per paſſiones conſummare.* Hebr. 2: 10. & 11: 40. *Quum Deus de nobis melius quid providiſſet, ne ſine nobis conſummarentur.* Adeo ut non obſtante hac πάρεσει gratiam redemtionis & gloriam cœleſtem receperint Patres: alias enim non fuiſſet πάρεσις, ſeu peccatorum tranſmiſſio, ſed eorundem ultio. Gratiæ ergo & gloriæ non deerat illis *effectus*, ſed *cauſa* ſolummodo.

XIX. Qua in re licet eccleſia patriarcharum ab eccleſia N. T. diſ-

ferat, præcipua tamen utriuſque eſt convenientia, non in eo tantum, quod gratia & juſtitia Chriſti credentibus donata utrique ad juſtificationem ceſſerit, non imputatis eis, ad qualemcunque vel damnationem vel ſervitutem peccatis; verum in eo etiam, quod æquè in Eccleſia Patriarcharum ac N. T. non fuerit audita lex, quæ in ſervitutem redegit, nullum exactum fuerit chirographum; ſed apud illam quidem ſola promiſſio, apud hanc vero ſolum Euangelium de impleta & rebus ipſis repræſentata promiſſione obtinuerit. Hinc Patres in comparatione Iſraëlis, *liberi* dicuntur, & nos illorum filii in libertate N. Teſtamenti. *Superior Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum.* Gal. 4: 26.

(qua beneficia Patribus negant Sociniani.)

XX. Hanc autem Patrum redemtionem & peccatorum remiſſionem negant *Sociniani*, quamvis verbis fateantur illos habuiſſe plenam peccatorum condonationem: hoc enim de ablatione pœnarum ſolum temporalium, non autem mortis æternæ, h. e. æternæ exiſtentiæ in nihilo intelligunt; atque etiam nullo Chriſti interventu per ſolam Dei clementiam peractam docent. Quæ peccatorum condonatio revera omnem veram remiſſionem corrumpit ac tollit. Non enim illa vera remiſſio eſt, quæ ſolummodo pœnarum temporalium, non vero mortis æternæ ablationem dicit; quæque ſine ullo ſacrificii Chriſti intuitu peracta eſt per pecudum cruorem, Deique illum acceptantis benignitatem: verum hæc juſtitiæ Dei abnegatio eſt, & juſtificationem dicit ſine juſtitia, quod contradictorium eſt. Unde nec commode ſatis loquuntur, qui ſub Vet. T. ubi nondum adducta erat vera juſtitia, tamen pleniſſimam juſtificationem ac remiſſionem obtinuiſſe volunt: cum omnis juſtificatio ac redemtio ibi peracta fuerit per imputatam Chriſti ſponſionem, quæ cum adhuc implenda reſtaret, vera quidem, non autem plena vel pleniſſima remiſſio ibi locum habuit.

c Salutis & VITÆ ÆTERNÆ;

XXI. Nec veteres ſolum juſtitiæ & redemtionis participes fuerunt in hac vita, verum etiam ſalutis & beatitudinis poſt hanc vitam. Unde à fide Patrum progredimur ad ſpem illorum de vita æterna. Hæc enim duo connexa ſunt. *Reportantes τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν σωτηρίαν ψυχῶν, ſalutem animarum.* 1. Petr. 1: 9.

cujus habuerunt ſpem quod probatur

XXII. Ac ſalutis æternæ, poſt vitæ hujus tædia & labores, ipſos certiſſimam ſpem habuiſſe, tum ex Dei cum ipſis *fœdere*, tum ex Patrum ipſorum *fide* ac animi certitudine in Scripturis celebrata, tum denique ex apertis Scripturæ *teſtimoniis* conſtat.

ex Dei promiſſio-

XXIII. 1. A parte Dei, ſpei iſti probandæ occurrit *primæva promiſ-*

ſio,

Digitized by Google

ſio, homini mox poſt peccatum & mortis reatum facta, Gen. 3:15. quæ liberationem à morte, & novæ vitæ collationem peccatori promittebat in *Semine mulieris, quod contriturum* erat *caput ſerpentis*, etiam *ſub pedes* fidelium, Rom. 16:20. & *per mortem aboliturum* erat *eum, qui imperium habebat mortis, hoc eſt, Diabolum, ut liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Hebr. 2:14, 15. & *fœdus Dei cum Abrahamo* initum, quod de ſpiritualibus & æternis bonis erat; nec enim aliis de rebus cum peccatore, cujus ſeſe Deum profitetur, paciſci Deo decorum eſt. Hinc illam fœderis formulam, *Ero Deus tuus*, Chriſtus de vita æterna explicat. Matth. 22:32. Et fœdere iſto promiſſa *benedictio in ſemine*; quæ benedictio eadem eſt cum noſtra ſub N. T. & juſtitiam ac vitam dicit, Gal. 3:8, 9, 14. parta denique in hac vita *juſtitia & redemtio*; de quibus mox vidimus. Ubi autem juſtitia & redemtio, ibi ſalus: *Chriſtus per proprium ſanguinem intravit in ſancta, αἰωνίαν λύτρωσιν æterna redemtione inventa.* Hebr. 9:12. *Ego vitam æternam do ovibus meis, & non peribunt in ſæculum, & non rapiet quis eas ex manu mea.* Joh. 10:28. *ne, & fœdere cum ipſis;*

XXIV. 2. A parte fidelium, occurrunt ipſa ſpei iſtius in ipſis exempla; ut Abrahami, Iſaaci, Jacobi. *Qui fide peregrinatum venerunt in terram promiſſionis, expectabant enim eam quæ fundamenta habet, civitatem, cujus artifex & conditor eſt Deus.* Hebr. 11:9, 10. conf. v. 13-16. *Salutem tuam exſpecto, Jehova.* Gen. 49:18. Jobi: *Ecce occidat me.. etiam ipſe mihi saluti eſt. Nam non coram ipſo hypocrita veniet.* c. 13:15, 16. *Ego novi, vindex meus vivit, & poſtremus ſuper pulvere ſtabit, &, poſtquam pellem meam deſtrinxerit quoad hoc, etiam ex carne mea videbo Deum: quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt & non alius* potiùs quàm mei: ſive & *non alienum. Confecti ſunt renes mei in ſinu meo.* c. 19:25, 26, 27. Quæ enim ſub œconomia legali occurrunt exempla, ibidem recitabimus. *tum ex Patrum celebrata fide,*

XXV. 3. Sed & aperta extant *Scripturæ teſtimonia*, ſpem ac ſalutem Patrum ſub promiſſione & V. T. affirmantia. Qualia ſunt, Tit. 1:2, 3. *Ad ſpem vitæ æternæ, quam promiſit Deus* πρὸ χρόνων αἰωνίων *ante tempora ſæculorum: manifeſtavit autem temporibus ſuis, ſermonem ſuum in præconio, quod mihi concreditum eſt.* Unde de hac *ſalute animarum quæſiverunt & ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de gratiâ nobis dandâ prophetarunt*, 1. Pet. 1:10, 12. Nec enim *in ullo alio ſalus eſt. Neque enim aliud nomen unquam datum fuit ſub cælo in hominibus, in quo nos oporteat ſervari*, extra nomen Jeſu Chriſti, Act. 4:12. Unde etiam ante *conſummationem principis ſalutis, multi filii in gloriam introducti fuerunt*, Hebr. 2:10. Sicut & Chriſtus *in* *& apertis Scripturæ teſtimoniis.*

domo Patris ſui μονὰς πολλὰς *habitationes multas*, h. e. multorum, eſſe dicit Joh. 14: 2. quemadmodum etiam illi, qui poſtea per Euangelium vocandi erant, *accubituri* dicuntur *cum Abrahamo*, *Iſaaco & Jacobo*, *in regno cœlorum*. Matth. 8: 11. conf. Luc. 16: 23.

Spem vitæ æternæ comitata eſt ſpes reſurrectionis.

XXVI. Hanc eorum ſpem de vita æterna ſimul comitata eſt ſpes *reſurrectionis*. Quod rurſus patet tum ex verbis fœderis, *Ero Deus tuus*, quæ corporis reſurrectionem inferunt, ut Chriſtus docet Matth. 22: 32. tum ex fidelium exemplis; ut inter alios, Abrahami, *Qui credidit Deo, qui vivificat mortuos, & vocat, quæ non ſunt, tanquam ſint.* Rom 4: 17. Hebr. 11: 18. *Reputans, quod etiam ex mortuis excitare valeat Deus.* conf. v. 35.

quam ſpem negant Pelagiani, Pontificii, *Anabaptiſtæ aliique. Sociniani.* *& Remonſtrantes.*

XXVII. Objiciunt ſeſe hic rurſus adverſarii, qui ſicuti fidem, ita & ſpem veterum negant: quales ſunt *Pelagiani*, qui homines ante Chriſtum, aut per naturam, aut per externam legis diſciplinam ad ſalutem perductos docent: *Pontificii*, qui etiam iniquius de Patribus ſentiunt, eoſque ad temporalia ſolum bona, tanquam ad terrenum paſtum, abjiciunt: tum *Anabaptiſtæ*, *Servetiani*, *Zwenkfeldiani*, qui idem ſtatuunt. Quorum omnium errores complectuntur & augent *Sociniani*: nam illi fidelibus olim tantum bona externa promiſſa volunt, ut umbras felicitatis æternæ promulgandæ ſub N. T. nec deinceps in lege quoque vitæ æternæ apertam mentionem factam, quamquam ejus quædam ſint indicia; & promiſſum quidem Meſſiam, ſed ſequenti ſolum Eccleſiæ; unde in eum veterum fidem non fuiſſe latam; nec qualia illius beneficia futura eſſent tum cognitum fuiſſe, cum illa myſteriis & umbris tegerentur, quæ myſticos & incertos ſenſus haberent, pro interpretantium ingenio. Unde & Patres morientes deſcendiſſe volunt in infernum non-exiſtentiæ: Deum tamen noviſſimo die illis daturum vitam æternam; ſed nec ſperatam, nec promiſſam: idque non ex fide in Chriſtum, ſed ex ipſo Veteri Teſtam. expiatis illorum peccatis per ſanguinem ſacrificiorum. Quos non longo intervallo ſequuntur *Remonſtrantes*, quibus hæc commenta, aliquatenus interpolata, impenſè arrident, ut ex Epiſcopio patet.

Qui omnes refutantur.

XXVIII. Contra quæ ſolum hîc obſervamus, 1. & *promiſſam* veteribus vitam æternam, atque ipſis fœderis verbis eam comprehenſam: ſicut illis eam probatam dat Chriſtus Luc. 20: 37, 38. & Paulus promiſſionem Chriſti deducit ex promiſſione ſeminis, & juſtificationem fidei ex juſtificatione Abrahami. 2. & *expectatam*: *Expectabat* Abra-

ham

Digitized by Google

ham *eam, quæ fundamenta habet*, *civitatem*, Hebr. 11:10. *Juxta fidem mortui ſunt hi omnes, non acceptis promiſſionibus; ſed eminus viſis & perſuaſi, ſalutatis; & confeſſi, quod hoſpites & inquilini eſſent ſuper terra. Qui enim talia dicunt, oſtendunt ſe patriam quærere.* v. 13, 14. *nunc autem meliorem appetunt, id eſt cæleſtem.* v. 16. ubi non de eventu tantum, ſed de ipſa fidelium fide & expectatione agitur: unde & v. 1. *fides* ὑπόστασις *rerum ſperatarum* appellatur. 3. & denique *datam* ex illa promiſſione. Alioquin ſi ſine promiſſione illam accepiſſent ex obedientia ſua tantum, hæreditas fuiſſet ex operibus legis; quod negat Apoſtolus, Gal. 3:18. *Si hæreditas eſt ex lege, non utique ex promiſſione. Atqui Abrahamo per promiſſionem largitus eſt Deus.* v. 22. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Chriſti daretur credentibus.* Præcipuum duntaxat inter ipſos & nos ratione ſalutis & vitæ æternæ diſcrimen erat, quod ante Chriſti obedientiam & mortem vita quidem fuit in Chriſto, ut *principe ſalutis*, ſed necdum ut *conſummato*, Hebr. 2:10. ut ſponſore, qui ſub lege futurus erat, ſed nondum, ut *mortuo legi*. Hactenus ergo *vita æterna*, licet *ante tempora ſæcularia promiſſa*, nondum tamen *manifeſtata* ac *præconiata* fuit, Tit. 1:2, 3. Reliqua in œconomia legali occurrent.

Huic Patrum fidei & ſpei repugnat LIMBUS *Pontificiorum figmentum; quod rejicitur;*

XXIX. Atque hac fide ac ſpe Patrum aſſerta, concidit fabuloſus ille Pontificiorum *limbus* & carcer, quo eorum animas uſque ad Chriſti adventum detentas volunt. Qui & fœderi, & promiſſioni Dei, & beato fidelium ſtatui directe repugnat, omnemque ipſorum ſpem ac conſolationem prorſus perimit. Patrum enim animas in beatitudinem cœleſtem tranſlatas eſſe Scriptura undequaque confirmat. *Gaudete & exſultate: nam merces veſtra multa eſt in cælis; ita enim perſequuti fuerunt Prophetas qui fuerunt ante vos.* Matth. 5:12. *In domo Patris mei* μοναὶ πολλαί εἰσιν, *manſiones multæ ſunt.* Joh. 14:2. Quod patet exemplis Henochi, *qui cum Deo ambulavit, & tranſlatus eſt, ne videret mortem: aſſumſerat enim eum Deus*, Gen. 5:24. coll. Hebr. 11:5. Abrahami, Iſaaci & Jacobi, qui *exſpectabant civitatem quæ fundamenta habet*, Hebr. 11:9, 10. *quærentes patriam, quam iis præparaverat Deus*, v. 14, 16. Sicut Jacobus *exſpectabat ſalutem Jehovæ*, Gen. 49:18. unde *in gloriam introducti* ſunt, Hebr. 2:10. ſicut & fideles N. T. accedunt *ad ſpiritus juſtorum conſummatorum*, Hebr. 12:23. cum quibus ideo *multi venturi ab oriente & occidente accubituri* dicuntur *in regno cælorum*. Matth. 8:11. Sicut & Lazarus *aſportatur ab Angelis in ſinum Abrahami*. Luc. 16:22, 23.

XXX. Nec illum inferni carcerem, quem aſſervandis piorum ani-

mis commento ſuo exſtruxerunt, in Scriptura ullibi oſtendere poſſunt. *Scheol* enim, ad quod Jacobus Patriarcha *ad filium*, ſive potius *propter filium* ſuum, quem amiſſum rebatur, præ mœrore *deſcenſurum* ſe dicebat, Gen. 37: 35. proprie ſepulchrum notat, non infernum. Multo minus *ſinus Abrahæ* longo hiatu ab inferno ſeparatus illum locum ſignat. Eſt enim ille ipſe Paradiſus cœleſtis, immutabili Dei ſtatuto ab inferorum portis longiſſime diſcretus. Neque etiam *carcer*, quo *ſpiritus* attinebantur, *quibus Chriſtus per Spiritum ſuum tempore Noæ prædicavit*, 1. Pet. 3: 19, 20. iſtum Patrum carcerem notat, ſed ipſas infelices impiorum ſedes, qui, cum Noæ prædicationem, quæ per *Chriſti Spiritum*, h. e. *Spiritum* ejus *æternum*, qui vivificatus eſt, quæ ipſa ejus deitas eſt, Hebr. 9: 14. peracta dicitur, reſpuiſſent, ultricibus aquis deleti ſunt, & Petri, qui hæc ſcribebat, tempore, in carcere erant. Inſana enim ſunt quæ Pontificii de Chriſti animæ, mortis triduo, ad ſubterraneum iſtum ſpecum deſcenſu, deque Euangelii ſc. præconio in ipſo inferni Ditis regno facto, Patrumque ex iſto carcere liberatione nugantur. Quo referunt Eph. 4: 8. *Captivam duxit captivitatem*; qua phraſi hoſtes Chriſti deſignantur, Satan, peccatum &c. conf. Jud. 5: 12. *Surge, Barak, & captivos tuos age, fili Abinoam.* Inverecundum autem eſt Patres Vet. Eccleſiæ à Chriſto liberandos ſic appellare. Denique *inferiores partes terræ*, Eph. 4:9. rurſus non limbum aliquem & inferni regionem, ſed ſepulchrum denotant, in quod deſcenderat Chriſtus; quod ita vocatur reſpectu partis ſuperioris terræ, in qua homines & animalia degunt.

& Anabaptiſtarum ſomnus animarum; qua in cœlo vivunt.

XXXI. Cadit etiam inſana *Anabaptiſtarum* opinio, animas Patrum, quin & reliquorum porro fidelium, perpetuo ſopore vinctas, uſque ad Chriſti adventum dormire ſtatuentium.

XXXII. Nec audiendi quidam alii, qui animas Patrum in quiete & gaudio, ac loco quodam refrigerii, ubi Deo vivant, non tamen in cœlo locant. Non ſatis enim conſtat ſibi illa ſententia, & confuſo conceptu de loco & ſtatu animarum nititur. Cum enim anima ibi tantum ſit ubi operatur, cœlo excludi non debet, quæ cœli gaudiis fruitur. Unde Scriptura illam cœlo perpetuo aſſerit. *Redit pulvis ad terram, ut fuerat; & Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum.* Eccl. 12: 7. *Gaudete & exſultate: nam merces veſtra multa eſt in cœlis.* Matth. 5: 12. *Multi ab oriente & occidente venturi ſunt & accubituri cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo in regno cœlorum.* c. 8: 11. *Vidit Abrahamum è longinquo, & Lazarum in ſinu ejus.*

Luc.

Luc. 16:23. *Amen, dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* c. 23: 43.

XXXIII. Atque ex hac eadem Patrum nobiſcum fide, juſtitiâ & ſpe clariſſime patet. Eccleſiam ante Chriſtum eandem fuiſſe cum Eccleſia N. Teſt. *Eſt* enim Abraham *pater omnium credentium per præputium, ut reputaretur & ipſis juſtitia: & pater circumciſionis, iis, qui non ex circumciſione ſolum* eſſent, *ſed & qui incederent veſtigiis fidei ipſius.* Rom. 4:11, 12. *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex ovili hoc. etiam illas oportet me ducere; & vocem meam audient, & fiet unus grex, unus Paſtor.* Joh. 10: 16. vide & Matth. 8: 11. & 21: 33. & 22: 2. adeo ut omne utriuſque eccleſiæ diſcrimen tantum accidentale ſit. Ut non ſatis verecunde Tridentini Patres populum Dei ante Chriſtum *Synagogam*, id eſt, congregationem appellatam fuiſſe dicant, quæ pecudum more propter bona terreſtria congregata fuerit.

Eccleſia ante Chriſtum eadem cum Eccleſia Novi T.

LOCUS DECIMUS QUARTUS,

CAPUT V.

De verbo Eccleſiæ ſub Promiſſione, & revelationibus Propheticis.

I. Vidimus ita ipſam promiſſionem, ab Adamo uſque ad Moſem continua ſerie deductam; qua conſtabat iſtius Eccleſiæ fides, juſtitia & ſpes. Sequitur nunc modus, quo illa Eccleſiæ communicata fuit, ſcil. per *verbum Dei ἄγραφον* & revelationes *propheticas*.

VERBUM *Eccleſiæ Patrum,*

II. *Verbum* hujus Eccleſiæ multi tollunt, volentes illam ſervatam ſola legis naturæ obſervatione, per religionem quandam naturalem. Ita olim *Pelagiani*; omneſque hodie, qui iſta Eccleſiæ ætate Chriſtum ignoratum docent, ut *Socinus* & *Socinizantium* caterva. Quæ Eccleſiæ ſub promiſſione inſignis corruptela eſt. Sicut & illuc ſpectat *Judæorum Tohu, inane*, ſive mundi ſtatus ſine Dei lege ac verbo, ac ſine Meſſia; quem primis duobus mundi millenariis obtinuiſſe volunt. Quæ jam profligata ſunt.

quod tollunt, cum Judæis Pelagiani & Socinizantes.

III. Creba etiam & celebris apud Judæos mentio eſt ſeptem *præceptorum Noachi*, quorum obſervatione Eccleſiæ ante legem religio conſtiterit: videlicet, 1. cavendum eſſe ab idololatria. 2. numen verum bene-

Septem præcepta Noachidarum.

benedicendum. 3. ſanguinem non eſſe effundendum. 4. turpitudinem non revelandam. 5. rapina abſtinendum. 6. judicia recte adminiſtranda eſſe. 7. membrum vivi animalis non eſſe edendum. Quorum priora ſex ab *Adamo* eſſe, ſeptimum à *Noacho* additum volunt. Sine quibus in republ. Iſraëlis nemini olim vita relicta; illa autem obſervantes, quanquam præputiatos, omnes futuri ſæculi participes fore ajunt.

Talmudico commento Adamo vel Noacho falſò adſcripta.

IV. Verum præcepta illa vel Adamo vel Noacho lata eſſe nullibi ex Scripturâ conſtat; & de ſeptimo contrarium conſtat. Unde id omne pro Talmudicorum commento habendum, qui, ſueta magiſtris iſtis mentiendi libidine, illuſtriora quæque ad Patriarchas vel Prophetas auctores referre ſolent. Sunt enim pleraque juris naturalis dictamina, ex decalogo repetita, eodemque ordine diſpoſita, inque Iſraëlitarum, ut videtur, republ. olim uſurpata; quæ Patribus ante legem, vel etiam gentilibus in Judæa degentibus, non magis ſalutem dare poterant, quam philoſophorum de virtutibus præceptiones pleriſque Ethnicis. Ultimum autem plane ceremoniale erat, & nec gentilibus imponi, nec ad ſalutem facere quicquam poterat. Unde Eccleſiæ ante Moſen fides ac religio iis abſolvi non potuit. Cum juxta ipſos Judæos qui ea obſervabant *proſelyti portæ* tantum, non autem *Proſelyti juſtitiæ* appellarentur.

Promiſſio & fides propagata per verbum divinum ἄγραφον idem ſubſtantia cum ſcripto.

V. Verus ergo modus, quo iſto tempore promiſſio & fides ſalutaris propagabatur, erat verbum divinum, ἄγραφον, ut putatur, ab Adamo uſque ad Moſen; ſed continua Patrum traditione & Catecheſi ad poſteros traductum: cui accedebat ſacrificiorum ex fide oblatio.

VI. Erat autem verbum hoc idem ſubſtantia cum illo verbo, quod deinceps à Moſe, Prophetis, Euangeliſtis, Apoſtolis, ſcripto traditum eſt. Nec diverſum eſſe poterat. Vide Act. 3:18. *Deus quæ prænunciaverat per os omnium Prophetarum ſuorum, Chriſtum ſuum perpeſſurum, ita implevit.* v. 24. *Sed & omnes Prophetæ à Samuele & deinceps iis qui fuerunt, quotquot loquuti ſunt, etiam prænunciarunt dies iſtos.* c. 26:6, 7. *Ob ſpem promiſſionis factæ patribus noſtris à Deo, ſto in judicium vocatus* &c. ibid. v. 22, 23. *Perſtiti in hunc uſque diem, teſtificans tum parvis, tum magnis, nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerunt, an paſſibilis Chriſtus, an primus ex reſurrectione mortuorum lumen annunciaturus ſit populo & gentibus.* Rom. 3:21, 22. *Nunc abſque lege juſtitia Dei manifeſtata eſt; cui teſtimonium perhibent lex & prophetæ* &c. 1. Petr. 1:10, 12. *De qua ſalute exquæſiverunt & ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de* ventura *in vos gratia*

pro-

Digitized by Google

prophetarunt &c. Adeo ut reipſa unum verbum, una doctrina, & una fides fuerit Eccleſiæ iſtius cum Eccleſia Nov. T.; adeoque & una utrobique Eccleſia, ſicut & unus Deus.

VII. Propagando autem huic verbo, ac à corruptione conſervando, inſerviebat plurimum Patriarcharum longævitas; cui accedebat *revelationum* divinarumq; apparitionum, frequentia. Quæ quoniam iſti Eccleſiæ familiariores fuerunt, quæ in iſta veluti infantia ſua majore cœli commercio gaudebat, ac deinceps poſtquam verbum ſcriptum extitit, atq; iſte alter propagandæ promiſſionis modus fuit, de iis paulo accuratius agemus.

Cui propagationi inſerviebat Patriarcharum longævitas, & frequentia revelationum; quæ fuerunt duplicis generis;

VIII. Duplex autem genus divinæ revelationis fuit: prior privata magis, nec tantæ dignitatis, aut uſus in Eccleſia, cum ſingulares aliquos homines potius ſpectaret, qui cœleſti afflatu de his illiſve rebus monebantur: quæ & impiis contigit; Abimelecho, Gen. 20: 3, 6. Labani, Gen. 31: 24. aliiſque, Gen. 37. & 40. & 41. Dan. 2. & 4. Quamvis hi plerunque magis ſomnia habuerint, quam majorem aliquem luminis prophetici gradum. Diſtinguuntur enim חֹלֵם חֲלוֹם & נָבִיא *ſomniator*, & *propheta*, Deut. 13: 1, 3, 5. Gen. 20: 6, 7.

IX. Secunda fuit ſuperioris ordinis, ac in publicum Eccleſiæ uſum ſervis Domini, ad id peculiariter electis, contigit; qui de rebus majoribus, & ad fidem ac conſolationem univerſæ Eccleſiæ ſpectantibus divina oracula, cum prænunciatione rerum futurarum, accipiebant. Atque hæc proprie *prophetia* eſt. Unde Prophetæ. De quibus obſervanda, 1. Prophetarum *nomina*. 2. *Modus* divinarum revelationum. 3. *Nota*. 4. *Adjuncta*.

Superioris ordinis, PROPHETIA *eſt*.

X. Propheta Hebraicè נביא *Vates* dicitur, ut & חוזה & ראה *Videns*. *Antiquitus in Iſraële ſic dicebat quiſque, quum profecturus eſſet ad conſulendum Deum, agite eamus ad* הָרֹאֶה *Videntem: nam qui* נָבִיא *Propheta hodie, antiquitus vocabatur Videns*, 1. Sam. 9: 9. *Indica mihi, ubi ſit domus Videntis*. ibid. v. 18. *Ieduthun* חֹזֵה *Videns Regis*. 2. Chron. 35: 15. Ita 1. Chron. 29:29. Samuel dicitur הראה & Gad חזה & Nathan הנביא / & *Vir Dei*, 1. Sam. 2: 27. 9: 10. Jud. 13: 6. 1. Reg. 13: 1. *A Spiritu ſancto acti, locuti ſunt* prophetiam *οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι ſancti Dei viri*, 2 Pet. 1: 21. in N. T. *προφήτης*, paſſim.

Prophetarum nomina,

XI. Appellabantur autem hoc nomine varii. 1. in genere omnes qui litteris ac rebus ſacris incumbebant, ductore Spiritu. *Vidit* quiſque *congregationem prophetarum prophetantium, & Samuel ſtabat præſes eorum, & fuit ſuper legatos Saulis Spiritus Dei & vaticinabantur etiam illi*. 1. Sam.

variis attributa.

19: 20. *Et filii prophetarum ſedebant coram eo,* Eliza. 2. Reg. 4: 38. præſertim qui eas publicè enarrabant, quique in aliquo Eccleſiæ gradu poſiti divino cultui vacabant;& vel Eccleſiam docebant, ſingulari interpretationis dono ſæpe divinitus præditi. 2. in ſpecie qui Deum hymnis & ſacro concentu, aurigante videl. ac ducente eodem Spiritu, celebrabant. *Occurret tibi chorus prophetarum, cum tympano tibia & cithara, & ipſi prophetabunt.* 1. Sam. 10: 5. *Et perrexit* Saul *pſallens. Et exuit veſtem ſuam & cantavit,* c. 19: 24, 25. Conf. 1. Chron. 25: 1, 2, 5. qua notione & fœmina dicitur *prophetare*, h. e. pſallere, 1. Cor. 11: 5. 3. præcipuè qui inſpirante Deo futura vel occulta prænunciabant; ut *Samuel*, 1. Sam. 10: 2. *Eliza*, 2. Reg. 6: 12. *Agabus*, Act. 11: 27, 28. Conf. Act. 21: 10. vel etiam voluntatis divinæ alteri revelatæ erant interpretes; qualis erat *Aaron* Moſi, Exod. 7: 1. & mentem Dei de hac aut illa re agenda Eccleſiæ patefaciebant: quo ſenſu *Prophetarum Antiochenorum* fit mentio Act. 13: 2. Semel autem μιμητικῶς hoc nomine apud Apoſtolum appellatur poëta Ethnicus, Tit. 1: 12. *Dixit quidam ex ipſis proprius ipſorum propheta* &c.

Donum & munus prophetandi diſtincta. XII. Diſtingui item in propheta poteſt τὸ χάρισμα, ſive donum prophetandi, & publicum ejus in Eccleſiâ munus. Multi enim χάρισμα illud habuerunt, & cœleſtes affatus paſſi ſunt, qui tamen publicum prophetandi munus in Eccleſia non geſſerunt, ſed viſa ſua privatim protulerunt apud ſe aut ſuos, domeſtica locutione, ſine officio publicæ vocationis; vel agente eodem Spiritu in uſum Eccleſiæ ea ſcriptis mandarunt.

Prophetia in quo conſiſtat? XIII. Prophetia autem conſiſtit, cum in *revelatione*, tum in *agitatione* divina: per illam Deus cœleſti lumine prophetas perfundebat, eoſque de rebus occultis edocebat: per hanc ad oracula, quæ acceperant, vel ore, vel ſcripto vulganda eos impulit, iſtoque in opere, ne aberrarent, manuduxit.

Modi revelationis propheticæ. XIV. *Modi* revelationis propheticæ in univerſum videntur fuiſſe tres. 1. per intellectum, quando Deus prophetarum mentibus immediatè illapſus, iis formas quaſlibet & ideas rerum impreſſit. 2. per phantaſiam, in qua pingebantur variæ rerum ſpecies; vel in *viſione*, quæ vigilantibus, amoto tantiſper ſenſu eorum, objiciebatur; vel in *ſomno*, dormientibus: de quibus agitur Num. 12: 6, 7, 8. *Si* eſt *Propheta* ex *vobis, per viſionem me ipſum Jehovam notum facio ei,* aut *per ſomnium alloquor eum. Non ſic ſervus meus Moſes, qui eſt in tota domo mea fidelis. Ore ad os alloquor eum, --aſpectu, & non in ænigmatibus, & ſpeciem Jehovæ videt.* 3. per ſen-

ſenſus, ſeu ſenſibilia externa, cum viſibilia, tum audibilia, mente interim ſui compote, nec iſto, quo percuſſa erat, lumine magnopere alienata. Num. 12: 8.

XV. Excelluit autem in prophetiæ gradu Moſes. Quod non in eo conſiſtebat, quod cæteris Prophetis omnibus, ſolo Moſe excepto, per angeli miniſterium viſa ſua offerebantur; ut Judæi volunt. Nam & illi nonnunquam immediate Dei vocem audiverunt, licet in viſione, ut v. g. *Samuel* 1. Sam. 3: 4. & Eſaias, c. 6: 8. *Qui audivit vocem Domini dicentis: quem mittam? & quis ibit nobis?* aut inſpiratione illius ac interno alloquio, ut rurſus in Samuele apparet, qui *quum videret Saulem, Iehova dixit ei, Ecce hic* eſt *vir, quem dixeram tibi, hic imperium obtinebit in populo meo*. 1. Sam. 9: 17. Atque etiam angelus ille, qui propheticis revelationibus plerunque præerat, fere Angelus fœderis erat. Sed in eo ſita erat Moſis dignitas, quod Deus Moſi loqueretur *ore ad os*, adeo *ut intueretur ſpeciem Dei*, Num. 12: 7, 8. *à facie ad faciem*, Exod. 33: 11. Quæ prærogativa in duobus conſiſtebat, 1. quod Deum adiret quandocunque vellet, qui ei reſpondebat voce humana, id eſt, familiariter è columna nubis, ſupra propitiatorium: *Et non ſurrexit Propheta adhuc in Iſraële par Moſi: quem agnoverit Jehovah facie ad faciem*, Deut. 34: 10. coll. Exod. 33: 9, 11. & Num. 7: 89. *Et, quum accederet Moſes ad tentorium conventus ad loquendum cum ipſo, audiebat vocem loquentis ſecum de propitiatorio, quod erat ſuper arca teſtimonii, è medio duorum Cherubim, & loquebatur cum ipſo.* Cum enim reliqui prophetæ per imagines, per ſomnum aut in viſione acceptas, Dei fierent compotes, atque in iſta nebula voces ejus fere audirent; Moſi Deus locutus eſt re ipſa, per voces ſonoſque humanos, quas videns vigilanſque & mente præſens hauriebat. 2. Nec auditu ſolum, ſed &, quantum homini Deum uſurpare fas eſt, viſu ipſius gloriam libavit, per glorioſiſſimam ſpeciem oculis ejus exhibitam. Nam *intuebatur ſimilitudinem Dei*, id eſt, Deus, ſive Filius Dei, ipſi apparebat, in forma externa glorioſa, cujus *poſteriora* videbat Moſes, Exod. 33: 23. & abeuntis veluti umbram ac extrema veſtigia humano viſu carpebat: cum ipſam gloriam Dei in hac vita nemo videre poſſit: *Fac me videre quæſo gloriam tuam. Et dixit, non poſſes videre faciem meam; nam non videt me homo & vivit.* v. 18, 20.

Moſes in prophetia gradus excellens.

XVI. Accedebant hiſce revelationis modis aliquando *raptus*, cum corporales, ut in Elia, 1. Reg. 18: 12. 2. Reg. 2: 16. Philippo, Act. 8: 39. tum mentales, ut in Ezechiele, cap. 8: 3. & 11: 24. Jeremia, cap. 13: 4. Paulo, 2. Cor. 12: 2. Johanne, Apoc. 17: 3. miræque & inſolitæ corpo-

Raptus prophetici corporales & mentales, mni-que corpo-

ris motus & languores. corporis agitationes & membrorum motus; quin & languores, corporiſque feſſi, nec Deum amplius pati valentis, ægritudines. *Dictum audientis ſermones Dei fortis, qui viſionem omnipotentis videt, decumbens & habens oculos revelatos.* Num. 24: 4. *Ego Daniel, multum cogitationes meæ perturbarunt me, & ſplendor meus mutabatur apud me, & verbum in corde meo ſervavi.* Dan. 7: 28. *At ego Daniel confractus ſum & infirmatus ſum per dies, -- & obſtupeſcebam ob viſum hoc, & non erat qui declararet*, vel, *qui obſervaret*, meum ſtuporem ſcilicet, c. 8:27. Quin & *ignaros* aliquando, ubi locum ſacrum intraſſent, hic Spiritus invadebat; & veluti corporis iſtius rector ac dux miris illud modis afficiebat, ut in Saule & ejus legatis apparet, 1. Sam. 19: 20-24. Quod etiam Diabolus in vatibus ſuis imitatus eſt, de quorum bacchationibus & ſacro furore apud poëtas legimus. Quanquam longe quietius, alioque, ac ſanctiori longe modo Deus Prophetas ſuos afflaret; quorum ecſtaſes, in iſto mentis receſſu, ſanctoque cum Deo commercio, non autem furores, oſve rabidum, & inconditos, nec ipſis, qui eos edebant, intellectos ſonos legimus; quæ in Ethnicorum ſacris reperiuntur.

Agitatio divina fuit, tum ad eloquium, tum ad Scripturam. XVII. Agitatio fuit tum ad *eloquium*, tum ad *Scripturam*; prout vel ſermone, vel ſcripto, Deus oracula ſua hominibus tradi volebat. Prior vel ſimplex fuit, quando compoſitâ mente ac ſedato ſermone quæ à Deo acceperant ediſſerebant; vel aliquando operoſior, quando externo corporis motu & habitu res ipſas figurabant, ut *Agabus* Act. 21: 10, 11. & paſſim. Sive talia in veritate, ſive in viſione gererent, ut Zach. 11. & alibi. Aliis etiam motus & agitatio ad ſcribendum adfuit, quam Judæorum Magiſtri רוח הקודש appellant. Quæ quibuſdam prophetis ſola adfuit, qui cæteroquin munus publicè docendi non habebant: ſicut quibuſdam rurſus, qui miniſterium formale Eccleſiaſticum obibant, agitatio ad Scripturam non adfuit. Atque hinc nata ſunt Hagiographa ſic dicta; quæ ſpiritu prophetico conſcripta ſunt, non prædicata: *Spiritus Domini locutus eſt ad me & verbum ejus eſt in lingua mea. Dixit Deus Iſraëlis*, de me locuta eſt rupes Iſraëlis &c. 2. Sam. 23: 2, 3.

Prophetia in quibuſdam momentanea, in aliis permanens. XVIII. Prophetia autem hæc in quibuſdam momentanea fuit, in aliis permanens. Momentanea fuit illa, ad inſtar coruſcationis cujuſdam, in ſenioribus illis, qui, *quum reſideret ſuper eos Spiritus, prophetarunt, ſed non amplius*. Num. 11: 25. in Saule, 1. Sam. 10: 6. 19: 24. aliiſque, quibus donum prophetiæ ademtum fuit, ut de Bileamo videtur. Perpetuum vero illud donum fuit ſanctis illis viris, qui Prophetæ dicuntur; quibus illud nunquam prorſus ereptum, ſed per intervalla renovatum

tum

Digitized by Google

tum fuit: quanquam nemo illorum perpetim vaticinatus fuerit, ſemperve lumen iſtud præſens habuerit, ut iſto tanquam habitu quoties vellet uti poſſet; quod perperam Judæi de Moſe affirmant; quem tamen in rebus gravioribus hæſiſſe,& ad reſponſum ex tabernaculi adyto petendum confugiſſe legimus. *Poſuerunt blaſphemum illum in cuſtodia, ut exponeret eis Moſes* quid faciendum *ſecundum os Jehovæ.* Lev. 24: 12. coll. Num. 15: 34. quod non opus fuiſſet, ſi lumine iſto perpetuo colluſtratus fuiſſet. Non enim prophetia habitus quidam erat, ſed externa irradiatio, & hauſtâ de cœlo luce conſtabat: quæ cum in hominis poteſtate non ſit, eam quoties libet, inſtar infuſi vel acquiſiti habitus, ad nutum habere non poteſt.

XIX. Sequitur ut videamus quænam revelationum illarum fuerit certitudo: quæ tum reſpectu ipſorum prophetarum, tum reſpectu aliorum conſiderari poteſt. *Revelationum divinarum certitudo, tum reſpectu ipſorum prophetarum;*

XX. Prophetas quod attinet, illi de revelationum ſuarum divinitate certiſſimi fuere, tum ex perſuaſione internâ, quæ ſola ſufficiebat, quæque inſtar potentiſſimæ lucis animos eorum colluſtrabat, nec ullam dubitationem supereſſe ſinebat; tum ex peculiaribus argumentis & indiciis revelationi adjunctis, quæ ſtudioſe obſervabant. vide Act. 16: 10. *Ut autem hoc viſum vidit Paulus, ſtatim ſtuduimus abire in Macedoniam, συμβιβάζοντες collatis argumentis colligentes quod advocaſſet nos Dominus ut eis euangelizaremus.*

XXI. Ad dubium, an ipſi Prophetæ res revelatas ſemper intellexerint? Reſp. cum duplex fuerit divinarum revelationum ſpecies ſive gradus; quarum prior etiam impiis contigit, ut Pharaoni, Nebucadnezari &c. illi quidem nonnunquam revelationes cœleſtes,& lucis hujus ſtricturas aliquas acceperunt; ita tamen ut ad lucem iſtam caligarent, & plerunque divinæ vocis ſenſus ipſis lateret. Prophetas autem ſuperioris gradus quod attinet, præſertim eos, qui non ſolum chariſmate illo ornati erant, ſed & publico in Eccleſiæ munere fungebantur; illi quanquam omnes revelationum ipſis factarum partes & minimas circumſtantias non caperent, præcipue cum illæ ænigmaticæ forent: *Tu autem, Daniel, abſconde verba illa & obſigna librum uſque ad tempus finis, quo ſcrutabuntur multi & major fiet cognitio.* Dan. 12: 4. *Abi, Daniel. nam abſcondita & obſignata ſunt verba illa uſque ad tempus finis.* v. 9. *Reſpondit unus ex ſenioribus dicens mihi: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, quinam ſunt & unde venerunt? Et dixi ipſi: Domine, tu noſti,* Apoc. 7: 13, 14. *Dico vobis, multos prophetas & reges cupiviſſe videre quæ vos videtis, nec vidiſſe, & audire,* *qui, an res revelatas ſemper intellexerint quæritur?*

dire, quæ auditis, nec audiſſe. Luc. 10: 24. *De qua ſalute exquiſiverunt, & ſcrutati ſunt prophetæ, qui de ventura in vos gratia prophetarunt.* 1. Petr. 1: 10. generalem tamen earum ſenſum & ſcopum perviderunt, & cum ipſa revelatione ejus expoſitionem ſæpiſſime hauſerunt, vide Dan. 2: & 10. Si qua autem ænigmata erant, quæ imagine aliqua res futuras velarent, ea perſcrutari, &, quæ fidei erat ἀγχίνοια, ex operum & verborum Dei comparatione, ac analogia & nexu, latentem ſenſum deprehendere poterant: *Quibus revelatum eſt, eos non ſibi, ſed nobis ea adminiſtrare, quæ nunc annunciata ſunt vobis, --in quæ cupiunt angeli introſpicere.* 1. Petr. 1: 12. Nam *teſtimonium Jeſu erat Spiritus prophetiæ*, omniumque prophetiarum ſcopus & compendium ac clavis, Apoc. 19: 10.

tum reſpectu auditorum. XXII. Auditores quod attinet, anxium eſt, unde illis prophetiarum ac prophetarum certitudo fuerit? ubi adhibenda eſt diſtinctio. Si enim propheta, qui in nomine Dei loquebatur, publicè iſto in munere erat confirmatus, ac in Eccleſia receptus; tum abſque ulla cunctatione, audiendus erat, nec facile verba ejus negligenda, quoties in nomine Dei ſeſe loqui præ ſe ferebat. Si vero novus exſurgeret propheta, qui nondum iſto in ordine publicè agnitus erat, ille non niſi examine habito in locum illum ac gradum admittendus erat.

Nota veri prophetæ. XXIII. Erat autem præcipua ejus nota iſto tempore, prophetiis ac miraculis illuſtriori, 1. ſignum, aut ab ipſo, aut circa ipſum editum. Vide Gen. 20:7. *Nunc itaque reſtitue uxorem illius viri, propheta enim eſt, quumque oraverit pro te, vivito.* & v. 17, 18. *Quum ergo oraſſet Abraham Deum, curavit Deus Abimelechum*, & *uxorem & ancillas ejus, ut parerent* &c. 1. Reg. 13:4, 5. & ſeqq. *Ei edidit illo die prodigium dicendo--- Ecce, altare hoc findetur, & effundetur cinis qui eſt ſuper ipſum. quo verbo viri Dei audito, quum extenſa manu prehendere eum vellet rex Jeroboam, exaruit ejus manus, ita ut non poſſet eam ad ſe retrahere.* &c. Joh. 4: 50. *Dicit ei Jeſus: vade; filius tuus vivit. Et credidit homo ſermoni, quem dixerat Jeſus, & proficiſcebatur.* Act. 5: 9, 10. *Petrus dixit ei, quid eſt cur conveneritis inter vos ut tentaretis Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui ſepelierunt virum tuum, ad oſtium adſunt, & efferent te. illico vero cecidit ad pedes ejus, & exanimata eſt* &c. &c. 13: 11. *Ecce manus Domini adverſum te: eris cæcus. illico vero incidit in eum caligo & tenebræ: & circumiens quærebat qui ſeſe manu prehenſum ducerent.* 2. rei ipſius ab ipſo prædictæ fides ac implementum. *Quod ſi dicas cum animo tuo, quomodo cognoſcemus verbum illud quod non elocutus fuerit Iehova? Quod fuerit locutus ille propheta in nomine Iehovæ, ſi non erit illud verbum, neque evenerit, hoc illud eſt verbum, quod non elocu-*

tus

Digitized by Google

tus eſt Jehova. Deut. 18: 21, 22. *Propheta, qui vaticinaretur de pace, cum veniſſet verbum propheta illius, cognoſcebatur propheta quem miſiſſet Jehova revera.* Jer. 28: 9. *Quum autem creviſſet Samuel, Jehova erat cum eo, adeo ut non fineret decidere ullum ex omnibus ſermonibus ejus in terram.* 1. Sam. 3: 19. quibuſcum 3. ſemper & præcipuè erat conjungenda doctrina vera, Deut. 13: 1, 2. 4. ſæpe etiam accedebat veteris notique prophetæ auctoritas, qui ipſum Eccleſiæ tradebat, ac teſtimonio ſuo commendabat; ut Moſes Joſuam, Elias Eliſæum, Johannes Chriſtum. Ubi autem propheta iſte ſigno carebat, præter doctrinæ veritatem, alteriuſve prophetæ teſtimonium, commendabat ipſum 5. vitæ & morum ſanctitas, ultra communem modum, & 6. fervor ſingularis: quibus notis Jonas ſeſe Ninivitis probaſſe videtur. Vide è contra Ezech. 13: 18, 20. *Væ conſuentibus pulvillos ſub omnibus axillis manuum, & facientibus culcitras ad caput omnis ſtaturæ ad venandum animas. Numquid animas venabimini populo meo & animas vobis vivificabitis?* &c. Jer. 29: 22, 23. *Reddat te Jehovah inſtar Zedekiæ* & *Achabi --- quia fecerunt flagitium in Iſraële --- & locuti ſunt verbum in nomine meo falsò, quod non præceperam ipſis, idque me conſcio & teſte, ait Iehovah.* Matth. 7: 15, 16. *Cavete vobis à pſeudo-prophetis, qui veniunt ad vos cum veſtimentis ovium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces à fructibus eorum agnoſcetis eos.* 2. Petr. 2: 3. *Et per avaritiam fictis ſermonibus vos negotiabuntur, quibus damnatio jam olim non otiatur, & quorum exitium non dormitat.* 1. Tim. 6: 5. Ex *quibus exiſtunt conflictationes hominum, quibus corrupta mens eſt, carentium veritate, putantium, quæſtum eſſe pietatem. Abſiſte à talibus.* Hæ autem notæ Eccleſiæ ſufficiebant; interim nihil temere agere debebant, ſed intra limites officii ſe continere, ita exſpectantes eventum: quod illis faciendum erat, quotieſcunque novi prophetæ exſurgerent.

XXIV. Ad dubium, an non verus propheta à veritate potuerit deflectere, ſive inadvertentia ac errore, ſive deſtinata malitia, ut fictis oraculis & mendaciis Eccleſiam deluderet ac ſeduceret? & quæ tum prophetiarum certitudo? Reſp. 1. non potuiſſe, quandiu divinis mandatis inhærebat. 2. Si vero, ex humana infirmitate, aut ad divinum mandatum non recte attenderet, aut pro affectu ſuo illud aliter acciperet, aut aliena fraude captus fuiſſet; tum quidem Dei nomen oraculis ſuis non præſcribebat, aut ſaltem melius à Deo edoctus altero oraculo admiſſum errorem corrigebat; ſicut hac ratione *dixit Nathan Regi, quicquid* eſt *in animo tuo, abi, fac: nam Iehova tecum eſt. Sed fuit nocte illa, ut ederetur verbum Iehovæ ad Nathanem, dicendo* &c. 2. Sam. 7: 3, 4.

An verus propheta potuerit deflectere à veritate?

3. Ex

3. Ex deſtinata autem malitia verum unquam prophetam Eccleſiam fallere, Deique nomen mendaciis ſuis obtendere aut voluiſſe, aut potuiſſe, non videtur. Obſtabat enim Dei erga Eccleſiam ſuam cura, atque erga ſanctiſſimum nomen ſuum amor ac zelus, quod tali flagitio, in media Eccleſia ſua, à propheta, cui ipſe ſignis & miraculis auctoritatem tradiderat, cuique adeo fidem haberi juſſerat, profanari ac pollui paſſus non fuiſſet. Unde tale ſcelus, modo unquam accidere potuerit, mox detexiſſet ac ultus fuiſſet. Adeoque nec quicquam inde periculi Eccleſiæ oboriri potuiſſet. 4. Si autem aliis in rebus humanâ infirmitate prophetæ laberentur, id vaticiniorum ipſorum fidem nullo modo elevabat.

Falſi prophetæ.

XXV. Ex hiſce verorum prophetarum indiciis ſimul patet ratio falſorum prophetarum: qui erant in duplici diſcrimine: aut enim erant cultores falſorum Deorum, eoque etiam alios ſeducere conabantur; aut profeſſione erant cultores veri Dei, illius nomine tamen falſa annunciantes.

Quomodo hi ſibi, vel aliis potuerunt perſuadere ſe vera prædicere?

XXVI. Ad quæſtionem, quomodo hi vel ſibi ipſis, vel aliis, univerſo videl. populo, ſacerdotibus ac regibus perſuadere potuerint ſeſe vera prædicere, Reſp. 1. ipſos quod attinet, quanquam ſuæ fraudis ſæpe ſibi erant conſcii, eamque ex deſtinato ſtruerent, 1. Reg. 13. & 22. tamen ſæpe contingebat eos ipſos putare, ſe divinos eſſe, & divinas revelationes habere; idque duplici ex cauſa: 1. cum divinationes & auguria ſua ſequebantur, quæ orta à Deo vel Diis ſuis eſſe putabant, qui ea ratione mortalibus conſilia ſua revelare ſolerent. vid. Dan. 2. quæ labes etiam in populo Dei obtinuiſſe videtur. *Sic dixit Jehova de Prophetis: Ecce, ego facio eos, ut comedant abſinthium, & potabo eos aqua fellis. Nam à Prophetis Hieroſolymæ exiit hypocriſis in totam terram. --- Ne auſcultetis ad verba prophetarum, qui vaticinantur vobis; illi vos faciunt evaneſcere : viſionem cordis ſui loquuntur non ex ore Jehovæ.* Jer. 23: 15, 16. *Non miſi prophetas, & illi cucurrerunt: non locutus ſum ad ipſos, & illi vaticinati ſunt*, v. 21. 2. cui accedebat Diaboli ſeductio, qui per idolorum reſponſa vates ſuos populumque ſeducebat, permittente illud juſto judicio ipſo Deo. *Unuſquiſque de domo Iſraël, qui fecerit aſcendere ſtercora ſua in cor ſuum, & offendiculum pravitatis ſuæ poſuerit coram facie ſua, & venerit ad prophetam; ego Jehova reſpondeo ipſi in ea re, in multitudine ſtercorum ſuorum* &c. Ezech. 14:3, 4, 7. *Ut pravitas conſulentis, ita pravitas prophetæ erit.* v. 9.

XXVII. 2. Quod vero populum, & ſacerdotes ipſos, ac reges ſpectat,

Digitized by Google

ctat, qui talibus oraculis ſe duci patiebantur: accidebat hoc 1. quia dicebant quæ grata erant. 2. idque magnâ multitudine & conſenſu. 1 Reg. 22: 3. quia illa videbantur convenire cum divinis promiſſis. 4. denique quia τέρατα ψεύδους *falſa ſigna* ſæpe adhibebant, 2 Theſſ. 2: 9.

XXVIII. Sequuntur prophetiæ adjuncta, tum quoad illius *objectum*, tum *ſubjectum*, tum denique *tempus*.

XXIX. *Objectum* prophetiarum erat præcipuè Meſſias, ejuſque regnum & beneficia, Act. 3: 18, 24. & 7: 52. 10: 43. 13: 27. 26: 6, 7, 22, 23. 1 Petr. 1: 10, 12. ut ſupra vidimus Apoc. 19: 10. *Teſtimonium Jeſu eſt Spiritus prophetiæ*. Sicut idem prophetarum eſt terminus ac finis, Matth. 11: 13. *Nam omnes Prophetæ, & ipſa Lex, uſque ad Iohannem prophetarunt.* *Prophetiæ objectum.*

XXX. *Subjectum* hujus doni non tantum viri erant, ſed etiam fœminæ; *Mirjam*, Exod. 15: 20. *Debora*, Jud. 4: 4. *Hanna*, mater Samuelis, 1 Sam. 2: 1. *Hulda*, 2 Chron. 34: 22. & in Nov. T. *Anna, filia Phanuelis*, Luc. 2: 36. *Quatuor filiæ virgines Philippi Euangeliſtæ*, Act. 21: 9. *Subjectum.*

XXXI. *Tempus* prophetiæ quod attinet, donum hoc mundo tantum non coævum eſt. Fuit enim illud in *Adamo*, Gen. 2: 23, 24. coll. Eph. 5: 31, 32. *Enocho*, Jud. v. 14. *Noacho*, 1 Pet. 3: 19, 20. Gen. 6: 3. 9: 25, 26, 27. *Abrahamo*, Gen. 20: 7. coll. Pſal. 105: 15. *Ne attingatis unctos meos, & prophetis meis ne male faciatis.* *Iſaaco*, Gen. 27: 29-41. *Jacobo*, Gen. 48: 15. & 49. toto. Sub *lege* præcipuus fuit *Moſes*, Num. 12: 6, 7, 8. Deut. 18: 18. *Bileam*, licet improbus, Num. 22: 8. & 23: 1. &c. ſub *Iudicibus* rarum fuit illud donum, uſque ad *Samuelem*: *Sermo* enim *Jehovæ fuerat rarus temporibus illis, nec* fuerat *viſio aperta*. 1 Sam. 3: 1. Quià Moſe primus fuit: *Moſes enim ad Patres dixit* &c. *Sed & omnes Prophetæ à Samuele & deinceps iis qui fuerunt, quotquot loquuti ſunt, etiam prænunciarunt dies iſtos.* Act. 3: 22, 24. Poſt quem illud donum iterum refloruit, ſub regibus Judæ & Iſraëlis, uſque ad captivitatem Babylonicam, & ultra. Deſiit autem circa *Malachiæ* tempora, ipſis Judæis fatentibus. *Signa noſtra non videmus. non eſt amplius propheta; neque eſt nobiſcum, qui ſciat, quouſque.* Pſal. 74: 9. *Tempus.*

XXXII. Iiſdem temporibus floruerunt & collegia prophetarum, à Samuele primitus erecta, variis in locis, quibus ille ut προεστὼς præerat, 1 Sam. 10: 5. & 19: 20. In quo munere ſucceſſerunt ipſi Elias, Eliſæus &c. 2 Reg. 2: 3, 5. & 4: 38. *Prophetarum collegia.*

Digitized by Google

rorum diſcipuli dicti filii prophetarum. XXXIII. Horum collegiorum diſcipuli *filii prophetarum* appellabantur, 2. Reg. 2. ſuper quibus quieſcebat etiam interdum ſpiritus propheticus, cap. 2: 3, 5. Diſcipuli autem iſti adulti ferè, imo & conjugati ſæpe erant, manibus etiam victum quærentes, cap 6: 2, 4, 5. Adeo ut ab hodiernis monachis & anachoretis planè diverſi fuerint. Ortæ autem ex iis poſtea, prophetiæ dono intermittente, Rabbinorum ſcholæ, magiſteria & præfecturæ videntur.

Prophetia donum ſub N. T. XXXIV. Revixit deinde rurſus prophetiæ donum, ſub tempora Nov. T. in Zachariâ, patre Johannis Baptiſtæ, (*Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Jehova magnus ille & terribilis.* Mal. 4: 5. *Tu vero, puerule, propheta altiſſimi vocaberis: praibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus*, Luc. 1: 76.) Elizabetha, Simeone, Anna Prophetiſſa, Luc. 2: 34, 35, 36. Apoſtolis, aliiſque Nov. Teſt. Prophetis *Inadificati in fundamento Apoſtolorum & Prophetarum, ita ut ſit angularis ſummus lapis idem Jeſus Chriſtus*. Eph. 2: 20. De quibus ſuo loco.

LOCUS DECIMUSQUINTUS

De Sacramentis & cultu ſub Promiſſione.

CAPUT VI.

De Sacramentis ſub Promiſſione.

SACRAMENTA, *quibus Promiſſio confirmata eſt:* I. POſtquam vidimus *Promiſſionem*, modumque quo illa *propagata* & fidelibus communicata fuit; ſequuntur *tertiò Sacramenta* & ſigna externa, quibus illa confirmata fuit. Ita enim Deo ab omni ævo agere placuit, ut, quum homines ſimus, qui corpore quoq; conſtamus & ſenſibus utimur, ſenſibilibus etiam ſignis fœderis ſui bona nobis repræſentet. Hæc enim ſacramenta ſunt, ſacra nimirum & viſibilia ſigna divinitus inſtituta, ad repræſentandas & obſignandas promiſſiones ſalutis divino fœderi annexas, & viciſſim noſtram obedientiam Deo conteſtandam. Hæc autem ſacramenta ſub Promiſſione fuerunt quinque: 1. *Arbor vita.* 2. *Sacrificia Patrum.* 3. *Diluvium* & *Arca Noa.* 4. *Iris.* 5. *Circumciſio. Paſcha* enim, licet ex Ægypto proceſſerit, tamen quia Moſi datum fuit, ad œconomiam legalem referemus.

II. Sa-

II. Sacramentum primum fuit *arbor vitæ*; quæ quamvis primo ſpectaverit ad fœdus operum, & excluſio ab illa pœna fuerit hominis lapſi; nihilominus ea ipſa excluſio ſimul bonitatis ac gratiæ divinæ ſignum fuit. Ademto enim homini hoc operum ſacramento, ſimul ei oſtenſum fuit, juſtitiam ex alio fœdere quærendam eſſe; atque ita à fœdere operum manuductus fuit ad fœdus gratiæ: in quo *arbor vitæ* nunc etiam memoratur, & umbram ac imaginem Chriſti ac beneficiorum ejus gerit. *Vincenti, dabo ei edere ex arbore vitæ, quæ eſt in medio Paradiſi Dei.* Apoc. 2: 7. conf. c. 22: 1, 2. ARBOR VITÆ.

III. Secundo in eo cenſu erant *Sacrificia* Patriarcharum, v. g. *Caïni, qui adduxit de fructu terræ munus Domino:* præcipuè autem *Abelis*, qui *obtulit de primogenitis & adipe ovium ſuarum,* Gen. 4: 3, 4. & *Noachi, qui ſtruxit altare Jehovæ*, & *in eo holocauſta obtulit.* c. 8: 20. & ſequentium Patriarcharum. In quibus pecus pura, cœleſti igne flammata, adumbrabat ſanctiſſimam Chriſti carnem, per Sp. æternum oblatam, & immenſo charitatis ardore conſumtam, ut eſt Pſal. 69: 10. *Zelus domus tuæ comedit me.* Quibus cum accederet publica Dei acceptio, & teſtimonium, quod demiſſo cœlitus igne dabat: *Nam reſpexit Jehovah ad Habel, & ad munus ipſius,* Gen. 4: 4. tum etiam ſacra convivia, in quibus de mactatis hoſtiis fideles coram Deo epulabantur: ut cum ad *Jethronem ſocerum Moſis, qui holocauſtum & victimas Deo* obtulerat, *venerunt Aharon & omnes ſeniores Iſraëlis ad comedendum cibum cum eo coram Deo*, Exod. 18: 12. conf. Deut. 12: 7, 12. iſtud illis gratiam fœderis non leviter tantum figurabat, ſed pleniſſime obſignabat. De hiſce autem plura deinceps ſub lege. SACRIFICIA *Patrum.*

IV. Tertium ſacramentum iſtius temporis fuit Diluvium, & Arca, mediis in aquis una cum Noâ conſervata. Quæ ſicut priſci mundi reliquias vehebat, quem non omnem Deus extinguere volebat, verum quoſdam in melioris ſtatus ac ſæculi auſpicium ſervare decreverat, ita bonitatem Dei ac conſilium gratiæ de humano genere teſtabatur, ejuſque pignus ac ſigillum erat. Sicut Noachus in eo ἐπερώτημα bonæ conſcientiæ ad Deum habuit, *fide* quippe *divinitus monitus de iis, quæ necdum videbantur, metuens paravit arcam ad ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit mundum, & juſtitiæ, quæ eſt ſecundum fidem, factus eſt hæres.* Hebr. 11: 7. atque ipſum præterea Chriſtum, & mortem, & reſurrectionem ejus tanto ante clariſſima imagine ſignificabat, qui *traditus fuit morti propter offenſas noſtras*, pariterque *ſuſcitatus ad noſtri juſtificatio-* DILUVIUM & ARCA *Noæ.*

 nem,

nem, Rom. 4: 25. Quod ſimili modo etiam baptiſmi aquæ in N. T. figurant, 1. Pet. 3: 18, 20, 21. in quibus ſimilis eſt immerſio & emerſio, & cum morte ac reſurrectione Chriſti communio. *Aut ignoratis, nos, quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum, in mortem ejus baptizatos eſſe? Conſepulti ſumus igitur ipſi per baptiſmum in mortem; ut, ſicuti ſurrexit Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 3, 4. quæ nobis proinde ſimile fidei firmamentum, ac adeundi Deum fiduciam præbent. vid 1. Pet. 3: 20, 21. ubi S. Petrus clare docet, *baptiſmum nos ſalvare τῷ κατακλυσμȣ̃ ὕδατι ἀντίτυπον habentem typum correſpondentem aquæ diluvii*, non qui *eſt carnis ſordium depoſitio*, ſed *fundamentum interrogationis bonæ conſcientiæ ad Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti*, qui *carne* quidem *morte affectus*, at *ſpiritu vivificatus* dicitur. ibid. v. 18.

IRIS. V. Quartum ſymbolum fuit *Iris*, quæ, cum in gratiæ ac bonitatis divinæ teſtimonium data ſit, *ſignum fœderis* appellatur, idque ſæpius, Gen. 9: 12, 13, 17. Nec cum terra ſolum animantibuſque omnibus hoc fœdus percutitur, ſed præcipue cum homine peccatore, cujus *figmentum malum eſſe* dicitur *ab ipſa origine*, Gen. 8: 21. Unde Deus labores ac miſeriam hominis miſeratus cum ipſo de novo fœdus erigit, quod ſine redemtione, ac peccatorum remiſſione per Meſſiam, in cujus fide Noachus offerebat, & *juſtitiæ hæres* fiebat, Hebr. 11: 7. concipi non poteſt. Quod autem fœdus hoc cum univerſo mundo cunctiſque animantibus fieri dicitur, id vero ipſum gratiæ ſignum eſt. Sicut enim mundi creatio, ita & ejus conſervatio conſilium æternæ gratiæ oſtendit: niſi Deum fruſtra mundum creaſſe & creatum in tantâ hominum impietate ſine cauſa conſervare dicamus. Adeoque quod Deus, poſt tanta hominum ſcelera & flagitia, quæ ultricibus aquis vindicari debuerant, ex ſuperſtite Noachi ſobole mundum inſtaurat; quodque illum utcunque pariter impium futurum (noverat enim Deus *hominis figmentum malum* eſſe *à pueritiis ejus*, attamen addit, *iterum non percutiam amplius viventia, quemadmodum feci*, Gen. 8: 21.) non amplius cœleſtibus aquis perditurus ſit, id verò vel maximum gratiæ ſignum eſt. Neque id ad hunc terrarum orbem, qui Deo ipſi uſque adeo placere non poteſt, ſed hominem & electos potius ſpectat, eorumque redemtionem per Chriſtum promittit. Unde fœdus hoc ad Eccleſiam pertinere docet Eſaias, cap. 54: 10. *Nam aquæ Noachi hoc mihi eſt. ut juravi non tranſituras amplius aquas Noachi per terram; ita juravi, quod non efferveſcam*

in

Digitized by Google

in te aut increpabo te : & in Apocalypſi iris ut divinæ gratiæ ſignum oſtenditur; quod & colores ejus promittere videntur, qui iram Dei gratiâ contemperatam ſignificant. Ac proinde, ſicut aquæ terram non amplius obtecturæ, ſed leves duntaxat vapores ad arcum iſtum in aëre pingendum elevaturæ erant; ita aptiſſima imagine bonitas Dei notabatur, qui non amplius in ira ſua humanum genus perditurus erat; ſed Eccleſiæ ſuæ leves tantum immiſſurus afflictiones, per quas ejus gratia mediis veluti in flammis gratiſſimo virore pelluceret.

VI. Quintum ſacramentum fuit *Circumciſio*, data *Abrahamo*; in qua, una cum Paſchate, duo ordinaria veteris Eccleſiæ ſacramenta conſtitui plerumque ſolent. In ea autem conſideranda: 1. ejus *inſtitutio*. 2. *adminiſtratio*. 3. *uſus* & *ſignificatio*. 4. *abrogatio*. Quæ, etſi tempore diverſa, tamen ob argumenti affinitatem conjungemus. CIRCUMCISIO; *in qua conſideranda.*

VII. Sacramenti hujus duæ fuerunt periodi; una ab *Abrahamo* ad *Moſen*; ſecunda à *Moſe* uſque ad *Chriſtum*. Quæ innuuntur Joh. 7:22. *Propter hoc Moſes dedit vobis circumciſionem* (*non quod ex Moſe ſit, ſed ex Patribus*) *& in Sabbato circumciditis hominem*. In prima fuerunt Eccleſiæ circumciſæ incunabula; in ſecundâ ejus ἀκμή. *ejus inſtitutio,*

VIII. Primus ergo qui circumciſionem accepit, fuit *Abrahamus: Patrem multitudinis gentium do te.* --- *Et conſtituam fœdus meum inter me & inter te, & inter ſemen tuum poſt te, in generationes eorum, in fœdus ſæculi, de eo, quod futurus ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.* --- *Et circumcidetis carnem præputii veſtri: & erit in ſignum fœderis inter me & inter vos. Et filius octo dierum circumcidetur vobis, omnis maſculus, in generationes veſtras.* Gen. 17: 5, 7, 11, 12. anno mundi 2107. ante exitum Iſraelitarum ex Ægypto annis 406, ætatis Abrahami anno 99. Gen. 17:1, 9, 24, 25. In qua primâ ſua inſtitutione circumciſio non fuit ſacramentum publicum totius Eccleſiæ viſibilis iſtius temporis, ſed tantum domeſticum familiæ Abrahami; adeo ut univerſa Abrahami poſteritas circumcidi debuerit. Gen. 17:25-27. Reliquis autem fidelibus illius temporis ea non fuit impoſita: nec tamen ideo excludebantur ab Eccleſia Catholica; quia Eccleſia tum necdum alligata erat familiæ Abrahami, conceſſo gentibus adhuc ſpatio antequam rejicerentur. *Tu venies ad Patres veſtros in pace, ſepelieris in ſenectute bona. & quarta ætas revertentur huc: quia nondum conſummata eſt pravitas Amorrhæorum.* Gen. 15: 15, 16.

IX. Poſt quatuor autem illa ſæcula, rejectis gentibus, & emortuis piorum inter eas reliquiis, Eccleſia concluſa fuit intra Abramidas; at-

Digitized by Google

que tum circumciſio facta eſt publicum totius Eccleſiæ Catholicæ illius temporis ſacramentum, à Moſe Judæis datum. *Moſes dedit vobis circumciſionem.* Joh. 7:22. *Illo tempoe* gentes *abalienati* erant *à Republica Iſraëlis, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis, ſpem non habentes, & ſine Deo in mundo*, Eph. 2:12. mater libera tunc *non pariebat, ſterilis & deſolata*, Eſai 54:1. coll. Gal 4:27. Adeo ut nemo tum Eccleſiæ membrum eſſe poſſet, niſi circumciſus, Exod. 12:48. Atque hic erat circumciſionis ſtatus à Moſe ad Chriſtum: quæ fuit Eccleſiæ circumciſæ ἀκμή.

X. Ab Abramidis circumciſio dimanavit ad vicinos populos, *Ægyptios, Colchos, Æthiopes, Arabes.* Carebat autem apud illos inſtituto & promiſſione divina, adeo ut nihil ſacri eſſet, & per meram κακοζηλίαν ab illis uſurparetur: ſicut hodieque à Muhammedanis.

Adminiſtratio, reſpectu miniſtri,

XI. *Adminiſtrationem* ejus quod ſpectat, 1. *Miniſter* illius à quibuſdam ſtatuitur fuiſſe ſacerdos ex 1 Macch. 2:46. *Et circumciderunt*, Matthithia ſacerdos nempe cum amicis ſuis, *pueros incircumciſos quoſcunque invenerunt in termino Iſraëlis, fortiter.* Ab aliis autem probabilius unuſquiſque paterfamilias: *Et accepit Abraham Iſmaëlem filium ſuum & omnes natos domi ſuæ --- & circumcidit carnem præputii ipſorum*, Gen. 17:23. ſimiliter *Iſaacum filium natum octo dies*, c. 21:4. aut alius quiſpiam rei peritus, ipſius loco, ut nunc apud Judæos in uſu eſt. Exemplum enim Zipporæ, filium ſuum circumcidentis, Exod. 4:24, 25. præter, imo contra ordinem divinum fuit.

inſtrumenti,

XII. *Inſtrumentum*, quo peragebatur, erat culter lapideus, aut, ut alii vertunt, acutus. *Et accepit Zippora* צֹר *mucronem & ſecavit præputium filii ſui.* Exod. 4:25. Fac tibi חַרְבוֹת צֻרִים (*cultros acierum*) *& circumcide ſecundò filios Iſraëlis*, Joſ. 5:2. coll. Pſal. 89:44. *Retundis* צוּר *mucronem gladii ejus.*

ſubjecti,

XIII. *Subjectum* ejus erant omnes Iſraëlitæ, mares: *Hoc eſt fœdus meum, quod ſervabitis inter me & inter vos & inter ſemen tuum poſt te; circumcidi vobis omnem marem.* Gen. 17:10. coll. Joſ. 5:4, 7. etiam qui illis ex ſervis & ancillis naſcebantur; omneſque qui ad ipſorum familiam pertinebant, ſervi tum emptitii, tum vernæ, exceptis ſolum mercenariis, *Hoc ipſo die circumciſus eſt Abraham —— & omnes viri domus ejus, natus domi & emtus argento à peregrino, circumciſi ſunt cum ipſo.* Gen. 17:26, 27. Unde & *Iſmael* circumciſus legitur: quanquam enim excluſus erat divino fœdere, cujus ſigillum erat circumciſio; tamen cum hoc familiæ iſtius ſacramentum foret, ideo etiam ille cum aliis Abraham

Digitized by Google

hami domeſticis circumciſus fuit, Gen. 17:25, 26. Sub maribus autem fœminæ cenſebantur & comprehendebantur. *Non poſſumus facere rem iſtam, dare ſororem noſtram viro* cui eſt *præputium.* Gen. 34: 14. ut 1. Cor. 7:14. *Sanctificata eſt mulier infidelis in viro. alioqui liberi veſtri impuri eſſent. ſed ſancti ſunt.*

XIV. *Tempus* circumciſionis erat octavus à nativitate dies. *Et natus octo dies circumcidetur vobis, omnis mas ſecundum ætates veſtras.* Gen. 17:12. Abraham *circumcidit Iſaacum filium ſuum natum octo dies.* cap. 21: 4. Cujus rei ratio revera ignoratur. Niſi eam ex lege longè poſt latâ repetere libeat. Juxta illam enim mater, à partu recens, octo diebus impura erat, & per conſequens ex illius contactu etiam infans. *Mulier ſeptem dies immunda eſto, ſi pepererit maſculum, die autem octavo, circumcidetor caro præputii ejus.* Lev. 12: 2, 3. Sicut & nullum animal ante octavum diem Deo offerre fas erat, cum ante id tempus imperfectum, ut vix dum lucis patiens, & ex materno utero impurum cenſeretur. *Sic facito bove tuo* & *pecore tuo: ſeptem dies eſto cum matre ſua, die autem octavo dato illud mihi.* Exod. 22: 30. coll. Lev. 22: 27. Accedebat, quod ſacramentum hoc non ſine dolore perageretur, ad quos infans mox poſt partus dolores exponi non ſine periculo poterat; unde dierum aliquot intervallo & quiete opus erat. Addi denique non ineptè poteſt ratio myſtica, jam tum nempe reſurrectionis Chriſti diem, qui ſequentis hebdomadæ primus, atque in ordine dierum octavus erat, quique multiplicibus umbris in Vet. T. ſignatus erat, utpote religionis noſtræ ſummus ac ſacratiſſimus, & quo vera circumciſio ac ſalus noſtra prorſus expleta & conſummata fuit, etiam hoc myſterio figuratum fuiſſe. Temporis;

XV. Non licebat autem illum diem anticipare, quacunque de cauſa vel neceſſitate. Impurum enim Deo conſecrare nefas. Nec ideo de infantium illorum, ſi forte præmorerentur, ſalute dubitandum, cum ex fœdere ac gratia Dei ſalvati fuerint, cujus ſolummodo ſigillum erat circumciſio; non minus quam fidelium infantes ante inſtitutam circumciſionem [illegible]. Adeo ut Judæi hodie male liberos ſuos ante octavum diem defunctos in cœmiterio [illegible] ... gno Deus Iſraëlis ſemen agnoſcat, nec in futura reſurrectione ut progno... Differre tamen in caſu neceſſitatis illam licuit, ex analogia loci Marc. 2: 27. *Sabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbatum.*

XVI. Ne

appoſita comminationis. XVI. Ne autem ſacramentum iſtud negligeretur, appoſita illi fuit comminatio *exciſionis. Et præputiatus mas, qui non circumciderit carnem præputii ſuam, exſcindetur anima illa ex populis ſuis. fœdus meum irritum fecit.* Gen. 17: 14. de qua pœna, qualis fuerit, anxiè diſquiritur. Nos, pro ratione locorum, ubi de ea agitur, diverſam illam eſſe ſtatuimus. Et quidem de pœna capitali, à magiſtratu infligenda, eam nonnunquam uſurpari, ex Exod. 31: 14, 15. *Quicunque fecerit in eo*, Sabbato, *opus, utique exſcindetur anima illa è medio populorum ſuorum, quiſquis fecerit opus die ullo Sabbati, omnino morti traditor*, ſatis patet. Cum tamen plerunque Deo ea adſcribatur, vid. Lev. 17: 10. *Eum qui comederit ullum ſanguinem, exſcindam è medio populi ſui.* & cap. 20: 4, 5, 6. *Si quis reſpiciat ad engaſtrimythos & ſciolos, vultu in eum defixo ipſum exſcindam ex populo ſuo;* de morte potius repentina & θεηλάτῳ, vel etiam de æterna damnatione in impœnitentibus ea intelligenda eſt. Atque ita in hoc negotio, cum pœnam capitalem à magiſtratibus in incircumciſos exercitam non legamus, *exciſio* illa ſignificat, vel mortem violentam, divinitus immiſſam, ex analogia loci, Exod. 4: 24, 25. vel etiam mortem civilem, aut potius Eccleſiaſticam, qua incircumciſus tanquam profanus & non-Judæus habebatur, & ſacris prærogativiſque omnibus populi Dei excidebat; & denique, niſi reſipiſceret, æternam, ita ut nulla ipſi ſors eſſet in ſemine Abrahami, atque benedictionibus ejus, cum fœderis ſignum, adeoque ipſum Dei fœdus repudiaſſet.

Proſelyti circumciſi. XVII. Præter infantes autem circumcidebantur etiam adulti, qui plerunque erant *Proſelyti*, Matth. 23: 15. Act. 2: 10. qui appellabantur *Proſelyti juſtitiæ*.

Nominis impoſitio circumciſionis comes. XVIII. Circumciſionem autem comitabatur nominis impoſitio: ut in circumciſione *Iſaaci*, Gen. 21: 3, 4. Johannis Baptiſtæ, Luc. 1: 59. & Chriſti, Luc. 2: 21. videre eſt. Cui accedebant etiam teſtes. *Et teſtes conſcivi mihi fideles, Uriam Sacerdotem & Zachariam filium Jebarachiah.* Eſai. 8: 2. Ita *accolæ & cognati* Elizabethæ *gratulabantur & octavo die venerunt ad circumcidendum puerulum, vocabantque eum ex nomine patris ipſius Zachariam.* Luc. 1: 58, 59.

Circumci[illegible] cultas. XIX. Atque ex hac [illegible] adminiſtratione patet, 1 Sa[illegible] hujus difficultas, utpote quod non ſine ſanguine peragere tur, & ſummo cum dolore ac pudore mixtum erat. vide Exod. 4: 25, 26. ubi Zippora filium circumciſum appellat *Sponſum ſanguinum, propter circumciſionem.* & Gen. 34: 25. *Tertio die quum eſſent in dolore* Sichemitæ

mitæ circumciſi, *Simeon & Levi invadunt civitatem* &c. Unde eximia Abrahami obedientia elucet, qui, ætate licet provectus, mox ab accepto hoc præcepto ſe ipſum, filium, totamque familiam *eodem die circumcidit*, Gen. 17:23. Sicut ab altera parte hinc commendatur Baptiſmus noſter, qui difficultatibus hiſce carens, omnibuſque hominibus æque adminiſtrari aptus, vere catholicum Nov. Teſt. ſacramentum eſt. *Quum credidiſſent* Samaritani, *baptiſabantur, tum viri, tum mulieres.* Act. 8:12. *Quicunque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. non eſt Judæus, nec Græcus, non eſt ſervus, nec liber, non eſt mas & fœmina.* Gal. 3:27,28. 2. Apparet occulta Dei ſapientia, qui ritum adeo erubeſcendum ac propemodum pudendum gratiæ ſuæ ſigillum eſſe voluit in Teſt. Vet. ſicut in N. T. ejuſdem gratiæ fundamentum poſuit in re magis adhuc pudenda; nimirum cruce Chriſti: ita omnem carnis ſapientiam pudefaciens. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis vero ſtultitiam, ipſis autem vocatis, tum Judæis, tum Græcis, Chriſtum Dei potentiam ac ſapientiam.* 1. Cor. 1:23, 24.

Occulta Dei in ejus inſtitutione ſapientia:

XX. Sequitur circumciſionis uſus & *ſignificatio*. Non male docent Judæi, illam ſignum fuiſſe unitatis inter Abrahami poſteros, id eſt, notam fœderis, qua populus Dei diſcretus fuit ab aliis gentibus. Quæ tamen diſcretio non ſolùm externa erat & cerimonialis, qua aliquis extrinſecus inſerebatur in Dei populum, ſed potiſſimum interna, qua quis in fœdus partemque Dei tranſibat, ut portio veri Iſraëlis Dei. *Non enim, qui in propatulo eſt, Judæus eſt : neque ea, quæ in propatulo, in carne, eſt, circumciſio eſt. Sed, qui in occulto eſt, Judæus, & circumciſio cordis, in ſpiritu, non litera; cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Rom. 2:28,29.

Circumciſionis uſus & ſignificatio.

XXI. 1. Obſignabat ergo circumciſio fœdus Dei, cunctaque ejus beneficia; eratque ſigillum ejus, à Deo traditum : *Apparuit Jehova Abrahamo, filio nonaginta & novem annorum, & dixit ad ipſum : Ego ſum Deus ſufficiens. --- Et dabo fœdus meum inter me & inter te. --- Hoc* eſt *fœdus meum, quod ſervabitis inter me & inter vos, & inter ſemen tuum poſt te; circumcidi vobis omnem marem. Et circumcidetis carnem præputii veſtri, & erit ſignum fœderis inter me & inter vos.* Gen. 17: 1,2,10,11. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei, quæ erat in præputio.* Rom. 4: 11. *Ego ſum Deus Abrahami & Iſaaci & Iacobi. Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Matth. 22: 32. & ab hominibus acceptum. Qui enim circumcidebatur, eo teſtabatur, ad minimum teſtari tenebatur, ſeſe fidem habere promiſſioni Abrahamo olim factæ, & ſa-

ſacramento iſto firmatæ, de ſemine ex eo prodituro, in quo omnes gentes forent benedicendæ.

XXII. 2. Unde & fœderis totius, bonorumque eo comprehenſorum, in externo iſto ritu, quandam imaginem gerebat. 1. enim naturæ *impuritatem* & reatum teſtabatur, quod recens natus infans in fœdus Dei tranſire non poterat, niſi libato prius ſanguine ſuo, illoque veluti luſtratus ac purgatus. Unde in genitali membro, ad originis labem ſignandam, hoc ſacramentum peragebatur; & reſecta carnis particula totum hominem morte dignum eſſe pronunciabatur. *Niſi quis naſcatur denuo ex aqua & Spiritu, non poteſt videre regnum Dei,* aut *in id intrare.* Joh. 3:3,6. 2. Cumque iſta corporis parte fieret rurſus, non ſolum multiplicationem ſeminis, Abrahamo ſollemni promiſſione affirmatam; ſed præcipuè *ſeminis benedicti* ex eo ortum Abrahamo poſteriſque ejus ſignificabat. Et *ſanguis* ille, in circumciſione fuſus, ſanguinem Meſſiæ, longe certe aptius & dignius quam cruor pecudum, præfigurabat, effundendum ad *redemtionem* electorum. *Hoc eſt ſanguis meus, Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Matth. 26:28. Atque hinc circumciſio *ſigillum* fuit *juſtitiæ*, Rom. 4: 11. Cum enim præcipuè promiſſionem de Meſſia Abrahamo factam obſignaret, iis, qui illam promiſſionem ſignumque ejus acciperent, juſtitiæ per illum acquirendæ ſigillum erat. 3. Præterea peccaminoſæ carnis reſectio & abjectio *ſanctificationem* ac regenerationem hominis obſignabat; ſtatumque iſtum carnalem & σαρκικὸν à ſemine electo auferendum eſſe docebat, tum per ablationem carnalium concupiſcentiarum, per *circumciſionem ἀχειροποίητον: In quo circumciſi eſtis circumciſione quæ non fit manibus, ἐν τῇ ἀπεκδύσει corporis peccatorum carnis, in circumciſione Chriſti. Et vos mortuos in lapſibus & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum ipſo, condonans vobis omnes lapſus.* Col. 2: 11, 13. tum per ablationem ſtatus carnalis Eccleſiæ, carnalibus præceptis & ſervituti elementorum mundi ſubjectæ: quæ eſt illa *cordis circumciſio*, maximè promiſſa ſub Nov. T. utpote præſtanda per adventum ſeminis promiſſi, effuſo Spiritu adoptionis filiorum ſine externæ circumciſionis jugo: *Ambulabo cum ipſis temerè, niſi flectatur cor ipſorum præputiatum.* Lev. 26: 41. *Circumcidite præputium cordis veſtri, & cervicem veſtram ne obduretis amplius.* Deut. 10: 16. *Et circumcidet Dominus cor tuum & cor ſeminis tui, ad amandum* &c. c. 30: 6. *Circumcidite vos Jehovæ, & auferte præputia cordis veſtri.* Jer. 4: 4. conf. Col. 2. 11-14. 4. denique notabat perfectam depoſitionem peccatorum in morte & reſurrectione, per

exutio-

Digitized by Google

exutionem corporis peccati, Col. 2: 11. adeo ut ipſam etiam *glorificationem* comprehenderet.

XXIII. Ex quibus omnibus patet circumciſionis dignitas; & quomodo illa eadem obſignaverit beneficia quæ nunc baptiſmus. Sicut Apoſtolus Col. 2: 11, 12. baptiſmo illa attribuit, quæ priori commate de circumciſione vera & ἀχειροποιήτῳ dixerat. *In quo etiam circumciſi eſtis circumciſione quæ non fit manibus, in exutione corporis peccatorum carnis in circumciſione Christi, conſepulti ipſi in baptiſmo, in quo & conreſuſcitati eſtis, per fidem efficacitatis Dei, qui ſuſcitavit eum è mortuis.* *Circumciſionis dignitas.*

XXIV. Errant ergo 1. *Pontificii*, qui circumciſionem ſacramentum legis naturæ fuiſſe ſtatuunt, ut *Bellarminus*; contra Apoſtolum, qui docet fuiſſe *ſigillum juſtitiæ fidei*, Rom. 4: 11. 2. *Sociniani*, qui, ut fœdus Dei ſpirituale cum Abrahamo, ita & ſignum talis fœderis negant; nec eo *circumciſionem illam ἀχειροποίητον*, Col. 2: 11--15. ipſi obſignatam volunt: verum eam ad Chriſtianos ſolos ſpectare; cujus, non ſuæ, ſed noſtræ, circumciſionis ille tantum umbram habuerit. Cum tamen & tum circumciſio cordis aliquo gradu obtinuerit, Jer. 4: 4. Rom. 4: 11, 12. 3. *Anabaptiſtæ*, qui ſimiliter, dum fœdus Dei ignorant, nihilque ſpirituale, quodque conſcientiam purgare queat, ante Chriſtum obtinuiſſe putant, ſacramenta Veteris T. beneficiorum Chriſti ac rerum ſpiritualium inanes umbras fuiſſe volunt. Quod profano commento intelligunt de umbris, res ipſas, non repræſentantibus vel obſignantibus, ſed injecto quaſi velo obumbrantibus ac contegentibus, ac nulli luci perviis, quæ nunc videl. in N. T. demum nudentur, & fidelibus oſtendantur. Verum hæc ex præjudicio illo de fœdere Dei cum veteribus non niſi carnali, deque bonis carnalibus, inito. Quæ jam latè excuſſa ſunt. *Circa quam errant, Pontificii, Sociniani* *Anabaptiſtæ.*

XXV. Sequitur quartò, circumciſionis *abrogatio*, quæ ſpectanda, 1. in cauſa ejus, *Chriſto*. 2. in nobis. *Circumciſionis abrogatio*

XXVI. Chriſtus, cum peccato careret, ejuſque remedio non indigeret, propter ſe quidem circumciſione opus non habuit. Unde eam noſtri cauſa potiſſimum ſuſcepit. Non ſolum 1. ut iſto ſigno oſtenderet ſeſe verum ſemen Abrahami eſſe, *factum ex ſemine Davidis, ex patribus, ſecundum carnem*, Rom. 1: 3. & 9: 5. & 2. ut circumciſionem ipſam, hactenus in Eccleſia uſurpatam, ſuo exemplo probaret ac confirmaret. Sed 3. potiſſimum, ut teſtaretur ſeſe noſtro nomine legem ſubire (*Emiſit* enim *Deus filium ſuum naſcentem ex muliere, ſe ſubjicientem legi, ut eos, qui ſub lege erant, emtos liberaret, ut adoptionem filiorum acciperemus*. Gal. 4: 4, 5. *Teſtor omni homini*, qui *circumciditur, eum eſſe debitorem totius legis ſervandæ*, *1. in cauſa ejus, Chriſto.*

dæ, c. 5: 3.) ac ut peccatorem velle reputari. Quin 4. ut obedientiam ſuam à Deo acceptam, & peccatum revera expiatum eſſe doceret; adeoque fidem noſtram iſto juſtitiæ præſtitæ ac conſummatæ ſymbolo confirmaret. Unde nos *in ipſo circumciſi* dicimur, *circumciſione non manuali*, Col. 2: 11. quia noſtra videl. causâ Chriſtus circumciſus eſt; atque iſto gratiæ ſymbolo juſtitia ac obedientia ejus à Deo, ex fœdere cum ipſo inito, probata ac accepta, (*Oportuit enim eum implere omnem juſtitiam*, Matth. 3: 15.) adeoque etiam nobis in ipſius circumciſione beneficia iſta obſignata ſunt.

b. in nobis. XXVII. Atque hac Chriſti circumciſione & inſecuto ejus ſacrificio, impleta & abrogata fuit circumciſio; nec in N.T. amplius uſurpari poteſt. 1. Quia ea ad ſolos Abramidas, iſtamque politiam & terram ſpectabat; data quippe Abrahamo, & ſemini ejus, *per ætates ipſorum*, h. e. quandiu Cananæam poſſiderent, ac diſtinctus populus manerent, ſeu, per totum tempus exſpectationis, donec priores dies abirent, & veniret ſæculum aliud, in quo fierent hæredes mundi. Gen. 17: 4--9. 2. Quia beneficia illa, quæ potiſſimum adumbrabat, advenerunt; adeoque nullum uſum habere amplius poteſt; ſed veniente die umbra hæc cedere debuit. Notabat enim multiplicationem ſeminis Abrahami, ac præcipue ortum ſeminis benedicti; inque eo ſemen ex gentibus adventurum, dandamque olim pleniſſimam illam circumciſionem cordis, ad Deo ſerviendum in plenâ libertate Spiritus. Quæ omnia cum impleta ſint, per ſignum ac umbram obſignari ac figurari opus non habent. 3. Quia ejus generis hoc ſacramentum erat, ut cum beato N.T. ſub Meſſia ſtatu non congrueret. Non ſolum enim dolore plenum, ac pudori imprimis grave erat; ſed &, pro Eccleſiæ iſtius ſtatu, multiplici imperfectione laborabat. Cum non tolleret reatum, imo potius eum nondum ablatum eſſe fateretur; & locum adhuc relinqueret jugo ac ſiti Vet. Teſtamenti, imo & legi introducendæ; cui poſtea peculiariter inſervivit, atque ad eam reſpectum & obligationem peculiarem habuit: *Ecce, ego Paulus dico vobis & teſtor omni homini, ſi circumcidamini, Chriſtum vobis nihil profuturum, &, eum qui circumciditur, eſſe debitorem totius legis ſervandæ.* Gal. 5: 2, 3. 4. Tandem Eccleſiam ac fœdus Dei non ſolum genti Judæorum aſſerebat, ſed & reliquum mundum veluti prophanum ab ejus fœdere & communione diſtinebat: quæ ſub Novo T. ubi Eccleſia non amplius unius populi eſt, ſed publica reddita eſt, ac toto orbe filios ſuos habet, locum habere non poſſunt.

Abroga. XXVIII. Atque hæ cauſæ ſunt, propter quas abrogari debuerit circum-

cum-

cumciſio. Abrogatio autem ipſa hos habuit gradus: 1. Ante adventum Chriſti circumciſio fuit neceſſaria. Unde & circumciſus fuit Chriſtus. 2. Poſt adventum Chriſti ea cœpit languere. 3. Per mortem ejus mortua & antiquata eſt. 4. Poſt mortem Chriſti, quanquam aliquandiu in Eccleſia uſurpata, propter infirmos, tanquam *ſigillum juſtitiæ fidei*, baptiſmo veluti geminum (non alium enim reſpectum tum habebat) paulatim tamen cœpit abrogari; primuſque Cornelius in præputio aquâ & Sp.S. baptiſatus eſt, Act. 10:44,47. Quo tempore intermedio, quo illa aliquandiu retenta eſt, ut videl. pretioſius expirantis funus eſſet, magnâ fuit opus prudentiâ, ob Judæos Chriſtianos, qui patrii ritus tenaces ex ejus abrogatione ſcandalum patiebantur. Cumque hi vel infirmi forent, vel pertinaces ac præfracti; prioribus paulum indulſerunt Apoſtoli, ideoque circumciſus fuit Timotheus, matre Judæâ natus. Act. 16:1,3. reliquis autem ne ad momentum quidem conceſſerunt, ne Eccleſia Chriſtiana de libertate ſua quicquam amitteret; unde Titum, Græcis parentibus ortum, circumcidi minimè permiſerunt: *Sed neque Titus, qui mecum erat, quum Græcus eſſet, coactus fuit circumcidi. nempe propter ſubreptitios falſos fratres, qui ſubintraverant ad explorandum libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent. Quibus neque ad horam ceſſimus per ſubjectionem, ut veritas Euangelii permaneret apud* vos. Gal. 2:4,5. conf. c. 5:3--12. 5. Poſt templi deſtructionem, quo veluti velo ablato Eccleſia plenè in libertatem aſſerta eſt, una cum reliquo templi apparatu, abolita & tandem mortifera facta eſt circumciſio. Nam etiamſi aliæ quædam cerimoniæ & ritus Judæis indulgeri potuerint, circumciſio tamen, ob peculiarem ſui rationem, retineri non potuit, niſi abnegato unà Chriſtianiſmo: cum, poſt legem latam, peculiarem ad eam reſpectum haberet, ejuſque omnis ſervandæ obligationem inferret, atque univerſæ religionis Judaicæ foret teſſera & compendium, Gal. 5:2,3. Ab alia autem parte, ſicut Gentiles præputia ponere neceſſe non habebant; ita etiam Judæis ad Chriſtum converſis non officiebat, quod recutiti eſſent. Quod Apoſtolus monet, (1. Cor. 7:18,19. *Circumciſus aliquis vocatus eſt? μὴ ἐπισπάσθω ne attrahat* præputium: *in præputio aliquis vocatus eſt? ne circumcidatur. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio præceptorum Dei.*) contra eos, qui ad Chriſtum converſi arte medicâ iterum præputia ſibi ſuperinducebant.

tionis gradus.

XXIX. Rejicienda ergo 1. hodierna circumciſio *Judæorum*, ut character infidelitatis ipſorum: *Videte canes, videte malos operarios, videte*

Rejicitur itaque hodierna cir-

Digitized by Google

cumciſio Judæorum, Muhammedanorum, Æthiopum.

dete τὴν κατατομὴν conciſionem. Nos enim ſumus circumciſi, qui Spiritu Deo ſervimus, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne habemus fiduciam. Phil. 3: 2, 3. 2. *Muhammedanorum*, quæ olim, ex civili potius, quam religioſo inſtituto, inter orientales populos celebrata, deinceps apoſtaſiæ impoſtoris illius facta eſt ſymbolum. 3. *Æthiopum*, qui circumciſionem cum baptiſmo conjungunt; ut vid. ita diſcernantur, tanquam filii credentis Abrahæ, à cæteris nationibus. Verum cum jam Judæorum prærogativa deſierit, & Judæi defracti ſint, & gentiles facti verum ſemen Abrahæ, non licet nunc Chriſtianis gloriari in conſanguinitate Abrahami, ſecundum carnem, atque hoc prætextu circumciſionem retinere. *Cognoſcitis igitur, quod, qui ex fide ſunt, hi ſint filii Abrahami.* Gal. 3: 7. *Nos neminem amplius cognoſcimus ſecundum carnem, quod ſi etiam cognovimus Chriſtum ſecundum carnem*, nunc *tamen non amplius cognoſcimus.* 2. Cor. 5: 16. *Fratres mei, ne cum acceptione perſonarum habete fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti glorioſi*, Jac. 2: 1.

CAPUT VII.

De Cultu externo Eccleſiæ ſub Promiſſione.

CULTUS *Eccleſiæ hujus temporis; præcipuè conſiſtens in* SACRIFICIIS.

I. CUm vero magnam externi cultus partem ſacramenta ferè faciant, commodè eorum enumerationi cultum ſeu *ſacra* hujus periodi adjungemus. Illa vero ſub hac œconomia pro ratione temporis, valde imperfecta, ſeu potius ſimplicia, fuêre. Nec, extra naturalem Dei cultum & ſacrificia, ex Scripturâ afferre quicquam poſſumus.

II. Conſiſtebat enim præcipuus cultus in *ſacrificiis*; mox, poſt auditam promiſſionem, oblatis: quod, ut quibuſdam videtur, victimarum pellibus (*Et fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas quibus veſtivit eos.* Gen. 3: 21. coll. Lev. 6: 31. vel 7: 8. *Sacerdos autem quum offert holocauſta alicujus; pellis holocauſti quod obtulerit, illius ſacerdotis eſto.*) non obſcurè colligitur; quæque ei, pro more fœderum, (*Colligite mihi pios meos, facientes fœdus mecum per ſacrificium*, Pſal. 50: 5.) iſto exemplo porrò in omnem ætatem valuerunt. Unde mox *Habelis* ac *Caini* ſacrificia leguntur, Gen. 4: 2, 3, 4. & *mundorum* ac *immundorum* animantium diſcrimen annotatur, Gen. 7: 2. quod iſto tempore, cum leges cibariæ nondum latæ erant, ſacrificia videtur ſpectaſſe. Sicut

ex

Digitized by Google

expreſſe additur, c. 8: 20, 21. *Noachum*, poſt anni moram arcâ egreſſum, de pecoribus ac volucribus mundis holocauſta immolaſſe, Deumque placaſſe. Similiter *Melchiſedechus* ut *Sacerdos Dei altiſſimi* introducitur; qui ab Abrahamo *decimas* acceperit, Gen. 14: 20. Decimæ autem boum ac pecudum altari debebantur: *Et omnium decimarum boum aut gregum, eorum quæ tranſeunt ſub virgam; decimum quodque eſto ſanctum Jehovæ*, Lev. 27: 32. Et ſacrificiorum *Abrahami* non ſemel occurrit mentio, Gen. 12: 7. 13: 18. 15: 9, 10. 21: 28. 22. 13. Eoque adhuc ſuperſtite *Iſaacus* altare dedicavit, cap. 26: 25. Pariterque Jacobus, Gen. 28: 18. loci, in quo de nocte acquieverat, omen accipiens, tumultuariam aram erexit, in qua rediens voti religione ſeſe exſolvit, ac ſacra fecit, cap. 35: 14. Ita de *Jobi* holocauſtis legitur Job. 1: 5. 42: 8. Tandemque inter *Iſraëlitas*, ante inſtitutum cultum Leviticum, Sacerdotum mentionem legimus: *Etiam ipſi Sacerdotes, qui ad Jehovam appropinquant, ſe ipſos ſanctificent: ut non irrumpat in eos Jehova*. Exod. 19: 22. &24: 5. *Et miſit juvenes filiorum Iſraël, qui obtulerunt holocauſta & ſacrificarunt ſacrificia pacifica Domino, juvencos*. Sive illi familiarum primogeniti, ſeu ab univerſo populo ad ſacrum iſtud peragendum lecti fuerint.

Sacerdotes hoc tempore qui fuerint?

III. *Sacerdotes* tum temporis erant, cum ſinguli Patriarchæ, tum imprimis primogeniti. Summum autem ſacerdotium erat penes Patriarcham principem, penes quem etiam præcipua rerum ſacrarum cura erat. Poſt hunc ſacerdotes erant etiam reliqui patresfamiliarum, manente eminentiori jure ac honore ejus, qui primogenitus fuerat. Ille enim tum patre ſuperſtite defungi vicibus illius poterat, tum illo defuncto in locum illius ſuccedebat, & familiæ fiebat caput, quamdiu cum ipſo in eadem familia reliqui agebant fratres.

Fides Patriarcharum ſacri-

IV. Fides autem Patriarcharum ſacrificantium non alia fuit, quam quod Chriſti ſacrificium in iſtis umbris de longinquo proſpectabant, & primævam promiſſionem de promiſſo ſemine quotidie recolebant. Perſpicua enim erat figuratio, tum Patriarchæ ſacerdotis, qui præter alia Deum repræſentabat, peccata noſtra in Chriſtum conjicientem; tum victimæ cedendæ, quæ Chriſto olim venturo vicaria erat, ejuſque ſanguinem jam tum Eccleſiæ oſtendebat. Et cum Deus cœleſti igne ſacrificia eorum concremaret, (*Et factum eſt, ſol occiderat & prima tenebræ exſtiterant; & ecce fornax fumi & flamma ignis quæ tranſibat inter ſegmenta hæc*. Gen. 15: 17. *Exiens ignis à conſpectu Jehovæ, conſumſit in illo altari*

Digitized by Google

tari holocauſtum ipſum & adipes. Lev. 9:24. coll. Jud. 6:21. 2. Chron. 7:1. & Pſal. 20:4. *Recordetur omnia munera tua; & holocauſtum tuum* יְדַשְּׁנֶה *incineret)* viſibili divinæ acceptationis ſymbolo, in eo divini Spiritus adumbratio erat, qui per ardorem charitatis Chriſti carnem conſumturus, noſque in ſpirituales hoſtias Deo ſacraturus erat. Quatenus autem crebro ſacrificia iterabantur, in eo ſimul confeſſio reatus adhuc extantis, & *ἀνάμνησις τῶν ἁμαρτιῶν peccatorum commemoratio* peragebatur, Hebr. 10:3.

Ad cultum Patriarcharum externum non referenda obſervatio SABBATI,

V. Ad cultum Patriarcharum externum multi referunt etiam obſervationem *Sabbati*. Et jure, ſiquidem conſtaret illis Sabbati cultum vel injunctum, vel uſurpatum fuiſſe. Sed neutrum conſtat. Non enim vel leviſſima obſervationis Sabbati in hiſtoria Patriarcharum occurrit mentio. Cumque tam multæ ipſorum legantur peregrinationes & exilia, nunquam tamen ob ſeptimi diei quietem iter ab ipſis intermiſſum legimus. Neque veriſimile eſt, cum Deus tam ſeverè diei iſtius religionem Judæis injunxerit, utpote quæ ſignum ſanctificationis inter Deum & Eccleſiam foret, ejus neglectum in Patriarchis tam diu toleraturum fuiſſe. Pariterque nec præceptum de iſtius diei quiete ipſis datum reperitur. Ex cujus, cum *præcepti*, tum *obſervationis* defectu ac ſilentio (quæ duo conjungenda ſunt) firmiſſimum argumentum contra tale Sabbatum ducitur. Sed & contrarium conſtat; præceptum illud in deſerto demum datum, ut ex Ezechiele liquido conſtat, c: 20: 10, 11, 12. *Et eduxi eos ex Ægypto, & deduxi eos in deſertum atque etiam Sabbata mea* DEDI *ipſis, ut eſſent in ſigna inter me & ipſos, ad cognoſcendum, quod ego Jehova ſanctificem ipſos*. Unde de Sabbati quiete, tanquam novâ, cui indicium dabant miracula in cœleſti manna exhibita, Moſes loquitur: *Illud* eſt *quod edixit Iehova, quies, Sabbatum ſanctum* eſt *Jehovæ cras* &c. Exod. 16:23, 25, 26. Atque hæc quoque communis veterum Hebræorum, ac celebriorum inter recentiores ſententia eſt, qui ad *ſtatuta*, Exod. 15:25. (*Ibi poſuit ipſi, Iſraëli,* חֹק *definitio*[illegible] *& judicium, & ibi tentarunt ipſum*: ſicut & *præceptorum & ſtatutorum* v. ſeq. fit mentio) referunt etiam Sabbatum; præſertim cum id *præceptorum*, & *legis* nomine Exod. 16:28, 29. comprehendatur.

in deſerto demum Iſraelitis injuncti;

Quod alii Deum à mundi origine inſtituiſſe ſta-

VI. Aliis autem aliter videtur, Deum nempe, cum exemplo ſuo, quia ipſe quievit die ſeptimo, tum mandato, quia diem ſeptimum ſanctificavit, Sabbatum jam à mundi origine inſtituiſſe, juxta id quod legitur Gen. 2: 2, 3. quod Deus die ſeptimo *quievit ab omni opere ſuo quod fe-*

Digitized by Google

fecerat,& benedixit diei ſeptimo,& ſanctificavit eum. Sed de Sabbato morali & perpetuo hæc quidam accipiunt; & diei illius benedictionem ac ſanctificationem non ad illum ſolum diem,ſed ad reliquum porro univerſum tempus referunt. Atque ita *benedixit* Deus diei ſeptimo , quia , abſoluto creationis opere , beatiſſimus ille mundo illuxit , atque operum Dei finem , omniaque ea perfecta vidit ; ac præſertim hominem , Dei operum colophonem & gloriam, in cujus creatione Deus quievit, ad Deum perpetuò , ac in omne deinceps tempus benedicendum ac glorificandum conditum eſſe docuit. Atque eâdem ratione iſtum diem, & quicquid exinde temporis fluxurum erat, *ſanctificavit*, h. e. ſibi vindicavit; ut videl. in opere jam condito lætaretur, ac ab homine, qui ſolus Deo gloriam tribuere poterat , ac in cujus , tanquam perfectiſſimi operis ſui , creatione opus ſuum abſolverat , æternum glorificaretur. Quæ communis Dei operum , poſt conſummata ea omnia , benedictio ac ſanctificatio , ſeptimo die peracta, creationis finem oſtendebat ; ut omnia videl. quæ facta erant , ad Deum ut finem ſuum referrentur ; iſtoque in ſtatu mundus Sabbatum ſuum , non periodicum, ſed perpetuum , & quale beato iſti ſtatui conveniebat, æternum ageret. De quo etiam ſupra L. 11. C. v. §. 10. egimus.

innuit, è verbis Moſis Gen. 2: 2, 3. quæ tamen vel de Sabbato morali & perpetuo accipienda:

VII. Nec alterius Sabbati , ſaltem non hebdomadici , Apoſtolus meminit , in epiſtola ad Hebræos cap. 4. v. 3. *Ingredimur enim in requiem , qui credidimus : quemadmodum dixit , ut juravi in ira mea , ſi introibunt in requiem meam , quanquam opera à fundatione mundi facta eſſent. Dixit enim alicubi de ſeptima die ſic : Et requievit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis.* Cum enim probare vellet, reſervari Eccleſiæ ſabbatiſmum ſuum, id ex eo conficit, quod talis ſabbatiſmus promiſſus , nec hactenus inter tot Sabbata populo Dei præſtitus ſit: non in primo Sabbato, ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων, *operibus à mundi fundatione factis*; nec in quiete terræ Canaan; unde tertium tempus & beatiorem ſtatum Eccleſiæ reſtare concludit. Nullum autem horum Sabbatum periodicum dicit. Sed primum univerſi mundi Sabbatum , & poſt abſoluta Dei opera, quietis in poſterum peragendæ, ſemperque in ſumma delectatione continuandæ, initiatio erat: quo beato ſtatu, in ipſo ejus limine, homo per peccatum excidit; ac ſanctæ illi quieti , vel peragendæ, vel addiſcendæ , inidoneus factus fuit. Altera autem quies terram Canaan ſpectabat, quæ nec ipſa perfecta, nec ab homine, iſti cœli pignori incubante, benè uſurpata fuit. Unde alium ac tertium ſabbatiſmum,

cujus meminit Paulus Hebr. 4: 3, 4.

ac perfectiorem Eccleſiæ ſtatum, reſtare colligit Apoſtolus. Qui argumentationis ejus nexus & ſcopus oſtendit de periodicâ unius diei quiete ibi minimè agi; cum de Eccleſiæ univerſæ ſtatu agatur: cujus diverſas periodos, tum in mundi exordio, & beatiſſimi iſtius ſtatus auſpicio, quem homo protinus peccato corrupit; tum ſub Vet. T. in Cananææ ingreſſu; tum denique in Nov. Teſt. ubi verus demum ſabbatiſmus præſtandus erat, commemorat.

vel ſimplicius per prolepſin interpretanda ſunt.

VIII. Malunt tamen alii ſimplicius verba Moſis per προλῆψιν accipere: qui, cum *quietem Dei die ſeptimo* memoraſſet, Gen. 2: 2. iſta percommoda occaſione uſus ſit, iſtumque diem, ad imitationem quietis Dei, Iſraëlitis ſanctum eſſe ait: nam cum hæc ſcriberet, ille jam benedictus & ſanctificatus erat. Ut videl. eos, ad Sabbati cultum & fidem in Deum, totius mundi creatorem, tardiores, loco opportuno ad officium amplius incitaret. Atque diei iſti ſeptimo, poſt exitum ex Ægypto, inſtituto *benedictionem* & *ſanctificationem* Dei potiſſimum convenire putant: cum diem illum, tum ſermone, ſanctum appellando; tum opere, miraculis in manna editis, *benedixerit*; &, tum exemplo, in mannæ pluvia cohibenda; tum præcepto, dum eum à reliquo dierum orbe ſegregavit, & ſacra quiete tranſigi ſeveriſſimè juſſit, *ſanctificaverit*. Cujus ſanctificationis & benedictionis Moſes, in initio hiſtoriæ, cum in illius diei mentionem incidiſſet, commodiſſimè meminit. *Quum autem perfeciſſet Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, quievit ipſo die ſeptimo ab omni opere ſuo quod fecerat*, v. 2. atque his narratis ſubjungit, *Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit eum, quia in eo quievit ab omni opere.* Non quod hæc eodem tempore, poſt abſolutam mundi creationem, Deique quietem die ſeptimo, geſta ſint: ſed diei iſtius, ac præſertim quietis Dei in eo, mentio, percommoda occaſio erat, ad Iſraëlitas divino exemplo ad diei iſtius, ipſis jam dati, religionem & cultum excitandos; ut videl. ad imitationem Dei & ipſi Sabbatum agerent, & mundi conditi memoriam Deique quietem, ſingulis Sabbatis renovarent. Quarum προλήψεων exempla loco modo citato attulimus.

LOCUS DECIMUS SEXTUS,
CAPUT VIII.

De Eccleſiæ ſub Promiſſione ſtatu ac latitudine.

I. POſt conſideratam *promiſſionem* ipſam, ejuſque *propagationem*; tum etiam *verbum*, quo revelata, & *ſacramenta*, quibus confirmata fuit; ſequitur nunc quarto & ultimo loco conſiderandus *ſtatus* & *latitudo* Eccleſiæ ſub iſta promiſſione. *Eccleſiæ* STATUS *&* LATITUDO.

II. *Status* Eccleſiæ in univerſum triplex fuit, pro triplici fœderis gratiæ œconomia. Sub *promiſſione* enim Eccleſia fere fuit *œconomica*, hærens in familiis: ſub *Lege*, *nationalis* erat, collecta in populo Iſraëlis, atque uni terræ ac genti affixa: ſub *Euangelio* denique *œcumenica* ſive Catholica facta eſt, diſperſa per omnes gentes mundi. *in univerſum triplex fuit.*

III. Sub prima ergo periodo Eccleſia erat *œconomica*, coarctata intra Patriarcharum fideliumque familias; nec latè admodum, præcipuè ſub finem hujus periodi, patens; cum reliqui mortales, atque ipſa nonnunquam ſanctorum patrum ſoboles, ſæculi veneno afflata, in omne nefas paulatim proruperint. Quarum Eccleſiarum (tot enim ferè Eccleſiæ tum erant, quot piorum familiæ) ſtatum propius luſtrabimus. *œconomica ſub prima periodo, ſeu Promiſſione.*

IV. *Miniſterium* ſeu *præfectura* illarum Eccleſiarum tum temporis tota penes Patriarchas ſeu patresfamilias erat; qui fere omnes Prophetæ erant, V. G. *Enoch*, qui *ſeptimus ab Adam prophetavit, dicens: Ecce, venit Dominus cum myriadibus ſanctis ſuis.* Jud. v. 14. Noach, qui *dixit*: *Maledictus Canaan ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Benedictus Jehova Deus Sem, & erit Canaan ſervus ipſis. Perſuadebit Deus Japheto, & habitabit in tentoriis Semi.* Gen. 9: 25, 26, 27. Abraham, de quo dictum: *Reſtitue uxorem illius viri, Propheta enim eſt.* Gen. 20: 7. conf. Heb. 1: 1. *Deus multis partibus & multis modis olim locutus patribus in prophetis, ſub ultima dierum horum locutus eſt in filio.* Ita ut verbo ſcripto non adeo tunc opus eſſet. Illis autem adjuncti erant filii primogeniti, qui una cum patribus ſacerdotio fungebantur. *Illarum Eccleſiarum præfectura,*

V. *Inſtitutionem* ſacram obibant iidem familiarum patres, in ſua unuſquiſque domo. *Cognovi ipſum*, Abrahamum, *ut præcipiat filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, & obſervent viam Jehovæ, ut faciant juſtitiam & judicium.* Gen. 18: 19. Unde deinceps patrum & filiorum nomen etiam in pro- *inſtitutio*

Digitized by Google

phetarum ſcholis manſit: *Quod Eliſa videns ipſe clamavit, Pater mi, Pater mi, currus Iſraëlis & equites ejus*. 2. Reg. 2: 12.

& regimen, ſuit penes patresſamilias; VI. Penes eoſdem patres etiam Eccleſiæ, quæ in familiis ipſorum concluſa erat, fuit regimen: ita tamen, ut pluribus Eccleſiis ac familiis, ut quibuſdam videtur, anteiret & præſideret unus Patriarcha, iſque vetuſtiſſimus, & familiæ univerſæ princeps Ita enim *Adamus*, dum ſuperſtes fuit, reliquis familiis paterno jure præfuiſſe videtur; poſtque illum *Sethus*; ac poſt hunc alii, forte prout in ſancta lineâ recenſentur: Similemque poſt diluvium προστασίαν habuit Noachus, & qui eum ſecuti ſunt, ſuo quiſque ordine, uſque ad multiplicationem populi in *Ægypto* Ubi poſt *Joſephi* mortem immutata paululum, vel turbata potius videtur Eccleſiaſtici regiminis ratio. Cujus tamen apparent reliquiæ, *cum ad omnes ſeniores filiorum Iſraël Moſes & Aaron* à Deo mittuntur, Exod. 4: 29.

ut quoque rerum civilium arbitrium: VII. Nec rerum ſacrarum ſolum, ſed & civilium arbitrium penes illos ſtetit; ſeu propriam quiſque familiam paterna auctoritate regeret, ſeu diverſæ familiæ nonnunquam in commune conſulerent; quod fieri ſæpe neceſſe erat, & per patres eorum ſine dubio fiebat, maxima haud dubiè auctoritate ejus, qui gentis ea ætate caput aut princeps foret. Diſpar autem prorſus erat Eccleſiaſticæ ac civilis poteſtatis ratio: cum in his paterno jure ac plenâ poteſtate agerent; in illis autem nulla juriſdictio aut imperium locum habeat. Et hac ratione utramque poteſtatem in eaſdem perſonas confluxiſſe, Melchiſedeci Moſisque exemplo, ut alios mittamus, manifeſtum eſt.

diſpari tamen poteſtatis ratione. VIII. Unde licet familiis ſuis præeſſent, non tamen iis, nedum familiis ac Eccleſiis omnibus, præerant jure Pontificis & Monarchæ, in fide infallibilis; ut Papæ Gnathones, vel hinc ejus dominationi ſupparaſitaturi, volunt. Etſi enim patribus in ſua domo, & Patriarcharum præcipuo ex gr. *Adamo, Setho, Noacho*, in reliquos omnes τὰ πρωτεῖα conveniſſe largiri poſſimus; longe tamen illud aberat ab αὐτοκρατορικῇ poteſtate, & dominatu in Eccleſiam. In qua quantopere ἀρχὴ ſive principatus Deo diſpliceat, in turri Babylonicâ oſtendit. Et necdum ea tempora erant, quod Deus Eccleſiam ſuam neglectim habere, ipſique pædagogos ac tutores dare conſtituerat.

Eccleſia hujus temporis periodi duæ. IX. Ut autem aliquem Eccleſiæ hujus temporis conſpectum habeamus, commodè illam in duas periodos diſpeſcemus; quarum una fuit *ante-diluviana*, altera *poſt-diluviana*. Utriuſque conſideranda ſunt, cum ſtatus, tum latitudo.

X.

Digitized by Google

X. *Ante-diluviana* diviſit ſe in duos cœtus; *Sethitas*, ſive imitatores justi *Habelis*, cui *Sethus* ſucceſſerat (*Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Habele*, Gen.4:25.) & *Cainitas*, Eccleſiæ deſertores, utpote ſucceſſores *Caini* fratricidæ. Hinc diviſio *filiorum Dei*, & *filiorum hominum*: *Tunc cœptum eſt* לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה *nominari nomen Domini*, h. e. tunc cœperunt homines à Domino ſe denominare, Gen. 4:26. & ſe *filios Dei* dicere; ut eſt c.6.2. *Viderunt filii Dei filias hominum, quod bonæ eſſent* &c. *1. Ante-diluviana, diviſa in Sethitas & Cainitas.*

XI. In priori ſerie inter vetuſti ſæculi heroas maxime eminuit *Habel* juſtus, & *Henochus*, qui *cum Deo ambulavit*. Gen 5:24. *Fide potius ſacrificium Abel præ Caino obtulit Deo; per quod teſtimonium conſecutus eſt, quod juſtus eſſet, teſtante ſuper donis ejus Deo, & per illud de mortuo etiam ſermo habetur. Fide Enoch tranſlatus eſt ne videret mortem, & non inveniebatur; quia tranſpoſuerat eum Deus. Nam ante tranſlationem ſuam teſtimonium accepit grata feciſſe Deo.* Hebr.11:4,5. Quorum uterque eximius fuit typus Chriſti. *In priori ſerie eminuere,* HABEL,

XII. *Habelis* enim cædes, qui primus hominum mortem oppetiiſſe legitur, at non ſuo fato, Chriſti mortis, olim inſonti infligendæ, manifeſta imago erat. Utque ille, poſt peractum ſacrificium, fraternis furiis occubuit, ac terram adhuc virginem ſanguine ſuo primus fœdavit: ita Chriſti ſacrificium, & mors ſanguinolenta, & fratrum ſecundum carnem odia, & Cainiticum nefas, ſanguiniſque ipſius clamor adumbrabantur. Sed diſpari eventu; cum alia Habelis, alia Chriſti ſanguis poſtulet; utque illo terra primum fœdata, ita hoc ea expiata ac purgata eſt, juxta Hebr.12:24. *Acceſſiſtis ad Teſtamenti Novi mediatorem Jeſum, & ſanguinem aſperſionis meliora loquentem præ Abel.*

XIII. Utque ille Chriſti mortem & ſacrificium, ſic *Enochus* diverſa imagine Chriſti exaltationem & gloriam figuravit. *Adamo* enim fato functo, ne videl. cœlum naturâ nobis deberi videretur, *Enochus*, *tertius* illorum, quorum exitus in Scripturâ refertur, ab Adamo autem *ſeptimus*, *vivus* è mortalium cœtu ablatus, & in beatas ſedes tranſlatus eſt. *&* ENOCHUS,

XIV. Ab alia parte prima Eccleſiæ hujus corruptio & labes nata fuit ex *Caini* apoſtaſia; qui adverſus omnes tres hujus ſæculi Theologiæ partes peccavit, fidem nimirum, cultum & obedientiam: unde ipſe maledictione ſua onuſtus & è finibus Eccleſiæ exterminatus à Deo, Gen.4:12. ab illa fugatus, pariter illam fugit, v.16. Quæ illius apoſtaſia ad A.M. 129. à quibuſdam refertur. Hæc Caini, Eccleſiæ *Eccleſiæ illius prima corruptio, & reformatio.*

 cor-

corruptoris, ejectio, prima quaſi Eccleſiæ reformatio fuit. Serpente vero interea latius inter Cainitas corruptione, altera ſucceſſit Eccleſiæ reformatio, 300 circiter à reformatione prima annis; quando ſub *Enosho* Eccleſia viſibiliter à mundo ſeparata & à nomine Domini denominata fuit, Gen.4: 26. cujus reformationis vi per annos circiter 1000 ipſa floruit.

altera,

tertia.

XV. Rerum vero proceſſu rurſus conjuncti Cainitæ & degenerantes nunc Sethitæ, alteram apoſtaſiam invexerunt: qua corrupta fuit paulatim Sethi poſteritas, ac afflata fuit Eccleſia ſæculi contage, ex imparibus nempe cum apoſtatis conjugiis; *Et viderunt filii Dei filias hominum, quod bonæ eſſent, & acceperunt ſibi uxores de omnibus, quas elegerunt.* Gen 6:2. Unde, rupto pudore, fas omne, & ſanctitas, ac fides, ex rebus humanis periere: *Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat, quia corruperat omnis caro viam ſuam ſuper terra*, Gen.6:12 ſuperſtite uno *Noacho*, viro juſto, & ſcelerum puro, ac in exemplum iſtius ætatis edito. Erat autem tanta ſæculi corrupio, ut *mundum impiorum* vocet Apoſtolus Petrus, 2. Epiſt. c. 2: 5. qui, niſi humana gente deleta, miſſiſque aquis cœleſtibus, luſtrari ac expiari non poterat, Gen. 6.

vigente tum, non idololatria, ſed impietate & profanitate ad atheiſmum accedente.

XVI. Peccatum tum regnans non videtur fuiſſe idololatria; quanquam & illam circa Enochi tempora viguiſſe velit Maimonides. Cum enim tam recens foret mundi creati memoria, ac Patriarchæ veræ doctrinæ cuſtodes diutiſſimè rebus humanis intereſſent, & crebris Dei alloquiis fruerentur, idolorum quidem cultum iſta mundi infantia ignoraſſe videtur. Unde Scriptura ejus demum poſt diluvium meminit: *Furata eſt Rachel imagines, quas habebat Pater ejus*, Gen. 31: 19. Potius autem tum viguit impietas, ac Dei oblivio & profanitas, ad atheiſmum accedens; quæ & ultimorum ſæculorum labes eſt.

Eccleſia ante diluviana raritas.

XVII. Unde apparet, quanta Eccleſiæ ante-diluvianæ fuerit latitudo, ſeu potius raritas. In principio enim mundi, cum in quatuor capitibus, quæ ſola referuntur, ſtaret hominum genus, unam animan infernus prædo abſtulit; eaque altera ipſius de humana gente victoria fuit: quam poſt lapſum à Deo erectam ipſe mox rurſus laceſſere, & miſeræ fœminæ, quam incautam olim ſuperaverat, primogenitam prolem rapere auſus fuit. Deinde toto ad diluvium tempore, per 1657 annos, rari Dei cultores recenſentur, iique fere in Sethi nepotumque ejus lineâ. Ut Eccleſia tunc paucorum hominum fuerit. Sub diluvii autem tempora octo tantum animæ numerantur, quæ in arca ſervatæ ſunt; ubi

Digitized by Google

ubi tunc univerſa Eccleſia congregata erat(quod nunquam ſub Lege, multo minus ſub Euangelio contigit:) quem parvum gregem magnus ille paſtor in vaſta mundi ſolitudine tum agebat. Ac ſeptem tantum ex iis puræ erant. Quemadmodum etiam in ultimo ejus adventu in gloria non adeo magnus videtur futurus fidelium numerus : *Filius hominis quum venerit, num reperturus eſt fidem in terra?* Luc. 18:8. Ut ſatis pateat, contra quoſdam, Eccleſiam ante-diluvianam non fuiſſe univerſalem, nec univerſalem generis humani per primam promiſſionem inſtaurationem fuiſſe factam.

XVIII. Sequitur Eccleſia *poſt-diluviana.* *Inſtauravit* enim Deus poſt diluvium una cum mundo Eccleſiam ſuam, per *Noachum*, alterum mundi parentem; à quo & *χαρίσματα* accipere dignatus fuit, & fœdus ſuum cum eo pangere: *Et ſtruxit Noach altare Jehovæ -- & obtulit holocauſta in eo. Et odoratus eſt Jehovah odorem fragrantiæ: & dixit ad cor ſuum: non addam maledicere amplius terræ propter hominem*, Gen. 8: 20, 21. *Ecce ego conſtituo fœdus meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos -- Hoc ſignum fœderis, quod ego do inter me & vos, & inter omnem animam vivam, quæ vobiſcum* eſt *in ætates ſæculi*, c. 9: 9-12. *2. Poſt-diluviana; inſtaurata à Deo per* NOACHUM:

XIX. Hujus ergo Eccleſiæ inſtauratæ Theologia magno luminis acceſſu aucta eſt. Cum enim ante tres ejus jam vigerent partes, promiſſio gratiæ, lex naturæ & cultus inſtituti præſcriptio; nova Noacho revelatione facta, prima multum acuta, ſecunda plenius expoſita, tertia ulterius ſtabilita eſt. Promiſſioni enim acceſſit fœderis nomen, legi præcepta varia, de abſtinentia nempe à ſanguine, Gen. 9: 4. & ſanguinis effuſione, v. 5, 6. (quibus male ſuperaddunt alii *πολυθρύλλητα* illa ſeptem Noachica præcepta, de quibus ſupra viſum:) cultui denique inſtituto novum fœderis ſignum.

XX. *Noachus* autem, ut reliqui iſtorum temporum heroës, non obſcuram imaginem Chriſti geſſit. Ut enim ille veteri mundo *juſtitiæ præco* & exemplum, *novique caput* ac parens fuit; qui, cum univerſus orbis ob impietatem aquis mergendus eſſet, generis *humani reliquias* in *arca* ſervavit; ac, deſæviente Dei ira, hominum labori tandem finem & *quietem* adeptus eſt, oblato *ſacrificio*, quod accepit Deus, dum cum humano genere *fœdus* ſuum renovavit, Gen. 8. ita hæc omnia Chriſtus digniori longe modo Eccleſiæ ſuæ, ex mundi vulgo electæ, ac ſe auctore ſervatæ præſtitit. *qui Chriſti typus fuit.*

XXI. Hanc novam Eccleſiam non parum turbavit illius defectio in

Hanc Eccleſiæ inſtaurationem excepit defectio CHAMI,

in *Chamo* & *Canaane*; quorum erupit diu celata impietas, occaſione triſtis caſus ebrietatis & proſtitutionis Noachi: circa quam diverſa filiorum ſtudia ſeſe probabant; tum *Chami*, irriſoris ac profani; cui *Canaan* adjungitur, ut ſerius hæc eveniſſe pateat; tum *Semi* & Japheti, Gen 9: 21-25. Unde rurſus Eccleſia, vix ex diluvii aquis renata, quanquam in una familia ſtaret, quæ ſpem generis humani ac Eccleſiæ continebat, ad minorem numerum contracta eſt; & fatidica Noachi ſuper filiis voce, ejecto Chamo, quod illuſtre reformationis documentum fuit, in unius Semi ſtirpe concluſa eſt; cum ſpe alliciendi olim ad ſancta tabernacula Japheti. *Et dixit: maledictus Canaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Et dixit: benedictus Iehova, Deus Semi; eritque Canaan ſervus illius. Perſuadebit Deus Iapheto, & habitabit in tentoriis Semi; eritque Canaan ſervus illis*, Gen. 9: 25, 26, 27. Servitus enim hæc Chami, quanquam in Cananæis ad literam impleta ſit, magnaque in parte in aliis ejus poſteris adhuc hæreat; præcipuè tamen ſpiritualis fuit, & excluſionem à fœderis Dei hæreditate ſignificavit: quod Patriarchas, primævæ promiſſionis cuſtodes ac traduces, in tradenda filiis hæreditate, fatidicisque illis benedictionibus vel maledictionibus, potiſſimum ſpectaſſe, ſupra vidimus.

& ſecuta hinc fatidica Noachi ſuper filiis ſuis vox.

Ex Chami ſtirpe prodiit NIMRODUS.

XXII. Ex ſtirpe *Chami* prodiit *Nimrodus*, *potens venator coram Jehova*, Gen. 10:8, 9. Sicut venatus veterum heroum peculiare ſtudium erat. Quanquam quidam, quia *potens venator* dicitur fuiſſe *coram* JEHOVA, verba illa de regnorum venatu, & inſana hominis ambitione accipiunt, quam religionis ſtudio ac Jehovæ nomine velabat: tanquam qui paternæ traditionis de vero Dei cultu ſtabiliendæ cauſa regna & imperia agitaret; ut iſto munimento ſanctam Patrum fidem à corruptione præſervaret. Primus enim hic fuit, qui exuta æqualitate Monarchiam erexit: *Et exſtitit principium regni ejus Babel* &c. v. 10.

Quem præceſſerat extructio turris Babylonicæ.

XXIII. Præceſſerat autem *Nimrodum* altero poſt diluvium ſæculo illuſtris illa πυργοποιΐα, extructio turris *Babylonicæ*, Gen. 11. quæ ad annum poſt diluvium 101. fere referri ſolet. In quo ſacrilego hominum primorum auſu tanto ante typum videre licet *Babylonis* ſpiritualis, quæ extructa poſtea fuit, tanquam religionis metropolis, à quâ omnes toto orbe nationes & Eccleſiæ dependerent, ad tuendam fidei unitatem; quæque eſt ſedes auctoritatis Eccleſiaſticæ & *Nominis* illius, quod Scriptura appellat *nomen blaſphemiæ. Veni, demonſtrabo tibi judicium meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquis multis. -- Et vidi mulierem ſeden-*

Digitized by Google

ſedentem ſuper beſtia coccinea, plena nominibus blaſphemiæ. -- Et mulier, quam vidiſti, eſt urbs illa magna, quæ habet regnum in reges terræ. Apoc. 17: 1, 3, 18.

XXIV. Atque in hac Eccleſiæ ætate per omnes iſtas corruptelas ſenſim invecta eſt univerſalis apoſtaſia: ſpeciatim autem emerſit *idololatria*; cujus primam mentionem invenimus in cognatione *Abrahami*: *Furata eſt Rachel imagines quas habebat Pater ejus*. Gen. 31: 19. *Ultra flumen* Euphratem *habitabant majores veſtri olim*, utpote *Therah pater Abrahami & pater Nachoris: colebantque Deos alienos*, Joſ. 24: 2. Quanquam ea jam ante illius tempora invaluiſſe videatur.

In hac Eccleſia ætate occurrit prima mentio IDOLOLATRIÆ;

XXV. Duplex autem illa erat, 1. qua Deus verus colebatur in imagine qualicunque; cujus exemplum eſt Gen. 31: 19. 2. Qua vagus Deus colebatur. quando nim. genus humanum, Dei ſui incertum, rebus creatis divinam primo virtutem (nondum enim illas Deum ipſum eſſe credebant, ſed Deum earum interventu beneficia ſua hominibus largiri, ac coli velle putabant) tandem vero, Deo prorſus relicto, divinitatem ipſam, vel majorem, vel minorem affixit. Ubi primus Sabæorum fuit cultus; qui Solem, Lunam, & ſtellas coluerunt, qui inde *Sabaiſmus* dicitur: cui hominum defunctorum & dæmonum venerationem addidit *Helleniſmus*. Quæ cultus idololatrici, qui totum orbem poſtea, immani generis humani crimine, & in creatorem contumeliâ, defœdavit, duo fuerunt genera, non longo intervallo ſe invicem excipientia. Simulachrorum autem & imaginum dedicatio ac veneratio utrique communis fuit. Atque hæc gradibus quibuſdam & ſpatio proceſſerunt.

quæ duplex fuit.

Hinc orta duo idololatrici cultus genera, Sabaiſmus & Helleniſmus.

XXVI. *Prima* & antiquiſſima idololatria cœpit à cœli ſoliſque præcipuè, totiuſque illius cœleſtis chori, cultu; qui, prout videtur, mox à diſperſione Babylonica mundum occupavit, antequam idola, quæ coluit *Helleniſmus*, vel nota fuerunt, vel nata. *Cum nondum ſub Jove mundus.* Cujus rei memorabile extat teſtimonium Job. 31: 26, 27. *Si vidi lucem, quod ſplenderet, & lunam pulchre incedentem; & ſeductum eſt in ſecreto cor meum; & oſculum tulit manus mea ori meo. Et hac pravitas judicialis* eſt. *Nam abnegaſſem* Deum, qui *ſupra* eſt. Ubi primæ illius idololatriæ univerſam rationem pandit vir ſanctus.

Gradus, quibus proceſſerunt.

XXVII. *Sabaiſmo* ſucceſſit hominum demortuorum cultus; circa quem cum maxime ſuperſtitioſi fuerint Græci, qui tantam numinum turbam invexerunt, *ut major ferè cælitum inveniatur populus, quam hominum.*

num. Plin. inde *Helleniſmi* nomine venit. Cum enim homo eſſet creaturarum excellentiſſima, & anima immortali præditus, inde pronum fuit hominibus eximiis & magna meritis divinitatem ac divinos honores, præcipuè poſt mortem, adſcribere. Quam idololatriæ originem, ac hominum ἀποθέωσιν, ex vero tradit auctor libri Sapientiæ, c. 14: 15, 16, 17. *Acerbo luctu vexatus Pater quum filii cito ſublati imaginem feciſſet, hominem tunc quidem mortuum, nunc verò ut Deum affecit honoribus, & ſubjectis myſteria ſacrificiaque tradidit. Deinde procedente tempore invaleſcens hac impia conſuetudo, tanquam lex cuſtodita eſt, & tyrannorum praceptis cultus ſculptilibus attributus eſt: quos quum in os honoribus non poſſent proſequi homines, eo quod longè habitarent; longinquam eorum faciem effigurantes, conſpicuam imaginem Regis quem honorabant fecerunt, ut abſenti ſtudioſè tanquam præſenti aſſentarentur.* Atque ita omnes artium inventores, aliterve de genere humano præclare meriti, cœleſti nomenclatura digni habiti, ac dii facti ſunt: & plerorumque *nomina Deorum ex hominum nata ſunt meritis. Hic enim eſt vetuſtiſſimus referentibus bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adſcribantur. Hac proceres iêre Romani; hac nunc cœleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis avi rector Veſpaſianus Auguſtus, rebus feſſis ſubveniens.* Plin. lib 2. c. 6.

XXVIII. A creaturis intelligentibus ad irrationales progreſſa eſt hominum temeritas. Vide Rom. 1: 21, 22, 23. *Deum cognoſcentes, non ut Deum glorificaverunt, ſed vani facti ſunt in cogitationibus ſuis, & obtenebratum eſt inconſideratum cor ipſorum. Dicentes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & reptilium.* Beſtias enim & hortorum germina in Ægypto culta ex hiſtoriis & poëtis conſtat. Unde Satyricus, illic *oppida tota canem venerantur, nemo Dianam: porrum & cepe nefas violare & frangere morſu. O ſanctas gentes* &c. Imo tandem & virtutes & vitia, hominumque affectus, & morbos, ac peſtes in genera deſcripſerunt, & templis ac aris coluerunt; dum videlicet illas ſibi eſſe placatas trepido metu cupierunt. Ita ut univerſa tandem natura deificata fuerit; nec vero Deo in iſto regno ſuo quicquam relictum.

Eccleſia collapſa in ABRAHAMO *inſtaur.*

XXIX. Ita Eccleſiâ Noachicâ per Babylonicam, ſeu Nimrodicam apoſtaſiam plane corruptâ, cum idololatria indies creſceret, & impietas ac nequitia hominum magis magiſque invaleſceret, omni alia ſpe reformationis decollante, novam Eccleſiam, nova revelatione inſtru-

ſtructam, erigere Deus conſtituit. Hoc vero non niſi per aliquorum à reliquis ſeparationem fieri potuit. Factum autem id eſt in vocatione *Abrahami*, Gen 11. & 12. annis circiter à diluvio 426. quo intermedio tempore Theologia Noachica obtinuit. Abrahamo vero Deus veram religionem novis revelationibus explanatam & ampliatam tradidit: promiſſionem enim antiquam clariorem & pleniorem, variiſque vicibus repetitam, illi dedit, eamque fœderis gratiæ uberiori explanatione roboravit; eaque omnia ipſi & ſemini ipſius addixit, Gen. 17: 1, 7. inſtituta inſuper in fœderis ſignum circumciſione, omni ejus ſemini, etiam infantili, imprimenda, v. 9--13. Ex quo factum, quod Eccleſia, hactenus vaga & inſtabilis, firmata & in unam quaſi familiam ſenſim redacta ſit, per illam ſeparationem novique ritus inſtitutionem viſibilior reddita: unde ab eo tempore magis conſpicua & glorioſa quàm unquam antea emicuit, & poſthac nunquam adeo abſolute defecit. Ab hac autem Eccleſiæ inſtauratione illuſtris hæc Theologiæ expoſitio & renovatio, & ampliatio in familia Abrahami uſque ad legiſlationem ſtetit duravitque annos 430. Exod. 12: 40, 41. Gal. 3: 17. Quo intermedio tempore Deus novis ſubinde revelationibus fideles excitavit & confirmavit: dum ipſi variis interim afflictionibus & perſecutionibus exercitati magis, quam fracti aut oppreſſi fuerunt.

ratio & reformatio.

XXX. Atque ex hac Theologiæ religioniſque poſt diluvium corruptione & poſterorum à patrum fide apoſtaſia, melioriſque Eccleſiæ in Abrahamo ejuſque familia inſtauratione, jam Eccleſiæ illius *latitudo* apparet: quomodo nimirum nec illa ullo modo univerſalis fuerit, ut quidam crepant; cum hoc nulla Eccleſiæ ætate ad plenum obtinuerit. Quod ut propius videamus, 1. quaſdam gentes jam tum per gradus rejectas fuiſſe docebimus. 2. oſtendemus, quando illa rejectio facta ſit. 3. & qua diverſitate, ſive quam latè ſeſe extenderit ſub promiſſionis periodo Eccleſia.

Eccleſia illius temporis latitudo quæ non fuit univerſalis:

XXXI. Ac primum quod attinet, 1. in ipſa *Noachi* familia ſeparatio mox facta fuit, rejecto Chamo, ut ſupra vidimus. Atque jam tum ſtrui cœpit paries ille intergerinus, quo gentes ſecernendæ erant, qui tandem plenè abſolutus & in mundo erectus fuit. 2 Secuta eſt linguarum confuſio in *Babele*; per quam Dei verbum & traditio prophetica ablata fuerunt iis gentibus, quæ cum linguâ ſanctâ non potuerunt conſueſcere. Unde Eccleſiâ deinceps præcipuè in familia *Heberi* hæſit. 3. Cum autem & illius poſteri ad idololatriam prolaberentur, Iſraëlita-

quippe gentes quædam jam tum per gradus rejecta ſunt.

 rum

rum enim *majores ultra flumen olim colebant Deos alienos*, Joſ. 24: 2. elegit ex iis Deus ſpeciatim *Abrahamum*, Gen. 12. 4. Sed nec omnem ejus ſobolem in fœderis hæreditatem admiſit; ſed rejecit *Iſmaëlem*, primogenitum, aliosque ejus liberos, atque *Iſaacum* ſolum elegit. *Ejice ancillam iſtam & filium ejus: non enim futurus eſt hæres filius ancillæ illius cum filio meo, Iſaaco. -- In Iſaaco vocabitur tibi ſemen.* Gen. 21: 10, 12. 5. Et ne matrum conditio in Abrahami familia diſcrimen hoc parere videretur, in ipſa *Iſaaci* familia, inter fratres gemellos & planè æquales, *Eſavum* & *Jacobum* idem diſcrimen ſtatuit: *Necdum enim natis pueris, -- ut quod ſecundum electionem eſt, Dei propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei: Major ſerviet minori* &c. Rom. 9: 10-14. 6. In familia *Jacobi* autem hujuſmodi quidem ſeparatio facta non legitur, receptis ex æquo duodecim Patriarchis. Verum, horum ſobole multiplicata, reliquæ tandem gentes, quarum rejectio hactenus inſtitui ſolum cœperat, nec niſi gradu aliquo proceſſerat, pleniſſimè abdicatæ ſunt. Inque ipſo poſtea Iſraële, corrupta diu apud decem tribus religione, fœderis prærogativa ac principatus penes Judam remanſit. Atque ita gratiam ſub hac periodo nunquam videmus univerſalem, ſed ſemper cum diſcrimine exercitam; & in *Sethi*, *Noachi*, *Semi*, *Abrahami* denique ſtirpe, reliqua patrum ſobole ut ſpuria rejecta, ſtetiſſe.

Quando hæc gentium rejectio potiſſimùm facta ſit?

XXXII. Ad *ſecundam quæſtionem: quando* hæc gentium rejectio potiſſimum facta ſit? Reſp. Eam, utcunque diu ante cœptam, & per partes promotam, tamen poſt quatuor demum ſæcula, poſt Abrahami tempora, abſolutam eſſe, juxta Dei prædictionem: *Et tu venies ad patres tuos in pace, ſepelieris in canitie bona. Et ætas quarta revertentur huc: quia non conſummata eſt pravitas Emorrhæi hactenus.* Gen. 15: 15, 16. Quod factum ſub Joſua, quando Iſraël, & cum eo Eccleſia, Paleſtinæ finibus incluſa, & Cananæi, in ſeveritatis Dei gentibus jam monſtrandæ exemplum, exciſi fuerunt; ac, erecta Judæorum republ. ac tandem templo, paries ille intermedius, qui reliquas gentes omni ad Eccleſiam aditu prohiberet, conſummatus fuit. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utrumque unum, & intergerinum parietem ſolvit, inimicitiam, quæ in carne ejus erat; dum legem præceptorum in placitis conſiſtentem ad nihilum redegit; ut duos illos crearet in ſe in unum novum hominem, faciens pacem.* Eph. 2: 14, 15.

Eccleſia ſub promiſſionis periodo di.

XXXIII. Unde *tertiò* patet, quæ tum Eccleſiæ fuerit diverſitas, & qui illius *termini* ſub Promiſſione. Diſtinguendum enim hic inter Eccleſiam circumciſam & præputiatam. Eccleſiam *circumciſam* quod attinet,

tinet, illa apud ſolos Abramidas fuit. Cum vero circumciſio tum non-dum publicum Eccleſiæ foret ſacramentum (quod conſtitutâ republ. Judaicâ demum factum eſt ſub Moſe) ſed Abrahami familiam ſolùm ſpectaret; vera Eccleſia tum temporis etiam inter *præputiatos* viguit; nec ulli genti aut familiæ alligata, ſed paſſim per varias gentes diſperſa fuit, prout reliquiæ fidelium inter illas adhuc ſuperſtites erant. Qualis erat *Melchiſedechus* in *Canaanitide*, multique iſtiuſmodi alii. Quæ Noachidarum Eccleſiæ, quanquam præputiatæ, etſi Abramidis conjunctæ non eſſent, unam tamen cum illis Eccleſiam Catholicam illius temporis conſtituebant.

verſitas termini.

XXXIV. Cum vero Eccleſiæ illæ ſenſim corrumperentur, & piorum reliquiæ intra quatuor illa ſæcula paulatim extinguerentur; poſt illud tempus, & præcipue deinceps, cum nihil ſancti ac integri inter ipſas ſupereſſet, gentes à fœdere Dei rejectæ, & tanquam profanæ habitæ fuerunt. *Recordamini, quod fueritis in tempore illo ſine Chriſto, abalienati à republ. Iſraëlis & hoſpites teſtamentorum promiſſionis, ſpem non habentes & ſine Deo in mundo.* Eph. 2: 12. A quo tempore uſque ad Meſſiæ adventum maximam hominum partem *propriis ipſorum viis incedere* Deus *permiſit*, Act. 14: 16. Adeo ut exinde Eccleſia *Iſraëlitica* circumciſa ſola tunc in mundo fuerit; & gentiles in præputio ſervati non ſint, niſi ſe Eccleſiæ Iſraëliticæ adjungerent: *Canta ſterilis* quæ *non peperit; fragorem fac cantu, & hinni qua non doluit. Nam multi ſunt filii deſolatæ, præ filiis maritatæ, dixit Jehovah.* Eſai. 54: 1. coll. Gal. 4: 27. Qui Eccleſiæ poſt Moſen & legiſlationem, ſtatus fuit; quem jam deinceps conſiderabimus.

Digitized by Google

LIBER IV.

De Oeconomiâ Fœderis gratiæ ſub LEGE MOSIS.

LOCUS DECIMUS SEPTIMUS
De Veteri Teſtamento & Lege.

CAPUT I.
De Veteri Teſtamento.

Secunda fœderis gratiæ œconomia,

I. SEquitur nunc poſt Promiſſionem altera Eccleſiæ ætas; quâ, euntibus ordine fatis, conſiliiſque Dei ſeſe magis magiſque explicantibus, illa jam anguſtiori fine concluſa, & deſerto, quem hactenus incoluerat, orbe, intra Cananææ ſpatia contracta fuit. Nec mundo ſolum ſeveritas iſta Dei incubuit; ſed in Iſraële quoque non una facie ſe exeruit; dum promiſſio, quæ hactenus nuda & inveſtis fuerat, velo obtecta, ac umbris obſcurata fuit; & populus ille, ut ferociam ponere aſſueſceret, ſub pædagogo collocatus, ac jugum ferre juſſus, & multiplici miniſterio oneratus fuit; ut Chriſtum ardentius ſuſpirare, & beatiſſima gratiæ tempora (in quibus omnium Dei operum complementum eſt) expectare doceretur: quando laxanda iterum erant Eccleſiæ pomœria, genteſque pariter & Judæi, omiſſa priſca ſeveritate, poſt longum divortium ad Deum adducendæ, atque Eccleſiæ ſtatus, tum in terra, tum in cœlo, pleniſſime conſummandus.

ſub Vet. Teſt. & Lege, quo modo conſideranda.

II. Quæ ſecunda Eccleſiæ œconomia ſub Vet. T. & Lege fuit. In qua conſideranda hæc quatuor capita: 1. *Vetus Teſtamentum*, & *Lex*, illud concomitans. 2. *Revelatio, & verbum*, quo hoc Vet. Teſt. & Legis miniſterium adminiſtratum eſt. 3. *Sacramenta*, quibus illa œconomia confirmata fuit. 4. Denique *ſtatus Eccleſiæ* ſub illa.

III. Ad

III. Ad primam partem pertinet tractatio 1. de *Veteri Teſt.* quod ſub hac œconomia exordium ſumſit. 2. de *Lege Moſaicâ*, ſuper qua Vetus Teſt. fundatum fuit. 3. de *gratia & Promiſſionis mixtura* cum Legis miniſterio.

IV. Speciatim vero circa *Vetus Teſtamentum*, quod Promiſſioni acceſſit, & unde Eccleſiæ ſub lege exordium ducendum eſt, conſiderabimus, 1. *appellationem*. 2. *naturam* & conſtitutionem. 3. *originem*, ſive initiationem. 4. adjunctam ejus *œconomiam*.

V. Appellatur *Teſtamentum Vetus*: quo nomine propriè ſignificatur Dei propoſitum, de dandâ populo ſuo hæreditate typica; metonymicè autem, propoſiti illius executio, ſtatuſque ac adminiſtratio Eccleſiæ iſto tempore; ac longiori denique translatione, libri ſacri ſub iſta œconomia conſcripti ita appellantur. *Occalluerunt mentes illorum. Nam uſque ad diem hodiernum, in lectione Vet. T. manet non retectum velamen illud, quod in Chriſto inutile factum tollitur.* 2. Cor. 3: 14. VETUS TESTAMENTUM.

VI. *Teſtamentum* dicitur hoc propoſitum, Hebr. ברית quod non ſolum pactum quodlibet, ſed & teſtamentariam diſpoſitionem dicit: quam & exprimit Græca vox διαθήκη, ut ſupra vidimus; quia teſtamenti habet ſimilitudinem ac firmitatem; & victimarum ſanguine ac Dei juramento confirmatum eſt. κεκυρωμένην διαθήκην *hominis ratum factum teſtamentum nemo rejicit, aut ſupra diſponit*, Gal. 3: 15. *Eo die ſuſtuli manum*. h. e. juravi *ipſis, de educendis ipſis ex terra Ægypti, in terram quam exploraveram ipſis* &c. Ezech. 20: 6. conf. Hebr. 6: 17. *Deus volens demonſtrare hæredibus ſalutis promiſſionis immutabilitatem, interceſſit jurejurando.* *Illius 1. nomen: cur dicatur teſtamentum?*

VII. *Vetus* dicitur, non tam ob prioritatem temporis, quam antiquationis & abrogationis reſpectu, qua evaneſcere debuit; quo reſpectu *Novum* ipſi opponitur. *In eo quod dixit novum, antiquavit primum. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, propè abolitionem eſt.* Hebr. 8: 13. *Et propter hoc Teſt. Novi mediator eſt* &c. Hebr. 9: 15. *Unde nec primum ſine ſanguine initiatum eſt*, v. 18. *Si prius illud abſque querimonia fuiſſet, non utique ſecundi locus quæreretur*, Hebr. 8: 7. *Hæc enim ſunt duo illa teſtamenta: unum quidem à monte Sina in ſervitutem generans*, Gal. 4: 24. *Et quidem vetus?*

VIII. Aliud autem eſt Teſtamentum Vetus, aliud fœdus vetus, ſeu primum. Hoc enim cum Adamo initum ſolis operibus nitebatur; illud autem, cum hæreditatem ex teſtamento adeundam promittat, ad fœdus gratiæ pertinet. Unde, cum Vetus & Novum fœdus eſſen- *Non confundi debet cum fœdere veteri, ſeu*

tia-

primò. tialiter differant, cum diverſas acquirendæ ſalutis vias commonſtrent; Vetus & Nov. Teſtam. non niſi accidentaliter, & tempore ac gradu, diſtant cum ejuſdem fœderis gratiæ diverſæ ſint adminiſtrationes, eandemque hęreditatem vel typice, ut in Vet. Teſtam. vel reipſa, ut in novo, tradant & obſignent.

2. natura hujus teſtamenti, quæ fuit typica.

IX. *Naturam* hujus *teſtamenti* quod attinet, nihil aliud fuit niſi teſtam. typicum, teſtamentum gratiæ, quod patribus promiſſum, & in plenitudine temporis exhibendum, ac morte teſtatoris confirmandum erat, adumbrans, eique longo tempore pręlucens, ac promulgando olim in mundo commeatum parans.

X. Duplex enim erat Dei propoſitum de hęreditate ac gratia Eccleſiæ dandâ; aut potius duæ ejuſdem propoſiti partes. 1. de danda ſemini Abrahami hæreditate typica, atque iſta potiorum bonorum pictûrâ ac arrhabone Eccleſiæ fide interim ſolandâ ac ſuſtentandâ, quod Vetus Teſtam. eſt. 2. de largiendâ ipsâ hęreditate cœleſti, ſine velo ac nube, aut terræ alicujus pignore ac ſervitute, cum plena juſtitia & libertate, unâque gentium hęreditate in hac vita: quæ Novum Teſt. conſtituunt.

Hæreditas ejus, terra Canaan, ut cœli pignus.

XI. Cum ergo omne teſtamentum de hæreditate aliqua diſponat, hæreditas Veteri T. aſſignata, eſt terra Canaan, ut cœli pignus; cujus poſſeſſio hęredibus pecudum cruore ac victimarum morte confirmata eſt. Hæc ſolâ enim hæreditas in hoc Teſt. commonſtrari poteſt; quæ, promiſſioni Patrum ſuperaddita, iſti teſtamento peculiaris eſt, nec ultra quàm ad Nov. Teſt. tempora perduratura erat. Vitæ enim æternæ promiſſio, cum univerſo fœderi Dei. diverſiſque ejus œconomiis communis ſit, ac jam ante Teſtamentum Vetus obtinuerit, nec eo poſtea antiquato pariter antiquetur, ſed ſub Nov. T. etiam obtineat, ibique impleatur, ac denique ſub V. T. non proprie vi iſtius teſtameuti ſed vi promiſſionis Patribus factæ, ac per omnia Eccleſiæ tempora manentis, locum habuerit, Veteris Teſtam. hęreditatem conſtituere vel abſolvere non poteſt. Ut non alia hic ſuperſit hęreditas quam terræ Canaan, in cœli pignus ac typum (non enim hæc merè terreſtria erant; ſed eaſdem cœleſtes promiſſiones in typo ac arrhabone Eccleſia poſſidebat, quas alioqui vi primævæ promiſſionis nudas, ac ſine umbrâ & typo habuerat.) Quam qui negant, illi aut nullum conſtituunt Vetus Teſtamentum, negando illius hæreditatem; aut illud cum novo confundunt. Unde in tabulis fœderis expreſſa illius hæreditatis mentio eſt: *Ut prolon-*

longet dies tuos ſuper terram illam, quam Jehova Deus tuus dat tibi, Exod. 20: 12. Ac clariſſimè iſtâ de re Ezechiel, c. 20: 6, 7. *Eo die ſuſtuli manum meam ipſis, de educendis ipſis ex terrâ Ægypti, in terram quam exploraveram illis, manantem lacte & melle, quæ eſt decus omnium terrarum. Et dixi ad ipſos, quiſque abominationes oculorum ſuorum, projicite* &c. Unde terra illa *Hæreditas Iſraëlis* & *Terra Jehovæ* appellatur, Hoſ. 9: 3.

Ex cujus terræ, ut pignoris, amore oriebatur metus afflictionum & mortis.

XII. Cum ergo terra hæc eſſet pignus cœli; atque ille, qui amoris divini pignus accepit, illud magno in pretio habere, & inſtar ſacræ rei cuſtodire, ac tenerrimo affectu amplecti debeat; inde in veteribus enixus ille terræ iſtius amor, ac longævæ & tranquillæ in ea vitæ deſiderium; & ex adverſo afflictionum, quibus in beato pignoris iſtius uſu turbabantur, horror & fuga; ac ſi quando exulare iſta regione cogerentur, luctûs & mortis, præſertim præmaturæ, metus. *Ut liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Hebr. 2: 15. *Quæ utilitas in ſanguine meo, ſi deſcendero in foveam? nunquid confitebitur te pulvis; nunquid indicabit veritatem tuam?* Pſal. 30: 10. conf. Pſal. 6:6. *Nam non eſt in morte recordatio tui. in inferno quis confitebitur tibi?* & Pſal. 88: 11-14. *Nunquid mortuis facies miraculum? an computrefacti ſurgent, confitebuntur te? an narrabitur in ſepulchro gratia tua? veritas tua in interitu?* &c. Pſal. 115: 17, 18. *Non mortui benedicent Dominum, & non omnes deſcendentes ſilentium. At nos benedicamus Jah à nunc & uſque ad ſæculum.* Ita *Hukias facie ſua ad parietem converſa oravit Jehovam. Ego dixeram: cum occidione dierum meorum eo in portis inferni; privor reliquo annorum meorum. Dicebam, non videbo Jah, Jah, in terrâ viventium.* Eſai. 38:2, 10, 11.

Unde adaucta teſtamenti iſtius ſervitus.

XIII. Quæ teſtamenti iſtius ſervitutem non parum adaugebant. Qui enim pignus à Deo accipit, id non amare ſolùm, ſed ei quoque ſervire, ac erepto eo lugere cogitur. Accedebat, propter peccatum populi, elementorum mundi, multiplicíſque iſtius miniſterii impoſitio; ſine quo terra iſta impura erat, nec poſſideri poterat; cujus obſervatio maximo cum rigore exigebatur, ut *Bethſemitarum* ac *Uzæ* exemplo liquet, 1. Sam. 6: 19. 2. Sam. 6: 7. Nec denique fidem ac conſolationem ipſorum parum concutiebat, quod non pii ſoli hoc cœli pignus tractarent, ſed & impii ipſis intermixti erant; quod lætitiam ipſorum valde minuebat: præſertim cum ipſorum cauſa ipſis piis ſæpe exulandum, ac cœleſti hoc pignore carendum foret. Quæ teſtamenti ac hæreditatis iſtius imperfectionem oſtendebant.

XIV. Unde poſtquam advenit Chriſtus, nec illam terram ſolum,

ſed univerſum orbem ſanguine ſuo expiavit; non amplius terra illa peculiariter ſacra habenda; neque ultra per Dei in templo inhabitationem (quaſi ſola Dei hoſpita ac cœli quædam imago foret) omnemque porro veterem iſtum cultum, quibus terra illa luſtrabatur, ſanctificanda eſt. Sed totus jam terrarum orbis Eccleſiæ patet; nec jam terram aliquam peculiariter colere, vel adamare, vel ſervire illi cogitur: pariterque demtus eſt ille horror mortis: cumque in terra hæreditatem non habeamus, ut olim, ad beatam *ἀνάλυσιν* in Nov. Teſt. fideles perpetuò anhelant. Quæ cum non perciperent Judæi, & mundi hæreditatem repudiarent, ac in terra ſua hærere, illamque priſco cultu celebrare mallent, ex terra ejecti ſunt, & templum, quod non amplius ſacrum nec Dei domus erat, everſum, & *terra* ipſa *anathemate percuſſa* fuit. Mal. 4:6.

3. Origo & prima hujus teſt. inſtitutio. XV. Sequitur tertiò *origo* & prima teſtamenti hujus inſtitutio; quæ non ab initio mundi, nec mox à lapſu cum quibuſdam arceſſenda, ſed longè ſeriùs inchoanda eſt.

XVI. Et duas illa maxime periodos habuit. *Notificatum* enim eſt primò *Abrahamo*, quando ſemini ejus iſta terra promiſſa eſt, Gen. 12: 7. & 15: 7, 18-21. 17: 8. *Et dabo tibi & ſemini tuo terram peregrinationum tuarum, omnem terram Canaan, in poſſeſſionem ſeculi, & fiam ipſis in Deum.* Ac dein *erectum* fuit cum *Iſraële*, ad montem *Sinai*, cum ex Ægypto liberati in procinctu ſtarent ad terræ illius hæreditatem adeundam, inque ejus limine jam verſarentur. Quod clare docent verba Jeremiæ 31: 32. *Non ut fœdus, quod pepigeram cum Patribus ipſorum, die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos ex Ægypto.* conf. Hebr. 8: 8, 9, 10. & Apoſtoli, Gal. 4: 24. Ubi *Vetus Teſtamentum à monte Sinaï* eſſe dicit.

Initiatio ejus. XVII. *Initiatio* ejus legitur Exod. 24: 1. & ſeqq. peractaque eſt oblato ſacrificio, cujus ſanguine tum altare Dei, tum populus utrimque adſperſus fuit. Qui appellatur *ſanguis teſtamenti*. v. 8. quo teſtamentum prius *ἐγκεκαίνισαι initiatum eſt*, Hebr. 9: 18. ut *διαθήκη* illa tum *καινὴ* & recens fuerit.

typica, XVIII. Utque univerſum illud teſtam. typicum, ita typica quoque ejus fuit initiatio; tum quoad mediatorem, tum quoad ſanguinem, tum quoad ſtipulationem ejus. Quod unicum ejus à Nov. T. fuit diſcrimen; cum cœleſtem hæreditatem terreſtri pignore adumbraret, atque in imagine illa omnia exhiberet ac obſignaret, quæ nuda ac aperta in Nov. T. conſpiciuntur.

XIX. *Me-*

Digitized by Google

quo ad mediatorem, ſanguinem & ſtipulationem.

XIX. *Mediator* enim ibi erat Moſes, Chriſti typum gerens, qui manibus ſuis legem accepit: *Lex injuncta eſt per Angelos, in manum mediatoris*, Gal. 3: 19. hîc ipſe Chriſtus, *Novi Teſtam. Mediator*, Hebr. 9:15. *Unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus*. 1. Tim. 2: 5. Ibi pecudum cruor; hic Chriſti ipſius ſanguis libatur: *Sanguis ille Novi Teſt. qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum*, Matth. 26:28. Ibi ara de ceſpite ſtructa; & populus ab altera parte adſtans ſanguineo rore luſtrabatur: hic autem non terreſtria, ſed ſuperna per illa adumbrata, nec carnale Abrahami ſemen, ſed conſcientiæ noſtræ Chriſti ſanguine adſperguntur & purgantur. *Neceſſe* enim erat *figuras quidem eorum, quæ in cælis ſunt, hiſce mundari, ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis præ iſtis*, Hebr. 9: 23. *Quanto magis ſanguis Chriſti -- purificabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus*. v. 14. *Acceſſiſtis ad Teſtam. Nov. mediatorem & ſanguinem adſperſionis præſtantiora loquentem præ Abel*, Hebr. 12:24. Denique non de terrena hæreditate, ſed de bonis cœleſtibus, in plena lætitia ac libertate, unà cum gentium hæreditate, poſſidendis, ſtipulatio peracta eſt. Cumque ibi populus legis obſervantiam ſponderet, quam tamen teſtamenti ac ſacrificii iſtius vi præſtare non poterat; unde mox eos à fœdere defeciſſe legimus, Exod. 32. hic contra Novi Teſtamenti ſacrificium vires ad obediendum largitur, Jer. 31:34.

4 Oeconomia Veteris Teſt.

XX. Conſequitur *quartò* externa Veteris T. *œconomia*, qua teſtamentum illud adminiſtratum, & ſalus humana ſub eo diſpenſata fuit. Quæ ejus œconomia probè diſtinguenda eſt ab ipſo teſtamento; cum hoc ipſam diſpoſitionem hæreditatis, illa autem adjunctum externum denotet, quo teſtamentum illud adminiſtratum, & ſalus hominum ſub eo procurata eſt; ut non niſi impropriè ſeu metonymicè teſtamentum dici poſſit. Sicut & Apoſtolus Rom. 9:4. diſtinctionem adhibet, atque hæc tria diſtinguit. 1. *Teſtamentum*, ſeu conſilium de danda hæreditate. 2. *Legiſlationem*, quæ teſtam. hoc comitatur. 3. *Promiſſiones*, quæ illud conſequuntur. De primo egimus. duo reliqua ſuis locis videbimus.

quod comitatur legiſlatio.

XXI. Per *legiſlationem* ergo teſtam. quaſi *in formam legis deducitur*, Hebr. 8: 6. certæque leges hæredibus præſcribuntur, juxta quas terreſtri iſta hæreditate quietè uti, ac Dei communione frui poſſent. Quæ νομοθεσία præcipuè in decalogo facta eſt, qui præcepta fidei ac reſipiſcentiæ continet. Cui acceſſit lex civilis, quæ ſocietatis ac reipubl. Iſraëliticæ jura deſcribit: tandemque lex præcepti carnalis, quæ ſacro-

rum ritus tradit, & de templo, altari, ſacrificiis, variiſque purgationibus ac luſtrationibus agit, ſine quibus terra illa poſſideri non poterat; cum, ut cœli typus ac Dei ſedes, pura ac ſancta haberi debuerit.

XXII. Atque hac ratione teſtam. hoc aliquo modo in pacti ſpeciem tranſibat, propter νομοθεσίαν, quæ illud excipiebat, & mutuam ſtipulationem ac reſtipulationem inde exorientem.

& conſequebantur promiſſa præſentia & futura. XXIII. *Promiſſa*, quæ ſtipulationem hanc conſequebantur, erant bona, cum *præſentia*, ut tranquilla myſticæ terræ poſſeſſio; tum *futura*, quod nim. Dei filius olim iſta in terra, atque ex iſta gente, carnem aſſumturus, & humano in corpore ſeſe viſendum præbiturus, veramque juſtitiam, cum gentium hæreditate, adducturus foret. *Scriptura prævidens, Deum ex fide juſtificare gentes, ante euangelizavit Abrahamo: Benedicentur in te omnes gentes. Fratres ſecundùm hominem dico; tamen hominis ratum factum teſtamentum nemo rejicit aut ſupra diſponit. Sed Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. -- Hoc autem dico, teſtamentum ante ratum factum à Deo in Chriſtum, lex, quæ poſt* 430 *annos exſtitit, non facit irritum ad abolendam promiſſionem.* Gal. 3: 8, 15, 16, 17.

CAPUT II.

De Lege Dei in genere, & triplici ejus diviſione.

Conſideratio LEGIS. *Illius etymologia:* I. CUm ergo νομοθεσία Veteris Teſt. ſuper lege fundata fuerit, ſequitur ut illam quoque ordine conſideremus. *Lex*, à *diligendo*, vel *legendo*, vel *ligando* potius dicta, quod ſubjectos ad obedientiam obliget; Græcis νόμος, à νέμειν, diſtribuere & regere; Hebræis תורה à ירה & in Hiph. הורה *docuit*, dicitur; quod propriè inſtitutionem de recta via, ac fine, ſive demonſtrationem viæ ſalutaris dicit. *Bonus & rectus* eſt *Jehova. Ideoque monſtrat peccatoribus viam.* Pſalm 25: 8. conf. v. 12. Ab Apoſtolo autem ſtrictius plerunque, de lege operum, & de lege præcepti carnalis, prout promiſſioni & legi fidei apponitur, uſurpatur.

diviſio in poſitivam & naturalem. II. Dividitur lex communiter in *poſitivam* & *naturalem*; quarum illa, aut non, aut aliter, inſtitui poterat: hæc verò, cum imaginem Dei exprimat, & ſanctitatis Dei typus ſit, neceſſaria ac immutabilis eſt.

III. At-

III. Atque hinc etiam pendet legum Moſaïcarum diviſio: aliæ enim ſunt juris naturalis, ut lex moralis ſeu decalogus; aliæ poſitivæ, ut cerimonialis & forenſis.

Item in legem moralem, ſtatuta & judicia.

IV. Veteris enim fœderis ſive Teſtamenti lex triplex fuit. I. *Decem verba*, quæ continent *præcepta, quæ qui facit, in iis vivit*, Ezech. 20: 10, 11. ſive præcepta fœderis operum. Unde decalogus vulgò lex moralis appellari ſolet. II. *Lex præceptorum in placitis*, Eph. 2: 15. Col. 2: 14 continens δικαιώματα λατρείας, h. e. *poſtulata juſta cultus*, Hebr. 9: 1. & δικαιώματα τῆς σαρκὸς *juſtificationes carnis*. Hebr. 9: 10. Quæ lex *ceremonialis* vocari conſuevit. III. *Judicia*, quibus delicta caſtigabantur & populus à gentium communione arcebatur. Ea *lex forenſis* appellatur.

V. Quam triplicem legum Moſaïcarum ſpeciem, agnoſcunt etiam Judæi, & triplici hac voce ſignant, מִשְׁפָּטִים, & חֻקִּים תּוֹרָה, *Lex*, *ſtatuta*, & *judicia*. De quibus vocabulis tamen obſervandum, ea ſæpe eſſe ſynonyma, & promiſcuè ſumi. vide Ezech. 5: 6. & 20: 11, 13, 17, 19, 21. Mal. 4:4. Quanquam, ubi ſpecialiter conjunguntur & coaggerantur, diverſas Dei leges, variaſque ejus ſpecies, comprehendere & diſtinguere interdum poſſint; ut Deut. 5: 37. *Edicam tibi omnia præcepta, ſtatuta & judicia illa quæ docebis eos.* conf. c. 6: 1. Ac tum, ſi diſtinguenda ſint, תּוֹרָה fere notat legem moralem, חֻקִּים cerimonias, ac מִשְׁפָּטִים judicia.

Earum legum diſcrimen.

VI. Diſcrimen autem inter triplicem hanc legem propriè hoc eſt; quod lex moralis natura nota ſit, ideoque immutabilis; homines enim *jus Dei cognoſcunt*, Rom. 1: 32. quin & *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis* hujus *ſunt, faciunt, & oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Rom. 2: 14, 15. Ceremonialis vero, licet ejus ratio Deo ſapientiſſimè conſtet, in naturalem tamen hominis intellectum non cadit; unde nec gentibus cognita fuit. Judicialis denique, etſi in generalibus principiis ſuis naturali ratione nitatur, quoad particulares tamen concluſiones, quanquam nec eæ invita ratione deducantur, & potius ejus ſuffragium habeant, tamen cum aliter quoque eſſe potuerint, à Dei voluntate unicè dependet. Moralis ergo nota fuit etiam gentibus; plenior tamen ac purior ab ipſo divino fonte promanat. Cerimonialis verò Judæis plane ſingularis fuit, & cultum ritusque ſacros iſti genti proprios continebat. Utrique autem ſubſervìit forenſis, quæ, ordinatâ Judæorum republ. & religione, ſingulorum officia deſcripſit

Digitized by Google

pœnaſque addidit; ac gentem univerſam, quo purior in Dei cultu permaneret, à reliquis populis omnibus diſtinxit, ac immani divortio ſeparavit.

LOCUS DECIMUS OCTAVUS

De LEGE MORALI.

CAPUT III.

De Lege Morali in genere.

Lex Moralis, I. PRimam legum Moſis ſpeciem quod attinet, ea communi ſcholarum vocabulo *lex moralis* dicitur: in Scriptura *præcepta* illius ſignantur hoc elogio, quod *qui fecit ea, in iis vivit*, Lev. 18: 5. Illius autem videnda 1. natura in genere. 2. promulgatio in monte Sinaï. 3. miniſterium & uſus.

eadem quæ naturalis, II. Lex moralis eadem in ſeſe eſt cum lege naturali, quam Deus homini in prima creatione, cum imagine ſua indiderat; quâ per peccatum corruptâ, manſerunt tamen legis illius in peccatore reliquiæ & rudera, & juſti ac injuſti principia, ac ideæ, ex quibus homo quid officii ſui ſit etiamnum à ſe ipſo admonetur. Quod cum conſcientia uniuſcujuſque, tum Scriptura teſtatur dicens, *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, facere, atque ſibi ipſis legem eſſe*. Rom. 2: 14. Ut principia illa cum Atheis negari, aut cum Judæis ex fabuloſis Noachidarum præceptis, quaſi ſola traditione conſtarent, deduci non debeant. Atque hinc omnia quoque gentium ac populorum jura derivata ſunt, levi communium iſtorum principiorum ad particularem cujuſque populi ſtatum flexu & applicatione. Quæ quò communior, & primis principiis propior eſt, eò integrior fluit: cum remotiores concluſiones longo ductu, velut in ponendis majoribus rationibus mathematicis evenire ſolet, humanæ naturæ vitio, ad omnia non ſatis attendentis, ſæpe errores trahant, nec adeo ſinceræ fluant, ut eæ quæ fontibus propiores ſunt.

eſt immutabilis, & III. Lex ergo hæc naturalis planè *immutabilis* eſt; unde lex æterna appellatur: eademque de cauſâ *augeri ac perfectior* reddi non poteſt; non mag's

Digitized by Google

magis quam imago, aut ſanctitas Dei, aut ipſa denique ejus natura, augmentum pati poteſt. Unde Pontificiorum, in conſiliis ſuis Euangelicis, & Socinianorum, in additamentis ad legem per Chriſtum factis, hypocriſis apparet. Denique propter eandem rationem & *indiſpenſabilis* eſt. *indiſpenſabilis.*

IV. Ubi tamen nonnulla diſtinguenda ſunt, cum *reſpectu diſpenſationis*, tum ipſius *legis* atque præceptorum Dei ratione. Differunt enim in genere, legis *irritatio, mutatio, derogatio, abrogatio*; quæ legem ipſam ſpectant, eamque, vel in totum, vel ex parte abolent, ut obligare amplius non poſſit; *declaratio*; quando ea non ſolvitur, nec obligatio ejus demitur, ſed explicatur, & non obligare, nec obligaſſe oſtenditur; ac denique *diſpenſatio*, quâ, lege cæteroquin manente, obligatio ejus in certo caſu ceſſat. Similiterque non omnia Dei *præcepta* ejuſdem generis ſunt. 1. Quædam enim ſimpliciter ex natura Dei fluunt; atque illa abſolutè ſunt indiſpenſabilia, quia *Deus ſe ipſum abnegare non poteſt*. 2. Tim. 2: 13. 2. Quædam fluunt ex conſtitutione rerum jam facta: quæ cum omnis à Dei voluntate dependeat, non tantæ ea neceſſitatis, nec ſimpliciter immutabilia ſunt: quanquam ex hypotheſi, quatenus Deus tales rerum naturas eſſe juſſit, illumque mundi ordinem inſtituit, ea pariter apud homines ſint immutabilia. Quæ quæſtionibus de bonorum, ſive communione, ſive diviſione, deque matrimonii legibus, inceſtu, divortio, polygamiâ &c. aptari poſſunt. 3. Denique quædam præcepta ſunt merè poſitiva; atque ea extra controverſiam mutabilia ſunt.

V. Atque hinc cadunt 1. *Canoniſtarum* blaſphemiæ de Papæ auctoritate in legum, cum naturalium, tum moralium vinculo quibuſdam in caſibus laxando. Quæ non legis explicationes ac declarationes, ut paraſiti ejus excipiunt, ſed corruptelæ ac profanationes ſunt. 2. *Socinianorum* impia dogmata, de adoratione religioſa ſub N. T. meræ creaturæ communicata; deque Chriſto novo Deo, quem patres non noverunt. 3. alia *quorundam* commenta; Deum contraria mandare poſſe, ut omnibus ſuis præceptis, ita præſertim primæ legis tabulæ, nimirum ut ipſum blaſphememus, odio habeamus, per adorandum ejus nomen pejeremus: quæ hoc pacto non vitia, ſed inſignes virtutes erunt, præmio etiam ac æterna mercede digna. Quæ ſua abſurditate ſe ipſa evertunt. *Errores Canoniſtarum, Socinianorum &c.*

VI. Quod autem excipiunt, diſpenſatum nonnunquam à Deo eſſe de

de præceptis moralibus; ut, cum Abrahamo cædem filii ſui juberet; ac Iſraëlitis Ægyptiorum ſpolia largiretur; denique in illa divortiorum ac polygamiæ licentia, Judæis lege permiſſa: illa alterius generis ſunt. Cum enim Deus vitæ bonorumque noſtrorum ſummus arbiter ac judex ſit, quicquid ejus juſſu peragitur, nec homicidium, nec furtum eſt. Præterquam quod præceptum Abrahamo datum probatorium duntaxat fuerit: ac Iſraëlitæ Ægyptiorum vaſa divino juſſu palam petierint, non præciſe commodato, ſed generalioribus verbis, Deo hæc illis ut mercedem duriſſimæ ſervituti ſuæ debitam aſſignante, Exod. 3: 22. 11: 2. 12: 36. Divortiorum autem ac polygamiæ leges ad inſtituta Judæorum forenſia ſpectant; nec culpæ apud Deum, ſed pœnæ apud homines, hi populi iſtius nævi ac ἡττήματα, eximebantur.

Lex moralis pleniſſima officiorum omnium norma eſt.

VII. Lex ergo moralis, cum perfecta & immutabilis ſit, ut expreſſiſſima ſanctitatis divinæ imago, pleniſſima eſt officiorum omnium norma, cum erga Deum, tum erga homines, denique hominis erga ſe ipſum. Ubi autem ea nihil mandat, vetatve, ibi ratio omnis virtutis ac vitii ceſſat, atque obtinet rerum ἀδιαφορία ſeu indifferentia; ex quibus qui virtutes cudunt, in ἐθελοθρησκείας crimen incidunt, quâ *fruſtra Deum colunt.* Matth. 15: 9. Col. 2: 22, 23.

VIII. Quo pertinent pleraque Pontificiorum opera, quæ vocant, ſupererogatoria, quibus in cœlo aureolam, & majorem felicitatis gradum adſcribunt. Cum tamen nemo plus Deum amare ac colere, pluſve virtutis præſtare poſſit, quam tenetur. Utcunque enim in materia facti quis modum excedere poſſit, in eo tamen virtutis ratio ſita non eſt; ſed interna animi diſpoſitio, modus agendi, omnes denique operis circumſtantiæ ſpectandæ ſunt: ubi omnes deficimus, & *ſervi inutiles ſumus.* Luc. 17: 10.

IX. Cadit etiam ineptiſſima illorum diſtinctio, quâ, ut quædam ſupra legem, ac majoris cujuſdam perfectionis & ſanctitatis opera confingunt, ac ſi quis lege juſtior, luce ſplendidior, canone rectior, præcepto officioſior, ut olim Nazianz. imagine Dei denique purior cenſeri vellet, ita rurſus alia citra ac præter legem, quæ tamen contra legem non ſint, comminiſcuntur; quaſi amor ac ſanctitas Dei ullam labem pati poſſit: quod multis peccatis velum obtendunt. Hinc enim nata illorum diſtinctio inter peccata mortalia & venalia, quam ſupra excuſſimus.

X. Obligat autem Lex ad officium, ſub ratione præmii vel pœnæ; in

Digitized by Google

in quibus legis propriè vis ac poteſtas conſiſtit. Unde peccator rectè dici poteſt ad utrumque obligatus; cum ad officium præſtandum, tum ad pœnam ferendam: qui damnatorum ſtatus eſt. Electos verò quod attinet, Chriſtus pro ipſis tum peccatorum pœnas pertulit, tum obedientiæ legem implevit. Unde nec ad pœnas, nec ad perfectam legis obedientiam, tanquam unicam vitæ æternæ conditionem, obligati manent: quanquam ideo obedientiæ lege ſoluti non ſint, ſed tum ut creaturæ, tum ut redemti Deum creatorem ac redemtorem ſuum æternum colere ac amare teneantur. *Ad quæ obligat, ſub ratione præmii & pœnæ.*

XI. Imo tanta hæc legis obligatio eſt, ut legum omnium humanarum ſanctimoniam in ſeſe comprehendat. Quæ non obligant, niſi ex hoc fonte derivatæ; &, ſi quid contra juſſerint, protinus obligare deſinunt.

XII. Modale legis hujus diſcrimen eſt, quod ea conſideretur vel ut *cordi inſcripta*, tum in prima creatione, tum in reſidua poſt peccatum luce, tum denique in regeneratione, Jer. 31: 33. vel ut externa voce promulgata eſt in monte Sina. De qua celebri legiſlatione nunc agendum.

CAPUT IV.

De LEGISLATIONE.

I. LEgum Moſaicarum ſupra omnes alias humanas maxima eſt antiquitas. Græci enim, etſi varios jactent legiſlatores, Homeri tamen tempore vel ipſum legis nomen ignorabant, nec illius in ſcriptis ejus ulla occurrit mentio. Regebatur autem populus tum ſententiis effatiſque ſapientum, quæ omnium in ore erant, tum edictis principum. Moſes vero legiſlator multis ante Homerum ſæculis vixit. Cujus legiſlationem, in omnem porro ætatem, omnique Eccleſiæ ſtatu, adeo celebratam conſideraturi, videbimus 1. *Legiſlatorem*. 2. *Miniſtros*. 3. *Circumſtantias*. LEGISLATIO; *in qua conſideranda*

II. *Legiſlator*, ſeu juſſor potius, fuit ipſe *Jehova*, qui *locutus eſt omnia verba iſta*, Exod. 20: 1. quem non alium fuiſſe quam Dei filium, angelumque illum teſtamenti, in Eccleſia jam olim converſari & cum Patriarchis colloqui, omniaque, quæ præſentem Deum poſtulabant, jam tum obire ſuetum, clariſſime liquet. Nam Exod. 3: 1, 2. & 12. Angelus ille in rubo ad eundem montem apparet, & ſeſe Deum illum profi- *1. Legiſlator.*

Digitized by Google

tetur, cui ad illum montem populus ſerviturus eſſet. Quem eundem fuiſſe Angelum, à quo Moſes *in monte verba viva* accepit, etiam Stephanus teſtatur, Act. 7:38. Sicut & Pſal. 68:9, 19. *is qui in altum aſcendit* &c. *in deſerto coram populo ſuo egreſſus, ac Sina coram ipſo tremuiſſe*, dicitur. Pariterque Apoſtolus Hebr. 12:16. *vocem ejus*, qui nunc loquitur, *terram olim concuſſiſſe. in ſolemni* videl. iſta *legiſlatione*, affirmat.

2. Legiſlationis miniſtri, Angeli

III. Sequuntur legiſlationis miniſtri, cum *Angeli*, tum *Moſes*.

IV. *Angelos* in legiſlatione peculiare munus geſſiſſe apparet. Sic enim Stephanus: *quia accepiſtis legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, in diſpoſitiones angelorum*, Act: 7:53. *Lex propter tranſgreſſiones addita eſt, injuncta δι' ἀγγέλων per angelos, in manu mediatoris*, Gal. 3:19. *Qui δι' ἀγγέλων per angelos dictus eſt ſermo*, Hebr. 2:2. Promulgavit enim legem Angelus ille fœderis, agens tum in Eccleſia in officio angeli; ac ſtipatus angelorum cuſtodiis. Unde lex è cœtu iſto ac comitio angelorum, cujus princeps erat Angelus teſtamenti, prodiit. *Jehovah* qui *de Sinai veniſti -- & veniſti ex myriadibus ſanctis; à cujus dextera erat ignis, lex ad ipſos.* Deut. 33:3. Sic enim verba Hebr. 2. *ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος* commodè accipi poſſunt, de præſentia ac ſtipatu angelorum. Ut 1. Tim. 2:2. *quæ audiviſti ex me διὰ πολλῶν μαρτύρων per multos teſtes.* Atque hinc jam patet ſenſus comparationis Apoſtolicæ, Hebr. 2:2, 3. ubi Euangelium legi multum præfert, quod hæc angelorum, illud autem domini ipſius ſermone ac miniſterio traditum ſit.

V. Atque ita lex data eſt εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, Act. 7:53. ut non ſolum præſentibus iis, cœleſtibuſque choris montem incingentibus, ad augendam legiſlatoris majeſtatem, lata ſit; verum etiam ad augendum terrorem; utque ſermo, ex angelorum cœtu prodiens, magis foret βέβαιος, Hebr. 2:2. &, præſenti cœleſti militia dictus, eos teſtes, & executores, ac vindices haberet. Unde vetus populus Angelis ſubjectus fuit, illique Deorum nomen ac ſimilitudinem in Eccleſiâ geſſerunt: *Feciſti eum inferiorem paulum infra Deum.* Pſal. 8:6. conf. Hebr. 2:5, 7, 9. *Adorarunt ipſum omnes Dii.* Pſal. 97:7. A qua ſubjectione Eccleſia Novi T. liberata eſt: *Non enim Angelis ſubjecit habitabilem futurum*, Hebr. 2:5. ſed Filio Dei, *hominem viſitanti*, Pſal. 8:5. Ita ut illi nunc, poſito illo honore & munere, tantum fidelium ſint conſervi. *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Apoc. 19:10. 22:9.

Et Moſes.

VI. Alter legiſlationis miniſter fuit *Moſes*, *ſervus Dei*, *cui præcepit Deus* legem. Mal. 4:4. conf. Joh. 1:17. *Lex per Moſen data eſt.* Quem Paulus exinde *mediatoris* nomine dignatur, Gal. 3:19. qui in legiſlatione

tione iſta *ſtetit inter Jehovam* ac populum, ac interpretis partibus functus eſt, Deut. 5: 5. coll. c. 33: 3, 4. *Cujus omnes ſancti* ſunt *in manu tua: & illi medii perambulati ſunt pedi tuo*, ut *acciperet à loquelis tuis, legem*, quam *praecepit nobis Moſes*. De Chriſto enim ibi agi non liquet: cum ille non Veteris, *ſed Novi T. mediator* expreſſè appelletur. Hebr. 9: 15. Quanquam longè excellentiori modo quam Moſes eo munere functus ſit: ut id in cauſæ ſuæ præſidium rapere Sociniani non poſſint. De quo vidimus lib. 11. cap. XIV par. 111.

VII. *Circumſtantiæ* fuerunt, tum *temporis*, tum *loci*, tum *ſignorum* externorum. *Tempus* fuit, ab exitu populi & celebrato paſchate, dies quinquageſimus: unde pentecoſtes nomen: poſt triduanam populi præparationem, Exod. 19. qui, juxta Judæos, ſponſæ inſtar, multum in thalamo cunctantis, tridui iſtius mora Deo ſacrari debebat, ad coronam legis in publicâ gentis panegyri accipiendam. 3. *Circumſtantiæ; temporis*,

VIII. *Locus* fuit mons *Sinai*, ſeu Horeb, in Arabiæ arenis ſitus, in ſacris literis valde celebris; cui ex adverſo Mons Sion, in Cananæa, opponitur, ex quo proditurus olim erat Euangelii ſermo, Eſai. 2: 2, 3. Quod impletum fuit ſub Nov. Teſt. ubi Eccleſia *à tractabili monte* Sinai, *ad montem Sion perveniſſe* dicitur, Hebr. 12: 18, 22. *loci*,

IX. *Signa externa* fuerunt varia, tonitruum auditi ſonitus, fulgura internitentia; atræ caliginis nebula montis cacumen obſidens, fumi ac vaporis late exundantis volumina, tubarum veluti clangor; ignis denique in monte ſpecies, Dei loquentis ſolium; & montis ipſius, adventantem Deum teſtantis, tremor, Exod. 19: 16, 18. Hebr. 12: 18, 19. quo terrore, qui non populum ſolum, Exod. 20: 18, 19. ſed & Moſen, divinas voces audire ſuetum, occupavit, ac *exterritum & tremebundum* reddidit, Hebr. 12: 21. Deo in promulgatione legis uti placuit. 1. tum augendæ majeſtatis, ac ſanctitatis legis hujus commendandæ cauſa; 2. tum ut finem univerſumque legis iſtius myſterium proderet: erat enim peccatori futura mortis ſententia, & verbum iræ ac terroris (*mortis miniſterium* dicit Apoſtolus, 2. Cor. 3: 7.) ſicut eadem de cauſa Novi Teſt. initiatio ſuavioribus ſignis peracta fuit, ad verbum gratiæ ſignificandum, Act. 2. 3. tum denique ad fidem & obedientiam populi ſui explorandam, & quid in corde ipſorum eſſet manifeſtandum. Exod. 20: 20. *ſignorum externorum.*

X. Fuit autem ſolum decalogus iſto cum terrore publicè pronunciatus, formata in aëre voce (ſicut ſuo tempore in humano corpore locuturus erat Deus) quam univerſus populus ad montem, tanquam ad

concionem, coactus è longinquo audivit; Moſe & Aarone propius aſtantibus, certiuſque ac diſtinctius Dei verba haurientibus. Reliquæ vero tum adminiſtrandæ reipubl. tum ſacrorum leges Moſi, in ſancto iſto cum Deo ſeceſſu, ſoli traditæ; atque per eum, tanquam Dei interpretem fœderiſque internuncium, ad populum perlatæ ſunt. Exod. 20: 19. Deut. 5: 22, 23.

CAPUT V.
De DECALOGO.

Lex, quæ DECEM VERBIS conſtat,

I. LEx hæc à Deo lata decem conſtat præceptis; unde *decem verba* appellantur, Exod. 34: 28. Deut. 4: 13. cui reſpondet Græcum nomen δεκαλόγυ. Eaque legis moralis, omniſque ſanctitatis ac virtutis ſunt compendium. Quod ut conſtet, hæ regulæ tenendæ ſunt.

ſpiritualis eſt,

II. 1. Legem eſſe *ſpiritualem*; nec externas ſolum actiones moderari, ſed intus hominem affari, cunctoſque animæ motus & cogitationes cœleſti imperio in ordine continere. Quæ ejus ſupra quaſvis leges humanas prærogativa eſt, *Scimus enim legem eſſe ſpiritualem.* Rom. 7: 14.

& ejus præcepta latiſſimæ explicationis ſunt:

III. 2. Præcepta ejus latiſſimæ eſſe explicationis; cumque tantum ſumma rerum capita exprimat, eo immenſam rerum ſummam includere; & virtutes vitiaque omnia cognata, & quomodocunque illa attingentia, eo referri poſſe. Sicut Chriſtus ſub adulterio etiam oculorum adulterium, aſpectuſque lubricos & inceſtos comprehendit: *Ego dico vobis, quicunque aſpicit mulierem ut eam concupiſcat, jam adulteravit eam in corde ſuo.* Matth. 5: 28.

quæ vel affirmantia ſunt, vel negantia: hæcque ſemper, illa verò, etſi ſemper, non tamen ad ſemper obligant.

IV. 3. Cum præceptorum alia ſint affirmantia, alia negantia; hæc obligant ſemper, atque omni tempore ac loco, cum nunquam faciendum ſit quod Deus vetuit; illa autem etſi ſemper obligent, nunquamque illis contrarium facere liceat, cum tamen pleraque illorum diverſas tum perſonarum, tum temporum, tum aliarum occaſionum circumſtantias flagitent (veluti ubi orare, eleëmoſynas largiri &c. Deus jubet) non obligant ad ſemper; nec externi illi actus quocunque tempore vel loco præſtandi ſunt.

quæ verbis negativa, ſenſu affirmativa ſunt; & contra.

V. 4. Quæ autem verbis ſunt negativa, ſenſu ſunt affirmativa; pariterque quæ affirmantia ſunt, ſententias quoque negantes includunt. Cum virtutes præſtari non poſſint, niſi vitia fugiantur; pariterque vitiorum fuga ſine virtutis ſtudio non conſiſtat, Ut virtutes vitiaque hic ſub eandem ſummam veniant.

VI. Ex-

Digitized by Google

VI. Expreſſa fuerunt hæc præcepta duabus tabulis; quas Judæi albicantes & zapphyrinas, & ad unius cubiti menſuram longas lataſque, craſſitie autem dimidii cubiti fuiſſe tradunt; & alii bis mille annis ante mundum conditum, alii primæ hebdomadæ feria ſextâ exaratas nugantur.

Præcepta hæc expreſſa ſunt duabus tabulis,

VII. Teſtatur autem Scriptura eas *ſcriptas* fuiſſe *digito Dei*, Exod. 31:18. h. e. omnipotente ipſius nutu ac virtute, cont. Exod. 8:18. *Digitus Dei hic* eſt. & Pſal. 8:4. *Quum cernerem cælos tuos, opus digitorum tuorum.* Ac מִזֶּה וּמִזֶּה *hinc inde*, utrâque videl. facie, peraratas, adeoque opiſtographas fuiſſe, Exod. 32:15. aliter ac pictores noſtri eas exhibent. Quot autem præcepta unâ facie comprehenſa fuerint, & quibus in verbis ſingulæ finierint, quanquam Judæi audaciſſimè tradant, cum Deus non tradiderit, & myſticas illas tabulas ſacrario incluſas ab hominum viſu amolitus fuerit, definire foret temerarium.

ſcriptis hinc inde digito Dei,

VIII. Priores autem tabulas cum Moſes de monte deſcendens, ob populi apoſtaſiam, non ſine Dei, ut videtur, inſtinctu, confregerit; in rupti videl. divini fœderis indicium; in earum locum, redintegrato poſtea fœdere, rurſus ille alias edolavit; quibus Deus eaſdem fœderis conditiones inſcripſit. Quæ tabulæ à prioribus hoc ſolo differebant, quod, quanquam à Deo pariter inſcriptæ, tabulæ tamen à Deo non fuerint; ſed à Moſe fabricatæ: cum in prioribus & tabulæ, & Scriptura à Deo eſſent: *Eranque tabulæ iſtæ opus Dei; & Scriptura Dei erat, inſculpta tabulis.* Exod. 32:16.

Prioribus verò confractis alias edolavit Moſes.

IX. Atque, ad tabularum iſtarum ſimilitudinem, nunc quoque lex in duas tabulas dividitur; ac priori tabulæ quatuor, poſteriori ſex præcepta attribuuntur. Quod non divinæ Scripturæ, cujus diſtinctionem ignoramus; ſed præceptorum ac officiorum reſpectu fit; quæ commodè in duo ſumma genera ac rerum capita diſpeſcuntur, prout vel Dei cultum, vel proximi honorem ac officia ſpectamus.

Ad tabularum iſtarum ſimilitudinem lex in duas tabulas dividitur.

X. Violant autem propemodum eas tum *Pontificii*, tum *Lutherani*; qui non alio fine, quam ut imaginum cultum, tam apertè ſecundo legis præcepto proſcriptum, vel earum ſaltem ſacrum in templis uſum, tegant, ac populo Chriſtiano fucum faciant; cujus auribus perpetuò inſonare illa legis verba *non facies tibi ſculptile* &c. non ferunt; ſecundo præcepto vel obliterato, vel in primi appendicem mutato, tria tantum præcepta primæ tabulæ, ſeptem autem ſecundæ aſſignant. Decimum enim præceptum in duo diſpeſcunt, contra tum rei naturam, cum de uno rerum genere, concupiſcentiâ videl. ibi agatur, quo omnia quæ ibi oc-

quam diviſionem violant Pontificii & Lutherani.

 cur-

Digitized by Google

currunt tendunt; tum Apoſtoli exemplum, qui de decimo præcepto ut uno agit, quod dicit, *non concupiſces*. Rom. 7:7. Sicut in repetitione decalogi Deut. 5:21. verborum ordo iſto in præcepto paulum immutatur, atque uxor præponitur, pariterque omnia ad idem præceptum ſpectare oſtenditur.

Præcepta primæ tabulæ præceptis ſecundæ digniora ſunt.

XI. Eſt verò ea illarum tabularum ratio, quod præcepta primæ tabulæ majoris dignationis ſint quam ſecundæ. Unde *præceptum* de amore Dei *maximum* appellatur, Matth. 22:37, 38. cui tamen alterum de amore proximi *ſimile* eſſe dicitur, v. 39. Maxima autem ſunt illa præcepta, quæ Deum potiſſimum ſpectant, hominemque Deo maximè faciunt ſimilem. Unde cultus ſpiritualis major eſt omnibus officiis externis: ac ſecunda tabula cedere debet primæ, ubi utriuſque actus ſimul adimpleri nequeunt.

Legis compendium in amore Dei.

XII. Univerſæ legis compendium exhibet Salvator in *charitate*, Matth. 22:37, 38, 39. (πλήρωμα *impletio itaque legis dilectio*. Rom. 13:10. *Supra omnia autem hæc* induite *charitatem*: *quæ eſt vinculum perfectionis*. Col. 3:14.) quæ tum erga Deum, tum erga homines fertur.

XIII. Diligendus autem Deus eſt *ex toto corde*, quod, in iſta à reliquis partibus diſtinctione, conf. 1. Theſſ. 5:23. intellectum ac judicium exprimere videtur; *ex totâ animâ*, quod affectus & cupiditates notat, quæ nunquam aberrare vel terreno amore corrumpi, ſed in Deum ſolum ferri debent; ex *totâ cogitatione*, quod *omnem* animi vim ac contentionem dicit, & quicquid in homine facultatis eſt Deo impendi jubet, Marc. 12:30. Luc. 10:27. Deut. 6:5. Matth. 22:37. Ut Deus ſupra omnia, ac propter ſe ipſum ſolum, non propter commodum aliquod, vel rem terrenam, imo nullam, diligendus ſit.

XIV. Atque ita Chriſtus legem hanc amoris implevit; iſteque hominis ante lapſum ſincerus ac illibatus in Deum amor fuiſſet. Cum nunc autem peccatori reſipiſcenti iſti typus tribuitur, non abſoluta perfectio, ſed amantis animi ſtudium ac ſinceritas laudatur. *Par ei non fuit ante ipſum* Joſiam, *Rex, qui reverteretur ad Jehovam ex toto corde ſuo & ex toto animo ſuo totiſque viribus ſuis*. 2. Reg. 23:25. *Obediviſtis ex corde formæ doctrinæ quæ vobis tradita eſt*. Rom. 6:17. Cui cordis integritati *cor duplex*, Pſal. 12:3. & inſincerum opponitur, 1. Reg. 11:4. & 15:3. *Non fuit animus ejus integer erga Jehovam Deum ſuum, ut animus Davidis patris ſui*.

Et proximi.

XV. Præcepto de amore Dei ſimile eſt alterum de diligendo proximo: *Diliges proximum tuum ſicut te: ego ſum Jehova*. Lev. 19:18. Quo no-

nomine Judæi, pro gentis ingenio, ac inſito erga exteros odio, ſolum populares ſuos intelligunt: contra legis ſenſum, quæ, cum jus naturale ac morale tradat, omnibus hominibus commune, proximi nomine univerſum genus humanum complectitur. Quod manifeſtius ex nono ac decimo præcepto conſtat: illa enim, quæ ibi prohibentur, erga exteros licere nemo dicet, ut quod apud ſuos nefas, erga exteros fas ſit. Unde Chriſtus, propoſita egregia parabolâ, Luc. 10. quis homo homini proximus ſit docuit. Eſt enim quædam naturæ noſtræ cognatio, quæ ad omnes homines ſe extendit; quæ tamen propiores quoſdam gradus conſanguinitatis, religionis, ac amicitiæ non excludit.

XVI. Cum autem magnum inter homines diſcrimen ſit, amor quoque, qui iis exhibendus eſt, diſtinctionem patitur. Alius enim eſt amor *amicitiæ*, alius amor *benevolentiæ*. *quieſt. vel*

XVII. Amor *benevolentiæ*, qui ſtudium affectumque erga proximum dicit, eique bona omnia, tum ſpiritualia, tum corporalia vovet & exoptat, quibuſcunque, etiam impiis, tribuendus eſt: *Diligite inimicos veſtros, benedicite eis qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos*, &c. Matth. 5:44. Præſertim ſub N. T. ubi, ſublato gentium diſcrimine, parem erga omnes affectum induere decet. In Vet. autem Teſtamento, quanquam ab hæreditate Dei ſecluſa pleraque mundi parte, non odium, ſed luctum iſtud in piorum animis excitare debebat. Imo ſeptem illos populos, quos ſpeciali lege Deus devoverat (quo primum exemplo Judæi reliquas gentes odiſſe didicerunt) non tamen ante oblatam pacem, eamque repudiatam, exſcindere fas erat. *benevolentia.*

XVIII. Amor autem *amicitiæ*, cum præterea mutuam conjunctionem ac unionem, proximique tanquam nobis placentis approbationem dicat, non promiſcuè impendendus, ſed iis ſolum qui fide & vita ſancti, Chriſtique participes ſunt, nec amicitiæ obicem opponunt, deferendus eſt: *An non oſores tuos, ô Domine, odio habeo, &c, cum iis qui inſurgunt contra te, rixor? Perfecto odio odi ipſos. Et extiterunt mihi hoſtes.* Pſal. 139:21, 22. *vel amicitia.*

XIX. Exemplar amoris proximi à nobis ipſis deſumendum eſt, ut diligamus eum, *ſicut nos ipſos*. Cum autem vix poſſibile ſit, aliquem ita diligere ut noſmet ipſos; iſtud non de paritate, ſed de ſimilitudine intelligendum eſt. Quæ ſimilitudo in eo conſiſtit 1. ut quæcunque mala nobis fieri nolumus, ea proximo nec velle nec facere in animum indicamus: 2. pariterque quæ bona nobis præſtari optamus, ea & proximo præſtemus. *Omnia ergo quæ vultis ut præſtent vobis homines, ſic & vos facite* *Amoris proximi exemplar deſumendum à nobis ipſis.*

cite ipſis: hæc enim eſt lex & Propheta, Matth. 7: 12. Quod tamen de amore noſtri non inordinato, ſed juſto, & ad æquam proportionem redacto, intelligi debet. Nempe, ut quæcunque, cum his vel illis incommodis laboramus, proximum nobis debere ex æquo judicamus, eadem & noſmet eodem in caſu ipſi præſtemus: non ultra.

XX. Præcipuum autem in amore proximi eſt, non ut eum inſano affectu deperеamus, & quaſi idolum colamus, cui omnem animi vim & affectum conſecratum imus; vel ut corpore vel animo ejus ad peccata abuti tentemus; ille enim non amor, ſed cupiditas, & veri amoris adulterium ac ſtuprum eſt: verum ut eum potius tanquam Dei imaginem veneremur; cumque Deus in illo honorari & glorioſus eſſe poſſit, eum in Deo ſolum diligamus, atque ad Deum adducere omni ope ſtudeamus. Quo pacto, juxta Apoſt. in amore proximi Dei amor continebitur & abſolvetur. Cum verus amor Dei ſine proximi amore exiſtere non poſſit. *Nam illud, non mœchaberis* &c. *& ſi quod eſt aliud mandatum; in hoc ſermone ἀνακεφαλαιοῦται, ſummatim comprehenditur, illo videlicet, diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. impletio itaque legis dilectio.* Rom. 13: 9, 10.

Charitatis perfectio oſtendit non dari peccatum veniale.

XXI. Atque ex hac charitatis perfectione liquet, nullum eſſe peccatum veniale, cum qualecunque illud ſit, de amoris integritate aliquid delibet, adeoque defectus ſit contra legem. Mali commatis enim ac inſincera ſunt illa Pontificiorum: *Nos ita Deum diligere tantum teneri, quando id poſtulat neceſſitas divinæ gloriæ, non vero omni alio tempore*, ut Bellarm. *Præceptum hoc obligare tantum quinto quoque anno*, ut Filjucius. *Quemlibet actum charitatis, quantumlibet remiſſum, ſufficere ad implenda omnia præcepta legis*, ut Bannes.

Tabularum legis myſtica ſignificatio.

XXII. Atque hæc de duabus legis tabulis, quæ cum myſticæ etiam fuerint, hæc paucis verbis annotare ſatis: Tabulas *lapideas* cordis noſtri lapidem ac duritiem, quæ nulla externa diſciplina edomari poſſit, ſignificaſſe. *Amovens cor lapideum è carne veſtra, dabo vobis cor carneum.* Ezech. 36: 26. Utque illæ *Dei digito* fuerunt peraratæ; ita Spiritu ſolo corda noſtra flecti, & ad legis amorem perduci poſſe: *Legem meam dabo in medio eorum, & cordi eorum inſcribam eam.* Jer. 31: 33. *Vos* eſtis *epiſtola Chriſti, inſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in carneis tabulis cordis.* 2. Cor. 3: 3. Vid. Matth. 12: 28. coll. Luc. 11: 20. Tabulæ autem *duplices*, duas hominis partes, corpus & animam: (*Glorificate Deum in corpore veſtro & ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* 1. Cor. 6: 20.) vel duplex legis poſtulatum, tum erga Deum, tum erga pro-

Digitized by Google

proximum noſtrum, ſignificabant. Utque ex *intus & à tergo* conſcriptæ erant, ita legis plenitudo, cui nec addi nec demi quicquam poteſt, adumbrabatur.

CAPUT VI.

De miniſterio Legis ejuſque uſu.

I. SEquitur nunc ipſius Legis *miniſterium*, quod circa *populum Iſraëliticum* habebat: tum reliqui porro ejus *uſus*, quoad alios omnes homines in genere. *Legis* MINISTERIUM *& uſus.*

II. *Iſraëlitas* quod ſpectat, Deus promulgans ipſis decalogum ſollemnem adeo in modum *fœdus* ſuum cum ipſis erexiſſe dicitur: *Si ſedulo attendetis voci meæ & ſervabitis fœdus meum, eritis mihi peculium* &c. Exod. 19:5. *Inſcripſit* Jehova *tabulis verba fœderis hujus, decem illa verba.* c. 34:28. conf. Deut. 4:13. & 5:2. *Jehova Deus noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb.* Quod an operum, an gratiæ fuerit? quæritur. Nec difficile admodum hoc eſt dijudicare, ſi 1. vel ipſum legiſlatorem, ac fœderis hujus principem. 2. vel eos, ad quos verba hæc facta ſunt. 3. vel denique ipſam decalogi ſummam, ſingulaque ejus præcepta conſideres. *In decalogo eſſe fœdus gratiæ patet; ſi conſideremus*

III. 1. Præcipuus *legiſlator* fuit Jehova, Angelus fœderis, ipſe Dei Filius; qui ab initio in Eccleſiâ ſuâ, ut ſupra vidimus, & converſatus, & cum ea, præſertim vero hæc ipſa, Deut. 9:10. 10:4. 18:16. Act. 7:38. locutus eſt. Qui profecto non alia quam gratiæ verba loqui potuit, nec aliud fœdus cum eâ inire quam fœdus gratiæ, cum id unicum ejus officium ſit. Non enim alterius fœderis interpres vel internuncius eſſe potuit. *legiſlatorem,*

IV. 2. Ii, quibuſcum hoc fœdus factum eſt, fuerunt homines *peccatores*, quos ad gratiam & fœdus vocabat Deus; inque feſta iſtâ panegyri, & totius gentis conventu, tanquam ſuos adoptabat. Cum autem per opera ad Dei communionem pervenire peccatori impoſſibile ſit, tale operum fœdus cum iis, quos ad ſe vocat, inire Deus non amplius poteſt. Sic enim creaturæ, quam amare præ ſe ferret, illuderet. *& eos quibus dictum eſt,*

V. Sed & *temporis* articulus, quo hoc fœdus cum ipſis factum eſt, obſervandus eſt. Advenerat enim ipſe promiſſionum patribus factarum adimplendarum terminus: quadringenti enim & triginta anni *temporisque circumſtantiam,*

jam decurrerant; jamque ex Ægyptio carcere educti &c. in gentem atque populum formandi, inque terram patribus ipſorum juratam introducendi, iſtoque cœli pignore beandi erant. Quod liberationis ac gratiæ tempus, tanto ante Abrahamo definitum, in quo magnæ iſtæ promiſſiones implendæ erant, cum auſpicarentur, & terram, in quo cætera omnia comprehendebantur, (nam & ſemen benedictionis, quod inter promiſſiones maximum erat, non alibi quam in iſta terra compariturum erat) ingrederentur; non iterum fœdus aliquod operum, per quod peccatori ad Deum aditus non datur, ſed nihil niſi gratiam cogitare poterant.

ipſamque decalogi ſummam. VI. 3. Atque id ipſa *decalogi ſumma* teſtatur: qui nihil niſi fidei & reſipiſcentiæ mandata, qualia & Abrahamo data legimus, (*Ego ſum Deus ſufficiens. Ambula coram me & eſto integer*, Gen. 17: 1.) comprehendit; nec Judæis magis, quam nobis ſub N. T. fœderis operum formulam præſcribit. Verba enim, *Ego ſum Jehova Deus tuus* &c. quibus Deus huic fœderi præfatur, verba gratiæ ſunt, nec in fœdere operum ad peccatorem pronunciari poſſunt. Primum præceptum ex eâ præfatione fluit; inque eo Deus, remotis aliis Diis, fœdus iſtud à ſuâ parte ingreditur. In ſecundo *diligentium* ſe, ac *gratiæ* ſuæ, in *millenos*, meminit; quæ à fœdere operum aliena ſunt. Tertiò, fœdus iſtud ab hominis parte ſanctum haberi jubet; cumque ille Dei fœderatus ſit, ſacrum iſtud nomen in vanum ferri vetat; & fœderis ac gratiæ Dei confeſſionem exigit. Quartum inſuper typicum erat, & ſignum juſtificationis per Chriſtum comprehendebat, ac beata Novi T. tempora adumbrabat. Quintum fœderis interim pignus tradebat, bonorumque eo promiſſorum partem, Cananææ hæreditatem, oſtentabat. Ac poſt hæc fidei erga Deum mandata, reliqua præcepta una cum prioribus reſipiſcentiæ, gratitudinis ac ſanctitatis normam comprehendebant. Nec magis fœdus operum ſunt quam omnes Chriſti & Apoſtolorum ad charitatem & bona opera adhortationes. Atque adeo, cum nulla in decalogo legis operum formula extet, nulla ſtipulatio, nullus contractus ejus generis; ſed potius fidei ſtipulatio, & gratiæ ac nominis Dei confeſſionis exactio; patet, non ad operum, ſed ad gratiæ fœdus illum pertinere, nec aliud, quam fœderis cum Patriarchis olim initi, quod ſolam fidei in veterem promiſſionem ac reſipiſcentiæ ſtipulationem habebat, Gen. 17: 1. formulam tradere.

VII. Atque hæc decalogi, in prima ejus promulgatione, forma, &

ſco-

Digitized by Google

ſcopus erat. Præceptorum autem materiam quod attinet; cum ſanctitas & virtus ſemper eadem ſit, nec alia ſub fœdere operum, alia ſub fœdere gratiæ, ad gratitudinem præſtandam, requiratur; cum non magis ſanctitas, quam imago Dei mutationem patiatur; non negandum eſt, talia in decalogo præcepta extare, quæ, ubi Deo placuiſſet, in fœdus operum converti potuiſſent. Cujus in ſpeciem aliquam deinde decalogus ex juſto Dei judicio Iſraëlitis tranſiit.

Præceptorum decalogi materia, eadem quæ fœderis operum:

VIII. Mutatio enim quædam facta eſt, poſt populi apoſtaſiam, & peccatum circa vitulum aureum, Exod. 32. quando fœderis tabulæ à Moſe confractæ ſunt, populuſque ad tempus à Deo repudiatus, deinceps autem duriter habitus, & jugo ceremoniarum oneratus fuit, Jer. 31:32. Tum enim auditæ demum duæ illæ ſententiæ, quæ in decalogo non extabant: *Qui fecerit illa, vivet in iis:* &, *maledictus omnis, qui non manet in omnibus*, Lev. 18:5. & Deut. 27:26. quæ in ſe fœderis operum contractum & ſtipulationem exhibebant; cum oſtenderent quid ad juſtitiam operum requireretur. Qua facie Apoſtolus legem conſiderat, cum eam tanquam fœderis operum formulam exhibet: *Moſes enim deſcribit juſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit ea homo, vivet in eis.* Rom. 10:5. coll. Gal. 3:10, 12. *Quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub exſecratione ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non manet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut ea faciat* &c. & promiſſioni ac fidei opponit: *Si enim, qui ex lege, hæredes ſunt, exinanita eſt fides, & abolita eſt promiſſio* Rom. 4:14. *Lex autem non eſt ex fide: ſed, qui ea fecerit, homo, vivet in eis.* Gal. 3:12.

in cujus ſpeciem aliquam deinde tranſiit.

IX. Non quod Deus ullo tempore erexerit vel renovaverit cum peccatore fœdus operum, hoc enim impoſſibile erat. Sed decalogus, duabus iſtis ſententiis armatus, ſpeciem quandam fœderis operum exhibebat; eratque fœderis operum violati ἀνάμνησις, & quotidiana perfidiæ exprobratio; ut ita agnoſcerent Iſraëlitæ peccatum & maledictionem ſuam, & legalis juſtitiæ impoſſibilitatem, ac ab iſta ſpe depulſi, juſtitiam redemtoris ſitirent, atque ad Chriſtum manuducerentur. *Finis enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Rom. 10:4. Quo etiam ceremoniarum jugum deinceps impoſitum faciebat.

X. Verum quidem eſt, carnales Iſraëlitas per haſce legis clauſulas, quaſi objecto velo, occæcatos à vero ejus ſenſu aberraſſe, legemque ut fœdus operum conſideraſſe, & vitam ex operibus quæſiviſſe: *Iſraël proſequens legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit. quam ob rem? quia*

 non

non ex fide,ſed quaſi ex operibus legis.Offenderunt enim in lapidem offenſionis. Rom. 9: 31, 32. Sed tamen fideles hanc mixturam facile animadverterunt, &, diſcuſſa iſta nube, quæ plerorumque oculos morabatur, legem ad verum ſuum ſcopum, ac ad Chriſtum, quo inſtar pædagogi, non ſine terrore aliquo, ducebat, retulerunt; abnegataque propria juſtitia, ex qua vitam ſperare non poterant, illam in uno Chriſto quæſiverunt: *Lex* enim *pædagogus* eorum *exſtitit ad Chriſtum,ut in Chriſto juſtificarentur.* Gal. 3:24. Et, ſicut infideles Judæi *mortem*, ita illi *vitam* ex lege elegerunt. Deut. 30: 19.

Non ergo rectè aſſeritur, decalogum ſolam operum legem continere.

XI. Unde non ſatis benè decalogus à multis non aliter conſideratur, quam ſi ſolum legem operum contineret. Quo pacto Judæi non parum in errore confirmantur; qui, dum eum tantum ut operum formulam intuentur, non alio fine ſibi datum putant, quam ut ex operibus ejus juſtitiam quærant. Cum decalogus in primâ ſuâ latione fuerit *νομοθεσία* fœderis gratiæ, exigens *fidem per charitatem operoſam*, Gal. 5: 6. poſt populi autem idololatriam, per duas iſtas ſententias, fœderis operum ſpeciem tantum induerit,ad hominem deprimendum, & terrore iſto in officio continendum, tandemque ad Chriſtum adducendum; quod ipſum gratiæ fuit.

Legis hujus USUS.

XII. Atque ex hiſce nunc patet, quinam legis hujus fuerit *uſus*, ac adhuc ſit.

reſpectu Iſraëlitarum,

XIII. *Iſraëlitarum* enim reſpectu 1. erat formula fœderis gratiæ, fidei ac reſipiſcentiæ mandata continens. 2. dein, ob interveniens peccatum populi, formam legis operum præ ſe ferebat, iſtaque ſeveritate fideles terrebat,& ad Chriſtum ſuſpirare faciebat. 3. Quin & legis ceremonialis jugum non parum intendebat,cujus vis & exprobratio omnis à lege hac morali erat, ut deinceps videbimus. 4. Normam veræ ſanctitatis exhibebat, quæ non in externo cultu ac ritibus, ſed præceptorum, in quibus imago Dei ſita eſt, obſervatione conſiſtit.

omniumq; hominum, in ſtatu eorum inſtituto,

XIV. Sed & uſum generaliorem ea habebat,quæ non Iſraëlitas ſolos, licet eos quoque, ſed *omnes homines* ſpectabat: tum reſpectu ſtatus *inſtituti*, tum *deſtituti*, tum *reſtituti*.

XV. De ſtatu *inſtituto*, uſuque legis circa illum, ſupra egimus, ubi de primo homine.

deſtituto.

XVI. Quoad ſtatum hominis *deſtitutum*: 1. Per *legem* eſt *cognitio peccati*, Rom. 3:20. 2. Peccatum adauget,dumque concupiſcentiam objecto freno compeſcere ſtudet, eam magis acuit, majoribuſque flammis

mis exardeſcere facit: *Quum eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem* exiſtebant, *operabantur in membris noſtris, ad fructum ferendum morti.* Rom. 7: 5. *Occaſione autem accepta peccatum per præceptum effecit in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum.* v. 8. conf. v. 11. Unde *vis peccati* appellatur, 1. Cor. 15: 56. 3. Peccatorem *damnat: Scimus* enim, *quod quæcunque lex dicit, iis, qui in lege ſunt, dicat, ut omne os obturetur & obnoxius fiat omnis mundus Deo* &c. Rom. 3: 19, 20. *iram operatur*, Rom. 4: 15. *maledicit*, Gal. 3: 10. eſt *miniſterium mortis*, & *litera lethalis* ac *occidens*, 2. Cor. 3: 6, 7, 9. 4. Interimque moderandæ humanæ ſocietati externæ diſciplinæ uſum habet, ad homines utcunque in officio continendos.

XVII. Quoad ſtatum *reſtitutum*, 1. Minis, terroribus, maledictionibus ſuis hominem ad Chriſtum compellit: *Finis enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Rom. 10: 4. Quæ legis pædagogia ſupra naturam ejus eſt, quæ notitiam ſolum peccati & deſperationem parere idonea eſt. 2. Nos ad veram humilitatem fingit, ſenſuque propriarum infirmitatum ſuperbiam noſtram domat: *Peccatum non cognovi, niſi per legem* &c. Rom. 7: 7. conf. Phil. 3: 8, 9. *Duco omnia ſtercora eſſe, ut Chriſtum lucrer, & inveniar, in ipſo non habens meam juſtitiam, eam ex lege, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti, juſtitiam, quæ ex Deo eſt ad fidem.* 3. Veræ ſanctitatis typum exhibet, iſtoque ſeu medio morali, ſeu cauſa exemplari ſanctificationem noſtram promovet: *Finis* παραγγελίας *denunciationis eſt amor ex puro corde, & conſcientia bona & fide non fucata.* 1. Tim. 1: 5. 4. Noſtræque regenerationi & ſanctitatis initiis teſtimonium præbet, eaque approbat & laudat: quatenus *ſecundum interiorem hominem legi condelectamur.* Rom. 7: 22. & δικαίωμα *ejus implemus*, Rom. 8: 4. adeo ut *nos non* tam *operemur* malum, quippe novi homines, quam *peccatum in nobis habitans.* Rom. 7: 17.

& reſtituto.

XVIII. Abutuntur autem lege, qui eam poſt peccatum datam putant, ad juſtitiam per eam conſequendam; ſeu per vires naturæ, ſeu per gratiam communem omnibus, quæ revera naturam non ſuperat, ſeu denique per gratiam ſpecialem Chriſti.

Legis abuſus.

XIX. Atque ex hoc ejus uſu ſimul patet, quomodo & quatenus poſt peccatum abrogata ſit. Fidelium enim reſpectu, etſi iis obedientiæ regula & dux ſit, tamen, tum quoad maledictionem, tum quoad rigidam plenæ obedientiæ exactionem, ac ſi ſine ea vitam ſperare nullo modo liceret, abolita eſt. *Non enim ſub lege* ſunt, *ſed ſub gratia.* Rom. 6:

Lex quatenus poſt peccatum abrogata ſit?

Digitized by Google

14. *Juſto lex non eſt poſita, ſed legis rationem non habentibus & contumacibus* &c. 1. Tim. 1: 9. Ea enim cum à Chriſto impleta, legiſque poſtulato ſatisfactum ſit; lex jam miniſtra Chriſti & gratiæ facta, operibus noſtris, etſi imperfectis, attamen ſinceris, utpote per Chriſti Spiritum peractis, & ad perfectionem tendentibus, applaudit: *Qui introſpexerit in perfectam illam legem libertatis & permanſerit in ea -- beatior erit in opere ſuo.* Jac. 1: 25. conf. cap. 2: 8. *Si legem regiam præſtatis ſecundum Scripturam, Diliges proximum tuum ut te ipſum, benè facitis.* & v. 12. *Ita loquimini & ita facite, ut per legem libertatis judicandi.*

Rejectis Antinomorum furoribus XX. Unde rejicimus ab unâ parte, Antinomorum furores; qui Lutheri jam tempore exorti regenitos omni legis obedientiâ ſolvebant: cum illa æterna ſanctitatis regula, ac officii noſtri norma ſit. *Quippe, uſque dum præterierit cœlum & terra, jota unum aut unus apex nequaquam præteribit ex lege, uſque dum omnia facta fuerint.* Matth. 5: 18. ab altera parte, Phariſæorum ac Pelagianorum, omniumque ferè hodie hæreticorum hypocriſin; qui, ut propriam juſtitiam facilius erigant, legis adimplendæ poſſibilitatem, hominiſque in hac vitâ perfectionem docent. Quod ut per ſeſe naturæ humanæ, cum imagine Dei creatæ, non impoſſibile ſit, nunc tamen, poſtquam ea per peccatum corrupta eſt, vires ejus ſuperat; ideoque cum illud nunquam factum ſit, nec fiat, nec futurum unquam ſit, recte impoſſibile vocari poteſt. Vide 1. Reg. 8: 46. *Nemo* eſt *qui non peccet.* Pſal. 143: 2. *Et ne venias in judicium cum ſervo tuo. Nam non juſtificatur apud te ullus vivens.* Joh. 7: 19. *Nonne Moſes vobis dedit legem, & nemo ex vobis facit legem?* 1. Joh. 1: 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus & veritas in nobis non eſt.* Jac. 3: 2. *In multis impingimus omnes.* Nec ideo tamen in vanum lex à Deo data eſt; cum longè alios fines habeat, quos jam vidimus. Atque hæc de Lege Dei in genere ad inſtitutum noſtrum hoc loco nunc ſufficiant. Specialem enim tractationem ejus nunc ingredi non licet.

& Phariſæorum omniumque Pelagianizantium hypocriſi.

LO-

Digitized by Google

LOCUS DECIMUS NONUS

CAPUT VII.

De Legis Ceremonialis inſtitutione, cauſis & uſu.

I. SEquuntur poſt legem moralem leges divinæ poſitivæ, per Moſem latæ, quæ fuerunt, partim *ceremoniales*, ut vulgò appellantur, partim *forenſes*.

II. Lex cerimonialis complectebatur externos ritus & cerimonias, à Judæis uſurpatas, tum in publicâ, tum in domeſticâ vitâ (ubique enim eæ obtinebant; cum univerſa iſta gens ſancta diceretur, ſemperque ac ubique iſtis repagulis coerceretur, ut ſine Deo vix manum extendere, aut attingere omnino quicquam liceret) tum præſertim in ſacris: quæ ſignificatione ferè erant myſticæ. Dicitur in Scriptura *lex præceptorum in placitis*, Eph. 2:15. *Chirographum, quod contra nos ſcribebatur in placita*. Col. 2:14. & *lex præcepti carnalis* Hebr. 7:16. vide Hebr. 9:1. *Habebat prius tabernaculum, inſtituta cultus*. & v. 10. *δικαιώματα σαρκὸς inſtituta carnis*. *Lex* CERIMONIALIS.

III. Differebat ea à lege morali, quod contineret præcepta *non bona*, Ezech. 20:25, 26. *infirma*, Hebr. 7:18. *Quæ non poſſunt quoad conſcientiam conſummare eum, qui cultum præſtabat*, c. 9:9 per quæ vivere homo non poterat; quæque ad peccatoris juſtitiam & vitam nihil faciebant, nec eum conſummabant: *Nihil enim conſummavit lex*. Heb. 7:19 Præcepta enim moralia erant propriè præcepta fœderis, ceremonialia autem erant acceſſoria. In qua diſtinctione, cujus neglectu Judæi ſæpe adeo peccabant, ac adhuc miſerè errant, dum umbris & ceremoniis iſtis ſeſe oblectare amant (vide Hoſ. 6:6. coll. Matth. 9:13. *Pietate delector, & non ſacrificio; & agnitione Dei præ holocauſtis*. Jer. 7:22, 23. *Non locutus ſum cum patribus veſtris, & non præcepi ipſis, quo die ipſos eduxi ex Ægypto, de holocauſto & ſacrificio. Sed verbum hoc præcepi ipſis: Auſcultate mihi, & ſiam vobis in Deum, & vos fietis mihi in populum* &c.) Judaïſmi & Chriſtianiſmi diſcrimen ſitum eſt. *Qua à morali differt.*

IV. Circa legem illam conſiderabimus, 1. in genere, ejus inſtitutionem, miniſterium, cauſas & uſum. 2. in ſpecie illius præcepta. 3, denique ejus abrogationem. *Circa quam in genere con-*

V. Eſt

14. *Juſto lex non eſt poſita, ſed legis rationem non habentibus & contumacibus* &c. 1. Tim. 1: 9. Ea enim cum à Chriſto impleta, legiſque poſtulato ſatisfactum ſit; lex jam miniſtra Chriſti & gratiæ facta, operibus noſtris, etſi imperfectis, attamen ſinceris, utpote per Chriſti Spiritum peractis, & ad perfectionem tendentibus, applaudit: *Qui introſpexerit in perfectam illam legem libertatis & permanſerit in ea-- beatior erit in opere ſuo.* Jac. 1:25. conf. cap. 2: 8. *Si legem regiam præſtatis ſecundum Scripturam, Diliges proximum tuum ut te ipſum, benè facitis.* & v. 12. *Ita loquimini & ita facite, ut per legem libertatis judicandi.*

Rejectis Antinomorum furoribus

XX. Unde rejicimus ab unâ parte, Antinomorum furores; qui Lutheri jam tempore exorti regenitos omni legis obedientiâ ſolvebant: cum illa æterna ſanctitatis regula, ac officii noſtri norma ſit. *Quippe, uſque dum præterierit cœlum & terra, jota unum aut unus apex nequaquam præteribit ex lege, uſque dum omnia facta fuerint.* Matth. 5: 18. ab altera parte, Phariſæorum ac Pelagianorum, omniumque ferè hodie hæreticorum hypocriſin; qui, ut propriam juſtitiam facilius erigant, legis adimplendæ poſſibilitatem, hominiſque in hac vitâ perfectionem docent. Quod ut per ſeſe naturæ humanæ, cum imagine Dei creatæ, non impoſſibile ſit, nunc tamen, poſtquam ea per peccatum corrupta eſt, vires ejus ſuperat; ideoque cum illud nunquam factum ſit, nec fiat, nec futurum unquam ſit, recte impoſſibile vocari poteſt. Vide 1. Reg. 8: 46. *Nemo* eſt *qui non peccet.* Pſal. 143: 2. *Et ne venias in judicium cum ſervo tuo. Nam non juſtificatur apud te ullus vivens.* Joh. 7: 19. *Nonne Moſes vobis dedit legem, & nemo ex vobis facit legem?* 1. Joh. 1: 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus & veritas in nobis non eſt.* Jac. 3: 2. *In multis impingimus omnes.* Nec ideo tamen in vanum lex à Deo data eſt; cum longè alios fines habeat, quos jam vidimus. Atque hæc de Lege Dei in genere ad inſtitutum noſtrum hoc loco nunc ſufficiant. Specialem enim tractationem ejus nunc ingredi non licet.

& Phariſæorum omniumque Pelagianizantium hypocriſi.

LOCUS DECIMUS NONUS

CAPUT VII.

De Legis Ceremonialis inſtitutione, cauſis & uſu.

I. SEquuntur poſt legem moralem leges divinæ poſitivæ, per Moſem latæ, quæ fuerunt, partim *ceremoniales*, ut vulgò appellantur, partim *forenſes*.

II. Lex cerimonialis complectebatur externos ritus & cerimonias, à Judæis uſurpatas, tum in publicâ, tum in domeſticâ vitâ (ubique enim eæ obtinebant; cum univerſa iſta gens ſancta diceretur, ſemperque ac ubique iſtis repagulis coerceretur, ut ſine Deo vix manum extendere, aut attingere omnino quicquam liceret) tum præſertim in ſacris: quæ ſignificatione ferè erant myſticæ. Dicitur in Scriptura *lex præceptorum in placitis*, Eph.2:15. *Chirographum, quod contra nos ſcribebatur in placita*. Col. 2:14. & *lex præcepti carnalis* Hebr. 7: 16. vide Hebr. 9: 1. *Habebat prius tabernaculum, inſtituta cultus*. & v. 10. *δικαιώματα σαρκὸς inſtituta carnis.* *Lex CERIMONIALIS.*

III. Differebat ea à lege morali, quod contineret præcepta *non bona*, Ezech.20:25,26. *infirma*, Hebr.7:18. *Quæ non poſſunt quoad conſcientiam conſummare eum, qui cultum præſtabat*, c. 9:9 per quæ vivere homo non poterat; quæque ad peccatoris juſtitiam & vitam nihil faciebant, nec eum conſummabant: *Nihil enim conſummavit lex*. Heb.7:19 Præcepta enim moralia erant propriè præcepta fœderis, ceremonialia autem erant acceſſoria. In qua diſtinctione, cujus neglectu Judæi ſæpe adeo peccabant, ac adhuc miſerè errant, dum umbris & ceremoniis iſtis ſeſe oblectare amant (vide Hoſ. 6:6. coll. Matth. 9: 13. *Pietate delector, & non ſacrificio; & agnitione Dei præ holocauſtis*. Jer. 7: 22, 23. *Non locutus ſum cum patribus veſtris, & non præcepi ipſis, quo die ipſos eduxi ex Ægypto, de holocauſto & ſacrificio. Sed verbum hoc præcepi ipſis: Auſcultate mihi, & fiam vobis in Deum, & vos fietis mihi in populum* &c.) Judaïſmi & Chriſtianiſmi diſcrimen ſitum eſt. *Quà à morali differt.*

IV. Circa legem illam conſiderabimus, 1. in genere, ejus inſtitutionem, miniſterium, cauſas & uſum. 2. in ſpecie illius præcepta. 3, denique ejus abrogationem. *Circa quam in genere conſid.*

V. Eſt

Digitized by Google

ſideratur ejus inſtitutio (in auctore.

V. Eſt ea lata, ut & reliquæ leges, ab ipſo Dei Filio, unico teſtamenti ſponſore, qui omnia ad illud pertinentia per gradus ſuos exequi ac peragere debuit: quo hæc Dei ſeveritas, populique ſervitus, & figurarum rudimenta, venturamque lucem præcedentes umbræ pertinebant.

ac internuncio illius)

VI. Internuncius ejus fuit *Moſes*, qui ab hac legiſlatione, tanquam præcipuâ miniſterii ſui parte agnoſcitur. *Lex per Moſen data eſt.* Joh. 1: 17. Nam legis moralis præcepta condito mundo coæva ſunt; & promiſſio mox à lapſu audita eſt. Cui demum Moſes hanc cerimoniarum ſepem circumdedit, primuſque & ſolus ſtatutorum ac dogmatum leges tradidit; quas innovare vel auctiores facere nemini poſt ipſum licuit.

& miniſterium.

VII. Jam olim ſub *Promiſſione* variæ obtinebant cerimoniæ & ſacrificia, quæ quamvis Deum auctorem haberent, libera tamen ſemper erant & voluntaria; nec tanto cum onere ac jugo, cumque execrationis ingeminatione ac quotidianis diris, peccati memoriam renovabant. Ille enim terror poſt latam legem, ac verba minantia: *Quiſquis non manſerit in omnibus* &c. demum acceſſit. Ante illud tempus autem nudi erant Eccleſiæ ritus, ejuſque in infantili iſta ætate ſerperaſtra, quibus ad Meſſiæ fidem contenderet, eoque adhuc abſente, ſaltem imagine ejus paſceretur.

VIII. Nec alium reſpectum habuerunt *ſub Moſe*, ante μοσχοποιΐας; quanquam ab eo adauctæ, & non adeo liberæ, ut ante, relictæ ſint, inſtituto tabernaculo ac ſacerdotio Aaronico. Non enim iſta jugum protinus imponebant; cum tabernaculum potius gratioſæ Dei habitationis inter homines ſignum foret; & de futura Dei in carne habitatione Eccleſiam admoneret. vid. Eſai. 8: 14. *Et erit* Jehova *in ſanctuarium* &c. ac ſacra Aaronis præfectura nondum omnes tanquam impuros altari arceret; cum iſto tempore adhuc *primogenitorum* oblationes legamus, Exod. 24: 5. nec ad unum locum eas initio determinatas fuiſſe conſtet: *Altare terreum facito mihi; ut ſacrifices ſuper ipſum holocauſta tua -- quocunque in loco jubebo celebrari memoriam nominis mei, veniens ad te benedicam tibi*, Exod. 20: 24.

IX. Poſt peccatum autem vituli Eccleſiæ fata mutata, atque viliora facta ſunt. Quoſque Deus ut filios hactenus habuerat, ac ex Ægyptiaco ergaſtulo liberatos in domum ſuam cooptaverat, jam inſtar ſervorum, qui vernilitatem in Ægypto contractam nondum dedidicerant, durius

Digitized by Google

durius habere conſtituit: ac *dominatum in eos exercuit*, Jer. 31: 32. &, ut Apoſtolus Hebr. 8:9. Prophetæ verba explicat, *neglectius habere* inſtituit. Magnam enim partem in longo illo per deſerta errore periere; cæteri autem variis cerimoniis onerati Deo adductius ſervire, inque ſervilibus miniſteriis ætatem agentes, Deum, non ut patrem, ſed ut dominum, adire ac colere juſſi ſunt. Quod clariſſimè docet Ezechiel c. 20:25,26. ubi, ob peccatum in deſerto commiſſum, ait, Deum illis *ſtatuta dediſſe, quæ non bona erant*, eoſque *cum oblationibus ſuis impuros declaraſſe; traductoſque primogenitos*, adſcitis in locum eorum Levitis altari arcuiſſe. Sicut & Paulus Gal. 3: 19. *Legem ob tranſgreſſiones ſuperadditam* dicit.

X. Unde Moſes, renovato Dei fœdere, poſt acceptas ſecundas tabulas, quæ gravioribus verbis armatæ erant, omne demum ceremoniarum choragium & jugum, genti impoſuit; peccatumque non ſolum iſtud, ſed & alia omnia, ſollemnibus verbis quotidie fateri, & ſacrificiis ac pecudum cruore altaribus inſcribere, ac laborantis nec unquam ſatis lætæ conſcientiæ gemitus ac ſuſpiria tabernaculo affundere juſſit. Quæ reatus adhuc manentis perpetua & publica exprobratio erat, quam non ferre ſolùm, ſed peragere ipſi debebant.

XI. Omnis autem legis hujus vis à lege operum erat (unde Paulus eam ad legem operum refert, & *legem* κατ' ἐξοχὴν ſæpe appellat) quæ tam gravi peccato violata, atque additâ mox execratione, repetita peccatorem graviſſimè urgebat; cumque peccatum nondum digno ſacrificio expiatum eſſet, maledictionem intentare, eamque omni modo repræſentare non ceſſabat. Quo ſacrificiorum, luſtrationum, aliarumque ceremoniarum ritus percommodè faciebant; quæ, abſque hoc, nullo jugo graves, ſolumque innocui ritus & cultus Dei adminicula fuiſſent: nunc autem, execratione adhuc incumbente, inde quoque maledictionem traxere, ejuſque exercendæ, ac quotidie iterandæ, fuerunt inſtrumentum.

XII. Atque hinc jam ultro patent latæ iſtius legis *cauſæ*; atque *uſus*, quos in priſcâ Eccleſiâ habuit. *Vis & cauſa atque uſus.*

XIII. Non ſatisfaciunt enim Judæi, volentes eam datam partim *ſanitatis* cauſa, partim ut *naturæ & philoſophiæ* compendium; quale quid de tabernaculo dicunt, in quo omne cœlum deſcriptum autumant. Probabilius eſt quod adfert Maïmonides, Deum iſtis inſtitutis populum ſuum ab idololatria Gentilium, ac præcipuè Sabæorum, avertere *Tum non ſatis commodi, quos Judæi comminiſcuntur.*

voluiſſe:unde operoſo adeo cultu,qui vel ſuperſtitioſiſſimis ſatisfacere poterat,eoque fere gentium ſacris contrario,eum occupari ac detineri voluit.

Cauſsa veriores. XIV. Veriores autem cultus iſtius cauſæ ſunt: 1.Ut Deus Eccleſiam iſto tempore veluti adoleſcentem ſub pædagogo poneret,& difficili miniſterio proterviam ejus delaſſaret ac compeſceret, (vid. Gal. 4: 1,2,3. *In quantum tempus hæres infans eſt,nihil differt à ſervo, quum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & curatoribus eſt uſque ad tempus prædefinitum à patre.ita & nos quum eſſemus infantes,ſub elementa mundi eramus in ſervitutem ſubjecti.*) eamque per terreſtres *figuras* & *umbras* ſenſim ad majora perduceret,Hebr.10:1.& 9:23.atque ita, dum venturo olim Salvatori per veterum deſideria ac *ſitim* viam ſternit, Matth.11:28. Hebr.2: 15. gradibus quibuſdam ſalutis humanæ opus abſolveret. 2. Præſertim poſt perfidiam in deſerto commiſſam,multiplici iſto ſacrificiorum apparatu, peccatum in quotidiano cultu, non verbis, ſed fuſo ſanguine, exprobrare, iſtoque terrore ac maledictionis imagine Eccleſiam ſuam exercere voluit: fuit enim *in ipſis hoſtiis commemoratio peccatorum anniverſaria*. Hebr. 10: 3. Unde *chirographum in placitis nobis ſubcontrarium*, Apoſtolus appellat, Col. 2: 14. ac *legem* hanc *maledictionem interminare* ait, Gal. 3: 10. quippe quæ execrationem nondum ſublatam docebat; omneque id *miniſterium mortis ac condemnationis* fuiſſe dicit, quam ubique repræſentabat, nec niſi meliori ſacrificio auferri poſſe clamabat, 2. Cor.3:9. Unde & peccatum Judæ dicebatur *ſcriptum in cornibus altaris*. Jer.17:1.3.Lex illa erat typus Chriſti,mortiſque ejus omniumque ejus beneficiorum, Eccleſiæ olim præſtandorum,imaginem gerebat; quæ victimarum morte, & luſtrationibus expiationibuſque typicis adumbrabat: *Quæ ſunt umbra futurorum; corpus autem* eſt *Chriſti*. Col. 2:17. Unde *Chriſtus finis legis* appellatur,Rom.10:4.Lexque hæc inſtar *pædagogi ad Chriſtum* ducere, *ut per eum juſtificemur*, Gal. 3: 24, 25. *umbramque* continuiſſe *futurorum bonorum* dicitur, Hebr.10:1. quæ una cum Chriſti adventu in Nov. T. demum præſtita & impleta ſunt. Quæ Eccleſiæ Chriſtianæ dignitatem magnopere augent, cui effingendæ ac adumbrandæ univerſum populum ac Eccleſiam præcedere Deus voluit; quæ videl. venienti ei in mundo appareret, & aditum ac commeatum pararet. 4. Inſerviebat ea diſcernendis ac diſterminandis Judæis à gentibus, erectâ *ſepe intermediâ* Eph 2:14. quæ populorum *inimicitiam* fundabat, v. 15. quamque reconciliatis poſtea gentibus aboleri oportuit.

Nam

Nam *per ipſum habemus acceſſum utrique in uno Spiritu ad Patrem*; adeoque gentes *non amplius hoſpites & advenæ ſunt, ſed cives ſanctorum & domeſtici Dei*. v. 18, 19. Ex qua gentium abdicatione non poterat non piorum dolor ac luctus accendi; qui regnum Dei longiſſimè patere, ac promiſſam Abrahamo hæreditatem adduci deſiderabant. 5. Nec inter Gentes ſolum & Judæos, ſed & inter ipſos Judæos diſcrimen faciebat, quorum alios ab altari & conſpectu Dei arcebat, ut totum Iſraëlem (vid. Num. 1: 51. & 3: 10. *Aharonem & filios ejus præficito, ut obſervent ſacerdotium ſuum: nam quicunque extraneus acceſſerit, morte plectetur.*) alios autem accedere ſinebat, ſed non ultra primum limen, ut Levitarum ac Sacerdotum turbam; ſolum autem Pontificem maximum ad interius adytum, ipſumque Dei ſacrarium. Quæ docebant, nondum veniſſe verum Sacerdotem, qui omnem Dei populum ex æquo ad Deum adduceret, nec *viam ad ſancta* adhuc vulgò *manifeſtatam* eſſe. Hebr. 9: 8.

Ex hiſce patet jugi legis ceremonialis gravitas.

XV. Atque hæ præcipuæ legis illius fuerunt cauſæ. Ex quibus patet: 1. Quantopere *δυσβάστακτον*, vel potius *ἀβάστακτον* fuerit illud *jugum*, Act. 15: 10. tum, quod multiplex adeo cerimoniarum miniſterium foret impoſitum, idque tanta cum neceſſitate, ut ſine iis peccatorum remiſſio non daretur; tum præſertim, quod illæ non ſuaves, vel ſignificatu jucundæ, ſed fidei graves & triſtes forent, quæque cum onere ac conſcientiæ nondum perpurgatæ gemitu exantlarentur. Quod onus ac jugum, quod hic præcipuè conſiderandum eſt, à legis moralis vi, atque adhuc vigentis maledictionis ſtimulo, ut vidimus, proveniebat. 2. Quomodo veteres fuerint ſub lege, ſub cujus *φρουρᾷ cuſtodia* eos Apoſtolus concluſos dicit, Gal. 3: 23. Quia nimirum cùm peccatum nondum deletum foret, per legem aliquid ipſis impoſitum fuit, quod expiatione peractâ locum habere non potuiſſet. Unde fideles ſub N. T. non amplius ſunt ſub lege, nec ſub eâ eſſe poſſunt: *Nunc* enim *abſque lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, cui teſtimonium perhibet Lex & Prophetæ*. Rom. 3: 21. Sicut hoc paſſim urget Apoſtolus, hæreditatem gentium quæ Abrahamo promiſſa fuit, non poſſe cum illa ſervitute, quæ Iſraëli incumbebat, ſubſiſtere. 3. Denique cur Chriſtus ſub illa lege naſci debuerit: *Factus ſub lege*. Gal. 4: 4.

& quomodo veteres ſub lege fuerint,

curque Chriſtus ſub ea naſci debuerit.

XVI. Apparet hinc *porro* cæcitas *Judæorum*, qui, patriæ legis tenaciſſimi; & rituum externorum ad ſuperſtitionem obſervantiſſimi, ejus tamen cauſas & ſcopum, & uſum ignorant, atque inutili iſto miniſterio ſeſe ad vanum delaſſant. Quin &, ſerpente ulterius errore, in eo ju-

Judæorum circa hanc legem cæcitas.

juſtificationis ſuæ cauſas quærunt, atque, anxium & ſcrupuloſum iſtum cultum Deo imputantes, ita ſeſe Deo placere poſſe confidunt; quomodo ne ſapienti quidem ac cordato viro ſatisfacerent. Ita enim loquuntur in ſua liturgiâ, *ſe talibus præceptis & ſanctificari, & juſtificari, & vivificari.* Cum tamen de his præceptis dictum non fuerit, *qui fecerit illa, vivet in eis*; nec proprie fœderis conditio, ſed ejus acceſſio fuerint; & externa quædam λατρεία, quæ infanti populo pro elementis & umbrâ foret, donec plenior lux Eccleſiæ affulgeret. *Lex igitur adverſus promiſſa Dei? ne eveniat. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare; revera ex lege eſſet juſtitia.* Gal. 3: 21. *Atque etiam ego dedi eis ſtatuta non bona & judicia in quibus non viverent.* Ezech. 20: 25. *Nam pietate delector, & non ſacrificio; & agnitione Dei præ holocauſtis.* Hoſ. 6: 6. *Diligere Deum ex toto corde -- & proximum ut ſe ipſum plus eſt quam omnia holocauſta & ſacrificia.* Marc. 12: 33.

Quibus affines ſunt Sociniani

XVII. Quibus affines ſunt *Sociniani*, partim ſub lege plenam peccatorum condonationem, ſine Chriſti ſatisfactione, ex legis videl. illius obſervatione, ſtatuentes: partim, & contrario errore, præcepta hæc craſſa & rudia appellantes, ſolo legiſlatoris placito inſtituta, ſine ratione ac myſterio ullo; unde Chriſtus novus legiſlator, in ſuo regno, ea faceſſere juſſerit, ſubſtituto rationali ac potiori cultu. Quæ pretioſa impuræ iſtius Theologiæ effata ſunt, quæ Marcionis blaſphemiam de Deo Vet. Teſt. non parum redolent.

& Anabaptiſtæ.

XVIII. Similiter *Anabaptiſtæ* Deum exteriora in his mandatis ſolum juſſiſſe, nec fidem puritatemque cordis magnopere flagitaſſe ſtatuunt. Quæ profana ſunt, & Dei ſapientiæ ac ſanctitati injuria. Non enim, quanquam γυμνασίαν σωματικὴν hæc præcepta fere continerent, prorſus inanis & bruta, ſed ſignificatione λογικὴ fuit hæc λατρεία; ut Apoſtolus epiſtola ad Hebræos oſtendit.

L O-

LOCUS VIGESIMUS DE PERSONIS SACRIS.

CAPUT VIII.

De Pontifice ac Sacerdotibus.

I. HActenus legem dogmatum in genere vidimus. Conſiderandæ jam illæ per partes ſunt. Erant autem dogmata ſeu cerimoniæ omnes duplicis generis, aliæ publicè, aliæ privatim uſurpandæ. Publicæ quinque erant claſſium, 1. *Perſonarum* ſacrarum. 2. *Actionum.* 3. *Rerum.* 4. *Locorum.* 5. *Temporum.* Quæ nos omnia, tum quoad externam eorum figuram, tum quoad ſpiritualem ſignificationem, ſtrictim perluſtrabimus.

Cerimoniæ erant publicæ vel privatæ. Illæ erant quinque claſſium.

II. Perſonæ ſacræ erant, vel *ordinariæ*, videl. Pontifex, Sacerdotes, Levitæ, Nethinim: vel *extraordinariæ*, ut Naziræi, Rechabitæ.

III. Inter perſonas ſacras, ſacratiſſimus erat Pontifex, dignatione maximus, regiſque ſolio iſta in republ. proximus; ſub quo reliquus erat Sacerdotum ordo. De quibus videbimus 1. eorum *conſtitutionem.* 2. *ſanctitatem* requiſitam. 3. officium & *miniſterium.*

Perſonæ ſacræ erant duplicis generis: inter quas præcipuus erat PONTIFEX.

IV. *Conſtitutio* complectitur, illorum, 1. *electionem.* 2. *conſecrationem.* 3. *ſucceſſionem.*

Illius CONSTITUTIO, *1. per electionem,*

V. *Electio* Pontificis, primò juſſu ac deſignatione Dei peracta eſt, in Aarone ac filio ejus Eleaſare: *Jube accedere ad te Aaronem fratrem tuum, cum filiis ſuis ſecum, è medio filiorum Iſraëlis, ut ſacerdotio fungatur mihi.* Exod: 28: 1. *Exue Aaronem veſtibus ſuis, ut induas eis Eleaſarem filium ejus*, Num. 20: 26. deinceps, juxta Judæos, penes conſeſſum ſeptuaginta ſenum & reges permanſit.

VI. *Conſecratio* Pontificis, tribus rebus conſtabat, veſtitu, unctione, ſacrificio.

II. conſecrationem, quæ conſtabat

VII. *Veſtibus ſacris*, quibus in templo miniſtrare mos erat, Lev. 8: 7, 8, 9. Pontifex per dies ſeptem continuos manè induebatur, & veſperi rurſus exuebatur. Quem ritum Moſes erga Aaronem adminiſtravit. Lev. 8: 7. & ſeqq.

I. VESTIBUS SACRIS:

Ve-

Digitized by Google

quæ erant Pontifici, vel aureæ, numero octo

VIII. *Veſtes* autem *illas* quod attinet, eæ Pontifici (unde & reliquorum ſacerdotum veſtitus patebit) erant duplices; aureæ & albæ.

IX. *Aureæ* appellabantur, non quod totæ auro conſtarent, vel omnes auro illuſæ ac interſtinctæ forent; ſed quod quibuſdam ex iis aurum variè intextum, reliquæ autem cæteris ejus veſtibus ornatiores & ſplendidiores erant. Indumenta hæc aurea, Hebræis בגדי זהב dicta, erant octo: *Femoralia* מכנסים; *Tunica* כתנת *Baltheus* אבנט, *Cidaris* מצנפת; *Pallium* מעיל; *Ephod* אפוד; *Pectorale* חשן, & *Frontale* ציץ. De quibus legere eſt Exod. 28.

(quatuor priores etiam reliquis Sacerdotibus communes erant, poſteriores quatuor Pontifici propria.

X. Ex veſtibus hiſce ſacris, quatuor priores etiam reliquis Sacerdotibus communes erant; quatuor autem poſteriores ad Pontificis ſolius cultum ſpectabant. Erant verò omnes ex lino puriſſimo ac pretioſiſſimo.

In quibus quotidie in ſanctuario miniſtrabat:

XI. Atque in ſacro hoc ornatu miniſtrabat Pontifex quotidie in ſanctuario; juxtaque eum Sacerdotes ſuo ordine. Sine hiſce enim veſtibus ſacris operari non licebat. Atque ubi vel minimum ex iis deerat, Pontifex מחוסר בגדים *defectus veſtibus* dicebatur, & profanus habebatur.

non verò facilè iis utebatur extra templum)

XII. Non autem facile extra templum iis utebantur; quanquam & hoc accidiſſe nonnunquam conſtet. Extra Hieroſolymam autem iis uti prorſus nefas erat.

vel albæ, quatuor.

XIII. Præter veſtes aureas habebat quoque Pontifex quatuor veſtes *albas*, בגדי לבן appellatas, quatuor prioribus cognomines, *tunicam* videl. *braccas*, *cingulum* & *pileum*, ſeu cidarim, ex lino contextas; quibus ſolus utebatur Pontifex, ſemel in anno, cum piaculare ſacrum adminiſtraturus interius adytum intraret. Quo peracto veſtes eas deponebat, ſequenti anno novas rurſus accepturus. Agitur de iis Lev. 16:4, 32.

2. unctione

XIV. *Unctio* per totidem dies fieri ſolita erat, antequam ſacrum oleum amiſſum erat. Illud enim, ſemel à Moſe confectum, Exod. 30. nongentos ferè annos duraſſe volunt: deinde autem Pontificis inauguratio ſolo veſtitu peracta fuit.

(diſcrimen unctionis pontificalis & regiæ)

XV. Videtur autem idem fuiſſe oleum, quo & Reges nonnunquam inaugurati leguntur; quanquam alii diverſum fuiſſe velint. Alios enim eo perfundi nefas erat. *Carnem hominis ne eo ungito, aut ſecundum confecturam ejus ne facitote ſimile ei: res ſancta eſt* &c. Exod. 30: 32, 33. Utriuſque autem unctionis, inter alia, hoc præcipuum diſcrimen erat:

erat:quod omnes & ſinguli Pontifices in initiatione ſacro oleo linerentur, unde *ſacerdotes uncti* appellantur, Lev. 4:5. & 6:22. Reges autem non omnes, ſed ii ſolum, qui rebus turbidis, & ſucceſſione ob tumultus ac ſeditiones incertâ, in Davidis ſolium evehebantur: ut in Salomone & Joâ patuit, 1. Reg. 1:39. 2. Reg. 11:12.

XVI. Tertius initiationis ritus erat *ſacrificium*, quod Pontifex in- *3. & ſa-*
unctus, & ſacrâ veſte indutus, in muneris auſpicium offerebat; imo & *crificio.*
quilibet ſacerdos gregarius, ex lege Lev. 6:20. *Hæc eſto oblatio Aharonis, & filiorum ejus, quam offerent Jehovæ ſemper, quo tempore ungetur eorum aliquis* &c.

XVII. *Succeſſionem* Pontificum quod ſpectat, videnda tum fami- *III. &*
lia Pontificalis, tum modus ſucceſſionis in illa. *ſucceſſio-*
nem.

XVIII. Primus Pontifex fuit *Aaron*, ex tribu *Levi*. Cujus duo filii, *Eleaſar* & *Ithamar*, binas conſtituerunt familias ſacerdotales; quarum prior tantum fuit Pontificalis. *Et exuens Moſes Aaronem veſtibus ipſius, induit eis Eleaſarem filium ipſius. Et mortuus eſt Aaron ibi, in vertice montis.* Num. 20:28.

XIX. Turbata autem poſtea videtur hæc ſucceſſio. Heli enim Pontifex Ithamarides fuiſſe creditur. Cujus poſteri Pontificatu rurſus exciderunt, Salomonis tempore, per Abjatharem. Quo amoto, ad veram ſtirpem honor iſte poſtliminio rediit, per Zadocum Eleaſaridem. 1. Reg. 2.

XX. Atque hæc Pontificum conſtitutio erat. Sacerdotes vulgares SACER-
quod attinet, ritus inaugurationis eorum multa cum Pontificum ini- DOTUM
tiatione communia habebat: de quibus videri poteſt Exod. 29. & Lev. *vulgarium inaugura-*
8. Diſcrimen ferè in his duobus ſitum erat: 1. quod omnes & ſinguli *tio,*
Pontifices, in novi honoris exordio, ungebantur: ſacerdotes autem reliqui in primâ conſecratione filiorum Aaronis inuncti & conſecrati cenſebantur. 2. quodque Pontifices oleo in capite perfundebantur, Exod. 29:7. conf. Lev. 8:12. & 21:10. Sacerdotes autem oleo, admixto victimarum ſanguine, in ſacrâ veſte leviter tantum adſpergebantur. Exod. 29:7. Lev. 8:12. & 21:10.

XXI. Succedebant autem ſacerdotes hi in ſacerdotium, natalium *& ſucceſ-*
jure, prævio tamen ſenatorum magni conſeſſus examine, ſi quibus for- *ſio.*
te familiæ aut generis mota controverſia, vel corporis vitiis morbiſque, aliiſve modis probroſi, & ſacro muneri impares forent.

XXII. Typica autem erant hæc omnia. *Conſecratio* enim Pontificis *Spiritualis*
de- *horum ſi-*

gnificatio. denotabat Chriſti Sacerdotis noſtri divinam vocationem & initiationem ad iſtud munus. *Non enim ſibi quis ſumſit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ut & Aaron. Sic & Chriſtus non ſemet ipſum glorificavit, ut fieret Pontifex, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te* Hebr. 5: 4, 5.

Cultus hic omnis myſticus. XXIII. Myſticus etiam erat veſtium cultus. Singularis enim ejus ſplendor & dignitas in Pontifice, Chriſti eminentiam, internumque juſtitiæ ac ſanctitatis ornatum teſtabatur. Speciatim *Ephod* & *Pectorale* duodena tribuum nomina Dei quotidie ob oculos exponentia, jugem Chriſti interceſſionem ſignificabant; utpote qui ſemper in templo Dei degit, *intercedens pro nobis, ſemperque vivit ad interpellandum pro nobis:* Rom. 8: 34. Hebr. 7: 25. *Pallii* ac *balthei* figuram Eſaias explicat cap. 61: 10. *Induit me veſtibus ſalutis, pallio juſtitiæ amicit me* &c. 59: 17. *Induit juſtitiam tanquam loricam, & induit veſtes ultionis amictum, & operuit ſe tanquam pallio zelo*, &c. 11: 5. *Et erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cingulum renum ejus*, h. e. officium mediatorium geret in juſtitia & veritate. Nec abludunt, quæ ad oram pallii dependebant *tintinnabula*, & *mala punica*; quæ, Chriſto prædicante ac miniſtrante, clarum Euangelii ſonum, & germinantia Eccleſiæ prata, virtutumque omnium florem ac odorem promittebant. *Lamina* aurea, *Sanctitas Iehovæ* appellata, conſummatiſſimæ Pontificis noſtri ſanctitatis ſignaculum eſt. Ac ſicut Pontifex hoc ornatu Iſraëlem Deo conciliare, cultumque ipſorum acceptum reddere, ac rerum ſanctarum labem auferre ferebatur, Exod. 38. ita hæ præcipuæ Pontificis noſtri partes ſunt; qui virtutum noſtrarum ſordes aufert, noſque ipſos, ac cultum noſtrum omnem Deo gratum reddit. *Habentes ergo Pontificem magnum. -- Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris. -- Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* Hebr. 4: 14, 15, 16. *Spirituales* noſtræ *victimæ acceptæ ſunt Deo per Jeſum* Chriſtum. 1. Petr. 2: 5.

Quo myſterio impleto, omnis veſtium ſanctitas deſiit. XXIV. Quo myſterio adimpleto, nunc omnis veſtium ſanctitas deſiit. Unde nec Chriſtus, nec Apoſtoli, in ſacris iis uſi ſunt. Cum omne illud diſcrimen, juxta cum ciborum ac dierum diſtinctione, perierit. Ut ex mera ſuperſtitione Papa Stephanus A. C. 260. veſtitum ſacerdotalem in Eccleſiam Nov. T. reduxerit.

Myſterium unctionis. XXV. *Oleum*, divinitatis inhabitationem & Sp. S. dona ſignabat. *Unxit te Deus oleo lætitiæ ſupra conſortes tuos*, Pſal: 45: 8. *Verba Dei loquitur; non enim ex menſura dat Deus Spiritum*, Joh. 3: 34. Nec oleo ſolum, ſed

ſed & *ſanguine* proprio, qui eſt *ſanguis Nov. Teſtam.* Hebr. 10: 19. conſecratus eſt. Ut olim Pontifex ſanguine ſacrificii.

XXVI. Quod autem non primus ſolum Pontifex, ſed & reliqui ejus ſucceſſores ungerentur, id quidem ſacerdotii unitatem ſignificabat, ſed ſimul defectum teſtabatur; cum Sacerdotes illi non forent perpetui & (nondum quippe peractâ omni expiatione) ſucceſſores deberent expectare; cum Pontifex noſter Sacerdotium poſſideat *ἀπαράβατον, non tranſiens*, & perfectum, Hebr. 7: 24. Quod denique, præter ſummum Pontificem, etiam reliqui inferioris ordinis Sacerdotes ſacrabantur, id ſpirituale noſtrum Sacerdotium, in quod à Chriſto allecti ſumus, adumbrabat: unde & ſacræ unctionis, & Spiritus ac ſanguinis Chriſti participes evadimus, *ſtolaſque noſtras*, ut eſt Apoc. 7: 14. ubi ad ſacerdotalem hunc ritum alluditur, *in ſanguine Agni dealbamus*. Cui concinunt dicta Joh. 1: 16. *Et ex plenitudine ipſius nos omnes accepimus, & quidem gratiam pro gratiâ.* 1. Joh. 2: 27. *Unctio, quam accepiſtis ab eo, in vobis manet.* 1. Pet. 2: 5. *Eſtis ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpirituales victimas Deo per Jeſum Chriſtum.*

XXVII. Ad hanc Pontificis ſacerdotumque conſtitutionem pertinebat, imo ex ea oriebatur, illorum dignitas & ſanctitas externa: quæ præcipuè occurrit 1. in corporis animique eorum integritate & dotibus. 2. in matrimonio. 3. in puritate circa mortuos tuendâ.

SANCTITAS *Pontificis, & Sacerdotum externa.*

XXVIII. Elucebat *primo* Pontificis & Sacerdotum dignitas in corporis animique præſtantia, quæ extra omne probrum exiſtere debebat. *In quocunque è ſemine tuo per generationes eorum fuerit corporis vitium, ne accedito ad offerendum cibum Dei ſui.* Lev. 21: 17. Ac corporis quidem vitia, quæ aliquem altaris miniſterio arcebant, Magiſtri 142. enumerant. Mores quoque à graviori labe puri eſſe debebant. Quibus omnibus Chriſti veri Sacerdotis perfectio adumbrabatur, qui eſt *agnus inculpatus* & *intaminatus*. 1. Pet. 1: 19. Poſt cujus adventum externæ iſtius impuritatis leges ceſſant.

1. in corporis animique integritate & dotibus.

XXIX. *Secundo* apparebat eorum ſanctitas in conjugiis. Cujus leges feruntur Lev. 21. quoad Sacerdotes, v. 7. *Mulierem meretricem, aut profanatam, & mulierem repudiatam à viro ſuo ne accipiunto: nam ſanctus eſt eorum quiſque Deo ſuo.* quoad Pontificem, v. 14. *Viduam, aut repudiatam, aut profanatam meretricem, iſtiuſmodi ne ducito; ſed virginem è populis ſuis ducito uxorem.* Ut Sacerdotibus meretrice, repudiata & profanata; Pontifici præter has viduâ inſuper interdiceretur. Magiſtrorum gloſſas nunc mittimus.

II. in matrimonio.

 XXX. Ideo

Digitized by Google

XXX. Ideo ne Sacerdotum genus pollueretur, habebant tabulas genealogicas, in quibus parentum nomina, genus &c. recenſerentur, ex quibus de natalium puritate conſtaret. *Iſti quæſiverunt quiſque ſcripturam ſuam, qui ſuum genus prædicabant, ſed non inventa ſunt: quapropter ut polluti abſtenti ſunt à ſacerdotio.* Ezra 2: 62. conf. Neh. 7: 64.

quod myſticum erat. XXXI. Typica etiam erant hæc omnia, & caſtos ac puros Eccleſiæ erga Chriſtum amores flagitabant. Non enim ille ab adulterâ ac fornicatrice, quæque à mundo vel Satana ſtuprum paſſa eſt, & alienigenæ denupſit, ſanctum & caſtum amorem exſpectare poteſt. *Aptavi enim vos,* quos *uni viro, ut virginem puram ſiſtam,* nempe Chriſto. 2. Cor. 11: 2.

III. in abſtinentia à contactu mortui XXXII. Denique commendandæ Pontificis ac Sacerdotis dignitati ac puritati faciebat, quod mortuorum contactu peculiari religione abſtinere cogerentur. De quo Lex eſt Lev. 21: 1, 3, 10, 11, 12. ubi Sacerdotibus luctus in proximorum obitu ſolum permittitur; Pontifici verò, cum unicus foret, ſemperque in atrio verſari deberet, omnia luctûs ſigna, quocunque in funere, prohibentur; imo ne ad mortui quidem cadaver unquam accedere ipſi conceditur; quia *corona Dei* & *ſacra unctio* ſupra ipſum erat.

& ſignis luctus. XXXIII. Duo autem luctûs ſigna ſpeciatim ipſi prohibentur: I. ne *caput denudaret*, Lev. 21: 10. conf. c. 10:6. Talmudici, ut & Chaldæus, aliique, vertunt, *comam capitis ſui non nutriat.* II. Ne *veſtimenta laceraret*, Lev. 21: 10.

quæ itidem typica erant. XXXIV. Quæ rurſus typica erant, & Chriſti, veri Sacerdotis, internam ſanctitatem adumbrabant. Qui hac in re veteribus Sacerdotibus fuit major, quod ſine pollutionis metu mortuos tangeret, cum ſolo attactu iis vitam dare poſſet. Quod in mortem imperium cum penes Veteris Teſt. ſacerdotium non eſſet, legis iſtius antiſtitibus, ne ceremonias contaminarent, mortuis appropinquare interdictum prorſus erat.

XXXV. Ex hiſce omnibus magna erat apud Hebræos ſacerdotalis ordinis dignitas; ac præſertim Pontificis: cui tanquam ſacrorum principi in iis primatus dabatur, quique iſta in republ. Regi habebatur proximus, & ab ipſo rege colebatur, ac humaniter habebatur. Quæ omnia concludunt ex Lev. 21: 8. *Sanctificabis illum, quia cibum Dei tui ipſe offert. Sanctus eſto tibi, quia ſanctus eſt. Ego Jehova ſum ſanctificator veſter.* Atque iſto exemplo etiam ſacrorum antiſtites etiam in honore haberi jubet Paulus, 1. Tim. 5: 17. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore afficiuntor; maximè qui laborant in ſermone & verbo.* Ita

XXXVI. Ita Pontifex & Sacerdotes conſtituti & ab aliis ſeparati, illaque ſanctitate miniſterio ſacro ſe dignos præſtantes, ritè illud obibant. Quod eorum miniſterium ut breviter perluſtremus, erat illud partim Pontifici cum ſacerdotibus commune, partim hiſce vel illi peculiare. Conveniebant Pontifex & reliqui Sacerdotes in hiſce. MINISTERIA *Pontifici & Sacerdotibus*

XXXVII. 1. Quod utrique ſacrificia offerrent, & odoramenta adolerent. *Aaron* enim *& filii ejus adolebant in altari holocauſti & in altari ſuffitûs, præter omne opus ſancti ſanctorum, idque ad expiationem faciendam pro Iſraële, prout præceperat Moſes ſervus Dei.* 1. Chron. 6: 49. conf. Luc. 1: 9. *Secundùm ritum functionis ſacerdotalis ſortitus erat* munus *ſuffitûs faciendi, ingrediendo in templum Domini.* Cæteri quidem Sacerdotes per vices ſtationeſque ſuas, & facta primùm inter ſeſe ſortitione: Pontifex autem quoties & quando ipſi libitum eſſet, abſque ſortitione; cum ipſi omnia ſacra omni tempore obire fas eſſet. *communia.*

XXXVIII. 2. Quod utrique nomine Dei populo benedicerent: *Alloquere Aharonem & filios ejus, dicendo: ſic benedicitote filiis Iſraëlis* &c. Num. 6: 23. Pontifex quidem ſollemnem in modum, in templo, in anniverſario ſacro, expreſſa cum nuncupatione ſacratiſſimi nominis, juxta formulam Num. 6: 23, 24, 25, 26. cum extra terram ſanctam in cognomine ſolum Dei benedictiones ac preces eccleſiaſticas concipere fas eſſet; nec extra templum ſacro Dei nomine facilè uterentur. Ordinariam autem benedictionem peragebant etiam ſacerdotes gregarii.

XXXIX. 3. Quod utrique pariter de leprâ judicarent. *Homo, quum erit in cute carnis ejus tumor-- aut aliquid* vergens *ad plagam lepræ, tum adducetur ad Aharonem Sacerdotem, aut ad unum è filiis ejus ſacerdotibus.* Lev. 13: 2.

XL. Nobile autem imprimis ac primarium *Pontificis* munus erat, ſemel quotannis piaculare ſacrum offerre, & templi adyta intrare. Quo ſollemni die ipſe omnia ſacra, etiam quæ illius feſti propria non erant, ſolus obibat. *Semel* autem tantum ſingulis annis ſacratiſſimum illum templi receſſum, ac numinis veluti ſedem ac thalamum, ingreſſum eſſe, ex Lev. 16: 2. & Hebr. 9: 7. conſtat. *Primarium Pontificis munus ſemel quotannis intrare in ſancta ſanctorum.*

XLI. Cum autem periculum foret, ne qua res fortuita illum contaminaret, ac ſollemni ſacro prohiberet; illud ſi forte accideret, quotannis ſub diem jejunii creabant vicarium; qui, ſi quam pollutionem ſub illud tempus Pontifex contraxiſſet, vel immundo forte viſu per no- VICARIUS *Pontificis.*

ctem ſeſe inquinaſſet, ea die rem ſacram faceret. Vocabaturque ſub primo templo כֹּהֵן מִשְׁנֶה 2.Reg. 25,8. Jer. 52:24. Sub ſecundo סְגָן eratque ordinariò ille, qui dignitate ac ſucceſſione pontificatui erat proximus.

Sacerdotum ordinariorum, diſtributorum in varias claſſes.

XLII. *Sacerdotum ordinariorum* munia quod atttinet, diſtributi illi erant in varias claſſes, partim à Moſe, partim à Davide; qui in 24 ordines eos redegit: quorum ſexdecim erant Eleazaridæ, octo Ithamaridæ, 1.Chron.24. Qui numerus etiam ſub ſecundo templo duravit: quanquam non eædem familiæ ſemper manſerint incolumes, ſed novæ quædam poſt reditum ex Babylone in ordinem iſtum fuerint adſcitæ, Neh.7:39. & 10:1, & 12:1.

Officia ſpecialia.

XLIII. Veniebant iſtæ claſſes per vices Hieroſolymam, ſingulæque in templo hebdomadem unam ſacris operabantur. Adeo ut bis in anno ad unumquamque ordo rediret. Unaquaque autem Sacerdotum claſſis rurſus in ſeptem ordines diſtribuebatur, juxta ſeptem hebdomadæ dies, quibus illi miniſtrandum foret.

XLIV. Officia illorum ſpecialia, præter jugis ſacrificii aliarumque, ſeu ſollemnium, ſeu votivarum & ſpontanearum, victimarum oblationem, erant: quolibet die bis in altari aureo ſuffitum facere. Exod.30:7,8. Lampades in templi atrio inſtruere, & accendere. Exod.27:21. Ignem ſacrum curare, ne extingueretur, Lev.6:12,13. Aram emundare, cinereſque everrere, Lev.1:16. Quolibet Sabbato panes ſacros recentibus permutare. Exod. 25:30, Lev. 24:6. Prophanos denique impuroſque à templi limine arcere. Num.5:2. Deut.23:10. Præter quod altaris tabernaculique ſeu templi miniſterium, ad docendum quoque conſtituti erant, Deut. 17:9. Ezech. 7:26. Mal. 2:7. ut alia eorum munera, quibus in Synedrium cooptati, fungebantur, omittam.

Sacerdotibus cum Levitis commune officium excubare circa templum.

XLV. Præter hæc Sacerdotum cum Levitis commune officium erat, excubare circa templum, diſpoſitis quaquaverſum in templi ambitu cuſtodiis, & de nocte vigiliis. Quæ 24 ſtationum erant, unaquæque autem ſtatio decem rurſus hominum; ut univerſa cuſtodum cohors 240 capitum eſſet. Quod munus concludebant ex Num. 18:2,4.

Stantes in templo miniſtrabant Sacerdotes.

XLVI. Miniſtrabant autem in templo Sacerdotes ſtantes: quod colligebant ex loco Deut. 18:5. *Eum ſelegit Jehova Deus tuus ex omnibus tribubus ad perſtandum miniſtrando in nomine Jehovæ* &c. cum nemini in loco ſancto ſedere fas foret, niſi ſoli regi; ac primum loti, ex lege Exod. 30:19,20. *Ut lavent Aaron & filii ejus ex eo manus ſuas & pedes ſuos,*

quum

quum erunt ingreſſuri tentorium conventûs : lavanto aqua , ut non moriantur &c. Quod, ſub comminatione mortis inſtitutum, ſtricte adeo ſervabatur, ut, ſi vel antea laviſſent, tamen templum ingreſſuri iterum lavarent.

XLVII. Ex quibus omnibus Sacerdotes, tum quod ſtantes ac nudis pedibus rem divinam facerent; tum quod tenui lino veſtiti erant, quod ſæpius de die ponere ac ſumere neceſſe erat, dum identidem lavare vel miniſterium mutare opus habebant; tum denique quod ſolis ferè ſacrificiorum carnibus veſcerentur; frequentibus morbis obnoxii erant. *qui hinc frequentibus obnoxii erant morbis.*

XLVIII. Secundum omnia hæc munera, Sacerdotum templo, ſpeciatim ſecundo, inſervientium, hi gradus & hæc genera erant. 1. Erat Pontifex Maximus, Sacerdotum omnium princeps, ac ſacrorum veluti Rex. 2. Pontificis Vicarius, סגן dignitate, ac plerunque ſucceſſione, Pontifici proximus; ſub cujus imperio reliquæ Sacerdotum familiæ. 3. Sub hoc rurſus erant duo, qui eandem operam ipſi præſtabant, quam ille Pontifici, קתיקולין dicti. 4. Sub his erant ſeptem, אמרכלין appellati, qui claves templi aſſervabant. 5. Qui ſub ſe habebant tres ad minimum, ſacro ærario præfectos; qui vocantur גזברין ſeu theſaurarii. 6. Quos ſequitur ראש המשמר cuſtodiis templi præpoſitus. 7. Tum is qui ראש בית אב *caput paternæ domus* appellatur. 8. Reliqui autem omnes de Sacerdotum plebe ac vulgo erant; quos Sacerdotes idiotas Hebræi indigitant. *Pontificis & Sacerdotum diverſi gradus.*

XLIX. Præter hoſce inſuper ordines quindecim, ſpecialia enumerantur munera, quorum ſingula habebant ſuos præfectos, qui rurſus magnam ſub ſeſe habebant Sacerdotum turbam: 1. Erat præfectus temporum, qui indicabat tempora ſacrificiorum. 2. Portarum templi, qui ſignum dabat illas aperiendi & claudendi. 3. Cuſtodiarum templi. 4. Cantorum. 5. Inſtrumentorum muſicorum. 6. Sortium jaciendarum ſuper Sacerdotibus, illo die miniſtraturis. 7. Columbarum & avium, quæ in templi ambitu divendebantur ſacrificare volentibus. 8. Teſſerarum, quibus opus erat ut vina acciperentur ad libamina. 9. Vinorum; qui ipſa vina depromebat. 10. Aquarum urbis & templi, quibus ad ſacrificia opus erat, ne earum unquam foret defectus. 11. Valetudini Sacerdotum præpoſitus, ſeu ἀρχιάτρῳ. 12. Panum propoſitionis præfectus. 13. Suffimentorum conficiendorum. 14. Velorum & cortinarum templi. 15. Veſtium Sacerdotalium.

Perſonarum in hac V.T. hierarchiâ magnum diſcrimen: ſublatum ſub N.T.

L. Atque hæc Vet. Teſtam. hierarchia erat, in qua magnum perſonarum diſcrimen, variique gradus ac limites, quibus quemque ad Deum accedere oporteret, obſervabantur. Quod diſcrimen ſub N.T. ſublatum eſt, *ubi non eſt Judæus nec Græcus, nec ſervus nec liber, nec mas nec fœmina*, Gal 3:28. omniſque illa ſervitus ſub hominibus, omniſque hierarchia ac ſacrorum imperium extinctum eſt: *Et Paulus, & Apollos, & Cephas, & mundus, & vita, & mors, & præſentia, & futura, omnia noſtra ſunt.* 1. Cor. 3:22. Sicut cultus quoque, qui in Vet. T. pro ratione temporis iſtius, magna ex parte carnalis & corporeus erat, nunc prorſus ſpiritualis eſt, nec tot ambagibus ut ad Deum perveniatur opus eſt. Cum non adeo difficiles nunc aditus habeat, ſed *Spiritus* ſit, *quique adorant eum, in Spiritu & veritate adorare* eum oporteat. Joh. 4:24.

Horum [illegible] ſpiritualis.

LI. Altius autem hæc ſpectabant. Et *Pontifex* quidem, in ſacro iſto ordine eminens, Chriſtum, verum Sacerdotem noſtrum, ſignificabat; qui oblato ſanguine ſuo proprio, iſto cum libamine in cœleſti ſacrario pro nobis comparet. vid. Hebr. 9:12. *Non per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem intravit ſemel in ſancta, æterna redemtione inventa.* & c. 7:27. *Non habet quotidie neceſſe, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis peccatis offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerens.* Quique nullo *Segene* ac vicario indiget; cum ipſe *ſemper vivat, ad interpellandum pro nobis*, Hebr. 7:25. Quem honorem non ſine ſacrilegio Pontifex Romanus rapuit, dum ſe, modo Petri, modo Chriſti vicarium fatetur. Sub Chriſto autem non his vel illis, ut iidem Pontificii ſibi imaginantur, novum ſub Nov. T. Sacerdotium demandatum eſt, ſed fideles omnes ſub ipſo tanquam duce ſuo deſcripti, ſpirituali omnes ſacerdotio funguntur; quod *Sacerdotum minorum* turba adumbrabat; ac ſpirituales hoſtias Deo offerunt, *facti per Chriſtum Sacerdotes Deo & Patri*, Apoc. 1:6. 5:10. ac *ἱεράτευμα ἅγιον ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpirituales victimas, acceptas Deo per Jeſum Chriſtum.* In quo miniſterio, qui alios ad Deum adducunt, ii ſpeciatim Sacerdotes ſunt. *Et adducent* (gentes, v. 19.) *fratres veſtros-- atque etiam accipiam ex illis* (gentibus) *Sacerdotes & Levitas*. Eſai. 66:20, 21. Sicut ita Paulus ſe dicit *miniſtrum Chriſti* eſſe *ad gentes, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, ut oblatio gentium ſit accepta.*

C A.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Levitis & Nethinæis.

I. POſt Pontificem & Sacerdotes ſequuntur Levitæ, Sacerdotibus ad minora in templo opera præſtanda in auxilium dati. Quorum videbimus. 1. miniſterium, 2. miniſterii ætatem. *LEVITARUM*

II. Levitæ interdum dicuntur omnes qui de tribu Levi erant, quam Deus ſolam, rejecto univerſo Iſraële, tanquam impuro, poſtquam in vitulo peccaſſet, ad ſacrorum miniſterium aſſumſerat, Ezech. 20: 26. Speciatim verò illi, qui de tribu Levitica prognati, genus tamen ab Aarone non traxerunt. Qui proprie Levitæ appellantur, & Sacerdotibus, Aaronis poſteris, opponuntur.

III. Munus ipſorum erat, Sacerdotibus miniſtrare, atque inferiora miniſteria in tabernaculo, ac deinde in templo, obire; ubi diverſum paulò eorum munus fuit. *miniſterium,*

IV. Familiæ Levitarum tres erant, Kahatitæ, Gerſonitæ & Meraritæ: quæ ſingulæ ſuos præfectos habebant. Quorum qui dignitate primus erat, univerſi Levitici generis caput ac princeps, & à Pontifice ſecundus, ejuſque ſucceſſor & hæres erat. *ſecundum familias eorum;*

V. Dum tabernaculo, quod erat mobile quoddam templum, inſervirent, illudque in deſerto oberraret, ad Kahatitas præcipuæ ac nobiliores miniſterii ejus partes pertinebant; cum ipſa arca, ac vaſa omnia ſacra, ipſorum curæ forent tradita, quæ humeris portare, & de loco in locum transferre debebant. Gerſonitæ tabernaculi vela, aulæa, ac exteriora tegumenta; Meraritæ aſſeres, columnas reliquamque molem, obſervabant. Num. 4: 4, 25, 26, 31, 32. *in deſerto*

VI. Tabernaculo deinde in Cananæa, certa in ſede locato, ac extructo poſtea templo, ei Levitæ juxta ordines ſuos rurſus miniſtrarunt, & vel Sacerdotibus in cædendis victimis, aliiſque miniſterii partibus inſervierunt, vel Cantorum ac Ædituorum munera præſtitêre. *& terra Canaan;*

VII. Diſtribuerat enim Rex David omne Levitarum genus in tres ordines, quorum unuſquiſque viginti quatuor claſſes continebat. Qui ad primum ordinem pertinebant, Sacerdotibus in miniſterio ſuo aderant; erantque eodem modo ut illi, in 24 ſtationes diviſi, quæ ſingulæ *juxta ordines ſuos.*

per

Digitized by Google

per vices hebdomadam ſuam in templo explebant, rurſuſque unaquæque ſtatio in ſeptem turmas diſtributa erat, quæ ſingulis diebus officium faceret. Secundi ordinis Levitæ Muſicos concentus templi moderabantur, ac Deum voce organiſque laudabant. Tertius ordo æditiuorum erat, qui & ipſi in ſuas familias diſtributi erant, 1. Chron. 24. & 25. & 26.

VIII. Cum verò magnus eorum eſſet numerus, etiam extra templum doctorum in Iſraële munus geſſerunt. *Doceant judicia tua Jacobum, & Legem Iſraëlem: ponant ſuffitum in naſo tuo, munus integrum ſuper altari tuo.* Deut. 33:10. Qui ideo per Iſraëlitarum urbes ac tribus diſperſi, opimis reditibus à Deo aucti ſunt, ut alacrius ac ſine cura iſti rei vacarent.

Ætas in ipſis ad miniſterium requiſita.

IX. Atque ex hac legum peritia, non ſacra ſolum, ſed & civilia judicia exercebant, variaſque reipubl. partes attingebant. Quod jam à Davidis ac Joſophati temporibus uſitatum fuit, 1. Chron. 26:29. 2. Chron. 19:18. Ac multi quoque ipſorum, una cum Iſraëlitarum primoribus: in ſupremum gentis concilium adſcripti fuère.

X. Ætatem, Levitarum miniſterio præfixam, quod attinet, in ea quatuor obſervari debent gradus. 1. ubi menſem à nativitate impleverant, Deo offerri ac conſecrari debebant. *Recenſeto filios Levi, ſecundum domum majorum ſuorum, per familias ſuas: omnes mares à nato uno menſe & deinceps numerato.* Num. 3:15. coll. v. 40. 2. ubi ad 25 annum pervenerant, per manuum impoſitionem initiabantur. *Quod ad Levitas, à nato viginti quinque annos & deinceps, venito* Levita *ad militandum militiam in miniſterio tentorii conventûs.* Num 8:24. Jamque in templo adeſſe, ac miniſterio ſuo defungi ipſis fas erat. 3. Impleto trigeſimo ætatis anno, poſt *miniſterium miniſterii* ad *miniſterium oneris*, ſeu tranſportationem tabernaculi admittebantur. Num. 4:47, 49. 4 Quinquageſimo demum anno rude donabantur. Quod de gravioribus tabernaculi miniſteriis; non verò de obſervatione *cuſtodiæ* & reliquo ejus cultu accipiendum eſt. *Ex quo vero natus fuerit Levita quinquaginta annos, revertetur à militia hujus miniſterii, ut non miniſtret amplius: attamen ſervito fratribus ſuis* obeuntibus militiam *in tentorio conventûs cuſtodiendo cuſtodiam, quamvis miniſterium ipſe non exerceat.* Num. 8:25, 26 Atque hæc Levitarum ſacra erat *militia*, ut Scriptura appellat, Num. 4:3. & 8:25. ad quam per gradus veluti provehebantur; tandemque abſolutis ſtipendiis ac militiæ veteres, quieſcere jubebantur. Ad quos gradus alludere vi-

videtur Apoſtolus, 1. Tim. 3: 15. *Nam qui benè miniſtraverint, gradum ſibi bonum parant, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

XI. Ut verò exſtructo templo paulò diverſum fuit ipſorum miniſterium, ita in ætate quoque facta tum immutatio. Cum enim non amplius difficili circa tabernaculum labore occuparentur (*Etiam Levitis non eſt portandum tabernaculum, & ulla inſtrumenta ejus ad miniſterium ejus*, 1. Chron. 23:26.) ſub Davidis tempora vigeſimo ætatis anno miniſterium ingrediebantur. *Nam in actis Davidis poſterioribus numerus Levitarum fuit horum, nempe à nato viginti annos & deinceps.* 1. Chron. 23:27. coll. 2. Chron. 31:17. & Ezr. 3:8. Sacerdotibus autem ac Pontifici non eadem ætas præſcripta erat, quæ Levitis. Quæ multi perperam confundunt. Illi enim puberes legitimi miniſterium obire poterant.

XII. Sicut autem Levitæ Sacerdotibus miniſtrabant, ita ipſis Levitis alii dati ſunt, qui viliora miniſteria obirent, *Nethinæi* appellati, quaſi dedititios aut adſcriptitios dicas. Qui primùm erant Gibeonitæ, à Joſua, cum Cananæam intraret, ſervati; quibus Davidis ac Salomonis tempore alii ex devictis Cananæis acceſſêre. NETHI-NÆI.

XIII. Ac ſacra quidem hæc Levitarum militia, tam multiplici opere circa unum tabernaculum occupata, omnes fideles repræſentabat; qui ſub Chriſto, ſummo ſacerdote, vario in ordine, miniſteriis, donis, Deo miniſtrant. *Diſtinctiones donorum, miniſteriorum, & actionum ſunt: ſed idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus, qui operatur ea omnia in omnibus.* 1. Cor. 12: 4, 5, 6. Speciatim autem eos repræſentabat, qui fratrum ſuorum oblationem Deo præparant. *Levitarum myſtica ſignificatio.*

CAPUT X.

De Naziræis & Rechabitis.

I. HÆ erant perſonæ ſacræ ordinariæ. Sequuntur extraordinariæ, *Naziræi* & *Rechabitæ*.

II. Naziræus נזיר *ſeparatum* notat; peculiari videl. ſanctitate à reliquis diſcretum, & certo vitæ generi ac ordini aſtrictum. Unde [illegible] tales dicebantur, munus ac donum, quaſi Deo conſecrati. NAZI-RÆI

III. Erant hi vel *nativi*, vel *votivi*. *Nativi* ſeu Dei juſſu, ſeu paren-

erant, vel nativi, tum oblatione, ante nativitatem eorum factâ, tales erant. Ut Simſon. *Naziræus Dei erit puer iſte inde ab utero.* Jud. 13: 5. Et alii.

vel votivi. IV. *Votivi* proprio voto ſe ipſos ſacraverant, idque ferè ad certum tempus. Quod ſi expreſſum non foret, menſtruum erat. Quod Judæi ſuo modo colligunt ex Num. 6: 5. *Omnibus diebus voti Nazireatûs ſui novacula ne tranſito ſuper caput ejus; uſque dum compleantur dies iſti, quibus voverit ſe Jehovæ Naziræum fore.*

Nazireatûs leges. V. Nazireatûs autem hæ erant leges, ad humiliationem & abnegationem ſui facientes: 1. ut *abſtinerent vino*: quod ad ipſas uvarum pelliculas & acinos extendunt; omnique potu inebriante, שכר/ qualiſcunque ille liquor, ac undecunque expreſſus fuerit. 2. ut *comam alerent*; tanta quidem religione, ut ne pilum quidem unicum abradere vel evellere fas foret, niſi tempore voti peracto. Quo facto attondebantur, oblatoque ſacrificio, votivam cæſariem, tanquam rem ſacram, in peculiari templi conclavi concremabant. 3. Ut *ad cadaver mortui non accederent.* Num. 6: 3-10. Quod & Pontifici interdictum vidimus, Lev. 21: 11. Si verò ex improviſo mortui vel morticinii attactu polluerentur, votum redintegrandum & de novo Nazireatûs tempus implendum erat.

Eorum veſtes. VI. Quod de veſte quæritur, an illa quoque Naziræis peculiaris fuerit? id quidem nullibi legitur. Quod de Johanne Baptiſta enim adferunt, qui *habebat veſtimentum ſuum è pilis camelinis, & zonam coriaceam circum lumbos ſuos,* Matth. 3:4. id non Naziræorum, ſed Prophetarum, ac præſertim Eliæ, exemplo factum eſt. Unde Elias deſcribitur *homo piloſus, cingulo pelliceo accinctus lumbos ſuos.* 2. Reg. 1: 8. conf. Zach. 13: 5. *Pudefient Prophetæ, quiſque à viſione ſuâ quum prophetabit, & non induent pallium & pilos ad abnegandum.* Matth. 7: 15. *Cavete verò vobis à pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos cum veſtimentis ovium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces.* Aliquam tamen eorum cum prophetis in veſtimonio convenientiam fuiſſe, forte à vero non plane abludit.

An tales fuerint, Joſephus Patriarcha? VII. Quærunt pariter, an Joſephus Patriarcha, ac Samuel Propheta Naziræi fuerint? Reſp. Priorem, cum lex illa tum nondum lata fuerit, non quidem Naziræum, ſed eximium inter fratres, eorumque coronam ac decus fuiſſe: quod innuitur, cum appellatur נְזִיר אֶחָיו Gen 49: 26. & Deut. 33:16. poſteriorem autem verè Naziræum ex matris voto fuiſſe. *Samuel?* 1. Sam 1: 11. *Si dabis ancillæ tuæ ſemen maſculum, dabo ipſum Jehovæ omnibus diebus vitæ ejus; & novacula non admovebitur capiti ejus.*

conf.

conf. v. 12. & 28. Licet appelletur vir נִכְבָּד *honoratus*, 1. Sam. 9: 6. & in cœtibus ac conviviis hominum converſatus ſit, cap. 9: 13, 23, 24 ac Iſraëlem judicaſſe legatur, 1. Sam. 7: 15, 16, 17. de Pauli voto Act. 18: 18. & ſumtu in Naziræos facto. c. 21: 23, 24, 26. aliter ſtatuendum videtur. *Paulus?*

VIII. Sed & de Chriſto Servatore quærunt, an ille Naziræus fuerit? Reſp. Si externum votum ſpectes, non fuiſſe; cum vinum bibiſſe, & mortuos tetigiſſe legatur. Nec Naziræus, à נזיר per Zain; ſed Nazarenus, à נצר per Tſade, appellatus fuit; quæ vocabula tota radice differunt. Fuit autem Naziræus ſpirituali ac ſanctiori modo, cum à peccatoribus ſeparatus ac ſanctiſſimus fuerit, *Pontifex pius, ſine vitio, non coinquinatus, ſeparatus à peccatoribus, & altior cœlis factus*, Hebr. 7: 26. Quæ ejus ſanctitas per Naziræorum in V. T. ſanctitatem adumbrata fuit. Cumque illo nos omnes quoque Naziræi, & Deo peculiari religione ſacri, ac à mundo diverſi eſſe debemus. Perverſè enim Pontificii partem Eccleſiæ tantum ſanctam nuncupant; & monachorum ſuorum vota & inſtituta cum Naziræorum ſanctimoniâ comparant. Vota enim utrobique diſparia nimiùm ſunt. Et quæ ab adverſariis voventur, pleraque ſuperſtitioſa ſunt, nec ullo divino præcepto, quale de veteribus Naziræis vidimus, aut exemplo nituntur. Veri autem Naziræatûs diſciplina eſt, curare per omnem vitam ſobrietatem & humilitatem, & incumbere iis rebus quæ ad regnum Dei & juſtitiam ejus adipiſcendam faciunt. *& Chriſtus?* *In quo Naziræatûs veritas.*

IX. *Rechabitas* quod attinet, illi à parente Jonadabo, filio Rechab, hoc inſtitutum acceperant, 1. ut ne vinum biberent 2. nec agros aut vineas colerent, 3. atque extra oppida ſub tuguriis ac paupere tecto degerent. *Et dedi coram iis, qui de domo Rechabitarum erant, calices plenos vino & pocula: & dixi ad eos, bibite vinum. Et dixerunt: non bibemus vinum. Nam Jonadab filius Rechab, Pater noſter, interdixit nobis dicendo: ne bibatis vinum, vos & filii veſtri in ſæculum. Et domum ne ædificetis; & ſemen ne ſeratis; & vineam ne plantetis, neque habeatis; ſed in tentoriis habitetis omnibus diebus veſtris; ut vivatis dies multos ſuper terra, ubi commoramini.* Jer. 35: 5, 6, 7. RECHABITÆ.

X. Quæ peculiaris familiæ iſtius religio erat, à parente tradita, ut filios nepoteſque, corruptis iſtis temporibus, à vitæ hujus deliciis & commodis averteret; & prophetarum oraculis, qui imminentes Judæis calamitates & exilium canebant, fidem adſtrueret; terramque

Digitized by Google

iſtam, quam miſeri Judæi adeo deamabant, non tanti æſtimandam doceret. Erat autem inſtitutum hoc prorſus humanum, nullâ voti religione adſtrictum, ſed ſola erga parentem reverentia obſervatum. Unde iidem, majore neceſſitate, cum hoſtiles copiæ Judæorum agros vaſtare occiperent, licet forte non prudenter, ſine ulla tamen perfidiæ culpâ, in urbem commigraſſe leguntur. *Factum autem eſt, cum aſcenderet Nebucadnezar, Rex Babel in terram: & diximus, venite, intremus Hieroſolymam propter copias Chaldæorum & Syrorum. Igitur habitamus Hieroſolymis.* Jer. 35: 11.

LOCUS VIGESIMUS PRIMUS.

DE

ACTIONIBUS SACRIS.

CAPUT XI.

De SACRIFICIIS.

ACTIONES SACRÆ V. T.

I. HActenus ſpectavimus *perſonas ſacras*: ſequuntur nunc *actiones ſacræ*; quæ cum conſiſterent, vel in *ſacrificiis*, vel in *ſacramentis*, quæ ſub hac periodo fuerunt; hæc autem ſingulari loco deinceps nobis tractanda ſint, de illis nunc agemus.

Præcipuè erant in SACRIFICIIS.

II. In ſacrificiis videbimus 1. eorum nomen & naturam. 2. Originem ac inſtitutionem. 3. genera, 4. adminiſtrationem. 5. uſum & ſignificationem. 6. denique abrogationem.

Eorum nomina.

III. Sacrificium Hebr. מנחה & זבח dicitur; Græcis *δῶρον* & *θυσία*; quæ conjunguntur Pſal. 40:6. זבח ומנחה *Sacrificio & munere non oblectabaris.* & Hebr. 11:4. *Fide πλείονα θυσίαν potius ſacrificium Abel præ Caïno obtulit Deo; per quod teſtimonium conſecutus eſt, quod juſtus eſſet; teſtante ἐπὶ τοῖς δώροις ſuper donis ejus Deo.* Speciatim מנחה ſeu *δῶρον* notat oblationem è frugibus, quæ Deo conſecrabantur; זבח autem & *θυσία* oblationem è pecudibus, ſeu victimam, quæ mactabatur, fuſoque ſanguine divinum numen placabat.

& natura.

IV. Erat ergo *ſacrificium* oblatio religioſa, qua Sacerdotis miniſterio

rio res aliqua Deo ſacrabatur, & ſollemni ritu deſtruebatur, in cultûs ſpiritualis ſymbolum.

V. Differt autem ſacrificium à ſacramento, quod in ſacrificiis Deo ab hominibus aliquid offeratur; in Sacramentis verò contra Deus favoris ſui ſymbola hominibus porrigat. Quanquam ſacrificia ipſa aliqua ſui parte etiam ſacramenti rationem haberent.

VI. Sacrificiorum *Originem* quod attinet, perperam Pontificii ea ſub ſtatu innocentiæ obtinuiſſe, juriſque naturalis eſſe volunt. Quod nulla ratione ſtatuunt. Cum ex naturâ Dei, ac naturæ integræ, iſte cultus non fluat: omneque hoc inſtitutum poſitivi ac ceremonialis juris ſit. Unde rectè Apoſtolus, *Deus non habitat in templis manu factis, nec à manibus hominum colitur*, προσδεόμενός τινος. Act. 17:24, 25. *Nunquid ego ederem carnem boum, & ſanguinem arietum biberem?* Pſal. 50:8-13. *Origo.*

VII. Prima autem eorum mentio poſt lapſum occurrit. Ac à *Protoplaſtis* ſacrificatum, & primam fœderis gratiæ promiſſionem ſanguine dedicatam, ex *tunicis pelliceis*, quibus amicti fuerunt, Gen. 3:21. quidam colligunt. conf. Apoc. 3:18. *Conſulo tibi, ut emas à me -- veſtimenta alba, ut amiciaris, & non fiat manifeſtum dedecus nuditatis tuæ.* Atque huc putant reſpici Lev. 6:31. 7:8. *Sacerdos autem, quum offert holocauſtum alicujus, pellis holocauſti quod obtulerit, illius Sacerdotis eſto.* *Poſt lapſum, in Protoplaſtis.*

VIII. Alterum, ſi non primum, fuit ſacrificium *Caini & Habelis*, primi fratrum paris; quorum alter de frugibus, alter de pecudum grege, ove aut vitulo, faciebat. Gen. 4:2-5. *eorumque filiis,*

IX. Tertium memoratur *Noachi*, Gen. 7:2. & 8:20. quod ſacrum Deus accipiebat, inque pauxillo iſto ſemine è diluvii aquis ſuperſtite, novi mundi ac Eccleſiæ, ſpem faciebat. *Quumque odoratus eſſet Jehova odorem illum gratum, dixit Jehova cum animo ſuo, non iterum maledicturus ſum amplius terræ, propter hominem; eo quod figmentum cordis hominis ſit malum à pueritia ipſius; iterumque non percutiam amplius omnia viventia, quemadmodum feci.* Gen. 8:21. *& ſequentibus Patriarchis.*

X. Quartum fuit *Melchiſedechi*, Gen. 14:18. Qui non panem & vinum, ſed pecudem obtulit. *Panem* autem & *vinum* non obtuliſſe, ſed *protuliſſe* narratur; non ut ſacerdos, ſed ut Rex, qui Abrahamum, cum victrici manu, ab hoſte reducem, epulo excepit.

XI. Quinto ſacrificaſſe legitur *Abrahamus*, Gen. 12:7, 8. & 22:13. poſtque eum *Iſaacus*, Gen. 26:25. & *Jacobus*, Gen. 28:18. & 35:3, 7.

XII. In *Ægypto*, ſacrificiorum cultu, ut videtur, collapſo, Exod.

 5:1.

5:1. *Dimitte populum meum, ut feſtum celebrent mihi in deſerto*, coll. c 8: 26 ſub Iſraëlitarum exitum inſtitutum fuit *Paſcha*; quod tum ſacrificium, tum convivium ſacrum fuit: *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt*, 1. Cor. 5. conf. Deut. 16: 5, 6.

XIII. Circa hæc tempora obtulit quoque inter Idumæos, aut Arabes, *Jobus*, c. 1: 5. & 42: 8. inter Midianitas, *Jethro*, Exod. 2: 16, 21. & 18: 11. & inter Syros ac Moabitas, *Bileam*, Num. 22. & 23. & 24. Quæ Eccleſiarum olim florentium inter gentes iſtas erant reliquiæ.

Qui tum fuerint ſacerdotes?

XIV. Sacerdotio autem eo uſque, avito more, fungebantur familiarum præcipui ac *primogeniti*. Qui ſacerdotes illi ſunt, quorum mentio occurrit Exod. 19: 22. coll. cap. 8: 26, 27. 9: 13. & 24: 5. In quorum locum, ob peccatum in vitulo commiſſum, rejecta univerſa gente tanquam *impura*, Ezech. 20: 26. lecti ſunt *Levitæ*, atque inſtitutum fuit *Sacerdotium Aaronicum*. Exod. 40: 12, 13. Lev. 8: 2.

Inſtitutio ſacrificiorum divina fuit.

XV. Atque hæc ſacrificiorum fuit origo & antiquitas, mundo tantum non coæva: quæ auctore Deo *inſtituta* fuiſſe dubitari non poteſt; tum quia humano cultu ac ſuperſtitioſis ritibus Deum venerari nefas eſt: *quis enim cognovit mentem Domini, aut quis conſiliarius ejus extitit?* Rom. 11: 34. atque utcunque illa *rationem habeant ſapientiæ, in cultu voluntario & ſubmiſſione animi—non tamen ullius ſunt pretii.* Col. 2: 23. tum quia Abel *fide obtuliſſe*, ac *teſtimonium accepiſſe* legitur, *quod Deo placuerit*, Hebr. 11: 4. Fides autem ſolo Dei verbo nititur.

Alia vero eorum ratio fuit ante legem, alia poſt eam.

XVI. Utcunque autem divina eorum inſtitutio fuerit; multum tamen ea, ante legem & cultum Moſaïcum, differebant à ſacrificiis ſub lege poſtmodum præſcriptis. Ante legem enim illa erant 1. libera, nulli loco, tempori, aut hominum ordini adſtricta. 2. nec tanta neceſſitate, ut ſine ea peccatorum expiatio non contingeret, injuncta. 3. nec denique aut jugum tum erant, aut maledictionem præferebant, eamve quotidie ingeminabant, vel cum convitio peccata exprobrabant: ſed ad fidelium conſolationem potius pertinebant, erantque gratiæ Dei pignora, & *bonæ conſcientiæ* ἐπερωτήματα, 1 Pet. 3: 21. quæ veterum ſpem ac fidem in Meſſiam confirmabant. *Nam non locutus ſum patribus veſtris, neque præcepi ipſis, quo die eduxi ipſos ex Ægypto, de iis quæ ad holocauſtum, vel ſacrificium. Sed verbum hoc præcepi ipſis, dicendo: auſcultate voci meæ, & fiam vobis Deus, & vos fietis mihi populus, & ambulate in omni via, quam præcipiam vobis, ut benè ſit vobis.* Jer. 7: 22, 23.

XVII. Diviſio ſacrificiorum, quoad genera ac ſpecies, commodiſſin è

Digitized by Google

diſſimè ex quadruplice capite deſumitur; prout illa variabant, vel 1. materiæ, vel 2. formæ ac finis; aut. 3. temporis aut 4. denique perſonarum ratione.

Sacrificiorum diſcrimen.

XVIII. Quod ad *materiam*, ea erant triplicia: nimirum *victima*, *oblationes*, & *libamina*; unde primariæ illorum ſpecies erant זֶבַח מִנְחָה, נֶסֶךְ prout vel pecudes, vel fruges, vel olei ac vini liquores Deo offerebantur. Quorum illæ ad aram mactabantur; iſtæ ſacro ritu templo inferebantur, parſque earum adolebatur; iſti autem ſacrificiis affundebantur, ac in altari Deo libabantur.

1. ratione materiæ.

XIX. *Animalia*, quæ offerre fas erat, quinque erant generum, 1. *vaccæ* aut *tauri*, ſub quibus vituli continentur. 2. *oves*. 3. *capræ* ac hædi. 4. *columbæ*. 5. *turtures*. Paſſerum enim genus vix immolabatur. vide Lev. 14.

quorum animalium fuerint?

XX. Cum autem Deus beſtias tantum ac res inanimes ſibi offerri juberet, abominationi erat omnis ἀνθρωποθυσία: quo piaculo, ac infanda & crudeli devotione, Satan apud gentes coli voluit; tum ex κακοζηλίᾳ ſacrificiorum Abrahami ac Jephtæ; tum ut fidem ac expectationem ſacrificii Chriſti, quod ſolum expiatorium eſt, paulatim eradicaret; ſanguinemque illum, qui Deum placaturus foret, aliorum hominum communione vilem ac promiſcuum faceret.

non hominum.

XXI. Sacrificia ex frugibus dicebantur מנחה, conſtabantque ex ſimila; cui affundebatur oleum, addebanturque thuris odores. Unde acceptum pugillum, cum univerſo thure, adolebat Sacerdos Jehovæ; reliqua ipſi cedebant. Lev. 2: 1, 2, 3. propter dona thurea autem mincha *ſuffimentum memoriale* erat Deo gratiſſimum.

Oblatio è frugibus.

XXII. Nefas erat donis iſtis *mel* aut *fermentum* admiſcere. Lev. 2: 11. Quod Judæi propter idololatras factum hariolantur; cumque illi rebus iſtis ad ſacrificia uterentur, Deum contrariis ritibus placari voluiſſe: Apoſtolus verò ad mores refert. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova maſſa, ſicut eſtis fermenti expertes. Etenim Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt*, nimirum *Chriſtus*. *Itaque feſtum agitemus non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ; ſed non fermentatis panibus ſinceritatis & veritatis*. 1. Cor. 5: 7, 8.

ſine melle ac fermento,

XXIII. E contrario omne munus *ſale ſaliendum* erat. Lev. 2: 13. Quod ſimilem fidei ac ſinceritatis imaginem habebat; & ſacrificia noſtra rite condienda, & à corruptione cuſtodienda eſſe docebat: quo Deo placere, ac ipſi immortalitatis evadere participes poſſimus. *Sermo*

ſale contra ſaliendo

veſter

Digitized by Google

veſter ſemper cum gratiâ ſit, ſale conditus. Col. 4: 6. *Omnis ſermo putris ex ore veſtro ne exeat.* Eph. 4: 29. *Vos eſtis ſal terræ*, Matth. 5: 13. Sal enim immortalitatis emblema erat. Unde *fœderis ſalis* in Scripturis appellatio, Num. 18: 19. 2. Chron. 13: 5.

Libamina. XXIV. *Libamen* ex vino affundebatur holocauſtis & ſacrificio votivo & ſpontaneæ oblationis, & infeſtis; quibus & מנחה/ hoc eſt, munus dapale, adjungebatur. Exod. 29: 40. Num. 15: 3, 4, 5.

II. ratione formæ. XXV. Ratione formæ ac finis, ſacrificia rurſus erant triplicia; alia, *holocauſta*; alia pro peccato & reatu; alia *pacifica*. Quæ tamen non ita opponebantur, quin in uno eodemque ſacrificio & expiatio & gratiarum actio locum habere poſſet.

Holocauſta. XXVI. *Holocauſta*, dicebantur, quæ tota igne conſumebantur; quale fuit ſacrificium juge; de quo mox videbimus. Unde etiam עלות dicebantur, quia tota in fumum aſcendebant. Quanquam autem illa in Dei gloriam cremarentur, ſimul tamen peccatorum expiatorum repræſentabant.

Sacrificia pro peccato. XXVII. Sacrificium *pro peccato*, חטאה/ *ἁμαρτία*, illi expiando, & peccatoribus ad ſacrorum communionem reducendis ſerviebant. Agiturque de iis Lev. 4: 2. Erant autem pleraque pro impuritatibus ceremonialibus, vel levioribus quibuſdam noxis; aut etiam pro gravioribus, modò non ex ſuperbia, aut elatâ manu facta, ſed ex ignorantia, ſeu imbecillitate commiſſa eſſent. Num. 15: 25. coll. cum Lev. 6: 4, 6.

pro reatu. XXVIII. Cum ſacrificio pro peccato conveniebat ſacrificium *pro reatu*, אשם *πλημμέλεια* appellatum; quod certa quædam duntaxat peccata procurabat: reliqua verò procurabantur ſacrificio *ἰδικῶς* חטאת dicto. De illo videre eſt Lev. 5: 1. & 7: 1, 2. Illius hæc peculiaris ratio erat: quod ſacrificii dominus, manu hoſtiæ impoſita, delictum coram Jehova, ad templi oſtium, fateri; &, ſi in proximum peccaſſet, de illata injuriâ ſatisfacere deberet. Num. 5: 7. *Qui tegit defectiones ſuas, non proſperabitur; qui vero fatetur & derelinquit, afficietur miſericordiâ*, Prov. 28: 13. Pauperiores autem offerebant turturum par, aut duos columbarum pullos, Lev. 5: 7. quale beatæ Virginis ſacrificium erat; aut, ſi nec hiſce ſufficerent, decimam ſimilæ, ſed ſine oleo ac thure, Lev. 5: 11, 12. *quia*, inquit lex *ſacrificium pro peccato eſt.* Quæ infirmitatis ſacrificiorum iſtorum accuſatio erat.

Pacifica. XXIX. Sacrificia denique tertii generis, quæ pacifica שלמים appellabantur, pleraque libera & voluntaria erant; & erant vel *εὐχαρι-*

στικά,

Digitized by Google

ϛικὰ, pro beneficiis acceptis; vel votiva & εὐκτικὰ, pro futuris. Eaque in tres partes dividebantur, quarum prima Deo, altera Sacerdotibus, tertia offerentibus, ad epulum in templi atriis, cedebat. Lev. 3:1. & 7:11.

XXX. Quæ inſignis figuratio erat noſtræ cum Chriſti ſacrificio communionis; in cujus partem venimus, deque ſanctâ ejus carne per fidem epulamur. Utque Chriſti, ita & Chriſtianorum ſacrificia, hoc typo exprimuntur: *Rogo itaque vos, fratres, per miſerationes Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, placentem Deo, rationalem cultum veſtrum.* Rom. 12: 1.

XXXI. *Tertia* ſacrificiorum diviſio à temporis circumſtantia deſumitur. Unde alia erant *ſtata*, alia *occaſionata*. Stata erant, vel *anniverſaria*, vel *menſtrua*, vel *hebdomadalia*, vel *quotidiana*, vel certis denique annorum intervallis recurrebant. *Anniverſaria* erant, quæ feſtis ſollemnioribus, Paſchatis, Pentecoſtis, feſti tabernaculorum, in novi anni exordio, ac præſertim expiationis die, offerebantur. De quibus omnibus vide Num. 28. *menſtrua*, noviluniis; *hebdomadalia* Sabbatis peculiaria erant. *III. ratione temporis: qua varia.*

XXXII. Maximè autem celebre erat *ſacrificium juge*, תמיר dictum, Græcis ἐνδελεχισμὸς; quia nunquam omittebatur, ſeu feſtus, ſeu profanus foret dies. Conſtabat autem duobus agnis anniculis, quorum alter mane, alter veſperi mactabatur. Quod primò ad montem Sinaï inſtitutum, Exod. 29: 38. deinde poſt diuturnam omiſſionem, Num. 28: 3, 4. innovatum legitur. *Sacrificium juge.*

XXXIII. Τὸ μυστικὸν hujus ſacrificii erat, mortem Chriſti, veri *agni, qui tollit peccata mundi*, Joh. 1: 29. conf. Eſai. 53: 6, 7, 12. quotidiana imagine Eccleſiæ ob oculos ponere. Qui eàdem quoque horâ, qua Sacerdos agnum in templo mactabat, ſe ipſum patri obtulit. *Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum. Et horâ nonâ clamavit Jeſus voce magnâ, Eloi, Eloi* &c. Marc. 15: 25, 34.

XXXIV. *Quarta* diviſio ſacrificiorum eſt ratione perſonarum; dum alia forent pro peccato Pontificis, Lev. 4: 3-12. alia pro aberratione totius cœtûs, Lev. 4: 13-21. alia pro principe, v. 22-26. alia pro homine privato, v. 29-35. eoque vel paupere, vel divite, offerebantur. Rurſus pro impuris, gonorrhæis, leproſis, quædam peculiaria erant ſacrificia. Quibus omnibus accedebant ſacrificia & oblationes ſpontaneæ, Num. 29: 39. & 15: 3. &c. *IV. ratione perſonarum.*

XXXV. In quibus notandum 1. pro peccatorum gradibus diverſa fuiſſe exacta ſacrificia. 2. Ne tamen videretur expiatio per illa peracta

fuiſſe, pro maximis peccatis interdum minima ſacrificia imperata, teſte Majemonide. 3. Speciatim in ſacrificio pro univerſo cœtu & Pontifice, hæc duo memoranda erant, 1. quod iſtorum ſacrificiorum ſanguis in ſanctuarium illatus fuerit. Lev. 4: 6-17. & 16: 14. 2. caro autem extra caſtra cremata ſit, Hebr. 13:11. *Quorum enim animalium ſanguis pro peccato infertur in ſancta per Sacerdotem, horum corpora cremantur extra caſtra.* conf. Lev. 4: 12-21. & 6: 30. 16: 27. Quæ ſacrificium Chriſti vividiſſimè adumbrabant.

XXXVI. Atque ex hiſce videmus, quantus fuerit ſacrificiorum numerus, & quanta varietas. Quæ à Deo inſtituta ſunt, tum ut multiplici iſto miniſterio populum exerceret; tum ut variâ adeo imagine Chriſti plenitudinem, quam una figura capere non poterat, exprimeret, denique ut ipſorum ſacrificiorum imperfectionem teſtaretur, quæ cum ſingula peccatum expiare non poſſent, tanto numero offerri, identidemque variari ac iterari debebant. Quæ omnia Chriſtus unico ac digno ſacrificio implevit pariter ac delevit.

Sacrificiorum ADMINISTRAIO

XXXVII. Sequitur *quartò* conſideranda ſacrificiorum adminiſtratio; quam videbimus 1. quoad ipſum ſacrificium. 2. quoad ſacrificantem. 3. quoad circumſtantias quaſdam.

1. ratione ſacrificii. Cujus conſideranda perfectio,

XXXVIII. In *ſacrificio* videnda 1. debita ejus perfectio. 2. ætas. 3. oblatio.

XXXIX. Sacrificiorum integritas & *perfectio* accuratè præſcribitur Lev. 22: 22. Num. 29: 8. Requirebat autem Deus victimas adeo puras, omnique labe carentes, tum ad religionis honorem & decus; tum ad Chriſti, *agni inculpati & incontaminati*, 1: Pet. 1: 19. innocentiam ac ſanctitatem teſtandam; tum denique, ut nos moneret, non vilia, ſed pretioſiſſima quæque, quodque in nobis optimum eſt, Deo offerendum & conſecrandum eſſe: *Offerentes in altari meo panem pollutum. Et dixiſtis, quâ n re polluimus te? quum offertis cæcum ad immolandum; non eſt malum? -- offer illud, age, præſidi tuo* &c. Mal. 1:7,8.

ætas

XL. Quoad *ætatem*, non ante octavum diem agnum, aliamve pecudem offerre fas erat. Lev. 22: 27. Quod & de infantibus, in circumciſione, cautum erat. Cum ante id tempus fœtus, à matre adhuc rubens & mollis, ac partûs illuvie ſquallidus, nondum pro animali perfecto habeatur.

& oblatio.

XLI. *Oblatio* ipſa, quo ritè perageretur, hoc ordine quoad præcipua illius, fiebat: 1. imponebantur victimæ manus, addita peccatorum confeſſione, ſeu ab offerente, Lev. 1: 3, 4. ſeu à Sacerdote, Lev. 16:

16:21,22.2. Inde victima mactabatur & in partes ſecabatur; quæ vel ſex, vel novem erant. 3. Sanguis victimarum excipiebatur crateribus, &, ne concreſceret, agitabatur. 4. Aſpergebantur eo altaris cornua; quodque reliquum erat, ad ejus pedem effundebatur. 5. Holocauſtum totum igne conſumebatur; ex reliquis autem ſacrificiis ſolùm pars aliqua; in pacificis & peccatis viſcera & adeps, quod etiam in agno Paſchali obtinebat; & in muneribus farinæ pugillus, cum olei ac thuris libamine. 6. Dumque ardebat victima, Levitæ muſico concentu Deum celebrabant; utque propitius ſacrificium acciperet, orabant. 7. Avibus autem, quod operoſius ſacrum fuiſſe tradunt Judæi, Sacerdotis pollice diſcindebatur caput; tum ſanguis ad altaris angulum exprimebatur; dein ingluvies auferebatur; tandemque diſciſſis ſub alarum receſſu carnibus, concremabantur. Lev. 1: 14-17.

XLII. *Sacrificantem* quod ſpectat, eo nomine aut ipſe Iſraëlita, qui victimam adferret; aut Sacerdos, ejus nomine rem divinam faciens, intelligitur. *II. ratione ſacrificantis;*

XLIII. *Iſraëlita*, qui victimam donumve offerret, ei præſens adeſſe, atque eo tempore in atrio ſacerdotum verſari debebat. Cum verò pro populo faciendum eſſet, aderant legati univerſitatis ſacrorum cauſa, אנשי כעמד *viri ſtationarii* appellati. *Iſraëlita,*

XLIV. Requirebatur autem in offerentibus, 1. animus delictorum conſcius ac pœnitens, humilique cultu Deum propitium reddere geſtiens. *An delectatur Dominus holocauſtis & ſacrificiis, ut in eo quod auſcultetis voci Domini? Ecce obedire eſt melius victimâ.* 1 Sam. 15:22. *Nam pietate delector, & non ſacrificio; & agnitione Dei præ holocauſtis*, Hoſ. 6: 6. *Sacrificate ſacrificia juſtitiæ, & confidite in Domino*, Pſal. 4:6. 2. ac præſertim fides & ſpes in Meſſiam venturum, qui unus digno ſacrificio genus humanum expiaret. Quomodo Habel laudatur, *quod potius ſacrificium præ Caino obtulit Deo, fide.* Hebr 11:4. *Habebat enim lex umbram futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Hebr. 10: 1.

XLV. Verum ſine *Sacerdote* Deus adiri non poterat; cum ille Dei hominumque interpres hominum nomine apud Deum ageret; ſicut Propheta Dei interpres apud homines erat. *Omnis enim Pontifex, qui ex hominibus capitur, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ apud Deum agenda ſunt, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Heb. 5: 1. *Sacerdotis;*

XLVI. Erant autem illi, ut vidimus, olim familiarum præcipui, ſeu primogeniti, quorum ſacerdotium perduravit uſque ad Aaronis filiorumque ejus præfecturam. Poſt *μοσχολατρείαν* enim rejectis reliqua- *quales ii fuerint?*

rum tribuum primogenitis, ſolis Aaronidis ſacrificare licuit; cæterique ſub pœna mortis altari abſiſtere juſſi ſunt. Num. 3:5,6. Quod enim *Joſua, David, Salomo*, ſacrificaſſe leguntur, qui de ſacra Levitarum tribu minimè erant; id non immediatè, ſed mediatè ac Sacerdotum operâ factum eſt.

XLVII. Pontifex ſacrificabat, ubi libitum eſſet: qui tamen ſacrificia potius ſolebat auſpicari, reliquaſque partes Sacerdotibus inferioribus mandare; qui ſortito id munus peragebant. Cedebantque tum illis victimarum partes præcipuæ, Exod. 29: 27, 28. Deut. 18: 3.

XLVIII. Cum ſacerdote univerſa ejus familia, exceptis mercenariis, Lev. 22:10, 11. de rebus ſacris participabat: hoc ſolum diſcrimine, quod ſacerdoti ſoli res ſanctiſſimæ, ex. gr. ſacrificiorum carnes; reliquis verò res ſanctæ, leves ſanctitates dictæ, ex. gr. primitiæ, decimæ &c. cederent. Exod. 29: 37. & 30:29. Lev. 2: 3, 6: 17, 18, 25. Num. 18: 19.

III. ratione circumſtantia, loci; ejuſque vel latioris, qui fuit tabernaculum?

XLIX. *Circumſtantia* in ſacrificiis obſervanda præcipuè eſt *locus*, qui vel latius accipitur; ut *tabernaculum* ac *templum*; vel ſtrictius, qui ſimul oblationis fuit inſtrumentum, ut *ara*, *ignisque cæleſtis* ſuper eâ. Non enim ſacrificia erant libera, nec temerè aram ex ceſpite erigere ubivis licebat, ut à Patriarchis factitatū ante latam legem; ſed, repudiatis locis aliis, præcipuè iis quæ idololatriâ polluta erant, quæ *excelſa* dicebantur, ſolum tabernaculum ac templum à Deo ſacrificiis deſtinatum fuit. *Quicunque offeret holocauſtum, aut aliud ſacrificium, ac ad portam tentorii conventûs non adducet illud, ut paret illud Jehovæ; omnino exſcindetur vir ille è populis ſuis*, Lev. 17:9. *In loco, quem elegerit Jehova Deus veſter, ex omnibus tribubus veſtris, ad collocandum nomen ſuum ibi —— eò adducetis holocauſta veſtra, & ſacrificia veſtra* &c. Deut. 12: 4, 5, 6, 14, 27. & 16: 2, 5.

cujus variæ fuerunt ſtationes

L. Locus *Tabernaculi* in terra Canaan primò fuit Silo, Joſ. 18: 1. ac, Silunte prophanatâ, propter abductam inde arcam in caſtra Iſraëlitarum, quæ à Philiſtæis capta, nec Siluntem poſtmodum reverſa eſt, 1. Sam. 4: 12. ſedeque iſtâ à Deo ſpretâ, deinceps Hieroſolyma à Deo electa eſt, ubi poſtea templum conditum fuit. *Et reprobavit tentorium Joſephi, & tribum Ephraimi non elegit. Elegit autem tribum Judæ montem Zionis, quem diligebat.* Pſal. 78. 67, 78.

LI. Tempore intermedio, deſertâ Silunte, & nondum electâ à Deo manſurâ ſede ac templo, in locis excelſis, Patriarcharum cultu olim celebribus, ſacrificaſſe fideles, modo idololatria abeſſet, ſine piaculo legi-

legimus. 1. Sam. 7:6,8,9, 16.& 9:12.& 10:3,8.& 16:2,3.& 20:6.& 28,29. Exſtructo autem deinceps templo, alibi ſacrificari non ſine ſacrilegio poterat, etiamſi idololatria abeſſet. Unde notantur in Scripturis pii cæteroquin reges, propter celſa non amota: *Excelſa quidem non amota ſunt: ſed animus Aſæ fuit integer erga Jehovam, omnibus diebus ejus*, 1. Reg. 15: 14. & 22: 44. *Sed adhuc populus ſacrificabant in excelſis, verum tamen Jehovæ Deo ſuo*. 2. Chron. 33: 17. *uſque ad exſtructum templum:*

LII. Locus ſacrificiorum ſpecialior erat *altare*; de quo, cum accuratius acturi ſimus, ubi de locis ſacris, nunc *de ligne ſacro*, qui ſuper eo erat, & victimas depaſcebat ac ſanctificabat, ſolùm videbimus. *vel ſpecialioris, qui fuit altare, in quo*

LIII. Igne cœleſti ſacrificia conſumta fuiſſe ſæpius in Scripturis legimus. Ut enim Abelem, Gen. 4:4. ac Noachum, Gen. 8: 21. omittamus, Abrahami, Gen. 15:17. Gideonis, Jud. 6:20,21. Manoæ, Jud. 13:16,19,20. Davidis, 1. Chron. 21:26. Eliæ, 1. Reg. 18:32.& ſeqq. ſacrificia eo modo flammata conſtat. Quo ſpectatur Pſal. 20:4. *Recordetur omnia munera tua; & holocauſtum tuum incineret*. Bis autem præcipuè ille erupiſſe legitur, 1. in dedicatione tabernaculi, Lev. 9:23,24. 2. templi. 2. Chron. 7: 1,2,3. IGNIS SACER, *cujus deſcribitur hiſtoria.*

LIV. Cæteroquin ordinarius ille ignis, qui in altari diu noctuque excubabat, naturalis potius videtur fuiſſe, à Sacerdotibus eò allatus, & ſummâ curâ cuſtoditus, Lev. 1: 7. *Tum componentes filii Aaronis Sacerdotes ignem ſuper altari, ſtruent ligna ſuper ignem illum*. conf. c. 6: 12, 13. 9: 20. Quod præceptum de ſtruendo ac conſervando igne cum jam habuerint, antequam ignem divinitus deſcenſurum conſtaret, quod demum factum Lev. 9:24. ordinarium eum ignem fuiſſe apparet; cui etiam victimarum carnes imponebant; quas tamen ſubinde ſimulac huic igni impoſitæ eſſent, ab erumpente cœlitus igne conſumtas non negamus; quod præſertim in tabernaculi ac templi initiatione factum vidimus.

LV. Erat autem *primò*, ignis ille ſacer & cœleſtis divini Spiritûs ſymbolum, qui ædem iſtam incolebat, ibique pervigilem & æternum focum habebat; inque iſto ſacrificiorum cultu etiam adorabatur. Vide 1. Reg. 18: 24. *Ego verò invocabo nomen Jehovæ, eritque Deus ille, qui teſtabitur igne, ipſe Deus*. Eſai. 31:9. *Dominus, cui focus eſt in Zion, & furnus Hierosolymis*. Matth 3: 11. *Qui pone me venit, ipſe vos baptiſabit Spir. S. & igne*. Act. 2: 3. *Et viſa ſunt eis diſpertitæ linguæ inſtar ignis, qui etiam ſedit ſuper unumquemque eorum*. 1. Cor. 6: 19. *An ignoratis corpora veſtra eſſe templum Spir. S.?* *& myſterium.*

LVI. Atque hoc modo *altare dona conſecrabat*, Matth. 23: 19. propter ignem videl. hunc ſacrum, qui viſibile Spiritus S. dona noſtra accipientis & conſecrantis ſignum erat.

LVII. *Secundo* loco per ignem hunc divina Chriſti natura, *æternusque ille Spiritus*, Hebr. 9: 14. & immenſæ charitatis ardor juxta Pſal. 69: 10. *Comedit me zelus domûs Domini*, adumbrabantur. Utque victima altari impoſita humanam Chriſti naturam; ita altare, vel ignis potius illi impoſitus, divinam ejus naturam, per quam ſemet ipſum obtulit, deſignabat.

LVIII. *Tertiò* nos quod attinet, notabat ille ignis, ſedere oportere intra nos ſacrum Spiritum, atque in ſuo cuique conſecrandum eſſe pectore: *An ignoratis corpora veſtra eſſe templum Spir. S.?* 1. Cor. 6: 19. ac charitatis illum ignem exardere ſemper, æternaſque flammas volvere debere, juxta Cant. 8: 6, 7. *Nam invictus eſt, ut mors, amor; durus, ut orcus, zelus: ſcintillæ ejus ſunt ſcintillæ ignis, flamma Dei. Aquæ multæ non poſſunt extinguere amorem, & fluvii non inundabunt illum.* Utque ignis in templo novo pabulo quotidie alebatur, ita noſtri officii eſſe Spiritus, donorumque ejus ſcintillas perpetuo ἀναζωπυρῶσθαι, & novo flatu identidem animare. 2. Tim. 1: 6.

Sacrificiorum Uſus & ſignificatio.

LIX. Adminiſtrationem ſacrificiorum excipit quintò eorum uſus & ſignificatio: quæ, præter ea quæ ſuperioribus inſperſimus, partim Judæorum, partim noſtri reſpectu, paulò propiùs conſideranda ſunt.

LX. *Judæos* quod attinet, non levis error erat, quod putarent victimarum nidore ac ſanguine Deum delectari; cumque *carnem boum edere*, ac *arietum ſanguinem bibere*, atque alicujus rei noſtræ indigere, ut Pſalmiſta eos caſtigat ac irridet, Pſal. 50: 3. quodque exiſtimarent, per ea, tanquam veras remiſſionis cauſas, accedente confeſſione & pœnitentiâ, peccata expiari. Cum, ut Apoſtolus rectè urget Hebr. 10. *Per ea* potius *peccatorum anniverſaria fieret commemoratio*; cum *impoſſibile* ſit per vilem *hircorum & vitulorum ſanguinem peccata auferri*

tum ratione ceremoniæ,

LXI. Conferebant verò ipſis ſacrificia *puritatem* duntaxat *carnis*, Hebr. 9: 15. ut in externo cultu Deum adire, ac in ſanctuario ipſius verſari poſſent. Quæ externa puritas typica ſolum erat. *Si enim ſanguis taurorum & hircorum, & cinis vaccæ irrorans contaminatos ſanctificabat ad carnis mundiciem; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſe ipſum obtulit immaculatum Deo, purificabit conſcientiam veſtram*, Hebr. 9: 11, 12, 13, 14.

tum ratione myſterii;

LXII. Serviebant igitur præcipuè ſacrificia illis, ut altius ſpectare,

re, & veram ac dignam Deo victimam in tot ſacrificiorum ſanguine proſpectare adſueſcerent. Atque hic potiſſimus eorum uſus erat. Cæteri enim, utcunque veri, qui dari poſſent, minores ſacrificiorum uſus erant. Præcipuus autem erat myſticus & ſignificativus, tum *reſpectu Chriſti*, tum *reſpectu noſtri*.

LXIII. Ac *Chriſti quidem reſpectu* notabant ſacrificia expiationis ab illo peragendæ, cum *neceſſitatem*, tum *veritatem*. *quo notabatur*

LXIV. Ac de *neceſſitate* patet. Cum enim in omni ſacrificio *peccati commemoratio* fieret, Hebr. 10: 3. ejuſque pœna exigeretur, in vicario victimarum ſanguine peccatoris ipſius demeritum ac mors demonſtrabatur. Ut quotieſcunque Iſraëlita offerret, ſeſe ipſe publice reum ſcribere, idque pecudis morte tanquam chirographo ſignare neceſſe haberet. *Illud*, ſc. ſacrificium pro peccato, *dederat vobis, ad ferendum iniquitatem hujus cætus*. Lev. 10: 17. *Sanguis is* eſt, *qui pro anima expiationem facit*. c. 17: 11. *Chirographum in dogmatis nobis contrarium*. Col. 2: 14. *1. ſacrificium Chriſti, illiuſque neceſſitas*

LXV. Ac præterea *veritatem* ſacrificii Chriſti obſignabant; cum omnes figurarum iſtarum lineæ & ductus tam aptè Chriſti ſacrificio reſponderent, omnique ejus ſacramento ac myſterio exprimendo ſervirent; ut non niſi à divina manu duci potuerint. Quod cum prolixius exequi, omneſque myſteriorum iſtorum apices ſcrutari noſtri nunc inſtituti non ſit, ad ſumma tantùm capita digitum intendemus. Atque ita. *& veritas*

LXVI. 1. *Sacerdos* apud Deum in ſanctuario agens, ac pro populo faciens, Chriſtum ſponſorem, ac cauſæ noſtræ apud Deum ſuſceptorem repræſentabat. *Tunc dixit, ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam. In quâ voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel factam*. Hebr. 10: 9, 10. coll. c. 2: 10, 11. &c. 7: 22. *reſpectu ſacerdotis,*

LXVII. 2. *Victimæ* carnis Chriſti typum gerebant: utque iis à Sacerdote imponebantur peccata Iſraëlis; quod in piaculari ſacro ſingulari cum ritu peragebatur, Lev. 16: 21, 22. ita *fecit* Deus *in Chriſtum incurrere peccata omnium noſtrum*. Eſai. 53: 6. Dein adductio earum ad altare, mactatio, ſanguinis effuſio, & extorum in ara inflammatio, quid niſi paſſiones Chriſti, omneſque ejus modos ac formas figurabant? Præcipuæ tamen in hoc myſterio erant victimæ illæ, quarum ſanguis inferebatur in ſanctuarium; quæ, cum pro univerſo cœtu offerrentur, Chriſti ſanguinem *non tantum pro gente*, Joh. 11: 52. ſed *pro multis ad remiſſionem peccatorum effuſum*, Matth. 26: 28. cum quo, ac *per quem ipſe etiam in ſancta intravit*. Hebr. 9. 12. præſignificabant. 3. *Expiatio* typica *victimæ,* *expiationis*

ca per illa peracta (cum *ſanguine* tum *omnia mundarentur*, nec niſi *effuſo* eo conſtaret *remiſſio*, Hebr. 9: 22.) & ſuavis *odor*, quem Deus in holocautomatum fumo ac nidore odorari dicebatur, Lev. 1:9, 13, 17. & 4: 31. conf. Gen. 8: 21. Chriſti hoſtiam acceptam, & fragrantiſſimi odoris apud Deum fuiſſe eumque generi humano propitium redditum, teſtabatur. *Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ejus*. Rom. 3: 25. Eph. 5: 2. Non enim victimarum ſanguis Deum placare poterat, Hebr. 10: 4, 11. ſed nobilior ſanguis requirebatur, cujus vis ac dignitas oſtendebatur. Quæ *ſapientia* illa Dei erat in expiandis peccatis, quam *in occulto* ſibi *manifeſtatam* prædicat Propheta, Pſal. 51:8,9.

& communionis cum victima. LXVIII. 4. Tandem ut in ſacris epulis de victimarum carnibus eſitabant, cum ſacerdotes, tum in euchariſticis etiam Iſraëlitæ offerentes; ita oſtendebatur. 1. Sacerdotem eſſe debere unum cum victimâ, adeoque eam *comedere* debere, *ad ferendum iniquitatem cœtûs*, Lev. 10: 17. Quod non niſi in Chriſto propriè locum habet. 2. Omnes quoque fideles cum victimâ pro ſe oblatâ uniri, & de Chriſti ſacrificio participare debere, quaſi & ipſi cum eo oblati forent. Quod per fidem in S. Cœnâ potiſſimum peragitur; ubi audimus nobis dici, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis fractum eſt, edite &c.

Quæ nunc major, quam ſub V. T. LXIX. Quæ communio ſub N. T. eo ſuavior eſt, quod, cum in Vet. T. de expiatoriis ſacrificiis ſoli ſacerdoti, non autem reliquæ fidelium plebi, comedere liceret, Lev. 6: 16-18, 26. & 7: 6. Num. 18: 9, 10. nunc ſub N. T. vera expiatione peracta, Chriſti ſacrificio, ut expiatorio ac pro nobis oblato participare, deque ejus carne convivari nobis fas ſit.

II. Sacrificia noſtra ſpiritualia. LXX. *Noſtri reſpectu* denotabat iſte cultus verum & ſpiritualem cultum. *Sacrificia juſtitiæ* appellat Propheta, Pſal. 4:6. quibus nos ipſos Deo ſiſtimus 1. in *perſonis noſtris*, quas puras ſanctaſque ipſi ſoli conſecramus, & à mundi ſtupro incontaminatas conſervamus: *Rogo vos, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, placentem Deo, rationalem cultum veſtrum.* Rom. 12: 1. 2. *in precibus & gratiarum actionibus*, quas ſacro ſuffitui Scriptura comparat. *Diſponatur oratio mea ſuffitus coram te & elevatio manuum mearum munus veſpertinum*, Pſal. 141: 2. illaque verè euchariſtica appellat. *Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus*, Hebr. 13: 15. Hoſ. 14: 3. *Sacrifica Deo confeſſionem, & ſolve Altiſſimo vota tua.* Pſal. 50: 14. *Qui ſacrificat confeſſionem, honorat me, & ponit viam, qua faciam ipſum aſpicere ſalutem Dei*, v. 23. 3. in operibus *gratitudinis & beneficentiæ*. Benigna

Digitized by Google

nigna enim, & charitatis operibus plena manus ſi tetigerit aram, magis quàm ſumtuoſiſſima hoſtia Deum placabit. *Beneficentia & communionis ne obliviſcimini. Talibus enim hoſtiis colitur Deus*, Hebr. 13: 16. 4. denique in *ſanguinis* noſtri libamine, quod pretioſius eſt quàm vini oleique liquores, quos vetus Eccleſia libavit. *Ego enim jam libor; & tempus diſceſſus mei inſtat*. 2. Tim. 4: 6.

LXXI. Atque hinc jam patent tetri Socinianorum errores, qui cum Chriſtum ſolum ac unicum in Eccleſia auditum nomen fuiſſe negent, per quod etiam veteres ſalutem adepti ſint; de cultu ipſorum halce theſes tuentur: 1. Sacrificia olim proprie & re ipſâ expiaſſe, & plenam peccatorum condonationem peperiſſe: contra expreſſa loca, non ſolum Novi T. quod ſacrificia *conſcientiam non conſummaſſe*, Hebr. 9:9, 10. *Legemque vivificare non potuiſſe*; cum peccatum potius *exprobraret*, teſtatur: ſed ipſius quoque Veteris T. cum cultus ille maximè floreret. *Sacrificio & munere non oblectabaris -- holocauſtum & peccatum non voluiſti*, Pſal. 40: 7. *Non delectaris ſacrificio, aliàs darem. Holocauſtum non accipis*. Pſal. 51: 18. *Ne pergatis offerre munus temerarium. Suffitus abominationis id eſt mihi*. Eſai. 1: 13. *Qui jugulat taurum, percutit virum; qui ſacrificat parvam pecudem, decervicat canem; qui adolet munus, ſanguinem porci; qui facit fragrare thus, benedicit vanitati*. c. 66: 1-4. *Socinianorum errores.*

LXXII. 2. Atque hinc illa Chriſtum non reſpexiſſe, neque ejus typos fuiſſe; ſaltem non illa, quæ ante legem oblata fuere. Poſt legem autem ad ſummum ſacrificium anniverſarium, cujus ſanguis in adyto offerebatur, tenui umbrâ ipſum ſignaſſe. Cum tamen Habelis ſacrificium diu ante legem Chriſti ſanguinem adumbraverit. vide Gen. 4: 4. 8. coll. Hebr. 11: 4. & Eph. 5: 2. & in genere omnia Veteris Teſtamenti ſacrificia umbræ & imagines rerum cœleſtium appellentur. *Quæ ſunt umbræ rerum futurarum, at corpus* eſt *Chriſti*. Col. 2: 17. *Umbram habuit lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*. Hebr. 10: 1. *Qui* ſacerdotes *figuræ & umbræ deſerviunt cœleſtium*. Hebr. 8: 5.

LXXIII. 3. Imo nec analogiam eſſe inter ſacrificia illa ac Chriſtum. Cum in ſacrificiis nulla fuerit propria ſatisfactio: nec illa pro homine ſupponi potuerint, quandoquidem inter illa & hominem nulla reperitur proportio; nec denique pœnæ proprie ſubjici debuerint, cujus non erant capacia. Unde illa ferè pro ignorantiis ac peccatis levioribus inſtituta eſſe, non autem pro noxa aliqua graviori. Ad quæ Reſp. analogiam conſtare, cum in illis fuerit expiatio typica, Lev. 1,

4.4: 26. & 17. 11. Atque hoc pacto pro homine ſupponi potuiſſe, non per ſe, ſed quod dignioris hoſtiæ typi ac umbræ eſſent. Quò etiam pertinet quod non pro omnibus peccatis, ſed pro levioribus offerrentur: umbræ enim tenuitas ac imperfectio oſtendi debebat. Quanquam ignorantiarum & ἀγνοημάτων nomine Apoſtolus etiam graviora peccata comprehendat. Hebr. 9: 7. & 7: 27. Gravia enim quoque peccata expiata conſtat, Lev. 5: 19. *Reatus eſt, omnino ſe reum fecit Jehovæ.* Ut per omnia conſtet analogia.

Sacrificiorum ABROGATIO.

LXXIV. Hic cum ſacrificiorum fuerit uſus & hæc ſignificatio, ultro patet ea aliquando abroganda fuiſſe. Quod nunc quoque probandum eſt.

qua probatur; facienda,

LXXV. Nec difficilis probatio eſt, 1. ſi ipſam ſacrificiorum rationem ſpectemus; non enim illa ex ſeſe bona erant, nec cultus ille rationalis, ac ſe ipſo Deo placens, eoque decorus aut dignus erat. Quid enim pecudum cruor, & quotidiana illa animantium in templo laniena, & fumantium carnium nidor, egregii ac ſancti habet, ut Deus de cœlo illa aſpectare, iſtiſque veluti dapibus paſci vellet? Non enim in eo imaginis Dei, ac ſanctitatis ejus, quâ ſolâ Deo placemus, expreſſio ac imitatio erat. Ut, niſi altiùs hæc ſpectaverint, ipſi ingrata potius quam jucunda hæc ſacra fuerint. Saltem nihil in iis erat, quod perennia ea eſſe juberet, & meliori olim cultu permutari vetaret. Unde Dei faſtidium ſæpe legimus. *An delectatur Jehova holocauſtis & ſacrificiis, ut quum auſcultatur voci Jehovæ? Ecce, auſcultare eſt melius ſacrificio, attendere, adipe arietum*, 1. Sam. 15:22. *Quo mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum? ait Jehovah. Satur ſum holocauſtis arietum, & adipe pinguium* &c. Eſai. 1: 11. *Non locutus ſum cum patribus veſtris, neque præcepi ipſis, quo die eduxi ipſos ex Ægypto, de iis quæ ad holocauſtum vel ſacrificium.* Jer. 7:22.

LXXVI. 2. Et non ſolùm ex ſeſe non bona, ſed & expiationi peragendæ, quæ ſola in iis ſpectari poterat, per ſeſe inidonea erant. Unde perpetua eſſe ne quidem poterant. Quod argumentum Apoſtolus totâ fere ad Hebræos epiſtola potiſſimùm urget; ubi cultus iſtius abrogationem ex infirmitate ac imperfectione illius oſtendit; idque duplici modo, tum Sacerdotum, tum victimarum reſpectu. *Sacerdotes* enim expiationi peragendæ & *impares* erant, nudi quippe homines, iique mortales, Hebr. 7: 23. & *indigni*, quippe & ipſi peccatores ac polluti, Hebr. 5: 3. coll. 7: 27, 28. *Victimæ* autem erant irrationales, quarum ſanguis vilis nimis erat, quàm ut conſcientiam purgaret. Unde eas quo-

quotidie repeti neceſſe erat, quod prioribus ſacrificiis nondum plenè litatum eſſet. Hebr 10: 1. Quibus imperfectionibus, quæ univerſum illud ſacerdotium inutile faciebant, & dignior ſacerdos & nobilior victima opponitur, in Chriſti ſacerdotio & ſanguine exhibenda. Ut Apoſtolus latè in epiſtola illa diſſerit.

LXXVII. 3. Unde, cum Chriſtus veniret, cujus ſacerdotio figurando omnis ille apparatus ſerviebat, ultro illum, velut expleto miniſterio ſuo, ceſſare ac evaneſcere debuiſſe patet. Eodem modo uti nocturnæ umbræ, ac faces, ipſeque auroræ ſplendor, jam ſole infuſo, jam rebus luce retectis, paulatim diſcedunt.

LXXVIII. 4. Quod & prædictum erat. Per Meſſiam enim abroganda ſacrificia Prophetæ cecinerant. *Quid dilecto meo in domo meâ? facere illud, ſcelus illud, multos illos? etiam carnes ſanctæ tranſibunt à te*, Jer. 11: 15. *Dimidio ſeptimanæ faciet ceſſare ſacrificium & donum*. Dan. 9: 27. *Illo die erunt ollæ in domo Jehovæ ut pelves aſperſoriæ coram altari: & erit omnis olla in Hieroſol. & in Juda ſanctum Jehovæ Deo exercituum: & venient omnes ſacrificantes, & capient ex illis, & coquent in eis*. Zach. 14: 20, 21.

LXXIX. 5. Tandemque re ipſâ factum eſt. Cujus rei gradus quidam notari poſſunt, tum in abrogatione illorum quoad jus, tum quoad factum. *facta; per gradus*

LXXX. Non autem abrogatio hæc facta fuit vivente Chriſto. Nativitatem enim ejus, virginiſque partum ex lege ſacrificio procuratum ac conſecratum legimus. Luc. 2: 22. Cumque jam Euangelium prædicaretur, tamen ſacrificare juſſit, Matth. 8: 4. quoque animo id fieri deberet docuit, Matth. 5: 23, 24. conf. 23: 28, 30.

LXXXI. De jure verò illa primum abrogata ſunt in morte Chriſti, per quam *deletum* eſt reatûs noſtri *chirographum*, Col. 2: 14. &, *coërcita defectione, conſummatis peccatis, ac expiata pravitate, juſtitia æterna adducta, & viſio ac prophetia obſignata, ſanctumque ſanctorum inunctum* eſt, Dan. 9: 24. Quod oſtendebat prodigium in templo editum, rupto velo, quod ſanctiorem templi partem à priori atrio dividebat, Matt. 27: 51. Sequebatur Spir. S. effuſio ſuper gentiles non circumciſos, ſed baptiſmo ſolo ablutos in Cornelio, Act. 10: 44. *de jure,*

LXXXII. A quo tempore, uſque ad templi excidium, quanquam ſacrificiorum uſus adhuc toleraretur; tamen *vicina* erant *abolitioni*. Hebr. 8: 13. Unde Apoſtoli non ſolùm *gentibus* ea imponi nolebant, Act. 21: 25. *De iis autem, qui ex gentibus ſunt, decrevimus ne quid hujuſmodi*

Digitized by Google

obſervent; quo Pauli ad Galatas & Coloſſenſes epiſtolæ ſpectant: ſed & peculiari epiſtolâ *Hebræi* monebantur, *conſenuiſſe* jam ritus illos; exeundum terreſtri Hieroſolymâ, & templo, ac ſacerdotio; alium ſanguinem, alium ſacerdotem veniſſe; quærendam non externam iſtam hæreditatem, ac terram, ſed civitatem permanentem; ac non pecudum amplius, ſed laudum hoſtias offerendas eſſe; nec tantâ in re cunctandum, ſed amorem iſtius terræ ac templi tanquam onus abjiciendum; Chriſtoque alacriter extra portas occurrendum &c. Hebr. 10, 11, 12, 13. capp.

Ipſo facto. LXXXIII. Sequuta eſt tandem, dum homines cunctantur, ac ad ſacrum iſtum clivum reſpectare non deſinunt, abrogatio ſacrificiorum ipſo facto à Deo peracta, deleto templo, quæ unica ſacrorum iſtorum officina erat, atque eadem opera omni ejus apparatu ac cultu extincto; juxta prophetiam Dan. 9: 26. *Et urbem, & ſanctum corrumpet populus principis advenæ, & finis ejus erit cum exundatione.* Poſt quod tempus ſacrificia offerre velle letalis religionis noxa, & novæ Eccleſiæ venenum fuit, Gal. 5: 2, 4. Hebr. 10: 17, 18. cum, qui ſacrificio ſe pollueret, & ſanguinis iſtius reus, & coram Deo homicida ac idololatra cenſeretur, juxta Jeſ. 66: 1, 3. *Quis locus requies mea? Qui jugulat taurum, percutit virum; qui ſacrificat parvam pecudem, decervicat canem* &c.

Ut malè inſtaurentur; à Judæis. LXXXIV. Ut hinc pateat miſera *illorum* conditio: qui, cum nec aram, nec templum habeant, nec Sacerdotum familiam; nec ſacrificiorum leges ac ritus ipſi amplius pernôrint, tamen, non obſtantibus hiſce omnibus, invito veluti Deo, qui non verbis, ſed factis, cultum iſtum populum ſuum dedocere voluit, eundem tamen, ſi non opere, ſaltem animo & affectu retinent; ac identidem ad templi molem ſuſpirant, & reſtaurandum olim cum omnibus ſacris ſuis vaticinantur.

& Pontificiis. LXXXV. Nec minor eſt *Pontificiorum* labes; qui, *legem ac tempora mutantes*, Dan. 7: 25. ſacerdotium, altaria, victimam denique expiatoriam in Nov. T. reduxerunt. Cum nulla nunc ſit commemoratio peccati, ſed ſolius mortis Chriſti recordatio, quam cum gratiarum actione Eccleſia quotidie recolit.

LOCUS VIGESIMUS SECUNDUS
CAPUT XII.
De REBUS SACRIS.

I. Sequuntur tertio loco *res ſacræ*; inter quas primo loco occurrunt *primitiæ* & *decimæ* aliique reditus ſacri. PRIMITIÆ: *fructuum terræ,*

II. *Primitias* quod attinet, illæ variarum rerum erant, ac variis gradibus perſolvebantur. Et de *frugibus* quidem hoc ordine offerebantur: 1. recentium *ſpicarum manipulum* poſtridie Sabbati *Paſchatis*, aut primo ſeptimanæ die offerebant, Lev.23:4-10. conf.c.2:14. abſque quo meſſem auſpicari nefas erat. 2. Dein, in ejus feliciter conſummatæ ſignum, eâ finitâ *duos panes* ex novis frugibus confectos Pentecoſtes die offerebant. Lev.23:17. Num.28:26. Quos, ut & ſpicarum manipulum coram Deo ad quaternos mundi angulos ſacro ritu moveri debuiſſe, licet parùm certò, volunt. Unde תנופות vocarentur. 3. Quibus eodem tempore collyram, ſive placentam, novæ maſſæ ἀπαρχὴν, addebant. Num.15:20.21.conf. Neh.10:37.& Rom. 11:16. *Quod ſi ἀπαρχὴ delibatio ſancta eſt, καὶ τὸ φύραμα & maſſa*. 4. Præcipua autem erat oblatio primitiarum *areæ*, quas, ſimulac maturuiſſent fruges, ad templum deferre mos erat. Atque hæ propriè appellabantur primitiæ.

III. Ubi perperam Talmudici diſtinguunt inter בכורים & תרומה גדולה: quorum illa de ſeptem fructibus terræ Canaan, Deut.8:8. hæc de omnibus eſculentis, uſque ad hortorum ſata, oblata ajunt; illa, cum ſeges adhuc in agris foret; hæc, fructibus jam purgatis, de area, deque torculari, ac lacu deſumta: utque illa ex omnibus civitatibus Hiëroſolymam ſollemni ritu delata volunt, quo alludi putant Eſai. 30:29. ita Terumam in ſingulis civitatibus ſeparatam dicunt.

IV. Quæ multipliciter peccant: cum divina lex nunquam primitias ad ſeptem illos fructus determinet, ſed ſimpliciter dicat: *Primitiæ omnium, quæ fuerint in terra illorum, quas attulerint Jehovæ, ſunto tuæ*, Num. 18:13. Et diſtinctè tantum *frumenti*, *olei*, *vini* & *tonſuræ* ovium mentionem faciat, Num.18:12. Deut.18:4. Nec de ſegete aliud quàm manipulus ille ſpicarum offerendus fuit. Denique omnes primitiæ ad templum adferendæ erant, ſollemni cum confeſſione, quæ præcipitur

Digitized by Google

Deut. 26. ut malè Terumam in urbibus perſolutam velint.

V. Offerebant autem eas de omnibus fructibus terræ; ac religioſiores ipſa etiam olera & hortorum herbas in eum cenſum vocabant. Quo reſpicitur Matth, 23:23. *Væ vobis, ſcribæ & Phariſæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cuminum; & omittitis graviora legis.*

VI. Hæ erant primitiæ *terræ:* præter quas indictæ erant etiam aliæ; ut *arborum, lanæ, pecudum, hominum,* primitiæ.

arborum, VII. *Arborum* frugiferarum hæc ratio erat, quod, juxta legem, tribus annis fructus earum impuri & lege vetiti; quartò ſacri; quintò demum permiſſi eſſent, ac colono cederent. Lev. 19: 23, 24.

tonſurarum, VIII. Sequuntur tertiò *tonſurarum* primitiæ; juxta quas prima ovium lanugo, cum primum attonderentur; vel, ut alii, de ſingulis tonſuris quotannis portio quædam Sacerdotibus cedebat. *Ne tondeto primogenitum ovium tuarum,* Deut 15: 19. *Primitias velleris ovium tuarum ei dato,* ſacerdoti ſcilicet, c. 18: 4.

pecudum IX. Quartò *pecudum* primogenita Deo ſacrabantur; & de mundis quidem ea, quæ nobilioris ſexus erant, ad templum deduci & immolari debebant, Exod. 13: 2. Deut. 15: 19, 20. immundæ autem quæ erant, ove aut hœdo permutari, aut præciſa cervice intra 30 diem necari debebant, Exod. 13: 13.

& hominum. X. Quintò *hominum* primogeniti ſiclis argenteis ſanctuarii quinque redimendi erant, Num. 18: 15, 16.

DECIMÆ: XI. Primitias ſequuntur *decimæ*; quæ tum de terræ *fructibus*, tum de *animalibus* ſolvebantur.

fructuum terræ. XII. *Fructuum* omnium, quorum primitias offerebant, etiam decimam ſolvebant, Deut. 14: 22.

XIII. Cujus offerendæ hæc erat ratio. 1. Finitâ meſſe, cum primitiæ in templo oblatæ, frugeſque conſecratæ forent, ex univerſa copia, in ſingulis urbibus, decima pars ſolvebatur Levitis. Lev. 27: 30. Num. 18: 21. Neh. 10: 37. Quæ appellabatur *decima prima.* 2. Ex hiſce decimis Levitæ rurſus decimam partem ſeparare tenebantur, quam Hieroſolymis Sacerdotibus perſolverunt. Num. 18: 26. & ſeqq. Quæ *decima de decimis* vocabatur, Neh. 10: 38. & univerſi proventus erat centeſima. Peractâ primâ decimatione reliquam meſſem, ſecundò edecumatam, haſque *ſecundas* decimas dictas, plurimi Judæorum Chriſtianorumque volunt, juxta Tob. 1: 7. ex quibus convivium ſacrum in templo inſtructum ſit, & Levitis, peregrinis, orphanis, ac viduis ſuæ partes datæ,

Deut.

Digitized by Google

Deut. 14: 22-26. Sed convivium illud non inſtituebatur ex ſecundis decimis, verùm ex primis; quas ubi Levitæ exhibebat colonus, convivium ſacrum, ex parte illarum, ad domum Dei adducta, Deut. 12: 17, 18. 14: 22, 23. 2.Chorn. 31:5, 6, 11, 12. ipſi liberiſque cjus parabatur coram facie Jehovæ. Ut ſecundas decimas hunc in finem fingere non ſit opus. 3. Tertio autem anno, initio ab anno Sabbatico facto, Deut. 26: 12. cedebat decima hæc pauperibus, Deut. 14:28, 29. Quam *tertiam decimam* quidam appellant, ex Tob. 1:8. Perſolutis autem decimis anno videl. unoquoque tertio, quo orbe decimationes abſolvebantur, pulcherrimam confeſſionem coram Domino edebant, quæ occurrit Deut. 26:12. *Tunc dices coram Jehova Deo tuo, ſuſtuli quod ſanctum eſt è meâ domo; etiamque illud dedi Levitæ, & peregrino, pupillo, & viduæ —— non ſum digreſſus à mandatis tuis* &c. *Proſpice ex habitaculo ſanctitatis tuæ, è cœlis; & benedic populo tuo Iſraëli* &c.

XIV. Similiter *animalium* decimas ſolvebant, ſed mundorum tantum, ut boum, ovium, caprarum &c. Quæ decimatio quotannis peragebatur, de grege illo anno nato; decimum autem Deo ſacrum erat, videl. in ſacrificium, cujus magna pars cedebat Levitis. Atque hoc primitiarum & decimarum proventu ditati Sacerdotes & Levitæ partem fructuum fermè ſextam, juxta Scaligerum & Amamam; juxta Schikardum, quintam poſſidebant. *& animalium.*

XV. Præter hoſce primitiarum ac decimarum reditus accedebant præterea Sacerdotibus res quæcunque Deo *vota*, aut ſimpliciter *devota*; de quibus eſt Lev. 27: 28.

XVI. Rerum Deo *votarum* ac conſecratarum hoc jus erat: 1. quod homo, æſtimatione à Sacerdote factâ, redimi poterat. 2. animal autem mundum neceſſariò offerri debuerit. 3. immundum autem itidem redimi potuerit; ſed quintâ pretii parte in ſummam additâ. Lev. 27: 26, 27. *Res Deo vota,*

XVII. Res autem ſimpliciter *devota*, quæ חרם appellantur, quia additis diris ac execrationibus omni eorum uſu interdicebatur, nullo modo redimi poterant; ſed, ſi vivæ forent, occidi; quod ad ipſos quoque homines extenditur, Lev. 27:28, 29. Si vitæ expertes eſſent, deſtrui debebant, Deut. 2: 34. 7:26. 13:15, 16, 17. Joſ. 6:21, 24. 1. Sam. 15:15. *devota*

XVIII. Juſſerat præterea Deus *cenſum* iniri univerſi populi, ipſorumque Levitarum, à nato 20 annos uſque ad 50; & in capitationis pre- *cenſus capitationis.*

pretium dimidium ſiclum perſolvi, Exod. 30: 12. & ſeqq. Quæ capitatio, ex lege, in ſingulos mares, quando ex ephebis exceſſerant, ſemel tantum uſurpanda; deinde à Judæis in legem verſa, quotannis ſummo cum rigore peracta eſt.

Vrbes Levitarum.

XIX. His omnibus accedebant 48 Levitarum *urbes*, cum agro ſuburbano, quod 3000 cubitos quaquaverſum patebat; paſcendo Levitarum pecori, agriſque ac vineis colendis, Num. 35: 4, 5. Ex quibus ſex erant urbes refugii עָרֵי הַמִּקְלָט Joſ. 20: 2, 7, 8. Tredecim autem cedebant Sacerdotibus. Inque omnibus illis ſcholæ & Academiolæ quædam erant, divinæ legi ac inſtitutionibus patriis tradendis.

Myſtica horum ſignificatio.

XX. Quæ omnia prolixam Dei in Sacerdotes ac Levitas liberalitatem teſtabantur. Quibus, cum partem ſuam in terræ κληρουχίᾳ non haberent, non parcè Deus aliunde ex hiſce providerat. *Dixit Jehova Aaroni, in terrâ illorum ne habeto poſſeſſionem -- ego ſum pars tua, & poſſeſſio tua inter filios Iſraëlis. Filiis autem Levi ecce do omnes decimas* &c. Num. 18: 20, 21.

XXI. Quanquam hæc altiùs quoque ſpectarent. 1. Cum enim Deus ex cunctis terræ proventibus partem ſuam caperet, illud terram illam univerſam Deo ſacram eſſe teſtabatur; nec ipſos Iſraëlitas aliter quam Dei colonos eſſe; qui meſſem & aream non niſi auſpicatò exercerent, & pecudum hominumque prima quæque Deo ſacrare deberent; nec terræ fructibus, niſi à Deo prælibatis ac prægustatis, uti fas habebant. 2. Cum in primogenitis univerſa gens ſacraretur, docebat id, eos humani generis veluti primogenituram poſſidere, interque gentes omnes ſanctas Deo primitias & genus electum eſſe: *Sanctuarium Iſraël Jehovæ, primitiæ proventûs ejus: omnes comedentes eum rei fiunt*, Jer. 2: 3. 3. Quæ & fidelium omnium dignitas eſt; qui, à ſæculo ſeparati, univerſæ iſtius maſſæ flos delibatus, ac medulla, hominumque omnium apud Deum primi ſunt. *Hi emti ſunt ex hominibus, primitiæ Deo & Agno*. Apoc. 14: 4. 4. Præcipuè autem hac imagine Chriſti domini noſtri primogenitura deſignabatur, per quam fideles omnes ſanctificati, atque univerſa Dei familia conſecrata eſt. Ut olim primogeniti, Deo oblati, totam porro fratrum familiam ſanctificabant. *Qui ſanctificat & ſanctificamur, ex uno omnes. propter quam cauſam non eum pudet fratres eos vocare.* Hebr. 2: 11.

XXII. Similiter *decimæ* quid aliud erant quam tributum annuum, quod populus Deo penſitabat, ut terræ quam incolerent ſummo domino?

mino? 2. Cumque illæ à Levitis colligerentur: *Qui mandatum habeban decimandi populum ſecundùm legem*, Hebr. 7:4. conf Num. 18:20. quibus illud veluti ſtipendium pro ſacra templi militia debebatur; oſtendit hoc, Euangelii miniſtris etiam mercedes ſuas deberi: & quanquam decimas divini juris non ſtatuamus, cum Pontificiis aliiſque, non tamen parcè aut malignè ſuppeditanda iis neceſſaria. 3. Cumque decimæ univerſam maſſam ſanctificarent, eo Chriſtus, à quo omnis Eccleſiæ ſanctitas ac decus, rurſus figurabatur. 4. Et cum Chriſto fideles omnes, qui, è mundo edecumati, univerſæ iſtius maſſæ flos ac libamen ſunt; atque, ut decimæ inter fructus, pari modo Deo ſacri eſſe debent; ipſaſque denique fructuum ac operum ſuorum decimas Deo perſolvere. *Fructus autem Spiritûs eſt charitas, lætitia, pax* &c. Gal. 5: 22. *Beneficentiæ & communionis ne obliviſcimini. Talibus enim hoſtiis colitur Deus*, Hebr. 13:16.

LOCUS VIGESIMUS TERTIUS
DE
LOCIS SACRIS.
CAPUT XIII.
De Tabernaculo Moſis.

I. Sequuntur quartò *loca ſacra*. Qualia fuêre 1. Tabernaculum Moſis. 2. Templum, cum Salomonis, tum Zorobabelis. 3. Synagogæ. 4. Hieroſolyma. 5. Urbes Leviticæ. 6. denique tota terra Iſraëlis. *Loca ſacra.*

II. Tabernaculi ſtructuram pluribus capitibus exequitur Moſes, Exod. 25. & ſeqq. cum totius univerſi conditum unico, eoque brevi, capite abſolvat. Appellatur autem, & *tabernaculum*, & *tentorium conventûs*; quia populus eo coïbat, tum ad cultum publicum, tum ad Deum per Moſem conſulendum, Exod. 25:22. Quæ antea in Moſis tabernaculo, vel alio peculiari loco peragebantur. Exod. 33:7. TABERNACULUM.

III. *Architectus* ejus fuit Deus, cujus juſſu adornatum, & juxta formam, ab ipſo in monte oſtenſam, extructum fuit. Exod. 25:40. voca- *Ejus Architectus.*

tis ad id opus, ac divinitus inſtructis *Beſaleele* & *Aholiabo*, Exod. 31:2, 3. & 35: 30, 31. Quod non leviter mirandum, in iſto exulum agmine, qui tam diu non niſi ſervilibus miniſteriis exerciti, recenſque ex Ægyptiorum ergaſtulo educti erant, repertos fuiſſe homines, qui tantæ artis opus, Dei ædem ac templum, quod una cum Iſraëlitis deſertum perambularet, tam brevi ſpatio abſolvere potuerint.

Structura. IV. Strui enim cœptum eſt menſe *Tiſri*, ſeu Septembri, anno primo exitus; ac ſequenti Martio, ſeu ſecundi anni menſe primo, intra ſex menſes non totos, perfectum eſt, Exod. 40: 1, 2.

Materia. V. Materia ejus erat aurum, argentum, æs, ſerici ac lanarum fila, hyacinthina, & purpura ac cocco tincta, linum xylinum, caprarum pili, arietum ac melium (ut vulgo vox תחשים accipitur) vellera, ac denique cedrorum ligna, Exod. 35: 5-9.

Forma. VI. Ut autem formam ac præcipuas partes ejus luſtremus; longitudo erat cubitorum 30, latitudo duodecim, & altitudo decem comprehendebat. Latera ejus tria 48 cedrinis tabulis in altum porrectis conſtabant, quæ ſingulæ duobus ſtylobatis innitebantur, & lignis tranſverſis conjungebantur. Ad orientem anteriora ſpectabant, ibique aditus quinque columnarum ordine aperiebatur: ſanctuarium autem ſub occidentem recedebat. Intus totum pretioſis aulæis obvelatum erat, quæ ex pretioſiſſimo lino confectæ, & Cherubinorum formis pictæ, interiorem tabernaculi ambitum incingebant. Exterius autem triplici velo contectum erat, quorum primum è caprarum pilis, ſecundum ex arietum, tertium ex melium pellibus confectum erat; quæ contra aeris injurias portatile hoc templum tuerentur. vide Exod. 26.

Ambitus. VII. Undique ambiebatur *atrio*, ſive porticu, quo populus ad cultum quotidie conveniebat; quæ 100 cubitos longa, 50 lata, & 5 alta erat; ac in circuitu diſpoſitas habebat 56. columnas, quæ tapetes & pretioſa vela ſuſtinerent. Ad orientem ingreſſus erat, quam quatuor columnæ præbebant; quæ oppanſo velo aperiebantur & claudebantur. Ab iſtaque parte atrii, antequam ad tabernaculi oſtium veniretur, ſpatium 50 cubitorum erat; cæteris partibus 20 tantum cubitorum interſtitium erat. Exod. 25.

Partes. VIII. *Duo* autem tabernaculi erant thalami, ſive cellæ. Quorum primum *Sanctum*, alterum *Sanctum Sanctorum* appellabatur. Sanctum 20 cubitos longum, & decem altum latumque erat; atque in illo Sacerdotum ſtationes quotidie verſabantur. Sanctum Sanctorum, interius

rius ad occidentem ſitum, decem undiquaque cubitos implebat.

IX. *Vela*, præter aulæa & tapetes, terna erant. Primum, ad ingreſſum atrii ad quatuor columnas appenſum erat, Exod. 27: 16. Secundum, ante ſanctum extendebatur, ac Sacerdotibus inter quinque columnas deauratas aditum præbebat. Exod. 26: 36. Tertium, in interiori tabernaculi parte, Sanctum Sanctorum à priori thalamo ſeparabat, & quatuor columnis ſuſpenſum, Pontifici M. per illas quotannis aditum dabat Exod. 26: 31. ac ſeqq. & 36: 35. *Vela.*

X. Super tabernaculum, unde ab omnibus conſpici poſſet, imago ignis, nube incluſâ, undique refulgebat; divinæ gloriæ ſedes ac vehiculum. *Nubes illi incumbens.*

XI. *Τὸ μυστικὸν* tabernaculi docet Paulus Hebr. 8: 5. illud *exemplar & umbram rerum cæleſtium* h.e. rerum Meſſiæ & Nov. T. appellans. *Tabernaculi myſterium;*

XII. Notabat ergo illud, cum Chriſtum, tum Eccleſiam. Et *in Chriſto* quidem ſignificabat ejus incorporationem, ſive habitationem in corpore humano; quod ipſi vice templi, vivi videl. ac ambulantis, futurum erat; quodque, ut olim tabernaculum igneâ nubis ſpecie, ita auguſtâ numinis ſui præſentiâ impleret ac conſecraret. *Sermo caro factus eſt, καὶ ἐσκήνωσεν & habitavit in nobis*, Joan. 1: 14. *In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, Col. 2: 8. *reſpectu Chriſti.*

XIII. Sed & *Eccleſiam* denotabat, quæ in mundo Dei domus, dignumque ipſo habitaculum eſt; in qua familiariter verſari, & loqui, & faciem ſuam oſtendere amat. *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Eph. 2: 22. *Vos templum eſtis Dei viventis: ſicut dixit Deus: habitabo in eis & inambulabo.* 2. Cor. 6: 16. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus; & habitabit cum ipſis & ipſi populi ipſius erunt.* Apoc. 21: 3. *Adeo ut in templo Dei, tanquam Deus, ſedeat, præ ſe ferens ſe eſſe Deum*, 2. Theſſ. 2: 4. Conf. 1. Cor. 3: 16. Eph. 3: 17. *& Eccleſiæ:*

XIV. Atque eodem ſpectant quoque *partes* tabernaculi. Quoad *Chriſtum* enim atrium notabat terram, in qua Chriſtus obtulit; Sanctuarium, cœlum viſibile, per quod tranſiit; Sanctum Sanctorum, cœlum cœlorum in quod intravit. *Habentes ergo Pontificem magnum qui pertranſiit cœlos.* Hebr. 4: 14, Similiter aliâ figuratione, ſi *Eccleſiam* ſpectes, triplici illa imagine triplex Eccleſiæ ſtatus exprimitur; vel externus in mundo, prout bonos maloſque comprehendit, & communi atrio claudit; vel ſtatus gratiæ in hac vita, quod eſt ſanctuarium Eccleſiæ, ejuſque prior thalamus, in quo ſoli Sacerdotes ſpirituales verſantur; *idque ſecundum ejus partes;*

tur; vel denique ſtatus gloriæ in cœlis, in quem interiorem thalamum Eccleſia poſt hanc vitam deducenda eſt.

XV. Quin potius, ſicut, præter atrium, duplex erat tabernaculum, ſecundùm duas illius partes, Hebr. 9: 1, 2, 6, 8. ita duplex, imo triplex, notabatur Eccleſiæ ſtatus, vers. 9. unus, quaſi in atrio, quo emendatio exſpectabatur: alter, quaſi in Sancto, quo conſcientia purificata & conſummata prope accedit ad Deum: tertius quaſi in Sancto Sanctorum, quo datur ingreſſus in cœlum ad Spiritus juſtorum conſummatorum. Inde quamdiu primum tabernaculum ſtabat, & ſtatio ad illud non intermittebatur, ſignificabatur eo, *necdum πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν manifeſtam fuiſſe viam ad ſanctuarium*, Hebr. 9: 8. conf. c. 4: 16. Et ſicut Pontifex per priorem ſcenam tranſibat in ſecundam, ita Chriſtus *per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, hoc eſt, non hujus conditionis*, h. e. per Eccleſiam reconciliatam, quam inviſit ex mortuis ſuſcitatus, *intravit ſemel in ſancta, æternâ redemtione inventâ*, Hebr. 9: 11, 12. h. e. tranſivit ad cœleſtem Eccleſiam, utramque domum unam faciens.

& vela. XVI. *Vela* quod attinet, varia illa ſignificabant. Nam 1. denotabant, hominem, veluti profanum, à ſacrorum communione ac Dei ſui conſpectu arceri; multoque minus in cœlum aditum habere. *Animalis autem homo ea quæ Spir. Dei ſunt non recipit, nec cognoſcere poteſt; at ſpiritualis dijudicat omnia.* 1. Cor. 2: 14, 15. 2. Denotabant univerſam cerimoniarum molem, quæ religionem prægravabat, eique nebulam ac velum obtendebat; ne fides claro viſu pertendere, Deoque frui poſſet. *Imponebat Moſes velamen faciei ſuæ, ne oculos defigerent filii Iſraël ad finem ejus quod nunc ut inutile tollitur,* 2. Cor 3: 13. 3. Significabant præterea legis execrationem, quæ inſtar veli cœlum nobis claudebat, noſque accedere prohibebat. 4. Tandem & carnem Chriſti adumbrabant, quâ, veluti velo quodam, divinitas ejus obtecta fuit: imo cui impoſita erat execratio legis, & affixa *inimicitia*, Eph. 2: 15. quæ impediebat acceſſum ex propinquo ad Deum. Sed quod velum cœlo nunc non amplius nos arcet, ſed potius admittit; cum Chriſtus execrationem, quam externo velo etiam ſignificatam diximus, carni ſuæ impoſitam, ea fractâ, extinxerit. *Qui viam recentem & vivam initiavit nobis per velamen, id eſt, carnem ſuam.* Hebr. 10: 20. Adeo ut cœli porta nunc pateat, & remoto omni velo ac umbraculo, terra ac cœlum una Dei domus, & commune fidelium atrium factum ſit. *Beneplacitum* enim Dei fuit, *ad diſpenſationem*

nem

Digitized by Google

nem plenitudinis temporum, in unam ſummam confundere omnia in Chriſto, tum quæ in cœlis, tum quæ in terra ſunt. Eph. 1: 10. coll. Col. 1: 20.

XVII. Non digna autem ſunt quæ Judæi hic adferunt; dum 1. vel ſimpliciter Tabernaculum ut domum Deo exſtructum dicunt, compeſcendæ idololatriæ, quæ ſtellis templa erigere ſolebat. Vel. 2. dum ſublimiorem ſenſum quærentes, ad rerum naturam ſacra hæc transferunt; quam univerſam in Tabernaculi ſacramento deſcriptam autumant. Partes enim ejus diverſis mundi partibus reſpondere faciunt. Adeo verum eſt, quod Propheta ait, ipſos per Tabernaculum Dei Molochum & Remphan, h. e. Solem & Saturnum coluiſſe, Amos 5: 26. coll. Act. 7: 43. cum, pudendo errore, omne religionis ſuæ myſterium, quodque in ea ſacratiſſimum erat, non ad Chriſtum & res ſpirituales, ſed ad naturam, mundique externam faciem retulerint. *Judæorum hic errores.*

CAPUT XIV.

De Vaſis Tabernaculi.

I. Poſt Tabernaculum occurrunt ejus vaſa, quæ ſunt 1. Atrii. 2. Sanctuarii. 3. Sancti Sanctorum. VASA *Tabernaculi.*

II. In *Atrio* primo occurrit *Altare æneum*, Exod. 40: 29. decem cubitos auſtrum verſus à Tabernaculo remotum. Confectum illud erat è puriſſimâ cedro, quinque cubitos longum & latum, ac tribus altum. Obducebatur undique laminis æneis; ac medio ſpatio æratâ itidem laminâ, foraminibus plenâ, ſacrificiorum cineres egerebat. In circuitu quatuor annulos habebat, quibus vectes inſerebantur, quoties ara à Levitis transferenda erat. Pariterque quatuor ejus anguli, ære muniti, paulò altius extra altaris limbum extabant. Atque ea erant cornua altaris, ſanguinis libationi & victimarum alligationi deſtinata. *Vincite victimam feſtivam* unamquamque *funibus uſque ad cornua altaris*, Pſal. 118: 27. Vid. Exod. 27: 1-8. ALTARE ÆNEUM.

III. Altari inſerviebat reliquum inſtrumentum ejus, Exod. 27: 3. Crateres, Lebetes, Forcipes, Fuſcinulæ, Palæ &c. Juxtaque illud diſpoſitæ columnæ, cum uncis ferreis, ad excoriandas victimas; duplexque in templo hinc inde menſarum lapidearum ordo, quibus vaſa aurea & argentea, ad oblationem neceſſaria, & præparatæ ſacrificii partes imponebantur. Vid. Ezech. 40: 42.

IV. Altare hoc reſpiciebat Chriſtum. *Habemus altare, ex quo edendi poteſtatem non habent qui tabernaculo ſerviunt*, Hebr. 13: 10. Quanquam enim crux quoque altare dici queat, prout inſtrumentum mortis ejus fuit; potius tamen illud, quod victimam hanc ſanctificavit, altaris rationem habuit; quod erat *Spiritus* ejus *æternus*, Hebr. 9: 14. coll. Pſal. 69: 10. *Zelus domus tuæ comedit me.* Cornua altaris notabant omnipotentiam illius in quo eſt reconciliatio. Et ſicut illa aliquod reorum aſylum erant, 1. Reg. 1: 50. ita iis meritorum Chriſti vis ac ſanctitas exprimitur, quo ab ira Dei, tanquam ad ſacram aram, refugium datur.

MALLUVIUM. V. Pone altare, tabernaculum verſus, collocatum erat *labrum æneum*. Cujus loco *mare æneum* ſtruxit Salomo, 1. Reg. 7: 23. 2. Chron. 4: 2. ex quo aqua è duodecim ſiphonibus ſeu mammis promanabat; ut duodecim Sacerdotes, ad ingreſſum tabernaculi, ex eo lavare poſſent, juxta legem Exod. 30: 18-21.

VI. Quo exprimebatur ablutio noſtra ſpiritualis per Chriſtum, cujus ſanguis *nos ab omni peccato purificat*, 1. Joh. 1: 7. conf. Eph. 5: 26. *Ut eam* Eccleſiam, *ſanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ in verbo.* conf. 1. Joh. 5: 6. Hebr. 10: 22. 2. Cor. 7: 1. Sicut & illa ſimili imagine per baptiſmum noſtrum adumbratur; quo ad ingreſſum Eccleſiæ Chriſtiani purgantur. *Baptiſator, & abluitor à peccatis tuis*, Act. 22: 16. Tit. 3: 5. Sacerdotibus autem præterea ſacra non eſſe illotis manibus tractanda innuebat.

ALTARE AUREUM. VII. *Sanctuarii* vaſa & ſupellectilem quod attinet, occurrit in eo 1. *Altare aureum*, cedrinis tabulis deauratis conſtans, unius cubiti longitudine ac latitudine, duorum altitudine. Vid. Exod. 30: 1. & ſeqq. Super quo bis de die ſuffitus adolebantur; non à Pontifice ſolum, ſed & à reliquis Sacerdotibus Luc. 1. Semel autem quotannis ſollemniori modo odores in eo incendebat Pontifex; & piacularis victimæ ſanguine illud expiabat ac luſtrabat, Exod. 30: 10. Lev. 16: 18.

VIII. Repræſentabat altare illud Chriſti meritum, *qui tradidit ſeipſum pro nobis oblationem & ſacrificium*, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, *in odorem fragrantiæ*, Eph. 5: 2. & interceſſionem illius; quæ preces noſtras Deo gratas reddunt. Quo ſpectat, quod occurrit Apoc. 8: 3, 4. *Alius Angelus venit, & conſtitit apud altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt ei thymiamata multa, ut daret orationibus ſanctorum omnium, ſuper altare aureum, quod eſt coram throno* &c. Ac præterea fidelium preces, cultumque ſpiritualem adumbrabat; qui Chriſti merito ac ſanguine luſtratus fragran-

Digitized by Google

grantiſſimum odorem exhalat. *Diſponatur oratio mea ſuffitus coram te, & elevatio palmarum mearum munus veſpertinum*, Pſal. 141: 2. *Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Heb. 13: 15. *Beneficentiæ autem & communionis ne obliviſcamini. Talibus enim hoſtiis colitur Deus*. v. 16.

IX. 2. *Lychnuchus aureus*, qui ex ſolido auro conſtabat; & ad auſtralem tabernaculi partem collocatus, ſeptem lampades ſeptenis brachiis ſuſtinebat; quæ oleo puriſſimo nutritæ totâ nocte in templo ardebant, Exod. 25: 31. &c. & 27: 20, 21. CANDELABRUM.

X. Docebat hæc *lux* ſpiritualem noſtram illuminationem, tum in hâc, tum præſertim in futurâ vitâ. *Nox proceſſit, dies autem appropinquavit. Deponamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis*. Rom. 13: 12. *Habemus firmiſſimum illum ſermonem propheticum, quem benefacitis quod attenditis, velut lucernam ſplendentem in obſcuro loco, uſque dum dies illuceſcat, & Phoſphorus exoriatur in cordibus veſtris*. 2. Pet. 1: 19. *Et civitas non habet opus Sole & Lunâ, ut luceant in eâ. Nam gloria Dei illuminavit eam, & lucerna ejus agnus*, Apoc. 21: 23. *Lychnychus* deſignabat, partim Chriſtum, à quo ſolo mundi & Eccleſiæ lux eſt: *Ego ſum lux mundi* &c. Joh. 8: 12. partim Eccleſiam, quæ inſtar *aurei candelabri*, Apoc. 2: 1. & quidem una in ſeptem periodis, per miniſterium ſuum verbi Dei lucem huic mundo præfert. *Auro* ſuo, lucis hujus dignitatem, vividumque ac æternum fulgorem pingebat. *Deſiderabilia illa præ auro, & auro ſolido plurimo*, Pſal. 19: 11. *Oleum* Spiritûs S. dona exprimit, 1. Joh. 2: 26, 27. Et variæ candelabri lampades, rami ac calyces, donorum ſpiritualium ubertatem & varietatem teſtabantur. Sacerdotum denique miniſterium in illis ſub veſperam *accendendis*, Chriſti & miniſtrorum ejus curam oſtendit; qui Eccleſiæ ſuæ perpetuam noctem incubare non ſinit, ſed perenne lumen in hoc ſæculo ſufficere ipſi non deſinit.

XI. 3. Ad ſeptentrionem æquali ſpatio poſita erat *menſa* aurea cum ſacris *panibus*, Exod. 25: 23. facta ex cedro, ac auro obducta, latitudine unius, altitudine unius ac dimidii, longitudine duorum cubitorum. Inſtrata erat veſte hyacinthinâ; impoſitæque ei erant duodecim lances, accipiendis panibus; totidemque acerræ, quæ thure implebantur; & ſcopulæ vaſis illis emundandis. Exod. 25: 29. Num. 4: 7. Collocabantur autem panes duplici ordine; utrimque ſeni, qui ſibi mutuo incumbebant; interpoſitis calamis, ut Judæi volunt, ne vitium con- MENSA AUREA *cum panibus propoſitionis*.

contraherent. *Panes* autem *facierum* appellabantur, & *menſa facierum*, Num. 4. 7. quod Septuag. & ex iis S. Paulus, *ἄρτους προθέσεως* reddunt, 2. Chron. 4: 19. Heb. 9: 2. Singulis autem Sabbatis menſam hanc adornari, ac de novo inſtrui oportebat: tumque panes illi Sacerdotibus cedebant, Lev. 24: 9. thus autem iis impoſitum adolebatur. Lev. 24: 7, 8.

XII. Quæ iterum *Chriſtum* figurabant, qui cum omnibus beneficiis ſuis in univerſo tabernaculo, cunctiſque ejus partibus ac vaſis, deſcriptus reperitur; ac admirandum in modum ubique oculis noſtris occurrit; ut mirum ſit Judæos alioſque ne externam quidem ejus lineam ibi deprehendere potuiſſe. Chriſtus enim *panis vitæ eſt, ut, ſi quis edat de eo, victurus ſit in ſæculum*, Joh. 6: 48. *Numerus* illorum panum pariter myſticus eſt, Chriſtumque univerſæ Eccleſiæ cunctiſque fidelium tribubus ad alimenta ſufficere demonſtrat. Utque illi, Sabbatis propoſiti & renovati, perpetuo *coram Dei facie* collocati erant; ita in æternum vis vivificans Chriſti, requie ejus parata, perdurat, & Eccleſiæ per omnia tempora illius ſufficit. Quæ tamen quotidiano verbi ac Sacramentorum miniſterio *renovari*, conſcientiiſque noſtris applicari opus habent. *Eſt enim omnis ſcriba, in regno Dei edoctus, ſimilis patriſfamilias, qui profert è theſauro ſuo vetera & nova*, Matth. 13: 52. *Menſa aurea*, panes iſtos ſuſtinens, verbi ac Sacramentorum figuram gerit. Quodque tandem *ſolis Sacerdotibus* eos deguſtare fas erat, id non alios, quam qui ſpirituales ſacerdotes ſunt, ad ſpiritualem hunc cibum admitti docet.

ARCA FOEDERIS.

XIII. Tandem ipſum *adytum* perluſtrabimus. In quo occurrit *Arca Fœderis*, cum reliquo apparatu ſuo, Iſraëlitarum veluti Palladium, ac præſentis inter ipſos Dei certiſſimum pignus. Quare attentius ea conſideranda eſt.

XIV. Vocatur Hebr. ארון *arca*, & arca *fœderis*, ſeu *teſtimonii*. Quia tabulæ fœderis in ea ſervabantur. Nomen autem Jehova, quod Sociniani urgent, nunquam illi tributum legitur.

XV. Confecta erat è ligno Zittim, ſeu cedro, Exod. 25: 10. atque intus & extra auro obducta erat. Longitudo duorum cubitorum & ſemiſſis, latitudo & altitudo unius cubiti cum dimidio fuit. Exod. 25: 10-16. Ambiebatur coronâ, ſeu limbo aureo; quatuorque annulos aureos ad latera habebat; ex quibus vectes duo ex eâdem cedro, pariterque deaurati, prominebant, geſtandæ arcæ. Quod Sacerdotum Kehatitarum miniſterium fuit, Num. 7: 9. additis nonnunquam Levitis.

vide

Digitized by Google

vide 1. Chron. 15: 15. Joſ. 3: 3. Quod multâ cum religione peragebatur.

XVI. In arca continebantur ſolæ *legis*, ſive fœderis cum Iſraëlitis icti, *tabulæ*, Exod. 25: 16. 1. Reg. 8: 9, 21. non fractæ illæ, ſed integræ, de novo à Moſe edolatæ, Deut. 10: 2, 3. *Volumen legis*, de quo Deut. 31: 26. non in arca, ſed coram ea, repoſitum fuit. conf. 2 Reg. 22: 8. Quod & de *Urna Mannæ*, ac *Virga Aaronis* dicendum eſt, quæ ad utrumque arcæ latus diſpoſita erant. Exod. 16: 34. Num. 17: 10. *In qua tabula legis.*

XVII. In ſecundo templo eam defuiſſe ipſi Judæi fatentur; & inter quinque res, quæ in ſecundâ domo defierint, arcam quoque numerant. Quam à Joſia vel Jeremia abſconditam fabulantur; cum in templi excidio periiſſe verius ſit. Quod Deus, tum ob peccata populi, tum ut gradibus quibuſdam ceremonias aboleret; denique ut ſub iſta domo venturum eum ſignificaret, qui omne arcæ myſterium impleturus foret, ſapientiſſimo conſilio fieri permiſit. Tempore autem Meſſiæ, cum aliis rebus ſacris, eam reſtituendam iidem ſuaviter ſomniant. Nam in contrarium expreſſa ſunt Jeremiæ verba c. 3: 16, 17. ubi de Meſſiæ tempore agitur: *Non dicent adhuc, arca fœderis Jehovæ; & non veniet in mentem, & non commemorabunt eam, & non adibunt, & non fiet amplius. In illo tempore vocabunt Hieroſolymam ſedem Jehovæ, & confluent ad eam omnes gentes.* *Defuit illa in ſecundo templo.*

XVIII. Arcam tegebat *propitiatorium*, Hebr. כַּפֹּרֶת Gr. *ἱλαστήριον* dictum; quod in eo Deus ſeſe præſentem & propitium populo exhiberet; ex ſolido auro confectum, pari cum arcâ longitudine ac latitudine. Exod. 25: 17-22. PROPITIATORIUM.

XIX. Eminebant ex eo, eodem ex auro, duo *Cherubini*, Exod. 25: 18-20. quibus Judæi puellorum facies appingunt, ad Angelos exprimendos; & binos ſacratos volunt, ne pro Deo haberentur; ac propitiatorio utrinque incubuiſſe, ſuperque illud ad decem palmarum altitudinem alas expandiſſe memorant. Deſcribit autem illos aliter Scriptura. Ezech. c. 1. & 10. inſtar quatuor animalium, quaterna facie, hominis, leonis, vituli & aquilæ eos depingit. Et ſex iis alas attribuit Jeſ. c. 6: 2. conf. Apoc. 4: 8. quarum binæ in altum elatæ, binæ leniter expanſæ, ac binæ demiſſæ erant. Subque alis à cunctis partibus manus humanas collocat Ezech. c. 1: 8. 10: 8. totoque corpore oculatos, v. 12. pedibus inſiſtere facit, quorum extrema pars vitulinum calcem referebat, unde & vituli dicuntur c. 10: 14. & ſolida erat, inſtarque lævigati æris refulgebat. Ut erecti potius in propitiatorio ſteterint, fron- CHERUBINI.

tibus adverſis, ac propitiatorium deſpectantibus. Atque hinc ſimul intelligi poteſt, quinam fuerint *vituli aurei* Jeroboami, 1. Reg. 12:28.29.

Quid Cherubini repræſentaverint.

XX. Repræſentabant autem myſtica hæc animalia, non Deum, ſed 1. *Angelos*, qui Cherubinorum appellatione in Scripturis veniunt, Gen. 3: 24. Pſal. 18: 11. utque Deus in legiſlatione, Angelorum exercitu ſtipatus erat, atque è cœtu ac concilio illorum legem promulgabat; ita hæc in ſanctuario quoque expreſſa fuere. 2. *Homines electos* ac pios, qui Deum hoſpitem ac incolam habent: quos Cherubinorum emblemate depingit ſacra Apocalypſis c. 5: 8, 9, 10. ubi quatuor animalibus, quæ non alia quam Cherubim fuere, una cum ſenioribus, hymnus tribuitur, qui non niſi à redemtis dici poteſt -- *Emiſti Deo nos in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo.*

GLORIA *ſeu thronus Dei,*

XXI. Inter Cherubinos ſedes & thronus Dei erat, qui locum iſtum gloria ſuâ implebat; cujus externum ſymbolum erat *nubes* & *ignis*. Quæ inde *Gloria Dei* appellantur. Exod. 40:33, 34. coll. Num. 9: 15.

in Nube & Igne,

XXII. Erant autem duæ illic res, duplexque miraculum, *Nubes* & *Ignis*; ſive nubes, medio ſinu igneam ſpeciem complexa, quæ ex nube illa divinum in modum coruſcabat. Qui, ſive ignis, ſive lux, Dei gloria proprie, ſeu glorioſum præſentiæ ejus ſymbolum erat. Vide Exod. 24: 16. Num. 16: 42. & conf. Luc. 2: 9. Matth. 17: 5. Act. 7: 55. 22: 6, 11. Apoc. 14: 14.

inter Cherubinos

XXIII. Propria autem numinis ſedes erat locus ille ſupra arcam, quem Cherubinorum alæ amplexu ſuo incingebant; quem nubes illa auguſtum in modum medium adimplebat: *Quia in nube appareo ſuper operculum illud* &c. Lev. 16: 2. *Dominus Rex factus eſt, ſedens in Cherubinis*, Pſal. 99: 1. 2. Sam. 6: 2. Atque ille erat thronus, Dei in quo viſibili ſigno præſens erat, ac petentibus reſponſa dabat. Exod. 25: 22. Num. 7: 89. Atque hæc erat illa שכינה ſeu glorioſa Dei in terris habitatio, quam Judæi adeo celebrant.

Myſterium Arcæ fœderis.

XXIV. Myſticam harum rerum doctrinam quod ſpectat: ſignificabat *arca*, 1. *Chriſtum*, *in quo Deus habitat corporaliter*; ac *omnes ſapientiæ ac juſtitiæ theſauri concluſi ſunt*. Col. 2: 3. cujus utramque naturam ligno & auro ſuo adumbrabat; quemque vectibus ſuis & annulis in quotidiana illa per deſertum obambulatione, longè lateque manifeſtandum, & Sacerdotum ac miniſtrorum opera, regio in ſolio confidentem, per univerſum mundum vehendum ac veluti portandum eſſe docebat. 2. analogia aliqua univerſam *Eccleſiam*; quæ incorrupta, inſtar cedri, ac Chriſti auro obvelata, ejuſque ſanctitate tecta, Dei ſedes ac habita-

bitaculum eſt, eoque duce per univerſam terram peregrinatur.

XXV. *Legis tabulæ*, quas Deus arcæ includi juſſerat, ne Iſraëlitæ ad externam Scripturam ſtuperent; ſignificabant, legis ſenſum magna ex parte ipſis velatum, 2. Cor. 3: 13. in mediatore potiſſimùm impleri. Utque ille legem Dei in medio pectore geſtavit, ita & fidelium cordibus eam inſcribere, Col. 3: 16. Cum qui reconciliationis Chriſti particeps eſt, quæ per propitiatorium adumbrabatur, etiam ſanctitatem ſectari, legiſque ſtudio flagrare debeat. *Tabularum fœderis*

XXVI. *Manna Urna*, juxta adſtans, alituram Chriſti ſpiritualem, ut ante vidimus; *Virga Aaronis* ſacerdotium ejus monſtrabat. Utque tum de arenti virga ac flos germinavit; ita Chriſtus, tum in nativitate, tum in morte de ſterili trunco effloruit; & ſacerdotium ἀπαράβατον habet. In cujus honoris partem nos quoque accipit, facitque ut de noſtris quoque nodis flos germinet, & viles virgulæ balſama exſudent, *Juſtus, ut palma, florebit; ut cedrus in Libano, creſcet.* Pſal. 92: 13. *Urna Manna & Virga Aaronis.*

XXVII. *Propitiatorii* myſterium erat, eundem mediatorem noſtrum, Dei filium, adumbrare, *quem Deus propoſuit* ἱλαστήριον *propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius.* Rom. 3: 25. conf. 1. Joh. 2: 2. 2. Cor. 5 19. Quique peccata noſtra, omneſque legis diras ac maledictiones tegit ac delet, Pſal. 32: 1. *Propitiatorii.*

XXVIII. Duæ *Cherubinorum* formæ duplicem creaturarum ordinem exprimebant, quæ Deo dignum habitaculum præbent, tum in terra, tum in cœlo, Angelos videl. & homines. Utque animalia illa, ſibi mutuò obverſa, utrimque propitiatorium aſpectabant; ita Angelorum hominumque per Chriſtum unio ex concordia; ac utrorumque in redemtionis myſterio perſpiciendo ſtudium ſignificatur, Eph. 1: 10. 1. Pet. 1: 10. *Cherubinorum.*

XXIX. *Nubes* verò, inque ea *Ignis* ſpecies, quid, niſi divinæ naturæ in vili carne inhabitationem teſtabantur? quam tamen igne ſuo & divino fulgore impleturus, atque ex humano corpore tanquam ex adyto certiſſima reſponſa daturus foret. *Sermo caro factus eſt*, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν *& habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus* &c. Joh. 1: 14, 15. *Se ipſum exinanivit, formam ſervi aſſumens, quando eſſe cœpit in ſimilitudine hominum*, Phil. 2: 7. *Nubis & Ignis.*

XXX. Similiterque *thronus Dei* ſuper propitiatorium, ad quem Pontifex quotannis accedebat, univerſum populum Deo propitiaturus, denotabat, Deum eſſe in Chriſto, & in eo adiri & inveniri placatum & propitium; adeoque effigiabat, tum thronum gratiæ, ad quem, *Throni Dei.*

Digitized by Google

per Chriſti ſanguinem, ipſi jam Sacerdotes facti, aditum habemus, Hebr. 4:16. tum thronum gloriæ in cœlis; qui pariter angelorum choris cinctus eſt: *Millies milleni miniſtrabant ei*, Dan. 7:10. atque ad quem Chriſtus, ut veteris ſacerdotii legem impleret, peracto ſacrificio, cum ſanguine ſuo intravit, ſemperque ibi pro nobis intercedit. *Non enim in manufacta ſancta introiit Chriſtus -- ſed in ipſum cœlum, ut nunc appareat faciei Dei pro nobis*, Hebr. 9:24. *Neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem intravit ſemel in ſancta, æternâ redemtione inventa.* c. 9:24. conf. c. 7:26.

Tabernaculi vaſorumque ejus unctio. XXXI. Atque hæc erant vaſa omnia tabernaculi, atque univerſa ædis iſtius ſupellex; quam ſacro oleo inungi, iſtoque ritu conſecrari Deus juſſerat, Exod. 30:23. Lev. 8:10, 11. ut *ſanctitas ſanctitatum* foret; id eſt, talis res, quæ ipſa non ſolum ſancta eſſet, ſed alias quoque ſanctificaret. Quin & ſanctuarium ipſum quotannis ab impuritate filiorum Iſraëlis expiari neceſſe habebat, Lev. 16:14, 15, 16, 19, 20. Hebr. 9:21, 23. Quod peccatoris impuritatem, qui contage ſua etiam res ſanctiſſimas polluat, ſignificat. Unde cœlum ipſum nobis à Chriſto purgari ac expiari debuit.

CAPUT XV.

De TEMPLO.

TEMPLUM. I. POſt Tabernaculum ſequitur Templum, tum Salomonis, tum Zorobabelis ac Herodis, tum Ezechielis, ac denique Samaritanorum & Judæorum Ægyptiorum.

SALOMONIS. *Ejus ſtructura.* II. Templum Salomonis quod attinet, videbimus 1. ejus ſtructuram ac partes. 2. Vaſa, aliaque adjuncta. 3. τὸ μυστικὸν ejus.

III. Carebant priſci mortales templis, cum non ex magnitudine Dei arbitrarentur majeſtatem ejus parietibus includere. Templum primum à Salomone extructum eſt, tanta opulentia, ut primum ac præcipuum mundi miraculum haberi poſſit. David enim peculiari religione illud extruere prohibebatur. *Sanguinem copioſum effundis & bella magna geris, non es ædificaturus domum nomini meo. Ecce filius editus tibi. Is futurus eſt quietus* &c. 1. Chron. 22:8. Qui nihilominus magnam auri argentique vim in iſtum uſum in theſauris reliquit; formamque operis, quam divino monitu animo complexus erat, filio tradidit. 1.

Chron.

Digitized by Google

Chron. 28:11, 12. Quibus præparatis, ſeptennio opus abſolutum eſt. Perfectum autem fuit Templum ſine mallei ictu aut ferræ ſtrepitu, ex exaſciatis lapidibus. 1. Reg. 6: 7. Præcipuus inter artifices fuit Hiramus Tyrius. Operariorum autem univerſa multitudo erat 183300; inter quos & Tyriorum ac Sydoniorum magna pars. 1. Reg. 5: 13. & ſeqq. Auri vero argentique ſumma ultra fidem eſt.

IV. Poſitum erat illud in monte Moria, 2 Chron. 3: 1. In cujus faſtigio leniter devexo moles illa eminebat, urbemque ex alto deſpectabat. *Situs.*

V. Partes & formam ejus quod attinet, compoſitum illud erat ad formam tabernaculi; conſtabatque atrio, Sancto & Sancto Sanctorum. Cum autem in tabernaculo unicum tantum eſſet atrium, hic varia erant: nimirum 1. *Atrium Sacerdotum*. 2. *Iſraëlis*, 2 Paral. 4:9. Quod rurſus à Joſaphato diviſum in *atrium mulierum* & *virorum*. 2. Paral. 30: 5. Quibus Herodis tempore acceſſit atrium *quartum*, pro Gentibus & immundis. Quæ omnia licet tempore diverſa, hic conjungemus. *Partes.*

VI. Primò occurrit *Atrium Gentium*, quod Templum ambiebat inſtar cœmiterii, & 500 cubitos, in quadratura ſuâ continebat; ac quatuor egregiis porticibus inſtructum erat, quarum unaquæque triplici columnarum ordine ſuſtentabatur. Appellabaturque הַר הַבַּיִת ſeu *mons templi*, & דוך vel atrium commune. Atque huc intrabant Ethnici, excommunicati, lugentes & immundi. Portas & porticus omittimus. *Atrium Gentium.*

VII. Poſt atrium gentium erat locus dictus חיל *antemurale*, decem cubitos latus, ab atrio gentium ſepto diſcretus. *Et fecit lugere antemurale & murum*, Thren. 2: 8. quo gentili aut immundo accedere non licebat. *Viderant antea Trophimum Epheſinum in urbe cum eo, quem exiſtimabant fuiſſe à Paulo introductum in templum*. Act. 21: 29. *Antemurale.*

VIII. Hinc duodecim gradibus, dimidii cubiti altitudine, aſcendebatur in *atrium mulierum*; in quo tripudium ſacrum, & aquæ libatio in feſto Scenopegiæ peragebatur. Erat illud 135 cubitos longum ac latum: ac in quatuor ſuis angulis totidem conclavia habebat, videl. *Naziræorum*, *leproſorum*, *lignorum*, & *vini ac olei*: & tres portas; ad orientem portam, τὴν λεγομένην ὡραίαν, Act. 3: 2. ad auſtrum & aquilonem ſingulas; quæ ſuis quoque conclavibus ac porticibus inſtructæ erant. Atque ad eas poſita erant 13 Gazophylacia; quo hiſtoria viduæ in Euangelio referenda, Luc. 21: 1. Marc. 12:41, 42. *Atrium mulierum.*

IX. Ex atrio mulierum aſcendebatur 15 gradibus in עזרת *atrium Iſraëlis*; in quibus conſiſtebant Levitæ Pſalmos graduum pſallentes. *Atrium Iſraëlis.*

Longum erat cubitos 135. latum 11. diverſaſque portas habebat, variaſque circum porticus; & in illarum contignationibus exedras & conclavia permulta, variis uſibus ſervientia. Atque in hoc atrium conveniebat populus ad cultum & ſacrificia; inque eo Prophetæ oracula ſua ex altiori ſuggeſto pronunciabant. 2. Chron. 24: 20. coll. Jer. 36: 10. atque ibidem Chriſtus Dominus noſter populum perſæpe docuit. Vide Matth. 21. 12. &c.

Atrium Sacerdotum. X. Hinc in atrium Sacerdotum aſcenſus erat, gradu uno cubitali. Cui impoſitum erat pulpitum, quod tribus gradibus dimidii cubiti adibatur, in quo erat chorus Levitarum canentium. Longum erat cubitos 135. latum 11. ſoliſque Sacerdotibus in eo ordinarie verſari licitum erat.

Altare holocauſtorum. XI. Erat in hoc atrio *altare holocauſtorum*, quod à Moſaico, cum magnitudine, tum materiâ, differebat. Cum enim Moſaicum 5 cubitos longum & latum, ac tres altum foret; hoc 32. cubitos in infimo ambitu, in ſupremo autem 24. in longitudine & latitudine 20. ac in altitudine decem continebat, 2. Chron. 4: 1. nec, ut prius, ære obductum, ſed ex ſolido ære confectum erat. Ad ſeptentrionem varios annulorum ordines habebat, juxtaque columnas quaſdam, & menſas marmoreas, ad ſacrificiorum uſum. Mediumque cingebat filum coccineum, ad ſanguines diſcernendas: & ſubtus duo erant canales, qui victimarum ſanguinem in proximum torrentem derivarent.

Mare æneum. XII. Auſtrum verſus erat labrum, ſeu *mare æneum*, quod duodecim boves eodem ex ære ſuſtinebant. Cui & alia minora lavacra appoſita erant, abluendis victimarum carnibus. 1 Reg. 7: 23. 2 Chron. 4: 2, 6.

XIII. Ab altari ad πρόναον, ſeu templi veſtibulum, erat ſpatium 22 cubitorum, ubi Sacerdotes miniſtrare, & confiteri ſolebant. *Inter porticum & altare ſleant Sacerdotes miniſtrantes Jehovæ, & dicant: parce, Jehovah, populo tuo* &c. Joël 2: 17.

Veſtibulum Templi. XIV. *Propylæum*, ſeu veſtibulum templi, אולם, 1. Reg. 6: 3. 2. Chron. 3: 4. 29: 7. adibatur 12 gradibus dimidii cubiti: erantque ibi ſuſpenſæ catenæ aureæ, & ſupra eas coronæ aureæ & argenteæ. Supraque templi oſtium vitis aurea, ex qua botri inuſitata magnitudine dependebant.

Sanctuarium. XV. Emenſis atriis occurrit ipſum *ſanctuarium* ac palatium Domini, היכל dictum; quod intermedio ſepto diſcretum in duos thalamos dividebatur, Sanctum, & Sanctum Sanctorum. Ubi hoc peculiare fuit in ſecundo templo, quod, cum prius inter Sanctum & Sanctum Sanctorum

Digitized by Google

rum murus ſtetiſſet, unius cubiti craſſitie; ii verò, qui Babylone reverſi erant, dubitarent de ejus formâ, ſitu ac proportione; vice muri duo vela extenſa fuerint, inter quæ ſpatium cubiti interfuit, cum antea unum duntaxat pependiſſet. Patebat Templum univerſum 100 cubitos in longitudinem, 70 in latitudinem, ac 120 in altitudinem. Forma ejus à fronte latior, à tergo anguſtior erat; ut leonem referret. Tectum erat, non planum, qualia Judæorum tecta erant, ad ambulationis voluptatem, ſed diſpluviatum, ſeu leni faſtigio aſſurgens, pluviæ aviumque arcendarum cauſa: quod undique cingebat lorica, quatuor cubitis extans, ut medio faſtigio æquaretur.

XVI. Atque hæc erat templi ſtructura; quod per gradus aſcendebatur, ut vidimus: adeo ut templum ipſum 22 cubitis altius eſſet porta orientali extima, deque montis crepidine in ſubjecta atria, univerſamque urbem, amœniſſimo viſu, proſpectaret. Erantque in ipſo templi monte, pro partium diverſitate, diverſi quoque ſanctitatis gradus. Quos ſeptem numerant. *Templi diverſi gradus.* *& partium varia ſanctitas.*

XVII. Supellex Templi eadem erat, quæ Tabernaculi, niſi quod vaſa omnia auguſtiora, & immenſo numero forent. *VASA Templi.*

XVIII. Inter adjuncta Templi primo loco occurrit ejus reverentia ac ſanctitas; quæ permagna erat: juxta legem Lev. 19: 30. *Sanctuarium meum reveremini.* Hinc nec ſedere cuiquam, nec exſpuere in eo, nec caput aperire, nec denique cum calceis aut baculo, aut mantica eo introire fas erat. Nec ad viæ compendium illud tranſire licebat. Denique ex ſuperiori loco, ſi cui fortè Hieroſolymis tale cœnaculum foret, in Sanctum Sanctorum proſpectare nefas habebatur. Aliaque talia uſurpabantur, pro ingenio populi, omnibus majoribus minoribuſque ſuperſtitionibus nimium ſæpe obnoxii. Ita & decem miracula templi narrant. Quæ nos ſuo loco relinquimus. *Templi reverentia.* *Miracula.*

XIX. Erat autem Templum Sanctum, non ſolum quod divini cultus ſedes foret, ſed & extra illam conſiderationem, ſanctitate quadam cerimoniali; quia Dei in terris ſedes, & aula, ac cœli manifeſtiſſima imago, ac Chriſti denique in humano corpore olim hoſpitaturi typus foret. Quam ſanctitatem templa noſtra non habent. *Sanctitas.*

XX. *Myſterium* templi idem fuit quod tabernaculi; atque illa omnia, in quibus Deus habitare dignatur, ſignificavit; tum ſanctam *Chriſti carnem*, in qua divinitas, tanquam in templo, appariturа erat, Joh. 2: 19. tum *cælum*, ſedem divinæ gloriæ, in qua ſeſſura erat caro Chriſti. *Non enim in manufacta ſancta introiit Chriſtus, verorum inſtar habentia, ſed* *Myſterium*

in

in ipſum cœlum, ut nunc appareat faciei Dei pro nobis, Hebr. 9:24. tum denique *Eccleſiam*, in qua Deus pariter præſens eſt. Sicut *vaſa* templi ſingulos fideles exprimunt. *Sciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore*. 1. Theſ. 4: 4. Ac firmior ejus præ tabernaculo ſtructura, Eccleſiæ Judaicæ ac Chriſtianæ, vel potius militantis ac triumphantis diſcrimen habebat. *Salomon* autem, ſtupendi hujus operis auctor, Chriſtum Eccleſiam ſuam ædificantem: *Tyrii* aliique extra Iſraëlem ad operas præbendas conducti, Gentiles ad Eccleſiam vocandos: & univerſi operis, ſine ſtrepitu ac malleorum ictibus procedentis ratio, pacificum ac concordem Eccleſiæ ædificandæ modum per verbum & Spiritum, ſine vi ac tyrannide, idoneis figuris ob oculos ponebant.

Ætas. XXI. Duravit illud ultra quadringentos annos. Deſtructumque tandem ab Babyloniis eſt, anno Regis Zedekiæ undecimo, 2. Reg. 25. 2. Chron. 36. cum populus Babylonem captivus ageretur.

TEMPLUM SECUNDUM. XXII. Qua captivitate ſolutâ, ceptum eſt ſtrui *templum ſecundum*, ſeu Zorobabelis: quod magnam partem ad exemplum templi Ezechiëlis ædificatum fuit. Abſolutumque creditur annis 46. Quo reſpiciatur, Joh. 2: 20. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc: & tu in tribus diebus excitabis illud?* Herodes vero extremis temporibus magnopere illud exornavit, multiſque operibus ac ſubſtructionibus auxit; quod perperam à quibuſdam pro tertio templo habetur.

Quomodo minoris gloria quam primum? XXIII. Pleriſque autem in rebus longe infra prioris ædis magnificentiam erat hoc templum. *Quis in vobis eſt, qui ſuperſtes eſt, qui vidit domum hanc in gloria ſua priore? & quid vos videtis illam nunc? nonne ut nihilum eſt in oculis veſtris?* Hagg. 2: 3. Quinque enim res præcipuè memorant Judæi, quæ in eo defuerint: quarum memoriale habent ex Hagg. 2: 8.

& ſimul majoris? XXIV. Hoc ſolo tamen ſecunda domus veteris Templi ſanctimoniam non æquabat tantum, ſed & ſuperabat, quod loco umbrarum illarum in æde hac apparíturus foret Meſſias, templi dominus, qui omnem ejus ſanctitatem impleturus & conſummaturus foret. *Derepente veniet ad templum ſuum Dominus ille, quem vos quæritis*, Mal. 3: 1. *Ecce plus quam Salomon eſt in hoc loco*, Matth. 12: 42. Atque in hoc ſunt jam illa omnia, quæ hactenus in æde illa defecerant.

Myſterium ejus. XXV. Τὸ μυστικὸν ejus, præter jam dicta, erat, propinquiorem *Chriſti* adventum promittere; corporiſque ejus deſtructionem, rurſuſque reſuſcitationem in meliorem ſtatum, adumbrare. Joh. 2: 19. & 10: 18.

Si-

Sicut & *Eccleſia* Veteris Teſtamenti majori cum gloria novum Chriſti populum ſucceſſurum; & poſt vitæ hujus ſpatia aliam & beatiorem vitam corporibus noſtris redonandam, teſtabatur.

Ætas.

XXVI. Ætas ejus decennio major fuiſſe creditur, quam prioris templi. Tandemque à Tito deſtructum fuit, juxta prædictionem Chriſti, Matth. 24: 2.

TEMPLUM TERTIUM.

XXVII. Unde *tertium Templum* nunc expectant Judæi, juxta *Ezechiëlis* typum, c. 40. & ſeqq. quod ſub Meſſia Rege extruendum ſit. Sed vana & mendaci ſpe. Cum Meſſias ad ſecundum templum, & ad Zionem, ut vidimus, Hag. 2: 8. Pſal. 132:17. venire debuerit. Templum autem Ezechiëlis, non in Zione, ſed alio longe ſitu, ponatur, Ezech. 40: 2. 45: 1-9. 48: 8. tandemque multa alia illi adſcribantur, quæ juxta literam intelligi nequeunt. vide Exech. 47: 1, 7, 8, 9, 12. Ut Ezechiëlis Templum, quanquam ad templum Zorobabelis breviter tunc extruendum in quibuſdam ſpectet, præcipuè tamen ſecuturam olim ſub Novo T. Hieroſolymæ novæ, ſeu Eccleſiæ faciem & ſtatum, quæ latiſſimè extendenda & majoribus Sp. S. donis ornanda erat, adumbraverit.

TEMPLUM SAMARITANUM.

XXVIII. Atque hæc de Templo primo & altero. Cui æmulam molem extruxere Judæi ſegreges, primò in monte *Gariſin*, in Samaria, auctore Manaſſe, fratre Jaddi, Pontificis M. Quod diſſidium inter Judæos & Samaritanos magnopere adauxit. conf. Joh. 4: 9, 20. *Patres in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis quod Hieroſolymis ſit locus, ubi oporteat adorare.* Tandem, cum 200 annos ſtetiſſet, ab Hircano dirutum eſt.

ÆGYPTIACA.

XXIX. Præter hoc & alia templa in *Ægypto* extructa ſunt. Unum ab *Onia*, Simeonis Juſti filio minore, in præfectura *Heliopolitana*: quæ quia ſub Alexandria erat, templum hoc aliquando Alexandrinum vocatur. Alterum ab Onia, Filio Oniæ tertii Pontificis M. ſub Antiocho Epiphane, & Ptolemæo Philometore, *Leontopoli*. Stetitque prius annis 343, tandemque ſub Veſpaſiano clauſum fuit: alterum annis 200. Tuebantur autem apoſtaſiam ſuam oraculo Jeſ. 19:19. *Illo die erit altare Jehovæ, in medio terræ Ægypti; & lapis erectus apud terminum ejus Jehovæ.* Nec in Ægypto ſolùm, ſed & in *Phœnice*, & alibi, fana ac ſanctuaria ſua poſuere Judæi quidam.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De reliquis locis Sacris.

SYNAGOGÆ.

I. POſt templum ſequuntur Synagogæ. Quæ vox etſi Chriſtianorum cœtibus interdum tribuatur, ut Jac. 2:2. Hebr. 10:25. Propriè tamen Judæorum conventibus hæſit. Quæ ab iis בית הכנסת h. e. domus congregationis appellantur. De iis agi quibuſdam, licet parum certò, videtur Pſal. 74:4, 8. *Rugierunt hoſtes tui in medio* מֹעֲדֶךָ *loci condicti tui. Cremarunt omnes* מֹעֲדֵי אֵל *Synagogas Dei in terra.*

II. Cum autem Deus in iis non habitaret, ut in templo, nec univerſus ac præcipuus cultus in iis perageretur, ſed partes ejus quædam, ut preces, lectio Scripturæ &c. hinc nullam peculiarem ſanctitatem habebant; non magis quam noſtræ ædes ſacræ.

Earum origo.

III. Primæ eorum originis nullum certum indicium extat, niſi circa Ezræ & Nehemiæ tempora: de quibus intelligi poteſt locus Act. 15:21. *Moſes ab ætatibus antiquis oppidatim habet qui ipſum prædicent, quum in Synagogis per ſingula Sabbata legatur.* Tum enim non ſolum ſeptennalis legis lectio, præſcripta Deut. 31:10, 11. quæ in deſuetudinem venerat, 2 Reg. 22:8. repetita, ſed & Sabbatica introducta, ac oratoria extructa ſunt, tum ad ſacram lectionem, tum ad preces peragendas. Unde & *Proſeuchæ* dictæ; quæ cum Synagogis eædem fuiſſe videntur. Act. 16:13.

Conſtitutio

IV. Singulæ Synogogæ duo habebant Auditoria; in quorum altero Scriptura, altero traditiones docebantur. Erantque ipſæ medio ſepto diviſæ, ac uno latere viri, altero fœminæ aſſidebant. Præeratque ſingulis ἀρχισυνάγωγος; cui ſubordinabatur Synagogæ miniſter. Ac docebant in iis Scribæ; & ipſe Chriſtus, Luc. 4:15. & ſeqq. & poſt illum, Apoſtoli, Act. 13:14-16. 16:13.

Numerus.

V. Numerus autem tantus erat, ut ſolis Hieroſolymis ad 460, vel 480 à Talmudicis numerentur: & ſpeciatim in monte Zion ſeptem fuiſſe dicantur. Atque extra Hieroſolymam, ipſamque terram Sanctam, ubicunque Judæi degerent, eæ quoque erant frequentiſſimæ. *Obivit totam Galilæam Jeſus, docens in Synagogis ipſorum,* Matth. 4:23. *Et ſtatim in Synagogis* Damaſci *prædicavit Paulus Chriſtum.* Act. 9:20. & 13:4, 14.

VI. Sy-

VI. Synagogis connexæ erant ſcholæ, ſive collegia, ſublimiori legis ſtudio dicata; quæ בית המדרש / à ſubtiliori inquiſitione, dicebantur; erantque ſæpe, ut & ipſæ Synagogæ, in collibus ſita. Vide Jud. 7: 1. ubi mentio גִּבְעַת הַמּוֹרֶה / & Prov. 1: 21. ubi ſumma ſapientia dicitur proclamare בְּרֹאשׁ הֹמִיּוֹת. *Scholæ.*

VII. Sancta porro habebatur, præ aliis urbibus, *Hieroſolyma*, caput ac metropolis gentis, & religionum ſedes. Unde nulli tribui peculiariter aſſignata, communis omnium veluti mater habebatur, & à cunctis frequentabatur. Quanquam a Juda & Benjamine potiſſimum incoleretur, intra quorum terminos ſita erat; ita ut urbs, & templum ipſum, inter illos diviſum perhibeatur. HIEROSOLYMA.

VIII. Magnitudo erat quinquaginta ſtadiorum, tres colles ambitu ſuo complexa; quorum ſuperior, *Zion*, Regum ſedes erat; alter inferior, *Acra*, & filia Zionis appellatus, archivum alioſque conſeſſus ac colles habebat; tertius, *Moria*, priori depreſſior, à Deo habitabatur, templique molem oſtentabat. Celebris erat ad occidentem, auſtrum verſus, fons *Gihon*, 1. Reg. 1: 33, 38. idem cum fonte *Siloam*; unde tabernaculorum feſto, atque ubi vaccæ rubræ ſacrum peragendum erat, aquæ hauriebantur. Eratque univerſa urbs multis ſpeluncis, cæciſque latebris, pervia, quæ immenſam hominum multitudinem capere poterant. Extra urbem ad orientem erat vallis *Kidron*; & ad auſtrum vallis *Tophe*, ſeu Filiorum Hinnon; ubi perpetuus ignis ardebat, qui urbis ſordes & purgamenta abſumeret. Eſai. 30: 33. Unde appellatio *Gehennæ* in N. T. Matth. 5: 22. *Ejus deſcriptio.*

IX. Sancta illa peculiariter erat, potiſſimum poſt Salomonis dedicationem, ob ſacrorum dignitatem; quæ illi urbi adeo affixa erant, ut, eâ everſa, ſacrificia, feſta omnia, cultuſque omnis protinus ceſſarent. Quanquam & in ruinis ac cineribus ejus ſacra facere fas habeant Judæi. Cumque multa, uſque ad ſedecim capita, narrent, quæ ad ſanctitatem & religionem ejus faciebant; tum præſertim à cadaverum & ſepulchrorum pollutione eam liberam ſervabant, ne qua contage impiaretur, ac cerimoniæ contaminarentur. *Sanctitas.*

X. Typicam eam fuiſſe Paulus ad Gal. 4: 25, 26. docet, ubi inter Hieroſolymam τὴν νῦν, quæ cum liberis ſuis ſerva erat, & τὴν ἄνω, liberam illam & cœleſtem, diſtinguit. Sicut eo *nova Hieroſolyma* in Apoc. appellatio facit, quam Johannes è cœlo demiſſam, ac ad terram porrectam, vidit Apoc 3: 12. & 21: 2, 10. Hebr. 12: 22, 23. Quæ Eccleſiæ *Myſterium.*

 ſub

Digitized by Google

ſub N. T. imago eſt; cujus cives partim in cœlo, partim adhuc in terris degunt; omnes autem ad eandem ſanctam civitatem pertinent, quam Deus præſente Spiritu ſuo incolit & implet: *In unam ſummam confuſis jam omnibus in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt*, Eph. 1: 10. Conf. Hebr. 11: 39, 40.

TERRA ISRAELIS. XI. Sed & univerſa *terra Iſraelis* ſancta erat, quam mundi veluti corculum, ejuſque unicas delicias habent: & reliquum mundum tanquam impurum & profanum tantum non abominantur, cunctoſque mortales per opprobrium גוים quaſi alterius, & vix humani generis forent, & *mundum*, Luc. 12: 30. Joh. 3: 16, 17. & τοὺς ἔξω appellitant. Quo reſpicitur Marc. 4: 11. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; iis autem qui foris ſunt, per parabolas omnia iſta fiunt*, & 1. Cor. 5: 13. *De extraneis vero Deus judicat*. 1. Tim. 3: 7. *Oportet eum teſtimonium bonum habere ab iis qui foris ſunt.*

Ejus ſanctitas & myſterium. XII. Triplicem terræ hujus conſecrationem memorant. Univerſaque gentis ejus politia, & judicia, & leges, cum politicæ, tum ſacræ, ab ea pendebant. Ita ut ne promotionem quidem ſcholaſticam, manuumque impoſitionem, extra illam ritè peragere ſeſe poſſe putent. Unde terram illam miro affectu deperibant. Quæ, quanquam ſuperſtitione non careant, tamen cum terra illa cœleſtis hæreditatis pignus ac arrhabo fuerit, ut ſupra vidimus, non leviter illam adamare, & vitam longam ac pacem in ea exoptare tenebantur. Nunc autem, typo iſto impleto, ac univerſa terra per Chriſti ſanguinem luſtrata, fruſtra *Pontificii* tum alia locorum diſcrimina obſervant, tum terram hanc religioſis peregrinationibus frequentant. *Jeſus, ut ſanctificaret per proprium ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt*, Hebr. 13: 12. *Volo orare viros in omni loco* &c. 1. Tim. 2: 8. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*, Pſal. 24: 1.

LO-

LOCUS VIGESIMUS QUARTUS

DE

TEMPORIBUS SAGRIS.

CAPUT XVII.

De Temporibus Judæorum, ſpeciatim de Sabbato & Neomeniâ.

I. SEquitur poſt loca Sacra, caput publicarum cerimoniarum ultimum, de *temporibus* Sacris. Ubi tum temporum apud Judæos rationem, tum feſta iis annexa luſtrabimus. TEMPORA SACRA.

II. Partes temporis ſunt Horæ, Dies, Hebdomada, Menſis, Annus.

III. *Horarum* in Scriptura, ſi non ante, ſaltem poſt captivitatem Babylonicam mentio occurrit. Diviſuſque fuit Judæis dies naturalis in horas 24, artificialis, ut ex nox, in 12. *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Joh. 11: 9. initio numerandi ab exortu ſolis facto; ut quæ nobis ſeptima, illis prima diei hora foret; & ſic deinceps. Quanquam & horas quoque majores habuiſſe quibuſdam videantur. Erantque etiam hæ ſtatæ precum ac publicorum ſacrorum horæ, ut Judæi volunt; qui tres præcipuè precum horas numerant, tertiam, ſextam, & nonam. Vide Pſal. 55: 18. *Veſpere, & mane, & meridie meditabor.* Act. 2: 15. *Non, ut vos præſumitis, iſti ebrii ſunt, quum ſit hora diei tertia.* & 10: 9. *Aſcendit Petrus in ſolarium, ut oraret, circa horam ſextam.* & c. 3: 1. *Aſcendebant Petrus & Johannes in templum, ſub horam precationis, nempe nonam.* *Hora.*

IV. *Dies* vel eſt naturalis, ſeu νυχθήμερον; vel artificialis, dum lux eſt. Naturalem Romani & Ægypti à mediâ nocte, Babylonii à Solis ortu, alii populi, ut & Judæi, à Solis occaſu inchoabant. Artificialis poſterioribus ſæculis in quatuor quadrantes ipſis dividebatur, quæ ſingulæ tres horas continebant. vide Matth. 20: 1-6. Similique modo nox in quatuor vigilias diſtributa erat. *Neſcitis quando dominus domus veniet, veſpere, an media nocte, an in gallicinio, an mane.* Marc. 13: 35. conf. Thren. 2: 19. Jud. 7: 19. Luc. 12: 38. Exod. 14: 24. Matth. 14: 25. *Dies.*

Digitized by Google

Hebdomas. V. *Hebdomas* erat vel ordinaria, dierum ſeptem, Lev. 23: 15. Dan. 10: 3. vel extraordinaria annorum ſeptem, Lev. 25: 8. Dan. 9: 24.

Menſes. VI. *Menſes* Judæis erant vel ſolares, vel lunares. Hi lunæ curſu abſolvebantur, diebus 29. horis 12. illi, ut annus ad Solis motum æquaretur, triginta dies & decem horas implebant. Atque ante exitum ex Ægypto ſolaribus menſibus dierum triginta uſi pleriſque videntur Patriarchæ; uti quidam concludunt ex Gen. 7: 11. & 8: 3. coll cum 7: 24. Poſt exitum autem, inſtitutis noviluniis, menſes lunares cœperunt. Erantque illi vel cavi, vel pleni, dierum vel 29. vel 30. alternatim.

Annus. VII. *Annum* quod attinet, erat is vel civilis, vel ſacer. Civilis, cum ipſius mundi exordio, à novilunio ſeptembris initium ſumſiſſe multis ſtatuitur, juxta Exod. 23: 16. Sacer vero, poſt exitum ex Ægypto, ad conſecrandam ejus rei memoriam, inſtitutus fere creditur, Exod. 12: 2. atque à novilunio Martii incipiebat. Juxtaque eum feſta, reſque omnes Eccleſiaſticæ ordinabantur.

Ejus intercalatio. VIII. Erant autem Judæorum anni nec ſolares propriè, nec Lunares, cum utrinque aberrarent, ſed prorſus ab arbitrio Synedrii dependebant; quod temporum rationem nonnunquam emendabat, atque annos temere labentes certius ire faciebat; &, ſecundo vel tertio quoque anno, annum lunarem, adjecto integro menſe, ad ſolarem exæquabat; qui annus אדר ואדר / quaſi ſecundo Februario auctum dicas, appellabatur. Quo pertinebat etiam cyclus decem-novennalis, quem habebant.

FESTA *Judæorum* IX. *Feſta* Judæorum, hiſce temporibus alligata, חגים dicuntur, à tripudiis, lætitiaque publica, qua celebrabantur. Erantque inſtituta, tum recolendis ſingularibus Dei beneficiis, tum beatis ſub Meſſia temporibus beneficiiſque adumbrandis. Unde ſub N. T. locum nec habent, nec habere poſſunt.

varia. X. Erantque illorum feſta & feriæ varii generis. Nam vel ſæpius in anno redibant, eaque vel hebdomadica, vel menſtrua, ut *Sabbatum* & *Neomeniæ*; vel anniverſaria erant, ut feſtum *Paſchatis*, *Pentecoſtes*, *Scenopegias*, *Tubarum*, dies *expiationis*; vel denique certis annorum intervallis recurrebant; qualia erant annus *Sabbaticus* & *Jubilæus*.

SABBATUM. XI. Vox *Sabbatum*, à quiete deducta, vel ſeptimum diem, Gen. 2: 2. Exod. 20: 10. vel ſeptimi anni otium, Lev. 25: 4, 5, 6. denotat. Longior tranſlatio eſt, cum ipſam ſeptimanam comprehendit; unde appellatio

latio μία σαββάτων, Matth. 28: 1. ita Marc. 16: 2. conf. v. 9. vide & Luc. 18: 12. Lev. 23: 11, 15. Sabbati autem conſideranda eſt *origo*, *celebratio*, *cauſa*, & *abrogatio*.

XII. *Origo* ejus non altius repeti poteſt, quam à tempore datæ mannæ in deſerto, Exod. 16: 29. ut ſupra latius vidimus. vide lib. 2: c. 5. §. 10. &c. & lib. 3. c. 7. §. 5. &c. *Ejus origo.*

XIII. *Sanctificatio* conſiſtebat 1. in quiete 2. rectoque ejus uſu, Lev. 23: 3. *Quies* rigidiſſime exigebatur, ita ut opus facere capitale foret, Exod. 31: 14. Num. 15: 32, 35. Quod, cum non aliter fieri potuerit, quam ad accuſandam operum noſtrorum impuritatem, ac ad demonſtrandum ea morte digna eſſe; antequam peccatum in mundo foret, tale præceptum ac tale Sabbatum ne cogitari quidem poteſt. Licita tamen erant opera neceſſitatis, charitatis, pietatis, ac civilis honeſtatis. Luc. 13: 14, 15. Matth. 12: 3, 4, 5. Judæi vero, addictius ſervire ſueti, præcepti hujus ſeveritatem ac rigorem etiam adauxere, & multa alioqui licita die iſto nefaſta eſſe juſſerunt. Poſteriores autem Judæi epulis & voluptatibus carnalibus iſtum diem celebrare cœperunt. In quo tamen cultu, qui ab una parte minutis quibuſdam ceremoniis & tricis, ab alterâ parte conviviis & voluptatum uſu conſtat, omni ſeriâ pietate neglecta, maximam religionis ſuæ partem conſtituunt, taleque Sabbatum univerſæ legis obſervationi æquant. *Sanctificatio ac quies.*

XIV. Præſertim requirebatur bonus ſacræ *quietis uſus.* Unde ex ſcopo & æquitate præcepti magis, quam vi literæ ipſius, illo die in colloquia & cœtus ibant, quietis iſtius myſterium revolvebant, & precibus, ac reliquo cultu Deum propitiabant, ſeque Deo dignos præſtabant, 2. Reg. 4: 22, 23. Vide tamen præſcripta illo die ſacrificia, Num. 28: 9, 10. & adhibitum cantum ſacrum, Pſal. 92: 1. *& quietis illius uſus.*

XV. *Cauſæ* inſtituti Sabbati erant, tum *communes*; ut divini cultus obſervatio, hominum ac jumentorum quies, repetita creationis mundi memoria: tum magis *propriæ*; ut memoria liberationis ex Ægypto, Deut 5: 15. tum inſuper *myſticæ*. Sabbatum enim, cum in quiete potiſſimum conſiſteret, prorſus typicum erat. *Sabbati inſtituti cauſæ.*

XVI. Unde, *reſpectu hominum*, Sabbatum ita opera eorum impura declarabat, ut tamen populo Dei Sabbatiſmum reliquum eſſe monſtraret; onuſque demendum; & Eccleſiam in libertatem vindicandam; eamque tum ſub N. T. in terris prælibandam; tum præſertim, peractâ vitæ hujus ſeptimanâ, in cœlo pleniſſime perfruendam teſtaretur, & *& myſterium.*

dato

Digitized by Google

dato pignore addiceret. *Itaque ſupereſt Sabbatiſmus populo Dei. Nam, qui ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis Deus.* Hebr. 4:9, 10. conf. Apoc. 14:13. Eſai. 66:23. Sic & *reſpectu Chriſti*, Sabbatum quietis ejus in ſepulchro olim eodem die peragendæ, ubi ab *animæ ſuæ labore*, Eſai. 53:11. requieſceret, umbram geſſit. Cujus quietis Chriſti nos fide participes facti, quieſcimus à jugo legis, & poteſtate peccati & operum carnis. Hebr. 4:19, 10, 11. Inde Sabbatum typus & *ſignum* appellatur *ſanctificationis* per Meſſiam dandæ, Exod. 31:13. Ezech. 20:12. Unde maximè Sabbati religionem in myſtica illa quiete conſtitiſſe, eamque ſanctam, & cultus ſacri partem fuiſſe, patet.

Illius abrogatio. XVII. Atque hinc ultro diei *illius abrogatio* conſequitur. Cum 1. typis omnibus per Chriſtum expletis ac expunctis, nulla nunc quies hoc modo ſacra ſit, nec in eo cultus Dei conſiſtere poſſit. Adeoque nullum propriè dictum Sabbatum nunc dari queat; cum illud revera nihil aliud ſit quam myſtica quædam quies. *Ne quis igitur vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte feſti, aut novilunii, aut ſabbatorum: quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem* eſt *Chriſti*. Col. 2:16, 17. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos. Metuo vobis, ne qua fruſtra laboraverim in vobis*. Gal. 4:10, 11. Accedit 2. quod Sabbatum non ſolum ut typus ceſſare debuit; ſed etiam ut onus (cum operum noſtrorum impuritatem carperet, ac nondum plenè expiata ea teſtaretur) amovendum fuerit. 3. præſertim cum uni tantum populo olim datum fuerit, *per generationes ipſorum*, Exod. 31:13, 14. Quo verbo duratio Iſraëlis in iſta politia, antequam gentes ad Eccleſiam adductæ forent, denotatur. 4. Nec novæ Eccleſiæ de ea verbum ullum factum ſit; quippe cui non alia lex, quam fidei & charitatis tradita eſt. Ad quam Sabbatum non pertinet. 5. Sicut & reipſa, poſt adventum Chriſti, Sabbatum deletum ac obliteratum; & primus ſeptimanæ dies, tanquam novi temporis exordium, ad publicum cultum aſſumtus eſt. Cum ergo nec de die, nec de quietis rigore jam quicquam reliquum ſit, certè Sabbatum ipſum abrogatum eſſe, nimis quam manifeſtum eſt.

Nec ejus in locum ſucceſſit dies Dominica. XVIII. Non enim diei illius ſanctitas in *Dominicum diem* tranſlata eſt. Nam, præterquam quod nullâ divina auctoritate id factum oſtendi poteſt; & ſolo primævæ Eccleſiæ judicio ac exemplo ad celebrandam reſurrectionis Chriſti memoriam hic dies inubicum acceptus ſit: ille nulla ſui parte Sabbatum refert. Cum nec ſanctior ſit hic dies reliquis die-

Digitized by Google

diebus; nec quies ejus peculiariter ſancta habeatur; aut in ſeſe cultus Dei, vel cultus ejus pars ſit; nec denique opus facere per ſeſe cum eo vetitum, aut tanto rigore prohibitum ſit, modo divino cultui impedimentum non fiat. Quæ omnia tamen in Sabbato locum habebant, atque illud proprie conſtituebant: nunc autem aliter ſe habere omnibus conſtat.

NEOMENIARUM *inſtitutio & obſervatio.*

XIX. Sabbati cultum ſequuntur *Neomeniæ*, quarum mentio fit Num. 10: 10. & 28: 11. Ezech. 46: 1, 3. 2. Chron. 2: 4. Quas veteres Judæi à Lunæ phaſi ac prima ejus apparitione, cui obſervandæ certi quidam Sacerdotes præfecti erant; hodierni autem ab ejus conjunctione cum Sole computant. Unde olim cum incerti forent, unde novæ lunæ exordium ſumendum eſſet, biduo illa celebrare ſolebant, ob *dubium de luminaribus*, ut loquuntur Judæi. Quod & 1. Sam. 20: 24, 27. factum videtur.

Celebratio.

XX. Non erat vero dies ille proprie feſtus ac ſacer, aut tam rigidâ quiete celebrandus; ſed cultus ejus in peculiari ſacrificio potiſſimum conſiſtebat, Num 28: 11. ac porro conviviis ac epulis tranſigebatur, 1. Sam. 20: 5. Quanquam & ad Prophetas conſulendos pii tum convenire ſolebant, 2. Reg. 4: 23.

Earum ratio & myſterium.

XXI. Inſtituta ſunt novilunia, tum in creatæ lucis memoriam, utque populus à Gentium ſuperſtitione & Planetarum cultu avocaretur; tum expiandis noxis præteritis, quò ſacrificium illius diei ſpectabat; tum denique adumbrandæ innovationi omnium rerum, & novæ luci, quæ mundo ac Eccleſiæ per Meſſiam olim oritura erat. *Ne quis vos judicet in parte feſti aut novilunii. Quæ ſunt umbra futurorum; corpus autem eſt Chriſti.* Col. 2: 16, 17. *Si quis eſt in Chriſto, nova creatura eſt. Vetera præterierunt; ecce nova facta ſunt omnia.* 2. Cor. 5: 17. *Et fiet ex quo novilunium erit, in novilunio ſuo--veniet omnis caro ad adorandum coram me, dicit Jehova*, Eſai. 66: 23.

CAPUT XVIII.

De tribus Feſtis anniverſariis.

I. FEſta ſingulis annis recurrentia erant. 1. Feſtum Azymorum. 2. Pentecoſtes. 3. tabernaculorum. 4. tubarum. 5. dies expiationis magnæ. Inter quæ tria priora eminebant, ac per ἐξοχὴν anniverſaria appellantur.

II. Ac celebratio eorum in eo conſiſtebat, quod Iſraëlitis omnibus,

maribus ab anno ætatis viceſimo ad quinquageſimum , Hieroſolymis coram Domino comparendum , & feſtum ſumma cum lætitia agitandum foret, Exod. 23: 17. Deut. 16: 14. Qui ſollemnis univerſæ gentis ad unum templum conventus apprimè ad unitatem cultus conſervandam faciebat; ac ſacrorum majeſtatem valde adaugebant , quorum faciem longè auguſtiſſimam in tam celebri populi panegyri præferebant ; denique fidelium omnium ex univerſo mundi ſub Chriſto conjunctionem de longinquo adumbrabant.

FESTUM AZYMORUM. III. Feſtum *Azymorum*, quod una cum Paſchate incipiebat, per totam Judæam, Paſcha autem tantum Hieroſolymis celebratum fuit: ac, præter agnum Paſchalem; tum in peculiaris ſacrificii, tum in manipuli frugum oblatione conſtitit; qui decimo ſexto menſis, qui dies ſeptimanæ primus erat, in typum reſurrectionis Chriſti, offerri debebat; qui tanquam primitiæ noſtræ hoc ipſo die è mortuis reſurrexit, factus ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, 1. Cor. 15:20. vide Lev. 23: 6, 7, 8. Num. 28: 19. Lev. 23: 10, 11.

PENTECOSTE. IV. Alterum feſtum erat *Pentecoſte*, quod *feſtum ſeptimarum* Scriptura appellat, Exod. 34: 22. quia ſeptem ſeptimanæ à Paſchate numerandæ erant. *Pentecoſte* autem Græci vocant, quod quinquageſimus à Paſchate dies foret; qui ab altera Paſchatis die, ceu 16 menſis Niſan, computandus erat, Lev. 23: 15, 16. Act. 2: 1. 20: 16.

Ejus celebratio, V. *Celebrationem* hujus feſti quod attinet, unico die illa abſolvebatur, qui ſacer & ſancta quiete celebrandus erat. Num. 28:26. Lev. 23: 21. Conſiſtebat ea in duobus, 1. in peculiarium ſacrificiorum oblatione, Lev. 23: 18, 19. 2. in oblatione duorum panum, qui peractæ meſſis primitiæ erant, Lev. 23: 17.

ratio & myſterium. VI. *Cauſas* ejus Judæi non niſi frivolas dant, in numero quinquagenario multum nugantes. Veræ autem conſiſtunt, *tum* in præteritorum beneficiorum grata commemoratione; videl. *data Legis*, quod hoc die contigit, quodque ſummum gentis illius præ aliis omnibus nationibus decus erat: *ingreſſus in terram Canaan*, quam promiſſam ſibi à Deo hæreditatem hoc tempore libare primum cœperunt, Joſ. 3: 15. & *peractæ meſſis*, novarumque frugum, quarum primitias hoc tempore offerebant: *tum* præſertim in futurorum ac meliorum bonorum ſub Chriſto figuratione ac obſignatione: non enim ſine myſterio eſt, quod eodem die, quo Veteris T. ad montem Sinai initium factum eſt, deinceps Novum quoque Teſt. inauguraretur, & Spir. S. donaretur. Et novæ meſſis primitiæ, ac novum munus, quod tum offerebatur, quid, niſi Apo-

Digitized by Google

Apoſtolorum initiationem,& novæ Eccleſiæ primitias,per Petri concionem, quem Tertullianus primum clavem imbuiſſe dicit, adductas, Deoque oblatas, ſignificat?

VII. Sequitur feſtum *Scenopegias*, cujus ſimiliter tempus, celebratio, & cauſæ conſiderandæ ſunt. FESTUM TABERNACULORUM.

VIII. *Tempus* ejus incidebat in 15 diem menſis Tiſri, qui primus erat anni civilis, durabatque ſeptem dies, quibus in tabernaculis commorabantur. Octavus autem, quo tabernaculis exibant, ut & primus illius feſti, peculiari religione ſacer erat, & publicâ panegyri celebrabatur ac ſimul frugum ſerotinarum primitiæ offerebantur, & Deo gratiæ pro univerſa meſſe offerebantur. Exod. 23:16. Lev. 23:34-36. Num. 29:12. Deut. 16. 13-15. *Ejus tempus.*

IX. Agitabatur hoc feſtum in tuguriolis & umbraculis, à quibus feſto nomen, ex frondibus, in ædium fere tectis extructis; quæ non in faſtigium ſurgentia, ſed plana & cubantia erant. Deligebanturque in hunc uſum arbores frondoſæ & comatæ, ac vivacioris ſucci, quæ virorem ſuum per dies aliquot conſervare poſſent, Lev. 23:40. Neh. 8:16. Singuliſque diebus ſacrificia quædam peragebantur, Num. 29:13-34. univerſuſque populus in cœtus ac conciones prodibat, ramos palmarum præferentes, ac feſtum in modum agitantes, & ſacrum carmen, Hoſanna dictum, inclamantes. Quo reſpici videtur Matth. 21:9. *Turba, quæ præibat, & quæ ſequebatur, clamabat, dicens, Hoſanna Filio David.* Quod cum ſollemnius & crebrius facerent die octavo, ſeu ultimo, ille *Hoſanna Rabba* appellabatur. Eodemque die aqua è fonte *Siloa* hauriebatur. *Celebratio.*

X. Tandemque huic feſtivitati dies nonus ſuperaddebatur, quo feſtum *lætitiæ Legis* agebant; cujus lectionem illo die abſolvebant, rurſuſque inchoabant.

XI. *Cauſa* hujus feſti, ut in reliquis, duplex erat; veterum beneficiorum commemoratio, & futurorum adumbratio. Ita enim Iſraëlitæ errorum ſuorum in deſerto, totque annorum in tentoriis actorum, recordabantur, Lev. 23:43. Deoque pro illis finitis gratias agebant. Ita etiam publicas Deo agebant gratias ob collectas atque reconditas omne genus fruges. Atque altius quoque ſpectare docebantur. Cum enim integram hebdomadem in tuguriolis iſtis habitarent, ſeſe advenas in terra eſſe confitebantur, nec ſedes manſuras in ea habere; quod toto incolatus ſui tempore identidē fateri, ac ad meliores ſedes interim ſuſpirare, jubebantur. *Scimus nos, ſi terreſtris hujus domus noſtra tabernaculum* *Ratio & myſterium.*

ſolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros &c. 2. Cor. 5: 1. *Quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ἐν τέτῳ τῷ σκηνώματι juſtum duco, expergeſacere vos* &c 2. Pet. 1: 13. Cumque Zacharias cap. 14: 16. feſtum hoc ſub N. T. extremis ejus temporibus, ubi Eccleſia tabernaculis illis exire, ac ſæculo valedicere, Chriſtoque occurrere geſtiet, celebrandum dicat; ad Chriſtum illud quoque ſpectat. Et per ramos illos ac frondes Eccleſiæ fœcunditas, Joh. 15: 1, 2. Pſal. 92: 13, 14. & per aquarum libationem Spiritus Sancti copia, Chriſto ipſo interprete Joh. 7: 37. adumbrabatur.

XII. Inter duo illa poſteriora feſta duo alia intercurrunt eodem menſe Tiſri; nempe *Feſtum Tubarum*, & dies *Expiationis magnæ*.

FESTUM TUBARUM.

XIII. *Tubarum feſtum* agebatur ipſis novi anni calendis, ſeu initio menſis Tiſri; quo tempore Judæi mundum creatum ſtatuunt. Lev. 23: 24. Num. 29: 1. Eratque Neomenia illa celebrior quam reliquæ; & tum ſacro κηρύγματι ac quiete, Lev. 23: 24. tum frequentoribus ſacrificiis, Num. 29: 1, 6. tum denique tubarum clangore, à mane ad veſperam, *celebrabatur*.

Ejus ratio & myſterium.

XIV. *Cauſa* illius erant, mundi, hoc anni tempore, uti fere credebant, creati, memoriam renovare; ac novum annum ritè auſpicari; annum denique gratiæ, qui in fine dierum extiturus erat, iſto tubæ ſono ac clangore promulgare; *annum* videl. illum *acceptationis Jehovæ*, Eſai. 61: 2. quem Chriſtus olim prædicaturus ac late annunciaturus erat. *Clangite in novilunio buccina, in interlunio, die feſti noſtri*, Pſal. 81: 4.

DIES EXPIATIONIS *magnæ*.

XV. Dies decimus ejuſdem menſis erat dies expiationis *magnæ*, *Kippurim* dictus; qui inter Judæos longè ſacratiſſimus erat, ac ſacro clangore, quiete, peculiari ſacrificio, jejunio denique celebrabatur. Lev. 23: 27, 28. Num. 29: 7, 8, 9. Cujus ſacri tum *hiſtoriam*, tum *myſterium* paulò propius conſiderare operæ pretium eſt.

Ejus celebratio; ratione Pontificis (cujus hic præparatio.

XVI. Ac *Pontificis* quidem hoc die nobile imprimis ac primarium munus erat: cum ille fere ſolus hoc tempore ſacris operaretur; omniaque tum majora, tum minora ſacrificia perageret.

XVII. Ac primo quidem *præparatio* ejus varia erat: 1. ſeptem enim continuis diebus à domo ac uxore ſua ſeparatus, ne alicunde pollueretur, in templo perpetuo degebat. 2. & quotidie ſacra obibat, ut ipſo expiationis die promptior ad ea foret. 3. Ac, ſi quid in ſacrificiorum ordine ignoraret, à quibuſdam magni conſeſſus Senatoribus erudiebatur. 4. Deducebatur etiam in conclave Aphtines, ceu odoramentorum, ut ſuffitus faciendi rationem ediſceret. quod difficillimum habebatur. 5. Inde ad juramentum adigebatur, ne quid in eo immutaret, ubi

Digitized by Google

ubi ſolus in adyto verſaretur. 6. veſpera feſtum antecedente parco utebatur cibo, ne de nocte inquinaretur. 7. noctemque eam fere inſomnem ducebat; & legebatur aliquid coram ipſo, vel muſico concentu oblectabatur. 8. Si verò pollui ipſum nihilominus contingeret, Segen, ſeu Pontificis vicarius in locum ejus ſurrogabatur. His peractis, albeſcente aurora 9. ad domum lotionis ducebatur, juxta legem Exod. 30: 20. Quinquies autem eo die totum corpus, & decies manus pedeſque lavabat; cum toties miniſterium mutare deberet. 10. Lotus induebatur veſtibus aureis, mactabatque ſacrificium juge, & ſuffitum ordinarium faciebat. 11. Dein rurſus lavabatur, & veſtimenta alba ſumebat, accingens jam ſeſe ad ſacra hujus diei obeunda; quorum hi præcipui erant actus.

XVIII. 1. Juvencum pro ſe & domo ſua, offerebat, & confitebatur. Lev. 16:3. Hebr. 7:27. 2. Tum duo hirci adducebantur; quorum unus immolandus, alter in deſertum ablegandus erat. Qui ſortibus diſcernebantur; atque ad hirci emiſſarii caput vitta coccinea alligabatur. 3. Quo facto redibat Pontifex ad juvencum ſuum; & rurſus confitebatur, non pro ſeſe & domo ſua tantum, ſed pro univerſis filiis Aaron, Lev. 16: 5-11. 4. Poſt hæc thuribulum, quod illo die aureum erat, Hebr. 9: 4. prunis ex altari implebat, atque ex alio thuribulo ſuffimenta capiebat, & ad Sanctum Sanctorum contendebat. 5. Quod cum intraſſet, thuribulum deponebat, injectiſque odoribus fumi nubem excitabat, quæ locum impleret & adſpectum prohiberet. Quo facto mox exibat. Lev. 16: 13. 6. Mactabatur porro juvencus. Cujus ſanguinem in adytum inferebat, & coram Arca ſurſum deorſumque aliquot vicibus ſpargebat, ut ſanctuarium mundaretur ab immunditiis filiorum Iſraël, Lev. 16: 14, 16. Mactabatur deinde hircus; ſimiliterque ſanguis in adytum inferebatur, eodemque modo libabatur. Lev. 16: 15. 7. Præterea ad velum, quod coram Arca erat, exteriori parte, eodem modo libationes fiebant, ſanguiſque ſpargebatur, ac tabernaculum conventûs expiabatur. Lev. 16: 16. 8. Similique rore altare aureum, ſeu ſuffimentorum, luſtrabatur. Lev. 16: 18, 19.

(& actus ſollemnes)

XIX. 9. Hinc ibatur ad hircum emiſſarium, cui Pontifex manus ſuas, &, ſollemni confeſſione edita, univerſi populi peccata imponebat. 10. Quibus ille onuſtus à viro opportuno in deſertum educebatur, compellente undiquaque populo. 11. Ferunt autem inter Hieroſolymam, locumque quo educendus erat, idoneis intervallis ſtationes ac tentoria diſpoſita fuiſſe: proceresque Hieroſolymitanos cum ad primum

mum lapidem deduxiſſe: aliam pompam ulterius iviſſe: ab ultimo autem tabernaculo ad locum deſtinatum à duce ſuo ſolo perductum. 12. Quo cum perveniſſet, ex rupe præcipitatum; albeſcente interea, ut ipſi quidem narrant, filo coccino; quod fauſtum peractæ expiationis ſignum erat. Unde illud cornuum cantu aliiſve ſignis ingenti populi lætitia ſignificabatur.

XX. 13. Dum hæc in deſerto fierent, Pontifex adipem juvenci ac hirci adolebat, & ſectiones quaſdam legis recitabat. 14. Exuebat deinde veſtes albas, atque aureas ſumebat, & arietes agnoſque ex præſcripto offerebat, Lev. 16: 3. & Num. 29: 8. 15. Deinde rurſus lavabat, veſteſque mutabat; & adytum ultimo ingrediebatur, thuribulum aureum inde accepturus. 16. Quo peracto, ablutus iterum, aureâ veſte reſumta, ſacrum veſpertinum abſolvebat. 17. Atque inde ordinario cultu indutus, feſto populi comitatu, domum deducebatur, ac cum amicis convivium inibat, multum gratulantibus, quod ſalvus ſoſpeſque ex adyto rediiſſet.

Cr populi. XXI. Populus interea diem hunc 1. animæ afflictione ſeu jejunio 2. ac ſancta quiete, celebrabat. Duo enim divina lex ad expiationem impoſuerat, ſacrificiorum oblationem, ac animæ afflictionem, ſeu pœnitentiam veram. Lev. 16: 29, 30, 31. 23: 29-32. Quæ hodie Judæi frivolis quibuſdam, & ſuperſtitionum nugamentis imitantur.

Illius myſterium. XXII. Præcipuè autem diei illius *myſterium*, ac tam operoſi cultus rationem & ſpiritualem ſignificationem, revolvere debebant. Quæ in ſacrificio hoc eo magis conſpicua erant, quo illuſtrius hoc ſacrum foret, ac anniverſario ritu univerſæ gentis expiationem perageret. Et manifeſta ejus erat ratio; cum nihil niſi paſſionis, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis, ac denique interceſſionis Chriſti foret compendium. 1. *Juvencus* enim & *Hircus*, quibus peccata populi imponebantur, alter laboris & patientiæ, alter petulantiæ ſymbolum, Chriſtum pro ſalute noſtra laborantem, noſtraſque petulantias luentem, Rom. 8: 3. oſtendebant. 2. *Sanguis* eorum *in adytum illatus*, & coram arca adſperſus, tum & *odorum copia*, ſacerque ſuffitus; eundem cum proprio ſanguine, qui eſt *ſanguis adſperſionis*, Hebr. 12: 24. in cœlum ingredientem, ibique ſanguinem illum veluti libantem: *Stat enim in medio throni Agnus veluti mactatus*, Apoc. 5: 6. ac vi meritorum ſuorum pro nobis intercedentem, Apoc. 8: 3, 4. ſignificabant. 3. Quo ſanguine, uti vetus olim ſanctuarium, ita nunc cœlum ipſum luſtratum eſt. 4. Cum autem *ſemel* tantum in anno Pontifex eo intraret, viam ad ſanctuarium, tum quidem non-dum

Digitized by Google

dum apertam ac publicam factam teſtabatur, Hebr. 6:7,8. 5. *Veſtis* autem ſacra, tam ſæpe ſumta, tam ſæpe poſita, & crebræ *lotionis*, ſacerdotis noſtri plenam juſtitiam & ſanctitatem adumbrabant. 6. Utque populus, Pontifice in adyto commorante, magna in expectatione erat, ac in precibus perſeverabat; interimque ſacrificia omnia ceſſabant; aptiſſima illa Chriſtianæ Eccleſiæ, officiorumque ejus, dum Chriſtus nunc in cœlis degit, imago eſt. 7. Nec prætereundum, victimarum illarum carnes, quarum ſanguis in adyto oblatus erat, extra caſtra crematas eſſe, Lev. 16:27. quod, juxta Apoſtolum Hebr. 13:12. Chriſtum extra urbem paſſurum docebat. 8. Nec hircus Azaſel ſive emiſſarius myſterio carebat: cum ille vel ipſum Chriſtum, qui verè tanquam hircus ἀποπομπαῖος, ſeu ἀποτρόπαιος h. e. mali depulſor, peccata noſtra abſtulit; vel, ſecundùm alios, populum Judæorum, juxta legem purum, ſed petulantem & immorigerum, ac Sammaëli ſive angelo mortis pro prædâ ac portione datum; quod de hirco hoc narrant Judæi, denotaverit. 9. Denique rigida ejus diei quies, afflictio animæ, jejunium &c. fideles, qui expiationis Chriſti participes eſſe volunt, concupiſcentiis imperare, terrena negligere, & animæ ſuæ, h. e. vitæ non magnam rationem habere, docet. 10. In tanta autem umbrarum ſimilitudine magna nihilominus imperfectio hujus cultus elucebat: in Chriſti autem unico ſacrificio plena & vera fuit xepiatio electorum omnium, ſine ullo loci, temporis, aut perſonarum exceptione ac diſcrimine. *Hic eſt ſanguis meus Teſt. Novi, qui pro multis effunditur in peccatorum remiſſionem*, Matth. 26:28. *Quem Deus propoſuit propitiatorium, per fidem, in ſanguine ejus* &c. Rom. 3:25. Cont. Rom. 10:8.

CAPUT XIX.

De reliquis Feſtis.

I. SEquuntur Feſta, certis annorum intervallis recurrentia, quæ erant, *annus Sabbaticus*, & *Jubilæus*.

II. *Annus Sabbaticus* recurrebat ſingulis ſeptenniis, inchoabaturque primo die menſis ſeptimi. ANNUS SABBATICUS.

III. Atque hæc ejus ratio erat: 1. quod eo anno terram colere non liceret. Vivebant enim tum Judæi ex peculiari benedictione Dei, qui ſexti anni annonam immenſum ſeſe aucturum promiſerat, Lev. 25:20, 21. quæ autem ſponte eo anno proveniebant, publici ac communis uſus *quomodo obſervatus?*

ſus erant. Exod. 23: 10, 11. Lev. 25: 2, 3, 4. 2. quod debita à fratribus egenis exigere nefas foret. Deut. 15: 2, 3. 3. quodque ſervi, qui ex Hebræorum gente erant, manumittendi eſſent. Exod. 21: 2. Deut. 15: 12. Jer. 34: 14. Alienigenis non idem juris. Lev. 25: 44-46. Incidebat etiam in hunc annum ſeptennalis illa legis prælectio Deut. 31: 10, 11.

Ejus ratio & myſterium. IV. *Cauſa* ac *uſus* ejus feſti erant, cum *morales*, tum *myſtici*. 1. Revocabantur enim Judæi ab avaritia, & nimia rerum terrenarum cura. Ac æquos & mites erga fratres, qui pauperiores erant, exhibere ſeſe jubebantur: quibus non una ratione conſulebatur. Tandemque, lege agraria, terræ fœcunditati cavebatur, ne continuo cultu ab avido colono exhauriretur, uberque ejus exareſceret. 2. Depingebat ſtatum hominis ante lapſum, poſtquam Deus à creatione conquieverat, cum omnis ferret omnia tellus, ac ſine difficili labore alimenta ac fruges mortalibus ſuppeditaret. Præterea publicam illam ac plenam, ſub Meſſia remiſſionem, ac beatum gratiæ annum, figurabat. Eſai, 61: 1. Denique æternum vitæ futuræ Sabbatum, ubi nulla exactio, nullus labor, nulla ſervitus locum habebunt, adumbrabat. Apoc. 14: 13.

JUBILÆUS. V. Anno autem quinquageſimo redibat *Jubilæus*: cujus tum inſtitutio, tum myſterium conſiderandum eſt.

Ejus denominatio & tempus. VI. Agitur de eo Lev. 25: 8. & ſeqq. 27: 23, 24. & Num. 36. ubi appellatur *Jobel*, ſeu à cornu arietino, ſeu à ſuaviſſimo concentu, quo promulgabatur: inchoabaturque die 10 menſis Tiſri, ubi Pontifex Sanctum Sanctorum ingrediebatur, Lev. 25: 9. & 16: 29, 30. Atque ita ordinabatur, ut immediate ad annum ſepties ſeptenum ſeu Sabbaticum ſemper ſequeretur. Alius enim erat annus *Semitah*, qui erat annus quadrageſimus nonus; alius annus *Jubilæus*, qui erat quinquageſimus. vide Lev. 25: 8, 10, 11.

Obſervatio. VII. *Obſervatio* ejus in hiſce conſiſtebat: 1. interquieſcebat agrorum cultus, ut anno ſeptimo. Lev. 25: 11. 2 agri fundique ad veteres dominos redibant. Lev. 25: 10, 23, 24. Domus autem in urbe exſtructæ intra annum redimi debebant; alioquin emtoribus in perpetuum cedebant, exceptis Levitarum ædibus. Lev. 25: 29. 3. Servi omnes, qui Hebræi erant, ſive vellent, ſive nollent, libertati reſtituebantur. Jer. 34: 16, 17. Debitorum autem remiſſio hoc anno non videtur obtinuiſſe, cum annus 49 annus remiſſionis fuiſſet. Differebat verò annus Jubilæus ab anno demiſſionis, quod jubilæo poſtliminii veluti jure poſſeſſionum daretur reſtitutio, quo carebat annus demiſſionis: quodque ſervi planè ac neceſſario in libertatem vindicaretur, cum anno ſeptimo ſol-

Digitized by Google

ſolum, ſi vellent, dimitterentur. Exod. 21: 4. Unde merito maximè lætus hic annus Iſraëlitis affulſit.

VIII. *Uſus* ejus, qualis & in aliis feſtis, pertinebat, partim ad *mores*, partim ad *myſterium*. Prius quod attinet: 1. oſtendebat Deus, ſe unum terræ iſtius dominum, Iſraëlitas colonos tantum eſſe, qui nihil ſine nutu ac voluntate ejus poſſiderent. Unde anno jubilæo agri fundique omnes de integro ad ipſum revolvebantur, iiſque, quibus in prima partitione ab ipſo aſſignati erant, rurſus cedebant. *Terra ne venditor lege mancipii, mea enim eſt illa terra. Nam peregrini & inquilini vos eſtis apud me.* Lev. 25: 23. 2. Cavebatur etiam familiarum honori ac conſervationi, præſertim cum illæ, ad Meſſiæ tempora, diſcretæ ac inconfuſæ manere deberent; & pauperioribus, ne ad extremam egeſtatem delaberentur, non ſolum ſeptimo quoque anno novis tabulis conſulebatur; ſed quinquageſimo anno plenum jus reſtitutionis in integrum erat. 3. Ac, æqualitate quoad fieri poterat ſervata, divitum avaritiæ frenum imponebatur, ne nimium inſurgerent, ac fratribus ſuis graves eſſent. *Væ vobis continuantibus domum cum domo, & qui agrum ad agrum approximant, eo uſque ut non ſit locus, & efficitis ut ſoli habitetis in terrâ.* Eſai. 5: 8. 4. Servisque ad libertatem aditus dabatur; ac, ſi frugi eſſent, honeſta ratio ſeſe ipſos ſuſtentandi monſtrabatur. 5. Denique uſum politicum ac Eccleſiaſticum ad tempora ordinanda, Jubilæorum cyclus habebat. *Uſus.*

IX. Sed potior erat uſus *myſticus*; cum annum illum gratiæ & libertatis, quem Chriſtus annunciaturus foret, figuraret; qui prædicato Euangelio ceptus, in futura tandem vita pleniſſimè conſummabitur. Qui eſt *annus* ille *acceptationis Jehovæ* שנת רצון Eſai. 61: 2. coll. Luc. 4: 17, 19. καιρὸς εὐπρόσδεκτος, & ἡμέρα σωτηρίας, 2. Cor. 6: 2. Conf. Rom. 10: 18. Zach. 9: 14. qui omnes priſci jubilæi figuras, omneſque ejus numeros ac modós explet. Ut enim ille, ſervis libertatem; pauperioribus avitas poſſeſſiones; cunctiſque immenſum gaudium dabat: terrâ ipſa feriari & quieſcere juſſâ, ne quidquam religioſæ lætitiæ obſtaret: ita Euangelicus Jubilæus, poſt Chriſti in cœlo apparitionem, ceptus, plenam & veram peccatorum remiſſionem, *condonatis omnibus lapſibus*. Col. 2: 13-15. Rom. 8: 1. plenam & veram libertatem, Joh. 8: 32, 36. ſummumque gaudium, Phil. 4: 4. Rom. 14: 17. affert: noſque, cœlo olim exules, in avitam hæreditatem reducit: ac terrena interim omnia minora ducere, nec iis nimium immergi, Matth. 6: 33. ac, *Myſterium*

appropinquante jam jubilæo noſtro, non nimis magnum iis pretium ſtatuere jubet. Quo pertinent verba Apoſtoli 1. Cor. 7: 29-31. *Quoniam oportunum tempus eſt anguſtum in poſterum: qui uxores habent, ſint ut non habentes; & qui flent, ut non flentes. Præterit enim τὸ σχῆμα bujus mundi.* Erit autem Jubilæi noſtri conſummatio in cœlis, cum ſono tubæ ultimæ; qui perfectam Eccleſiæ libertatem, quietem, & gaudium feret: ad quem ſtatum fideles omnes ferventi corde anhelant. *Ipſe Dominus cum celeuſmate, cum voce Archangeli, & cum Dei tuba deſcendet de cœlo.* 1. Theſſ. 4: 16. Conf. Matth. 24: 31. 1. Cor. 15: 52. *Ob ſpem, quod & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei,* Rom. 8: 20, 21. Matth. 25: 21. *Lætitia ſæculi fiet ipſis.* Eſai. 61: 7.

Jubilæus Pontificius. X. Jubilæum autem Judaicum in Eccleſiam invexit Bonifacius Octavus, A. C. 1300. Quem ad minora ſpatia contraxit ſequentium Pontificum avaritia, & nunc vigeſimo quinto anno celebrant; indultâ iis, qui anno iſto Romam adeunt, & Sanctorum limina venerantur, pleniſſima peccatorum remiſſione. Conceſſis etiam, ne ſuperſtitio interim relangueſceret, aliis quibuſdam locis ac templis Jubilæis particularibus. Inſigni in populum Chriſtianum contumelia, ac ludibrio; dum, non ferenda impoſtura, peccatorum remiſſionem, ut certis quibuſdam perſonis, frivoliſque ritibus, ita certis locis ac temporibus alligant. Quaſi ea non publica ſit, omnibuſque verè in Chriſtum credentibus ex æquo ubique ac ſemper repræſentetur. *Quæ ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: ne dicas in corde tuo, quis aſcendet in cælum —— aut quis deſcendet in abyſſum? Prope te eſt verbum in ore & in corde tuo.* Rom. 10: 6, 7, 8.

Feſta Judæorum humana. XI. Præter feſta hæc divino juſſu inſtituta, acceſſere & alia nonnulla ab hominibus introducta. Qualia fuere *jejuniorum* quidam dies, in memoriam exilii Babylonici, Zach. 7: 3, 5. & 8: 19. Feſtum *Purim*, ſeu ſortium, de quo Eſth. 9. Templi *Encænia*, in memoriam repurgationis à Judâ Maccabæo peractæ, 1. Macc. 4: 59. Joh. 10: 22. Ut feſtum ξυλοφορίας, de quo ſupra, aliaque nonnulla, quæ Judæi hodie celebrant, omittam. Qui dies, cum diem feſtum ac ſacrum inſtituere, ac Eccleſiæ potiorum bonorum ſacramenta dare, ſolius Dei ſit; politici potius, quam ſacri habendi ſunt. Taliſque etiam eorum cultus fuit.

Feſtorum ſub N. T. ABROGATIO. XII. Unde feſtorum quoque ſub N. T. *abrogatio* patet. Cum enim dies feſti 1. vel peculiaria populi Judaici beneficia ſpectarent, Jer. 16: 14. eorumque in Cananæam introductione, ac quieta terræ illius poſſeſſione, abſolverentur: vel 2. potiorum ſub N. T. bonorum umbræ,

&

& Chriſti unius typi forent: ac 3. denique obſervatio eorum peculiaria quædam requireret, quæ in terra iſta præſtari tantum poterant: ſatis conſtat in Eccleſia Chriſtiana ſub N. T. illos locum habere non poſſe. Unde & Chriſtus, adimplendis ac conſummandis iis, in ipſo feſtorum omnium concurſu & *ἀκμῇ* mortuus eſt.

XIII. Nulla ergo ſub N. T. dantur feſta; imo, ſalvo eo, ne dari quidem poſſunt; nulli dies peculiari religione ſacri, quales olim ſub Vet. Teſt.; nulla temporum ſanctitas vel diſcrimen. Utcunque enim peculiaribus quibuſdam diebus præcipua Novi Teſt. beneficia celebremus, ac ordinarium noſtrum cultum die quo Chriſtus è morte reſurrexit frequentemus; hoc tamen abſque ulla diei iſtius aut temporis religione facimus. Nec enim dies diſtinguimus, nec unum præ alio æſtimamus, nec in feriando ſanctitatem collocamus, nec quietem aliquam myſticam introducimus; quæ temporum religionem abſolvunt: : ſed ad cultum publicum ex mandato Dei celebrandum, ut certo loco, ita & tempore, coimus, ac cum univerſa Eccleſia coram Deo lætamur; quod charitatis & religionis eſt.

XIV. Flagitia autem in Eccleſiam Chriſtianam commiſerunt Pontificii, cum univerſum Veteris Teſt. choragium Chriſtiano populo adaptarunt: &, ſicut perſonas, & actiones, & loca ſacra, ſub Nov. T. reduxerunt, ita idem de temporibus ſciverunt; totque dies feſtos, ob myſterium, ut ajunt, obſervandos, adeoque aliis diebus verè ſanctiores, & cultus divini partem, non in Dei ſolum, ſed, quod turpiſſimum, in ſanctorum quoque hominum honorem, introduxerunt. Qui gradus ultra Judaiſmum eſt, ac Ethnicorum idololatriam ſapit. *Male illa interpolata in Papiſmo.*

LOCUS VIGESIMUS QUINTUS

DE

Ceremoniis Judæorum privatis & omnium abrogatione.

CAPUT XX

De Judæorum Veſtitu.

Ceremoniæ Iudæorum privatæ.

I. POſt cerimonias publicas, ſequuntur privatæ. Ita enim gentem iſtam Deus inſtituerat, ut perpetuis repagulis eam cohiberet, & continuo veluti legis ſepto includeret; ut nihil publicæ privatæque rei niſi ipſo arbitro agere poſſet. Unde non foris ſolum & in publico cultu, ſed & domi privatimque multa obſervanda habebat.

Quotuplices?

II. Ac cerimoniæ quidem privatim ſervandæ, cunctiſque communes, 1. circa veſtes. 2. circa cibos. 3. circa purificationes quaſdam carnis verſabantur. Hebr. 9: 10.

Circa VESTITUM. *à quibus in eo cavendum eſſet?*

III. In *veſtitu* quædam *cavenda* erant; quædam *obſervanda*.

IV. Ad prius genus pertinet 1. quod lanæ linique fila vario textu miſcere ac inter ſe confundere vetarentur; ſimplici autem munditie contenti eſſe deberent. Lev. 19: 19. 2. quod marem fœminæ, ac mulierem virili cultu conſpici nefas eſſet. Quod ad pudorem & honeſtatem pertinebat. Deut. 22: 5. 3. quod idololatrarum in modum verticem attondere, aut genas turpare, *circumcidere pilos ad latus capitis, aut corrumpere latus barbæ* non liceret. Lev. 19: 27. 4. quodque ob luctus ſævitiem corpus incidere ac deformare, *cæſuram aut ſtigma inſculpere carni in mortui gratiam* prohibitum eſſet, Lev. 19: 28. Modeſte enim amicorum fato functorum, tanquam abſentium, deſiderium ferendum erat. 1. Theſſ. 4: 13. *Nolim vos in ignorantia verſari, fratres, quod ad eos attinet, qui obdormierunt, ut ne contriſtemini, ſicut & reliqui, qui ſpem non habent.*

Quid in iis obſervandum?

V. Ad ſecundum ſpectabant leges de veſtimentorem fimbriis, quas ציצית appellant; deque phylacteriis, /תפילים & /כוזות/טוטפות/ dictis.

VI. Ju-

VI. Jubebantur enim Judæi, lege Num. 15:38-40. Deut. 22:12. extremis veſtium oris filorum, coloris hiacinthini, ſilvam, ſeu peniculamenta quædam, qualia è tela dependere videmus, attexere; ut mnemoſyno iſto de præceptorum Dei obſervantia admonerentur. Qualia & Servatorem geſtaſſe videtur, ex Luc. 8:44. Cum vero Phariſæi ambitioſè nimis iſta venditarent, ac religionis ferè arcem in illa cultus divini lacinia ac particula conſtituerent, ſuperſtitio eorum non leviter tangitur Matth, 23:5. *Omnia opera ſua faciunt, ut ſpectentur ab hominibus : quippe dilatant phylacteria ſua, & producunt fimbrias palliorum ſuorum.*

VII. Hiſce filamentis addunt præterea capſulas quaſdam, ex corio confectas, legis quibuſdam particulis inſcriptas, quas precaturi fronti vel brachiis præcingunt, & תפלים appellant: ſimiliterque ædium ſuarum poſtibus adfigunt, magico propemodum ritu; tanquam precamina & amuleta, averruncandis malis ſpiritibus, unde מזוזות/ ab ædium poſtibus, & *phylacteriorum* appellatio. טוטפות enim originatio incerta eſt. *Fimbriæ.*

VIII. Omnem autem hunc ritum ex Deut. 6:4-9. *Etiam alligabis ea in ſignum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos. Denique inſcribes ea poſtibus domus tuæ, & portis tuis*, deducunt. Cum potius parœmialis ibi locutio ſit, & accurata legis obſervatio commendetur, qua eam veluti in oculis ac manibus geſtare, nec unquam obtutum vel greſſum ab ejus præſcripto dimovere jubentur. Unde, non frontalia conficere, circa quæ Judæi, relicto legis ſenſu, adeo inſaniunt, ſed præcepta Dei *in frontalia* & pro frontalibus habere, h. e. pro perpetuo *memoriali*, ut Exod. 13:9. explicatur, lex jubet. Nec de verbis & ſententiis quibusdam legis, quas ſuperſtitioſè excerpunt, ſed de univerſa lege, ejuſque obſervatione, ac rebus ipſis Deut. 6: 8. ſermo eſt. Similes loquendi modi occurrunt, Prov. 3.3. *Gratia & veritas ne derelinquat te, alliga eas cervici tuæ, inſcribe eas tabulis cordis tui*, coll. v. 6. & cap. 6:20. *Retine, fili, præceptum patris tui -- alliga ea cordi tuo jugiter, liga illa ad collum tuum; quum ambulas, ducet te; te decumbente, ſervabit* &c. Cant. 8: 6. *Pone me ut ſignum in cor tuum, ut ſignum in brachium tuum.* & Job. 31:35, 36. *An frontalia?*

CAPUT XXI.

De diſcrimine Ciborum.

Poſt veſtes ſequuntur CIBI.

I. NOn ſatis erat Deo veſtes earumque uſum diſcreviſſe, niſi poſt ornatum quaſi ſuperficiarium, rationem victus & ciborum, qui in ipſam hominis ſubſtantiam convertuntur, edoceret quoque. Ubi conſiderandæ veniunt. 1. *Leges cibariæ* V. Teſt. 2. *Earum cauſa*. 3. *Abrogatio*.

Ante lapſum etiam carnes conceſſa.

II. *Ante lapſum* fuit etiam lex quædam cibaria; interminatus enim erat homini uſus arboris ſcientiæ, Gen. 2:16, 17. de quo ſuperius. Præter hoc interdictum nihil illi tum præſtandum erat aliud, cum *cæteras* herbas homini conceſſiſſet Deus. Gen. 1:29. At vero quæri ſolet, an præter herbas *carnes* etiam conceſſæ fuerint? quod omnino patet ex univerſali *dominio*, conceſſo homini à Deo in omnes creaturas: *Et dominentur in piſces maris, & in alites cæli, & in pecudes, & in totam terram, & in omne quod ſe movet ſuper terram.* Gen. 1:26. Quod dominium in beſtias, ſine mactatione & uſu earum, inane fuiſſet. De l co Gen. 1:29, 30. vid. ſupra lib. 11. cap. 1. §. 20.

Vt & poſt lapſum.

III. Statum poſt *peccatum* quod attinet, uſum *carnium* viguiſſe, liquet 1. *Ex ſacrificiis antediluvianis*: ubi enim ſacrificia, ibi mos perpetuus ex iis comedendi. *Mactavit Jacob animalia, & invitavit cognatos ſuos ad comedendum cibum* &c. Gen. 31:54. *An neſcitis, eos qui ſacris operantur, ea quæ ex ſacrario ſunt, edere, & qui altari aſſident, cum altari participare?* 1. Cor. 9:15. conf. Num. 18:9. Exod. 29:28. Sacrificia vero oblata fuiſſe ſupra vidimus. 2. *Paſtoritiam artem exercebant*, Gen. 4:2. cujus nullus uſus non mactatis beſtiis. 3. Gen. 7:2, 3. mentio fit animalium *mundorum* & *immundorum*; quod diſcrimen evidenter ponit carnium uſum.

Sanguinis uſus.

IV. Tantum de carnibus. At gravior eſt quæſtio de *ſanguine*; num illius uſus homini etiam conceſſus fuerit, tum *ante lapſum*, tum *poſt eum*, & quidem tam *ante diluvium*, quam *poſt illud?*

Ante lapſum licitus.

V. Quantum ad *ſtatum integritatis*: nulla ibi interdictio ſanguinis occurrit; nec illius abſtinentiam natura docet; & quæ deinceps acceſſerunt interdicta circa ſanguinem, typica fuerunt, qualia in ſtatu integritatis non obtinebant. *Statum peccati* quod attinet: *ante diluvium* non

magis

Digitized by Google

magis vetitus fuit uſus ſanguinis quam carnis; quem modo probavimus: tum vero vel ſufficit nullo præcepto prohiberi; quod aliter circa rem indifferentem ferri & oſtendi oporteret.

& poſt lapſum ante diluvium.

VI. *Poſt diluvium* occurrit lex ſanguinis uſum prohibens, Gen. 9:4. *Carnem cum anima ſua* (id eſt) *ſanguine ſuo, non comedetis.* Ubi ſanguinis uſus vetatur, ſimulque interdicti ratio redditur; quia ſcilicet ſanguis eſt loco *animæ*, id eſt, *vitæ*; ſicut & anima pro vita ponitur. Exod. 21: 23. *Sin autem noxa fuerit, tum reddes animam pro anima*, id eſt, vitam pro vita. Conſtat itaque præceptum hoc poſt diluvium latum eſſe: falluntur vero illi, qui morale illud & perpetuum faciunt; cum cerimoniale & typicum fuerit, adeoque temporarium, qualia plura præcepta tum maximè etiam obtinebant.

Poſt diluvium vetitus, Precepto cerimoniali.

VII. Sequitur tertia periodus legis ſanguinariæ; à Moſe uſque ad Chriſtum: ubi ſanguinis uſu iterato interdictum fuiſſe non diffitemur; conceptis enim verbis præceptum hoc in lege traditur: *Nullum adipem & nullum ſanguinem comeditote.* Lev. 3:17. conf. c. 7:26. *Nullum ſanguinem comedite in ullis habitationibus veſtris; ullius volucris aut ullius beſtiæ.* & clariſſime Lev. 17: 10-12. quia ſcilicet *anima cujuſque carnis eſt in ſanguine*, & ille altaribus ſacer eſt ad expiationem faciendam; eodem ſenſu, ut ad Gen. 9: 4. modo vidimus. Et quidem adipis eadem erat ratio quæ ſanguinis; hinc etiam in lege *adeps* omnis prohibitus. Lev. 3: 16, 17. & 7: 23-25. Ad hæc etiam pertinet præceptum de *ſanguine omni effuſo ex animali, pulvere operiendo.* Lev. 17: 13.

Sub lege item vetitus.

VIII. Præter ſanguinem, varia etiam *animalium* genera prohibita erant; de quibus vide Lev. 11. munda tantum videlicet erant, quæ *ungulam* habebant *fiſſam*, & quæ *ruminabant*. Fiſſura autem requirebatur *biſidata*. Cujuſmodi animalia, numeros ſuos implentia enumerantur Lev. 11:3. Deut. 14:4. In *piſcibus* duo munditiei ſigna obſervabantur, *pinnulæ* & *ſquammæ*, Lev. 11:9. Quicquid igitur horum alterutro, multo magis utroque careret, profanum erat & immundum. *Avium* nulla nota traditur, tantummodò recenſentur immundæ *viginti*, Lev. 11: 13. & Deut. 14: 11. &c. quæ ferme rapaces erant. Inter volucres reptiles permittebat Deus *locuſtas*, Lev. 11:21, 22. Adeo ut locuſtæ ibi edules eſſent. Vide & Matth. 3: 4. ubi narrat Euangeliſta, Johannis Baptiſtæ dapes fuiſſe *locuſtas*, & mel agreſte. Inter *quadrupedes* immundum erat, quicquid *incedebat ſuper marculos ſuos*. Lev. 11: 27. Inter *reptilia* etiam octo ſpecies enarrantur, com. 29, 30. Nihil vero immunditie

Vetita etiam animalia immunda. quæ Piſces. Aves. Quadrupedes.

præ cæteris ſus. ditie ad *ſuem* comparari poterat, qua fœdius magiſque abominabile animal Judæis non erat.

Rationes hujus inſtituti. IX. Jam vero II. *cauſas* diſcriminis hujus inter cibos perſequamur. Miſſis autem hic factis variorum opinionibus, nos rem ita cenſemus. 1. Deo quidem ſoli conſtare præcepti ſui rationes, nec illarum rerum ſigillatim cauſas poſſe reddi. 2. generatim tamen per hanc ciborum diſtinctionem, ſpiritualem peccati impuritatem ſignificaſſe Deum, quod omnem Dei creaturam nobis impuram reddit. *Omnia munda mundis; pollutis & incredulis autem nihil eſt mundum: ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia.* Tit. 1. 15. Cujus rei ſignum in abſtinentia paucarum creaturarum tantiſper dedit Deus, donec Meſſias omnia purificaret; ſicut in purorum eſu præfigurabat puritatem ſuo tempore impetrandam per ſacrificium Chriſti. 3. In immundis animalibus tanquam in imagine repræſentabatur rejectio gentilium, & ſimul monebantur Iſraëlitæ, vitandam eſſe communionem illorum hominum, qui ut impura animalia erant; uti patet Act. 10:10, 11. ubi notandum, in illo vaſe Petro oblato, nulla fuiſſe niſi immunda animalia. confer. com. 11, 12. &c. cum 34, 35. 4. Animalia munda adumbrabant ſpirituales Sanctorum virtutes, conſtantiam ſcilicet cum verbi meditatione conjunctam; quod illorum fiſſæ per medium ungulæ, & cibi ad rumen revocatio monebant.

Abrogatio hujus legis. X. III. Sequitur legis cibariæ *abrogatio* in N. Teſt. cujus 1. fundamentum jecit, legemque illam *derogando* quaſi antiquavit Chriſtus, divina dictione illa Matth. 15:11. *Quicquid in os ingreditur, hominem non polluit.* 2. *Abrogata* penitus & reapſe ſublata fuit ipſa morte Chriſti, qui poſt expiatam peccati impuritatem, rerum omnium uſum nobis vindicavit & poſtliminio reſtituit; ipſum enim fecerat Deus *poteſtatem habere in opera manuum ſuarum: omnia poſuerat ſub pedes ejus* Pſal. 8:7. conf. Rom. 8:20. &c. 3. *Abrogata* & obliterata denique fuit uſu, ex ipſo tempore aſcenſionis Chriſti, poſt confirmatum Euangelium, Act. 10:11. &c. quando jam aſſerto in gloriam capite, beneficia ejus pleno alveo in membra redundabant; quod diſtinctius videbimus.

Probata. XI. Generale 1. profert effatum Apoſtolus Rom. 14:14, 17. *Novi & perſuaſum habeo nihil eſſe pollutum per ſe. Non enim eſt regnum Dei eſca & potus.* 2. propius quiddam definit idem Apoſtolus, ex quo ſolo tota hæc res confici poteſt, 1. Cor. 10:25. *Comedite quicquid in macello venditur, nihil interrogando propter conſcientiam.* 3. At non ſolum conceſſa liber-

Digitized by Google

libertas, verum legis hujus noxa etiam oſtenditur, quando Col. 2: 16, 17, 20, 21. cibi inter *umbras* recenſentur. 4. Unde etiam Cretenſes Judaizantes damnantur hoc edicto: *Omnia munda ſunt mundis*, Tit. 1: 15. 5. Quin imo graviſſimè in ciborum abſtinentiam, tanquam *dæmoniorum doctrinas*, invehitur Paulus 1. Tim. 4: 1-4. adjecta ratione, quia *creavit eos Deus*, & *πᾶν κτίσμα θεοῦ καλὸν, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον ſit: ſanctificatur enim per verbum Dei & interceſſionem*. v. 5.

XII. Quid quod totum hoc negotium jam prædictum fuerit ſub Vet. Teſt. Zach. 14: 21. *Et erit omnis olla in Hieroſolyma & in Juda, Sanctum Jehovæ, Deo exercituum: & venient omnes ſacrificantes & capient ex illis & coquent in eis.* Ut læſæ libertatis Euangelicæ rei ſint, qui nunc impurum aliquid eſſe filiis Dei pronunciant; quales olim Tatiani, Manichæi &c. deinceps Monachi, ac cum maximè Papa.

Lex de ſanguine & ſuffocato.

XIII. At minuenda hic reſtat difficultas quædam circa legem de *ſanguine & ſuffocato*, quæ in N. Teſt ſtabilita & rata fuiſſe videtur Act. 15. ubi jubetur abſtinentia, 1. *Idolothytorum*, com. 20. & 29. id eſt, ciborum qui reliqui ex ſacrificiis idolorum, in convivio apponebantur, 1. Cor. 8:9, 10. 2. *Sanguinis & ſuffocati*; quorum duorum eadem eſt ratio. 3. *Fornicationis* ſeu *ſcortationis*; in qua multum laborant interpretes, quorum omiſſis diſputationibus, nobis vero non ſit diſſimilis eorum ſententia, qui, præter ordinariam, illam etiam intelligunt fornicationem, quæ pro re quoque indifferenti habebatur, tam à Judæis, quam à Gentibus: ſcilicet *πορνεία* quæ conſiſtebat in Polygamia & divortiis: quæ à Judæis permiſſa fuiſſe conficitur ex Matth. cap. 5. & 19. de Gentilibus res in liquido eſt. Ne igitur libertas anſam daret licentiæ vel ſcandalo, cavetur hic; vel eo ipſo, quod Polygamia & divortium pro *πορνείᾳ* & ſcortatione habeatur.

de Idolothytis. πορνείᾳ.

XIV. Inſolens autem & mirum prima fronte apparet, quî *πορνεία* accenſeatur rebus indifferentibus, atque ut pari modo neceſſariò conjungantur: at vero vox *ἐπάναγκες* com. 28. proprie non notat *neceſſarium*; adeo, ut quamvis una ex hiſce quatuor rebus ſimpliciter ſit neceſſaria, nempe ſcortatio; à potiori tamen numero reliquarum trium omnes dicantur propemodum neceſſariæ.

Qua legis hujus neceſſitas?

XV. In hac autem lege nihil neceſſarium eſt ex materia rei, aut per ſe; ſed ex fine, ſcilicet ſcandali vitandi cauſa, ne nimium offenderentur Judæi zelotæ, ſi viderent Gentiles credentes omnes plane ritus Moſaicos negligere; unde injuncta ab Apoſtolis abſtinentia illarum re-

rum, quas Judæi maximè horrebant; ut nihil inde intertrimenti acceperit libertas Chriſtiana, quamvis exercitium illius ad tempus per charitatem temperatum ſit, ne cederet in ſcandalum proximi. *Ne blaſphemetur bonum noſtrum, ne propter eſcam deſtrue opus Dei. Omnia quidem ſunt munda; ſed malum homini, qui per offendiculum manducat.* Rom. 14: 16, 20.

Per quantum temporis obligaverit? XVI. Hinc patet, quid reſponderi poſſit iis, qui definiri petunt illud tempus, per quod lex hæc obligaverit & obtinuerit; quibus quidem reponere poſſemus 1. quamdiu periculum ſcandali fuit à fratribus infirmis. Verum addemus illud etiam 2. quod propius eſt; diruto jam templo & confirmato ab omni parte Euangelio, ceſſavit illius neceſſitas: tum enim *fons apertus propoſitus fuit domui Davidis, & habitanti Hieroſolymam pro peccato & menſtruo.* Zach. 13: 1. 3. Quomodo particulatim deſierit, ex hiſtoriarum monumentis repetendum eſt; paulatim nempe hic tardius, citius ibi decoxit atque abolita eſt, pro eo quo erant homines ingenio, & majore aut minore intelligentia rerum ſacrarum præditi. Ex qua varietate factum eſt, ut variis etiam modis, conciliis Eccleſiaſticis pœniſque politicis fuerit quandoque renovata; ſicut etiamnum à pleriſque in Græcia, & pauciſſimis quibuſdam in occidente præpoſtere ex infelici κακοζηλίᾳ obſervatur.

CAPUT XXII.

De Munditie, Immunditie & Purificationibus Legalibus.

Sequitur MUNDITIES & IMMUNDITIES. I. PRæter amictus & edulia, ut vidimus, diligenter diſtincta, cautum etiam voluit Deus populo ſuo de munditie; ut ita omni ex parte eos ornaret ampliſſimè: quam ut pertractemus; 1. *diverſas immunditiei ſpecies.* 2. *purificationes illis oppoſitas* luſtrabimus.

qua varia. II. Erat autem omnis immundities pro vario hominis ſtatu quatuor generum; vel in ipſo ejus ortu, circa *generationem*: vel in naturali ejus conſtitutione circa *eſculenta*: vel affecta valetudine, circa *morbos*; vel in fine ejus, circa *mortem*.

III. Circa generationem immundus erat 1. *Gonorrhæus*, Lev. 15: 2.

2.

2. contaminabat omne ſperma, etiam conjugale. Lev. 15: 16. 3. mulier menſtruata, com. 19. 4. mulier fluxum patiens extra ſtatum tempus, com. 25. 5. puerpera, Lev. 12: 2. quæ impura erat diebus ſeptem, ut menſtruata; tum diebus 33 manebat in purgatione ſanguinis, ſi edidiſſet partum maſculum, v. 4. Si fœmellam, tempus hoc geminabatur, com. 5. unde & circumciſionis ad octavum diem extractæ ratio patet. Vide Lev. 12: 2. coll. cum 3. Qua generationis impuritate externa, peccati originalis turpitudinem internam generationi adhærentem expreſſit Deus.

1. circa generationem.

IV. Quoad *edulia*, non tantum eſui & eſculentis immunda erant animalia quædam, de quibus ſupra; ſed & ipſo contactu quibuſdam, licet non adeo certò, immunda alia videntur, ut ſus &c. præcipue vero contaminabant *mortua*; ut infra videbimus.

2. circa eſculenta.

V. *Morborum* præcipua impuritas in lepra, quaſi in ſummam ſubducitur; illa enim ſcabiei omne genus, aliaſque lues comprehendit. Lev. 13. atque ea vel *homines*, vel *veſtes*, vel *domos* denique inficiebat.

3. circa morbos potiſſimum in lepra.

VI. In *corporibus* indicium lepræ faciebat 1. pilus in loco plagæ mutatus in album, Lev. 13: 3. 2. Si viva caro tumori permiſta eſſet. com. 10. Ubi ergo color unus erat, ibi ſanitas; ubi coloris varietas, ibi lepra; peſſimæ tum notæ, quando foras non efflorеſcebat. com. 12. & 13. *Veſtium* lepra deſcribitur. Lev. 13: 47. *Domorum*, Lev. 14: 34. dignoſcebatur ea ex maculis variegati coloris, de quibus judicabat ſacerdos; fuit autem iſta terræ ſanctæ peculiaris. Quam omnem lepram gravis alicujus peccati, nominatim calumniæ, pœnam eſſe arbitrabantur Judæi: de qua ſententia ſic videtur habendum 1. Lepram *corporis*, licet aliquando propter peccatum quoddam grave infligeretur, ut in *Mirjam*. Num. 12: 10. & *Gechaſcho*, 2. Reg. 5: 27. apparet; non ſemper tamen peccati particularis pœnam fuiſſe. vide 2. Reg. 5. coll. Luc. 4: 27. *Multi leproſi erant in Iſraële ſub Eliſæo propheta, & nullus eorum purificatus eſt, ſed Naaman Syrus.* 2. Lepram *veſtium* & *domorum*, quæ minus vulgaris eſſet, ut illa corporum, ideo propter peccatum ſpecialius immiſſam videri.

VII. Judicium lepræ ſoli competebat Sacerdoti, ita, ut ne peritiſſimo quidem medico illud conceſſum eſſet. Lev. 13: 2. coll. Matth. 8: 4. ubi Chriſtus leproſo purgato mandat: *Abi, oſtende te Sacerdoti, & offer donum illud quod imperavit Moſes.* In quo pars haud minima ſubjectionis populi ſub Sacerdotibus in V. T. ſita erat. Atque ita leproſus à

De qua ſolus judicabat ſacerdos.

Leproſi ſigna. Sacerdote in publicum prodibat, certis notis diſtinctus & inſignis; 1. *laceratis veſtibus. 2. capite retecto. 3. ore obvoluto.* Lev. 13:45. Clamabat inſuper, *immundus, immundus.* Verum hæc ſigna ponebantur non niſi in leproſo per judicium illud Sacerdotis jam conclamato & inſanabili; gravi argumento, ubi tales Chriſto occurrebant, eos ab ipſo ſola vi divina ſanatos eſſe.

Lepra ſignificatio. VIII. Repræſentabatur illa lepra 1. imago naturalis noſtræ corruptionis, ad inſtar lepræ nobis adhærentis & fœdè deturpantis: uſque adeo ut *purum ex impuro ne unus* quidem *daturus ſit.* Job. 14: 4. 2. figura Servatoris noſtri, qui in ſimilitudine iſtiuſmodi ſtatus compariturus erat: *Spretus & deficiens virorum, vir dolorum, & notus infirmitate; & ut res tecta facie averſanda præ nobis.* Eſai. 53: 3. 3. effigies peccati, quod ſane ubi intus latet, & externa ſpecie ſanitatem mentitur, periculoſius multo magiſque formidabile eſt; quam ubi prorumpit & forinſecus conſpicitur. *Nulla enim pernicies vitæ major inveniri poteſt, quam cum in malitia ineſt ſimulatio.* Cic. 3. off. unde hypocritis, Sacerdotibus & Senioribus populi dixit Jeſus: *Amen dico vobis, publicani & meretrices præeunt vobis in regnum Dei.* Matth. 21:31. 4. Peculiaris etiam uſus ejus videtur in delineando populi Judaici ſtatu, qui, dum externam habebat puritatis ſpeciem, propter impuritatem ſuam à tribubus Iſraëlis ſeparandus erat, Deut. 29: 21. 5. Sic & lepra domus impuritatem familiæ ſive gentis Judæorum denotabat, quæ ſenſim impura facta, diſſipata eſt per omnes gentes, & regno cœlorum excluſa.

4. circa mortem. IX. Atque ita per omnem ætatem in omni ſtatu, ab ipſis uſque incunabulis, immunditiei huic obnoxius erat Judæus, ne quidem ipſa morte eximiâ; à qua quæ proficiſcebatur contaminatio, reliquas omnes ferme ſuperabat. Erat autem ea vel in brutis, vel in hominibus: bruta mortua, tam immunda, quam munda, ſolo contactu inquinabant. Immunda animalia ex quorum tactis cadaveribus impuritas contrahebatur, enumerantur Lev. 11:24-27. quibus adduntur octo reptilium ſpecies. com. 29, 30, 31. quin imo contaminabatur omnis res quæ tale cadaver attigiſſet. com. 32, 33. munda vero tacta contaminabant, ſi morticina, Græcis *κινήβεια*, aut *θνησιμαῖα* eſſent, id eſt, ſua ſponte nulla vi extincta; vel ſuffocata, abſque amiſſione ſanguinis. Lev. 11: 39, 40. At ipſius hominis cadavere nihil erat contagioſius; illud enim vel ex præſentia ſola, non tantum ex contactu ſuo contagione inficiebat omnem qui in eodem erat loco. Num. 19: 14. eaque immunditie,

quæ

quæ non niſi cinere vaccæ rufæ erat tollenda. ibid. Quibus omnibus Deus, cujus regnum eſt vitæ, mortem, ut ὀψώνια peccati, Rom. 6:23. horrere ſe & abominari, operumque mortuorum communionem vitandam eſſe, luculenter teſtatum volebat.

X. Hæ potiſſimum erant immunditiæ cerimoniales; pro quarum varia ratione, vario etiam modo, immundi à caſtris arcebantur. Num. 5:2. Deut. 23:10. vide 2. Chron. 23:19. *Reſtituit quoque janitores in portis domus Jehovæ; ut non ingrederetur immundus ulla re.* *Immundorum ſeparatio à caſtris.*

XI. Cauſa & rationes harum impuritatum ex Dei voluntate arceſſendæ ſunt; illud vero præcipuum teneri debet: in hiſce magnam partem ſervitutis V. T. poſitam fuiſſe; quando tam ſeverè & diligenter harum rerum anxia obſervatio exigebatur, quam præſtare difficulter ac ne vix quidem poterant. Interea 1. ſub hac impuritate fœditatem peccati, & impuritatem noſtram internam inde redundantem agnoſcere licet. Vide Hebr. 9:13, 14. *Si ſanguis taurorum & hircorum, & cinis vaccæ irrorans contaminatos, ſanctificat ad carnis munditiem, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſe ipſum obtulit immaculatum Deo, purificabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus ad ſerviendum Deo viventi?* 2. Exilium illud immundorum, quod extra caſtra vivere cogebantur, docebat, peccatores & intus impuros, quorum perſonam illi gerebant, à communione Dei & fidelium proſcriptos arceri. Apoc. 21:27. *Cauſa & ſignificatio harum impuritatum.*

XII. Deteximus morbos & malorum fontes; attexamus nunc remedia, ſeu purificationes & piacula quibus expurgari ſolebant immunditiæ, & violata cerimoniarum religio expiari: quod fiebat tum in *ſacrificiis*, tum in *lotionibus & aſperſionibus*. Totus enim ille carnalis cultus vertebatur ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι, καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς, καὶ δικαιώμασι σαρκὸς, *impoſitis ad tempus* διορθώσεως. Hebr. 9:10. *Impuritatibus oppoſita* PURIFICATIONES.

XIII. *Sacrificium* puerperæ præſcribitur Lev. 12:6, 7, 8. Gonorrhæi Lev. 15:14. mulieris fluentis Lev. 15:29. Leproſi Lev. 14:10. quod omnes offerebant poſtquam probe purgati & abluti eſſent. Cum autem ſacrificia hæc non ſolum euchariſtica eſſent, ſed ſimul etiam pro peccato offerrentur, Lev. 15:15, 30. 12:6. 14:19. ſignificabant ſimul remiſſionem peccati & expiationem impuritatis à peccato nobis inhærentis, quam externa impuritate deſignatam fuiſſe diximus. Hinc & in nativitate Servatoris ſacrificium hoc oblatum fuit, Luc. 2:22-24. coll. Lev. 12:8. Primum enim rudimentum earum rerum in ipſo depingi oportebat, quarum ipſe erat implementum. *Sacrificia.*

XIV.

Digitized by Google

Lotiones & aſperſiones.

XIV. Communis purificationum ratio & quaſi caput conſiſtebat in *balneis.* Lev. 15: 16. in quibus aquâ vivâ totum corpus abluebatur; quæ ablutio Hebræis טבילה dicitur. Qua lotura non ſolum ſordibus & illuvie purgabantur, ſed peccatorum etiam ablutio ſignificabatur. *Lavate vos, emundate vos, amovete malitiam facinorum veſtrorum à coram oculis meis.* Eſai. 1:16. conf. Ezech. 36:25. & Eſai. 52:15. Affinis erat huic baptiſmo, *manuum lotio*, quam anxiè & ſuperſtitioſè jam inde ab antiquis temporibus obſervabant. Quare *Phariſæi & quidam ex Scribis, quum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis Jeſu, pollutis manibus, id eſt illotis edere panem, conqueſti ſunt.* Marc. 7: 2. Atque ita undecunque planum eſt eos non niſi diligentiſſime lotos ad rem ſacram faciendam acceſſiſſe.

Purificatio leproſi, & ſignificatio ejus.

XV. Sollemnior erat *leproſi* purificatio; quæ fiebat adhibitis duabus avibus mundis, cedro, hyſſopo, lana coccina, aliiſque in lege expreſſis cerimoniis. Lev. 14: 2. & ſeqq. Quibus peractis, ſeptimo die radendus erat leproſus, corpuſque ejus lavandum. Lev. 14:8, 9. inde ſeptimo die iterum radi & lavari, octavo denique die ſacrificia offerre, ſanguine aſpergi & oleo inungi debebat, v. 10. &c. Simili fere modo domus etiam expurgabantur, v. 49. &c. In quibus notandum; 1. aſperſionem ſanguinis deſignaſſe imputationem meriti Chriſti. Fide enim accedimus ad *N. T. mediatorem Jeſum, & ſanguinem aſperſionis, meliora loquentem præ Abelis* ſanguine. Hebr. 12:24. *Aſperſi corda à mala conſcientia & abluti corpus aqua pura.* c. 10:22. *Electi ſecundùm præagnitionem Dei Patris, in ſanctificatione Spiritus, ad obedientiam & ῥαντισμὸν τοῦ αἵματος Jeſu Chriſti.* 1. Pet. 1:2. Hyſſopus denotabat Chriſtum, ut fructum terræ, ſeu hominem vilem: cedrus Spiritum in ipſo habitantem: filum coccinum imputationem peccati, quæ inſtar coccini rubere dicuntur Eſai. 1: 18. & ſanguinolentam paſſionem ejus Eſai. 63:2. avicula mactanda Chriſti mortem, conjunctam cum obedientia fervente, inſtar aquæ vivæ illi affuſæ, unde aqua & ſanguine veniſſe dicitur, 1. Joh. 5:6. altera avicula viva dimittenda, ipſum ex mortuis vivum, quærentemque domicilium, h. e. Eccleſiam, in qua in toto mundo habitet, exhibebat. Lotio purificandi & detonſio crinium renovationem & ſanctificationem perpetuam ſignificabat. Oleum quo poſt ſeptimum diem, peracto ſacrificio, aſpergendus erat, notabat Spiritum S. & ſanctificationem quæ ſanguini & Spiritui Chriſti debetur: ſicut ideo regenerari dicimur ex aqua & Spiritu. Joh. 3: 5.

XVI. Præ cæteris omnibus ſingularis erat purificatio polluti è mor-

Pollutiē morticinio purificatio quomodo fiebat?

morticino; quæ *aqua ſeparationis*, ſeu aqua cinere vaccæ rufæ conſperſa, peragebatur. Num. 19: 19. &c. Vacca autem hæc, 1. erat tota rufa. 2. Comburens eam erat princeps Sacerdotum, ſecundus à Pontifice, qui per ſeptem dies eum in finem ſeparabatur ab uxore. 3. Educebatur vacca è templo ad montem Olivarum, in quo comburebatur, & ſanguis ejus aſpergebatur. 4. Aquæ ita reſperſæ cinere hujus vaccæ, ſervabantur, & valebant ad purgandam immunditiem ex contrectato cadavere contractam.

Illius ſignificatio

XVII. Non ſine myſterio erant hæc omnia. Nam. 1. vacca bove infirmior, notabat infirmitatem Chriſti, quam noſtri cauſa ſubivit. 2. Color ejus rufus, peccatum, quod non ſolum in ſe ſuſcepit, ſed ipſum etiam peccatum pro nobis factus eſt. *Si peccata veſtra rubuerint, inſtar coccini, ut lana fient.* Eſai. 1: 18. 3. Integritas, innocentiam Chriſti. 4. deductio extra caſtra ſignificabat mortem Chriſti extra portam. *Quorum enim animalium ſanguis pro peccato infertur, in Sancta, per Sacerdotem, horum corpora cremantur extra caſtra; ideo & Jeſus, ut ſanctificaret per proprium ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Hebr. 13: 11, 12. 5. Sacerdos qui hæc faciebat, deformabat verum Sacerdotem, qui ſe ipſum ſtitit victimam. 6. Quando mactabatur & ſolvebatur in favillas, mors Chriſti ab ipſo ex amore oppetita, indicabatur. 7. nec ipſe locus etiam ſenſu vacabat; in eodem enim monte Olivarum, ubi mactabatur hæc vacca, Chriſtus ſanguinem ſtillavit. Matth. 26: 30. 8. Quod lignum cedrinum, hyſſopus & coccum ſimul comburerentur cum vacca, notabat, fideles, quorum peccata in Chriſto extinguuntur, ſimul cum Chriſto quoque morti obnoxios eſſe. 9. Aſſervatio cineris hujus vaccinæ, perpetuum valorem mortis Chriſti repræſentabat. 10. Effuſio aquæ vivæ ſuper illos cineres, Spiritum propter mortem Chriſti effuſum. 11. Aſperſio ejuſdem aquæ, accommodationem & inſinuationem ſanguinis Chriſti in juſtitiam & ſanctitatem teſtabatur. reliqua omittimus.

XVIII. Ad hunc ritum alluſit David, veram ejus ſignificationem ſubinnuens, Pſal. 51: 9. *Expiabis me hyſſopo & purus ero; lavabis me & præ nive albeſcam.* Eundem reſpexit quoque Paulus. 1. Cor. 15: 29. non levi argumento reſurrectionem mortuorum inde efficiens: quando enim βαπτισθέντες ὑπὲρ νεκρῶν id eſt, à pollutione mortis purificati, in ſanctuarium redibant; quid aliud ſignificabant, niſi reditum noſtrum ex morte, qua polluimur in hac vita? Inepti igitur & fruſtra ſunt Pontifi-

cii,

cii, qui aquam hanc cum luſtrali ſua aqua conferunt: contra ac Paulus, qui eam ad ſanguinem Chriſti refert Hebr. 9:13, 14. In quo loco myſterii hujus clavis eſt.

CAPUT XXIII.

De abrogatione legis Cerimonialis.

Legis cerimonialis ABROGATIO.

I. POſt conſideratam legis cerimonialis naturam, cum generatim, tum ſpeciatim; ſupereſt, ut videamus illius abrogationem: quam Judæi, unà cum urbe & templo ſuo, æternam credebant. Nos autem primum *de jure*, quo abrogari debuerit; deinde ut *de facto* abrogata ea fuerit; quoque *gradu* res ea proceſſerit, & quæ Eccleſiæ ratio ac *praxis* fuerit, videbimus.

Quam docet; præceptorum ejus natura.

II. Abrogationem legis hujus docet 1. *Præceptorum natura*, quæ cum nec bona nec mala in ſeſe eſſent, nec ulla naturali æquitate niterentur, à ſolo autem legiſlatoris placito haberent quod bona eſſent, nihil in iis erat quod æternitatem ſponderet, quodque ea mutari vel abrogari vetaret. 2. Accedit, quod ea illorum conditio erat, ut *uni ſolum genti & populo*, certâ in *terrâ* conſtituto, convenire poſſent, non autem omnibus toto orbe fidelibus. Multa enim inſtituta repugnabant. Cum cultus omnis affixus eſſet uni templo, quod ter in anno religioſè adiri debebat; unique hominum ordini. Unde Scriptura paſſim legem hanc Iſraëli ſoli imponit, *in generationibus*, Lev. 7:36. & 24:3. *inque terra* illorum, Deut. 4:5, 14. 6:1. 11:31, 32. Unde, dilatatis jam Eccleſiæ pomœriis, ſimulque Judæis extra terram ſuam exulantibus, hæc ipſa tacita fuit legis hujus abrogatio. 3. Sed & *prædixit* eam Deus olim futuram, dum *fœdus novum promiſit domo Iſraëlis & Judæ, non ut fœdus quod pepigerat cum patribus ipſorum, die quo apprehendit manum ipſorum, ut eos educeret ex Ægypto* &c. Jer. 31:31, 32. Quam felicitatem & mutationem expreſſè Meſſiæ temporibus addixit. *Dimidio ſeptimanæ faciet ceſſare ſacrificium & donum* &c. Dan. 9:27. *Illo die erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes labio Canaan* &c. Eſai. 19:18. *Ab ortu Solis uſque ad occaſum ejus magnum eſt nomen meum in Gentibus; & in omni loco hoſtia offeretur nomini meo & munus purum*, Mal. 1:11. 4. Et certè *Meſſias* non minor futurus erat Moſe, ſed potius major: *Prophetam ex medio tui inſtar mei excitabit tibi Dominus.* Deut. 18:15. Unde inſtituta ejus melioribus com-

Ejus cultus affixus uni genti & loco.

Prophetia.

Meſſias promiſſus.

commutare fas ipſi erat. *Dicit ei mulier: Novi, quod Meſſias veniat, quum venerit ille, renunciabit nobis omnia.* Joh. 4: 25. Quin ipſe venturus promittitur ut Sacerdos, non de ordine hieratico, vel ex Aaronis ſtirpe, ſed ad inſtar *Melchizedechi*, Pſal. 110: 4. *Manifeſtum enim, quod ex Juda germinaverit Dominus noſter. in quam tribum nihil de Sacerdotio Moſes locutus eſt*. Hebr. 7: 14. *Tranſlato* autem *Sacerdotio, neceſſariò etiam legis tranſlatio* & abrogatio *ſequitur*; ut concludit Apoſtolus Hebr. 7: 12.

III. Proceſſit autem abolitio hæc ſpatio ac mora. Unde quadruplex cærimoniarum ſtatus conſiderari poteſt, vel vigentium, vel languentium, vel emorientium, vel emortuarum denique ac ſepultarum. *Status cæremoniarum quadruplex.*

IV. *Viguerunt* eæ toto ante Chriſti adventum tempore, dum inſtar pædagogi & cuſtodiæ Eccleſiæ appoſitæ fuerunt, eamque in officio continuerunt. *Vigentium.*

V. *Languere* cœperunt Chriſto nato, & Euangelium prædicante. Quanquam enim Chriſtus ipſe totâ vitâ illas obſervaverit, aliosque obſervare juſſerit, & leproſo à ſe purgato mandaverit: *Abi, oſtende te Sacerdoti, & offer donum illud quod imperavit Moſes*, Matth. 8: 4. tamen imperfectionem legis illius non diſſimulavit, & jam tum dixit, *non impurare hominem quod in os intrat*. Matth. 15: 11. & *Legem & Prophetas prophetare uſque ad Johannem*, cap. 11: 13. *Languentium.*

VI. Moriente autem Chriſto ſimul *mortuæ* ſunt; & præſtito vero ſacrificio, *chirographum* noſtrum deletum, concerptum, cumque ipſo *cruci affixum eſt*, Col. 2: 14. Moxque Eccleſia de libertate ſua divinitus admonita eſt; quanquam dum ſtaret templum, cui omnis hic apparatus ſerviebat, eæ ad tempus toleratæ, & à Judæis ad Chriſtianam fidem converſis obſervatæ fuerint. *Emorientium.*

VII. Everſo denique templo, quod inſtar ingentis montis fidelibus obſtabat, ac latè diſperſa religione Chriſtianâ, cum ejus ruderibus ſepultæ quoque ſunt cerimoniæ; ipſoque facto Deus Eccleſiam in libertatem aſſeruit; eamque ipſis quoque Judæis oſtendit ac obtulit, cum ſine ſanctuario exerceri illæ non Poſſent. Ac tunc impletum, quod dictum erat de *frangendo jugo oneris*, Jeſ. 9: 4. Atque *fons* publicè *apertus eſt pro peccato & menſtruo*, Zach. 13: 1. ut ſine ſacrilegii piaculo conditi riteque compoſiti legis illius cineres refodi non poſſint; cum Deus ipſe templum, ſacrorum iſtorum omnium officinam, deleverit; nullique amplius jam ad ſacrum illum clivum receptus ſit, niſi *cui anima non eſt ſincera in ipſo*, Hab. 2: 4. Unde ſevera Apoſtoli vox: *Teſtor omni homini --- exſortes facti eſtis Chriſti, qui in lege juſtificamini: gratia excidiſtis* Gal. 5: 3, 4. *Emortuarum ac ſepultarum.*

Praxis fidelium; qui

VIII. Atque hi abrogationis hujus gradus fuerunt. Fidelium autem praxin quod attinet, duplex hic diſtinguendum eſt tempus, vel ante deſtructum templum, vel poſt illud. Ac illi quidem demum poſt everſum templum libertatis ſuæ bona pleniſſimè deguſtarunt. Ante illud tempus autem, ſtante adhuc illa æde, & manentibus priſtinæ ſervitutis reliquiis, libertas ipſorum longe reſtrictior erat: dum vel *ex caritate Chriſtianâ* infirmis, libertatem, quanquam jam in limine ſtantem, nondum reſpicere audentibus, ſeſe accommodant; vel ipſi *ex judicio errante* templum iſtud, quod, à Deo ædificari juſſum, ejus in terris veluti regia, religioniſque univerſæ compendium hactenus fuerat, immoti ac ſine animi religione præterire non poſſunt.

vel ex judicio errante,

IX. *Judicium errans* erat in millenis Judæorum, qui ad Chriſti fidem converſi, legem & cærimonias retinebant. *Vides, frater, quod ſint millia Judæorum qui crediderunt, ſuntque omnes accenſi zelo legis*, Act. 21:20.

vel ex charitate Chriſtiana legem & ceremonias retinebant.

X. Multi autem ex *caritate Chriſtianâ*, ut infirmioribus, libertatis adhuc impatientibus, ſe accommodarent, ſe ipſos quoque pleno libertatis uſu ad tempus deprivabant. Idque vel ex *privatâ prudentiâ*, ut exemplo Pauli liquet, qui *fiebat Judæis, ut Judæus, ut Judæos lucrifaceret; qui ſub lege erant, ut ſi eſſet ſub lege, ut eos, qui ſub lege, lucrifaceret*, 1. Cor. 9:20. conf. Gal. 2:11-14. vel publico *Eccleſiæ judicio*, quæ ut ſcandalis occurreret, canonem illum de lege cibariâ, ad tempus obſervandum, edidit; de quo Act. 15:28, 29.

Quas in Eccleſiam iterum inducere nefas eſt.

XI. Nemini ergo nunc fas eſt cærimoniarum choragium in Eccleſiam iterum inducere, iſtâque ſcenâ eam iterum paſcere velle. Alia enim earum ratio nunc eſt, ac olim. Tum enim erant elementa myſtica, & ſolamina infantis populi, quæ iſtis veluti picturis rudes Eccleſiæ annos erudiebant, Chriſtique abſentiam, oſtenſa tantiſper ejus imagine, leniebant. Nunc autem contra Chriſtum adhiberentur, ejuſque gratiæ ac ſaluti abnegandæ ſervirent. *Nunc autem, quum cogniti ſitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus de cætero ſervire vultis?* Gal. 4:9. *Si cum Chriſto mortui eſtis ab elementis mundi: quid ut viventes in mundo, dogmata ſuſcipitis?* Col. 2:20. *Teſtor omni homini, qui circumciditur, eum eſſe debitorem totius legis ſervandæ. Exſortes facti eſtis Chriſti, qui in lege juſtificamini: gratiâ excidiſtis.* Gal. 5:3, 4.

Cujus criminis tamen rea eſt Romana Eccleſia:

XII. Quo in genere graviſſimè peccat Romana Eccleſia, quæ Novi Teſt. cultum, ſola ſimplicitate olim venerabilem, tot cærimoniis obſcuravit, erecta rurſus religionis ſede ac metropoli; inſtituto ſacerdotio,

tio, atque ordine hierarchico; reducta ſervitute hominum; latis legibus de diſcrimine dierum, ciborum, deque variis lotionibus ac luſtrationibus, impoſita denique ſervitute ac timore mortis &c. quod eſt, juxta Danielis vaticinium c. 7: 25. *tempora & legem mutare.*

XIII. Nullas ergo ſub Nov. T. leges cærimoniales agnoſcimus. Quæ enim circa cultum externum, ſacramenta, ac diſciplinæ ordinem Dominus inſtituit, admodum pauca ſunt; & partim meri ſunt ritus circa externum cultus ſacri ordinem & decorum, ſine ulteriori ſignificatione; partim gratiæ jam præſtitæ ſigna ſunt & ſigilla, non autem ejus adhuc præſtandæ typi ac imagines. Unde augeri illa, Eccleſiaque iis onerari non debet. *cum ſub N. T. nulla leges cærimoniales agnoſcendæ ſint.*

LOCUS VIGESIMUS SEXTUS.

CAPUT XXIV.

De LEGE FORENSI.

I. POſtquam cultum ſuum tradidiſſet Deus, naturalem illum quidem ex origine; at ea ratione ordinatum, quæ non à natura, ſed à ſolo Dei arbitrio dependebat, & illius Eccleſiæ ſtatui erat conveniens; peculiari etiam modo politiam Judaicam inſtituit, ſummumque ejus regimen penes ſe eſſe voluit; ne gravi ſatis cerimoniarum jugo preſſi, humanæ quoque libidini parere neceſſe haberent: atque ita abſolutiſſimi ſtatus, & quaſi θεοκρατίας ſpecimen exhibuit; cujus formula eſt lex forenſis: quam generatim duntaxat delibaturi, in illa ſtrictim ſpectabimus 1. naturam ejus. 2. uſum. 3. abrogationem. *Succedit* LEX FORENSIS.

II. Naturam ejus tenes, ſi dicas eſſe conſectariam legis moralis, quæ officia ejus, in ſocietate Iſraëlitica ſingulariter definit & determinat, accedente etiam ſanctione pœnarum & judiciorum in tranſgreſſiones populi. Ut non adeo mirandum ſit, ſi forte quædam ſpecialia tam exactè non conveniant cum lege morali. Quando igitur, verbi gratia, connivebatur ad polygamiam & libellos divortii, nec omnis pars legis exigebatur, aut tranſgreſſio vindicabatur, non pertinebat id ad legem moralem, ſed propriè ad forenſem; quare nihil inde in præjudicium aut vituperium legis moralis ſub V. T. effici poteſt. *1. natura ejus.*

Tttt 2 III. Ri-

& officium.

III. Rigida erat hæc lex,& abſque omni venia aut indulgentia pœnas irrogabat. Nam *infringens quis legem Moſis, ſine commiſeratione duobus, aut tribus teſtibus moritur.* Hebr. 10:28. *Et qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis tranſgreſſio & inobedientia accepit juſtam retributionem.* cap. 2:2.

Seniorum hic poteſtas.

IV. Et ſicut in lege cerimoniali ſubjecta erat plebs ſacerdotibus; ita in forenſi ſenioribus, qui pœnarum ſanctione cerimonias tuebantur, Deut. 17:8-12. unde appellantur *Dii.* Pſal. 8. & 82. & 97. Joh. 10. 1. Cor. 8. & *Patres carnis*, Hebr. 12:9. Quæ plebis erat ſervitus. Duo præſertim Seniorum erant officia. Sedebant primò in cathedra Moſis. Matth. 23:2. Verbumque Dei ad illos fiebat. Joh. 10:35. Ab his igitur populus fidei myſteriis initiabatur,& promiſſiones edocebatur; quamvis in eo defecerint: unde triſte illud *οὐαὶ τοῖς νομικοῖς* ingeminatur à Servatore; *Quod ſuſtuliſſent clavem cognitionis.* Luc. 11:52. Alterum eorum munus erat, legis auctoritatem defendere, ejuſque obſervationem urgere, populumque intra ejus anguſtias & ſervitutem elementorum mundi cogere, tranſgreſſionum pœnas conſtituendo & repetendo, interdum etiam res cæteroquin non illicitas vetando; quibus rebus legi ſepem quaſi circumjiciebant, ponduſque & auctoritatem adferebant. *Nam illi quidem ad paucos dies κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς cohibebant.* Hebr. 12:10. Quibus ſic conſentientibus & decernentibus obtemperare nihilo ſecus debebat populus, dummodo nihil injungerent verbo Dei contrarium. *In cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi. omnia ergo quæ dixerint vobis, ut ſervetis, ſervate* &c. Matth. 23:2, 3, 4. coll. Deut. 17:11, 12. quod & factum ab ipſo Chriſto, qui fuit עֶבֶד מֹשְׁלִים ſervus poteſtatem habentium. Eſai. 49:7. vide Luc. 2:22, 23, 24, 27.

2. Uſus.

V. Hinc jam, ſecundo, videre licet legis hujus civilis uſus. Quando 1. Judæis gentium communione interdicebatur, ut etiam aliquæ à cœtu Iſraëlis excluderentur. Deut. 23:2-8. Neh. 13:1. & ſeqq. *Ne dicat peregrinus, qui agglutinatur Jehovæ, dicendo, ſeparando ſeparat me Dominus à populo ſuo.* Eſai. 56:9. quod fiebat non ſine triſtitia ſanctorum, quibus promiſſa erat gentium hæreditas. 2. Multa ſcelera & vitia è medio populi tollebat, compeſcens illum & pœnis ſuis atque ſuppliciis ad obedientiam legis cogens. Deut. 13:1. 3. Diſertim etiam peccatis quibuſdam, eorumque pœnis, exſecrationem interminabat; ut ſuſpenſo è ligno: quæ maledictio peccati expiationem nondum factam arguebat. *Exſecratio Dei, ſuſpenſus.* Deut. 21:23. atque ita tanquam

Digitized by Google

quam infecto freno, una cum lege cerimoniali, aurigabat populum ad Chriſtum. *Antequam veniſſet fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in fidem, quæ futurum erat, ut revelaretur.* Gal. 3:23. Nam *legis τέλ⊛ eſt Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Rom. 10:4.

VI. Supereſt tertiò, ut ſicut legis cerimonialis, ita etiam hujus, videamus abrogationem; cui jam olim prælufit ipſe Deus, quando transgreſſiones hujus legis interdum permitteret. E. G. in ſupplicio filiorum Saulis, qui ſuſpenſi, lignoque ad aliquod tempus ſuffixi manſerunt. 2 Sam. 21. coll. Deut. 21:23. Tandem vero ipſam penitus abrogandam fuiſſe, patet 1. ex eo, quod Seniores illi regnum hoc tantum obtinere dicantur ad *præſtitutum tempus*. Hab. 2:3. poſt quod munere ſuo abdicandi erant, & abolenda eorum dominatio. *Scriptum eſt enim, abolebo ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio; ubi ſapiens? ubi Scriba?* 1 Cor. 1:19, 20. quare *Dii* quidem, ſed *morituri*, dicuntur Pſal. 82:7. & *hujus ſæculi, qui abolentur*, ab Apoſtolo 1 Cor. 2:6.8. Unde etiam in cruce Chriſtus *exutos principatus & poteſtates, traduxit palam, triumphum de ipſis agens in ſemet ipſe*. Col. 2:15. 2. patet ex natura ejus; quia innitebatur ſacerdotio Moſaico, ex quo fundamento excitata erat hæc moles; ſubtracto autem illo tibicine ruebat neceſſario, quæ illi ſuperimpoſita erat lex. *Cum enim transfertur ſacerdotium, neceſſario & legis tranſlatio fit.* Hebr. 7:12. 3. etiam affixa erat populo terræque illi, extra quam, maximam partem exerceri non debebat: Unde clarum eſt, cum maxime ſub N.T. in regno Chriſti & cœlorum, nemini hominum competere poteſtatem & jus ferendi leges, qualis olim legis hujus antiſtitibus data fuit. *3. Abrogatio.*

VII. Minuenda hic venit quæſtio; an etiamnum nos aliqua ex parte lege hac teneamur? Lex hæc duplici modo ſpectari poteſt, vel quatenus ad ſolos pertinuit Judæos, vel quatenus ex morali lege petita concernebat omnes homines eidem legi ſubjectos; priori modo nullus nobis cum illa intercedit nexus aut obligatio; poſteriori modo, nos ut obliget quid impedit? non ea de cauſa quod ſit civilis Judæorum lex, ſed quod humanitas eam jubeat, & communis æquitatis ſit derivatio & quaſi divergium quoddam. *Quomodo nos obliget?*

VIII. Iniquiſſimè igitur Pontificii Eccleſiam N. T. in hanc ſervitutem emancipant, ut certo hominum cœtui cathedræque alligata, Papæ tandem & ſenatui ejus ſubjiciatur, cujus imperioſæ lubidini obſecundet, duriſque legibus pareat. Alieni etiam à veritate ſunt Sociniani, qui legem hanc ſub N. T. exiſtimant abrogatam hiſce de cauſis *Contra Pontificios & Socinianos.*

 1. Quia,

1. Quia, cum ſub V. T. rigor & ſeveritas obtinuerit, ſub novo benignitas & miſeratio locum habeat. 2. Quia ſub Vet. bonorum terreſtrium duntaxat, ſub Novo autem Teſt. vitæ etiam æternæ diſerta promiſſio facta ſit. 3. Quia ſub Vet. fœdere populus Dei gaudebat terrena politia; qua cum careamus ſub Novo, legibus etiam civilibus opus non habemus. Quæ, pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa. Specialia legis hujus alias preſſius expediemus.

LOCUS VIGESIMUS SEPTIMUS
DE
Oeconomiâ legis & gratiæ ſub V. Teſt.
CAPUT XXV.
De Oeconomiâ legali ejuſque attributis.

A triplici hac Lege OECONOMIA *Vet Teſt.* LEGALIS *appellata eſt.*

I. Atque hæc quidem fuit νομοθεσία V. Teſt. quæ triplici iſta Lege conſtabat; unde Oeconomia iſtius Teſtamenti Legalis appellata eſt; præſertim cum non ſine terrore, ac execrationis ingeminatione, Legis δικαίωμα urgeretur, ac Peccatorum expiatio quotidie flagitaretur.

Quæ tamen longè differt à lege & fœdere operum. Pontificiorum & Lutheranorum hic errores.

II. Sicut autem œconomia iſta Teſtamenti Vet. ab ipſo Teſt. Veteri, cujus adjunctum ſolummodo erat, differt; ita longè diverſa ſunt, lex atque fœdus operum ipſum, atque œconomia illa legalis; quæ non aliud erat, quam certa œconomia fœderis gratiæ, ſub qua lex operum repetita, & gratiæ adminiſtrationi lex tanquam pædagogus immixta erat. Ut malè *Pontificii*, quemadmodum etiam *Lutherani*, Teſt. Vet. ac Novum eodem modo ut Lex ac Euangelium differre velint; cum etiam gratia ac Euangelium ſub Vet. T. obtinuerit. *Comederunt* enim *omnes* patres nobiſcum *eandem eſcam ſpiritualem, & biberunt eundem potum ſpiritualem,* teſte Apoſtolo 1. Cor. 10: 3, 4.

Diſtinctio ATTRIBUTORUM *œconomiæ*

III. *Diſtinctio* autem omnis œconomiæ Veteris Teſtam. à Novo in diverſis illius attributis, ſive perfectionis gradibus, ſita eſt: ſive *internum* utriuſque ſtatum quoad fidelium in hac vita juſtificationem, conſolationem, illuminationem, fidem, ſanctificationem, aliaque Sp. Sancti dona conſideres; ſive *externum*, quoad ſervitutem & cultum externum,

Vet. Teſt. à Novo. 1. reſpectu interni utriuſque ſtatus.

nium, ac ſacramenta, eorumque facilitatem & claritatem; denique loci & temporis ſpatia, quibus concludebatur. Quæ omnia arctiora ac minora erant Vet. T. tempore, quam nunc ſub Nov. Teſt.

Quoad fidelium in hac vita juſtificationem.

IV. 1. *Juſtificationem* quod attinet, cum illius cauſa nondum exhibita, nec mediatoris ſanguis fuſus foret; &, reatu adhuc extante, peccatum in ſollemni cultu exprobraretur potius, quam deleretur: *Nihil enim conſummavit lex*, Hebr. 7: 19. *Sed in ipſis*, hoſtiis legis, eſſet *commemoratio peccatorum anniverſaria. Impoſſibile* enim *ſanguinem taurorum & hircorum auferre peccatum*, ibid. c. 10: 3, 4. inde illorum temporum *πάρεσις* magis erat, & peccati omiſſio, ſeu diſſimulatio (de qua egimus l. III. c. IV. §. 15. & ſeqq.) quam plena ejus remiſſio, ac peccatoris, ſine ulla amplius querela, *δικαίωσις*, ſeu juſtificatio; quæ beatiori Eccleſiæ ſub N.T. ſtatui ſervabatur. *Hoc eſt fœdus meum —— peccatorum ipſorum & iniquitatum ipſorum non amplius recordabor*, Hebr. 10: 16, 17. & 8: 12. conf. Jer. 31: 34. quando *expianda* erat *pravitas & adducenda juſtitia æterna*, Dan. 9: 24. Cujus reſpectu & comparatione ita deſcribitur V. T. quaſi non obtinuiſſet ibi peccatorum remiſſio, Jer. 31: 31. Hebr. 10: 18. ſcilicet plena illa. Conf. Rom. 3: 25.

Conſolationem.

V. 2. Unde minor quoque Eccleſiæ illius fuit *conſolatio*. Erant enim tunc temporis poſiti ſub *excandeſcentia*. Dan. 8: 19. & *fervoris particula*. Eſai. 54: 7, 8. *Parvo momento dereliqui te; --- pauxillo fervoris abſcondi faciem meam à te.* Lex enim, cui tum à peccato aliqua etiam manebat vis, & necdum omnes nervi erant ſucciſi, *iram operabatur*. Rom. 4: 15. adeoque non exhibebatur *gratia*, nuda illa ſcilicet & *vera*, Joh. 1: 17. Licet enim ex formula fœderis iſtius Deus eſſet populi ſui Deus, ut ex primo, ſecundo, tertio, quarto & quinto præcepto. Exod. 20: 2, 5, 7, 10, 12. & ex inſtitutione fœderis claret, Exod. 24: 8. non tamen ſecundùm omnem plenitudinem & ἔμφασιν ipſorum Deus erat; qualis futurus erat *poſt illos dies*, Jer. 31: 33. Nec ipſi fideles, licet *filii Dei* dicti fuerint, Exod. 4: 22. & Deut. 14: 1. hoc tamen reſpectu & plena notione filii aut populus Dei erant: quomodo deinceps futuri. Jer. 31: 33. conf. Jer. 3: 19. *Et ego dixeram; quomodo ponam te in filiis? & dabo tibi terram deſiderii, hæreditatem decoris, exercitus gentium.* & Joh. 1: 12. *Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis poteſtatem, ut filii Dei fierent.* Unde rarenter admodum Patris nomine compellabatur Deus, nec diſerta adeo ac nunc, mediatoris fiebat mentio; ut nequidem diſcipuli Chriſti *huc uſque in nomine ejus petiverint*, Joh. 16: 24. Et generatim ſub

illa ἀναμνήσει rigoris legalis. major erat timor & minor fiducia. Atque hinc etiam proficiſcebatur pervulgatum illud inter illos verbum; mortem obeundam, ſi quis vel in ſymbolo Deum conſpexiſſet. Jud. 13. & alibi. Cum ſub N. T. frequentiores & magis perpetuæ ac propriæ ſint promiſſiones, & ſolidiores Euangelicæ conſolationes. Ut nunc ſine Sacerdote ac interprete eum alloqui, tenerumque illud Patris, raro adeo in Vet. T. auditum nomen, quotidiana prece ingeminare liceat. *Non enim* accepimus *Spiritum ſervitutis rurſus ad metum; ſed Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater.* Rom. 8: 15. conf. Gal. 4: 6.

Cognitionem. VI. 3. Ita tenuis valde erat myſteriorum fidei notitia; cum *tacitum eſſet Chriſti myſterium temporibus ſæcularibus.* Rom. 16: 25. *& à ſæculis atque ætatibus abſconditum.* Col. 1: 26. Cum intricata omnia, nihil apertum aut planum: umbris & figuris involuta; ipſique fideles, puerorum inſtar, primis mundi elementis exerciti & occupati, quorum uſum etiam pauci perſpectum habebant; affixi *Legi, quæ umbram futurorum bonorum habens, non ipſam rerum imaginem, nunquam poteſt accedentes conſummare.* Hebr. 10: 1. inhærentes *elementis exordii ſermonum Dei, & indigentes lacte & non ſolido cibo* &c. Hebr. 5: 12, 13, 14. *Infantes, qui nihil differebant à ſervis.* Gal. 4: 1. Quando erat, *præceptum poſt præceptum* (ſive *regula poſt regulam) litera poſt literam, parum ibi, parum ibi.* Eſai. 28: 10. Ut Chriſtus ipſe non niſi per parabolas palam ad populum verba fecerit: quas quidem parabolas audire poterant, Marc. 4: 33. non tamen ſermonem Chriſti audire poterant. Joh. 8: 43. Quo quidem legali ſchemate, & operoſo cultu, ipſum fœdus gratiæ, tanquam velo coopertum, & tantum non penitus obliteratum fuit. *A ſæculo non audiverunt, non auſcultarunt, oculus non vidit Deum præter te, qui faceret præſtolanti ſe.* Eſai. 64: 4. *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt.* 1. Cor. 2: 9. Atque eo proclivior erat nonnullorum lapſus, anſam hinc arripientium juſtitiam quærendi ex operibus. Rom. 9: 32. *Quamobrem? quia non ex fide, ſed ex operibus legis; offenderunt enim in lapidem offenſionis.* Cum ſub N. Teſt. lex Dei fidelium cordibus inſcribenda eſſet, Jer. 31: 33. & nomen Dei manifeſtandum, Joh. 17: 26. Accedebat etiam quod inſtitutio legis ſub V. Teſt. ſæpe firmanda erat ſignis, & miraculis corroboranda, propter infirmitatem fidelium illius temporis: *Judæi* idcirco *ſigna petebant.* 1. Cor. 1: 22. quibus nunc non indigemus, quando *beati qui non viderint & crediderint.* Joh. 20: 29.

VII. 4 Non

Digitized by Google

VII. 4. Neque tunc tantopere fides obtinebat, quæ demum ſub Nov. Teſt. temporibus revocata eſt. Gal. 3: 23. *Antequam autem veniſſet fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in fidem, quæ futurum erat, ut revelaretur.* Verum prævalebat ſpes, ideoque etiam ſpei nomine venit, eorum fides. Eph. 1: 12. *Ut ſimus nos ad laudem gloriæ ipſius, qui ante ſperavimus in Chriſto.* Omnia enim ibi futura reſpiciebant, deerantque argumenta & teſtimonia, atque annunciatio coram exiſtentis Meſſiæ, aut redemptionis ejus præſentis. Nam *juxta fidem mortui ſunt hi omnes, non acceptis promiſſionibus, ſed eminus viſis, & perſuaſi, ſalutatis.* Hebr. 11: 13. Quam exſpectationem, unde tempus illud vocabatur, comitabantur anxietas, deſiderium & ſcrutatio rerum nobis donandarum; utpote *de qua ſalute quæſiverunt & ſcrutati ſunt prophetæ, qui de ventura in eos gratia prophetarunt.* 1. Pet. 1: 10, 12. *Multi prophetæ & juſti deſiderarunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audiverunt,* Matth. 13: 17. *Ad quam,* promiſſionem, *duodecim tribus noſtræ, nocte atque die colentes ſperant ſe deventuras.* Act. 26: 7. *Symeon erat exſpectans conſolationem Iſraëlis.* Luc. 2: 25. *Omnibus, qui redemptionem exſpectabant Hieroſolymis.* Ibid. 38. Quas ob cauſas Eccleſia illorum temporum *ſitiens* erat, atque eo nomine inſigniebatur. Eſai. 55: 1. conf. Jer. 31: 25. unde emerſit diſcrimen Eccleſiæ *ſitientis* & *ſatiatæ.* Deut. 29: 19. & Jer. 31: 14. & fideles dicebantur *vincti in puteo aquam non habente.* Zach. 9: 11. *Vincti exſpectationis.* Eſai. 61: 1. *Cuſtoditi ſub lege.* Gal. 3: 23. *Fidem.*

VIII. 5. Cumque ita cognitio eorum levis eſſet, cumque ſpe magis lactarentur, quam fide implerentur; minores quoque fidei fructus erant, minorque erat illa cordis circumciſio; parca enim manu & illiberali menſura, dona ſua diſtribuebat Sp. Sanctus; plurimi erant carnales Judæi, qui hypocritarum more, externæ tantum legis obedientiæ ſtudebant, aut illius ſtimulis agitati, non ſine murmure & tacito adverſus Deum odio inviti obſequebantur. Vide Deut. 29: 4. Necdum enim præſtabatur promiſſa illa cordis circumciſio, Deut. 30: 6. *Sanctificationem.*

IX. 6. Sic & fidelium vulgo parcius tum *Spiritus S.* præbebatur. *Spiritus S. enim, quem accepturi erant credentes, nondum erat, quia Jeſus nondum erat glorificatus* Joh. 7: 39. Spiritualium donorum copia, in univerſam Eccleſiam ſpargenda, ſub N. T. demum promittebatur. Sub quo *non dat Deus Spiritum ex menſura,* Joh. 3: 34. *Dabo illis cor unum, & Spiritum novum dabo in medio ipſorum* &c. Ezech. 11: 19, 20. *Spiritum illum gratiæ & ſupplicationis,* Zach. 12: 10. *Ut promiſſionem Spiritus acciperemus* *& Spiritus S. dona.*

mus & fidem, Gal. 3:14. Atque iſto cum comitatu Chriſtus ſub N.T. venit; Spiritusque tum *in omnem carnem effuſus eſt*, Joël. 2:28. tanta ubertate, ut cum aquarum cœleſtium prius nonniſi guttæ & ſtillæ in Eccleſiam depluerent, jam Spiritus & rivi & *flumina* erant. *Qui credit in me, quemadmodum dixit Scriptura, fluvii ex ventre ejus fluent aquæ viventis*, Joh. 7:38.

2. reſpectu ſtatus utriusque externi. quoad ſervitutem.

X. Non mirum ergo, ingens quoque diſcrimen fuiſſe inter illos & nos quantum ad ſtatum *externum*, & in eo 1. ſervitutem attinet: tum maximè enim *hæres ſervus* erat, in ſtatu externò ſpectatus. Gal. 4:1. 2, & Spiritus Sanctus fideles agens, *Spiritus ſervitutis* erat, Rom. 8:15. diſtinctus à Spiritu adoptionis, *quem emiſit Deus in corda noſtra*. Gal. 4:6. Quæ ſervitus varia erat. 1. *Elementorum mundi* quibus exercebantur & quæ tractabant. Gal. 4:3. ad quæ ſpectabat ſollicita cautio *ciborum, potuum, lotionum ac purificationum*, quotieſcunque cadaver aut impurum quid attigerant. Col. 2:16. Hebr. 9:10. *Dierum & feſtorum*. Ibid. & Gal. 4:4, 5, 10. Quibus omnibus *Chirographum ſibi ὑπεναντίον* conſignabant. Col. 2:14. Jer. 17:1. Quando & Sacerdotibus erant obnoxii, per quos, cum ipſi ab altari removerentur, ad Deum accedebant. Ezech. 20:26. *Et impuros illos declaravi, cum donis ſuis* &c. quod maledictionem illis incumbentem arguebat. Gal. 3:10, 13. *Quicunque ex operibus legis ſunt, ſub execratione ſunt* &c. Quin imo templo erant affixi. 1 Reg. 8:48. Dan. 6:11. & terræ Canaan; cujus tranquilla poſſeſſio & longævitas in illa, felicitatis futuræ obſes erat. Exod. 20:12. Et ex horum omnium violatione impendebat illis metus mortis. Hebr. 2:14. 2. Servitus erat, quando *Angelis* ſubjicebantur, tanquam vindicibus & tutoribus legis, ex ipſorum concilio promulgatæ. Act. 7:53 *Qui accepiſtis legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων*. Lex, *injuncta per Angelos*. Hebr. 2:2. *Sermo per Angelos locutus, firmus eſt*. quæ jam abrogata eſt; *Non enim Angelis ſubjecit habitabilem futuram*. Hebr. 2:5. 3. Servitus erat, quam *Senioribus* ſerviebant; unde illis populi principibus & ſacrorum antiſtitibus *Deorum* nomen dabatur. Pſal. 82:6. qui in omni re difficiliori, adeundi, conſulendi & audiendi erant. Deut. 17:8, 9, 10. ad quos pertinebat myſteriorum omnium & ænigmatum explicatio. Luc. 11:52. & ſacrorum cura; cui rei, onera etiam quædam populo imponere illis licebat. Matth. 23:3, 4. à quibus mox Eccleſia Novi Teſt. liberata eſt. Col. 2:14, 15. *Poſtquam deleverat ſubſcriptionem manus adverſus nos ad placita quæ erat contraria nobis --- Exuens principatus & poteſtates traduxit*

Digitized by Google

duxit publice, triumphans de ipſis in ſe ipſo. Cum omnes nunc Deum cognoſcant. Joh. 6: 45. ſecundùm promiſſionem Jer. 31: 34. & Eſai. 45: 13.

XI. 2. Ita & *cultus* tum erat *operoſior*, multiſque ritibus gravis & impeditus; quique fideles magis laſſare, quam ſitim eorum extinguere, animaſque ſatiare poterat. Non palam enim & in ipſa luce Deus adibatur, ſed multiplicibus ſub umbris; quæ fidei parum exercitæ ferè tenebras faciebant. *Nunc autem venit hora, quod veri adoratores Patrem in Spiritu & veritate adorent*, Joh. 4: 27. Univerſaque tandem cultus ratio nunc clarior eſt; cum disjectis tenebris, quæ expectationis tempora morabantur, pulſiſque umbris ac figuris, quæ in iſta nocte, vel venturæ lucis crepuſculo, obtinebant, quæque à pauciſſimis intelligi poterant, Eccleſia nunc in ſereno verſetur, & nudatâ facie Deum intueri poſſit. Unde Chriſtus *beatos* prædicat diſcipulorum *oculos, qui viderent, & aures, quæ audirent, quæ multi olim prophetæ & juſti deſideraverant videre & audire*. Matth. 13: 16, 17. *Cultum externum.*

XII. 3. Ac *Sacramenta* quibus fidelium inter ſeſe & cum Deo communio conſtabat, quanquam crebriora, tamen non adeo ſuavia tunc erant; cum non ſine iræ ſpecie peragerentur; & vel humanum, ut in circumciſione, vel vicarium pecudum ſanguinem, in Paſchate, & ſacris in templo epulis, poſtularent; nec tam promiſcuè ab omnibus uſurpari poterant. communio enim ſacra tunc arctior erat. In N. Teſt. vero *ſanguis* Salvatoris palam & *pro multis effunditur ad peccatorum remiſſionem*, Matth. 26: 28. & clariſſimis ſigillis fidelibus obſignatur. *Sacramenta.*

XIII. 4. Accedit his *loci temporiſque* circumſtantia. Cum enim antea omnia in Iſraëlitarum gente concluſa forent, eaque fœderis vernacula, & ſola in mundo ſacra eſſet; non niſi unico tantum, toto in orbe, *loco, quem elegerat*, Deut. 12: 5. Deus adibatur: nunc verò laxatis Eccleſiæ pomœriis, omnes gentes in civitatem Dei acceptæ ſunt, & *omni loco ſancta attollendæ ſunt manus*, 1. Tim. 2: 8. Et, circumacto priſci fœderis orbe, quod non niſi ad Chriſti adventum durare debebat, nunc eadem Eccleſiæ facies ad mundi fines perennabit, quando ea pleniſſimè conſummabitur; nec alia interim tempora, aliæve ſalutis adminiſtrandæ viciſſitudines expectandæ ſunt. *Loci temporiſque circumſtantiæ.*

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

De permanſione Promiſſionis & gratiæ ſub Veteri Teſtamento.

Per Vet. T. ejuſque œconomiam non aboletur Promiſſio.

I. NOn tamen per Vetus Teſt. ejuſque œconomiam legalem abolita fuit promiſſio. *Teſtamentum* quippe *ante ratum factum à Deo in Chriſtum*, *Lex*, *quæ poſt* 430 *annos extitit*, *non facit irritum, ad abolendam Promiſſionem*. Gal. 3:17. Ut hic ſpeciatim conſideranda occurrant 1. Promiſſionis & Legis ſub Vet. Teſt. facta conjunctio & mixtura. 2. Eccleſiæ ſub illo Teſtam. mixtus quaſi ſtatus. 3. Denique fidelium ſub hoc ſtatu fides & ſpes.

Cujus Promiſſionis & Legis ſub Vet. Teſt. MIXTURA *propius conſideratur.*

II Ante legem, ut vidimus, obtinuit *Promiſſio*, quæ indicabat æternam Dei voluntatem ac Teſtamentum de ſalute hæredibus danda, in filio: *Qui Novi Teſtam. Mediator eſt, ut morte obita, ad redemtionem quæ ſub priori Teſtam. erant tranſgreſſionem, promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis*, Hebr. 9:15. Quod Teſt. proprie nec Vetus eſt, nec Novum, ſed æternum.

III. Acceſſit huic Promiſſioni *Lex*, & cum eâ hæreditaria poſſeſſio terræ Canaan, in pignus cœli; quæ proprie Vetus Teſtamentum conſtituunt.

IV. Poſt legem autem & Teſtamentum hoc violatum, ſucceſſit *jugum cerimoniarum*: & ſtatus Eccleſiæ hactenus liber, cœpit eſſe ſervilis.

V. Habuerunt ergo Iſraëlitæ quædam à Patribus, quædam à Moſe, Joh. 7:22. à Patribus, promiſſionem gratiæ, ac per eam peccatorum remiſſionem, & vitam æternam; à Moſe, legem, atque illa violatâ, jugum cerimoniarum; quod quamvis ſpem vitæ æternæ non tolleret, ſed potius confirmaret, non tamen illam propriè dabat; cum ea jam ante per Promiſſionem vigeret.

VI. Atque ita duplex diſtingui poteſt miniſterium Moſis; unum commune ipſi cum Patribus, repetere ſcil. promiſſiones Patribus datas; alterum, ipſi proprium, miniſterium videl. legis. *Conteſtor in vos hodie cœlum & terram: vitam & mortem propoſui vobis, benedictionem & execrationem. Et eliges vitam, ut vivas tu, & ſemen tuum.* Deut. 30:19. Conf. 2. Cor. 3:7. Rom. 10:4.

VII. Hæc

Digitized by Google

VII. Hæc duo ergo cum pariter haberent Iſraëlitæ, illud quod propriè à Moſe habuerunt, non abolevit illud quod fuit à Patribus; nec lex promiſſioni contraria, ſed ei tantum ſuperaddita fuit; ut uſum iſtum præſtaret, quem ſalva promiſſione habere poterat.

VIII. Huc enim aurigabat univerſa doctrina Moſaica; cujus ſcopus & finis primarius hoc unum agebat, ut promiſſio Euangelica exhiberetur & elucidaretur. Huc tendebat omnis illius inſtitutio; quæ licet, ut omnes illius ritus, carnalis eſſet; nihil tamen niſi Redemtorem & Mediatorem ſanguinemque ejus præfigurabat, & per ſacrificia, reliquoſque ritus ad divina illius ἀποτελέσματα & ſpiritualia ac æterna illius bona populum manuducebat.

IX. Cumque ita commixta foret lex & gratia, * pariterque mors & vita, maledictio & benedictio audiretur; mixtus quoque tum fuit *Eccleſiæ ſtatus*. Eratque illa quidem hæres, ſed infans, & curatore egens; nec libera prorſus, nec prorſus ſerva, ſed ab utroque aliquid trahens. Quo conferebat omnis externi illius cultus ratio, quæ mediatorem quidem, ſed in imagine, & de longinquo, oſtendebat; & fidem quidem erigebat; ſed ut àb alterâ parte, dum reatum quotidie ingeminabat, & in ſacrificiorum ſanguine fidelium fatum pingebat, eam rurſus deprimeret. *Vt & Eccleſia ſub illo Teſtamento mixtus quaſi ſtatus.*

X. Quâ mixtura, & lucis ac umbrarum viciniâ, Eccleſiæ quoque fidem nonnihil obſcurari contingebat, dum accurato diſcrimine opus foret. Et fideles quidem hæc duo, Legem ac Promiſſionem, diſcernere, ac utrumque ad fines ſuos referre ſatis noverant; infideles autem, dum hanc Legis & Promiſſionis mixturam non ſatis caperent, nec rite inter illa diſtinguerent, occaſionem hinc acceperunt à legis juſtitia aberrandi; cum, legis ſcopum non intelligentes, ex illius operibus juſtitiam quærerent. *Iſraël proſequens legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit. Quamobrem? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus legis. Offenderunt enim in lapidem offenſionis.* Rom. 9: 31, 32.

XI. Atque hinc patet quoque tertio, quænam fidelium ſub hoc ſtatu fuerit *fides* ac *ſpes*; eadem nempe, quæ Patrum ſub Promiſſione fuerat, in Chriſtum ſolum, ejuſque ſacrificium & redemtionem directa. Unde Apoſtolus: *Per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus nos ſervatum iri, quemadmodum & illos*, Act. 15: 11. *Ad quam ſpem promiſſionis duodecim tribus noſtra Deum noctu & die aſſiduè colentes ſperant ſe deventuras*, Act. 26: 7. coll. v. 23, 26, 27. Quam ſpem non ex lege, nec propriè ex *Denique fidelium ſub hoc ſtatu fides & ſpes.*

Teſtam. Veteri, quod typicum erat, hauriebant: *Lex enim, habens umbram futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, quotannis iiſdem hoſtiis quas offerunt perpetim, nunquam poteſt accedentes conſummare,* Hebr. 10:1. ſed ex antiquâ Promiſſione, quam, quoniam cum Patribus communem haberent, per fidem juxta amplexi ſunt.

Quam perperam Sociani abnegant.

XII. Ut non ferendus ſit *Socinianorum* error, qui, Patres ſub lege, æque ac illos qui ante eam vixerunt, fide in Chriſtum, ac certa remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ ſpe, ac denique Spiritus S. dono, quæ omnia videl. ad Novi Teſt. promiſſa referunt, caruiſſe volunt.

qui refutantur.

XIII. 1. Contraria enim exempla, *Iſraëlem* nempe eo tempore non fuiſſe *exſortem Chriſti, nec ſine ſpe,* Eph. 2:12. occurrunt; præſertim Moſis ac Davidis. Quo pertinent loca, Joh. 5:46. *Si enim crederetis Moſi, crederetis mihi; de me enim ille ſcripſit.* Luc. 24:27. *Exorſus à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ſe* ſcripta *erant.* Act. 3:22. *Moſes ad Patres dixit, Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus* &c. Hebr. 11:27. *Moſes majores divitias æſtimavit Ægypti theſauris improperium Chriſti. aſpiciebat enim in remunerationem.* Act. 2:30. *Qui* (David) *Propheta quum eſſet, ſciebat Deum jure jurando ſibi juraſſe, fore ut ex fructu lumbi ipſius, quod ad carnem attinet, Chriſtum illum ſuſcitaret, quem collocaret ſuper ejus throno.* Conf. Pſal. 110. ubi Chriſtum agnoſcit non tantum ut Regem, ſed ut Sacerdotem, adeoque ut verum mediatorem.

XIV. 2. Ita & Chriſtum quoque auctorem habebant vitæ æternæ: quam vel ipſa promittebat lex, dicendo: *Qui fecerit illa, vivet in iis,* Lev. 18:5. quod & Chriſtus ſupponit Matth. 19:16, 17, 18. Hinc *præceptum ad vitam* eſſe dicitur, Rom. 7:10. unde & veteribus fuit *propoſita vita & benedictio,* Deut. 30:19. & ipſa vita æterna nominata eſt ante Chriſtum; non ſolum à Moſe, Gen. 3:22. ſed & à Davide, Pſal. 21:5. à quo ſæpius τὸ עַד dicitur: ab Eſaia c. 65:18. *Uſque ad æternitatem, quam ego creo:* & à Daniele, c. 12:2. Quam vitæ æternæ ſpem ſimul comitabatur illa de reſurrectione mortuorum ſub lege. Ut liquet ex dictis, tum Moſis, Deut. 32:39. *Videte nunc, quod ego ſum & non eſt Deus mecum, quod ego mortifico & vivifico, ego vulneravi & ſano;* tum Prophetarum: *Vivent mortui tui. Cadaver meum? ſurgent. Evigilate & cantate, procumbentes in pulvere. Nam ros olerum eſt ros tuus, & terram orcus pariet.* Eſai. 26:19. *Abolevit mortem in perpetuum.* Eſai. 25:8. *Ex manu orci redimam ipſos: à morte vindicabo ipſos. ubi peſtes tuæ* (vel *aculei tui*) *ô mors? ubi virus tuum, orce? pœnitudo occultata eſt ab oculis meis.* Hoſ. 13:14. *Et multi ex dor-*

Digitized by Google

dormientibus terræ pulveris evigilabunt. Hi in vitam æternam erunt. *Et hi in opprobria, in ignominiam ſeculi.* Dan. 12:2. Conf. Ezech. 37:14. Omnium denique Iſraëlitarum: *Nunc vero ob ſpem promiſſionis factæ Patribus noſtris à Deo, ſto in judicium vocatus: ad quam duodecim tribus noſtræ, nocte & die aſſiduè colentes ſperant ſe deventuras: de qua ſpe poſtulor, rex Agrippa, à Judæis. Quid? incredibile judicatur apud vos quod Deus mortuos ſuſcitet?* Act. 26:6, 7, 8. Unde & *mulieres acceperunt ex reſurrectione mortuos ſuos. Alii vero diſtenti ſunt, non admiſſa redemtione, ut meliori reſurrectione potirentur.* Hebr. 11:35.

XV. 3. Denique cum Chriſto, Spiritus quoque ejus communionem habuerunt veteres. Unde ejus crebra ſub Vet. T. mentio. Eſai. 63:10, 11. *Et ipſi inobedientes extiterunt, & dolore affecerunt Spir. Sanctum ejus. Ubi, qui poſuit in medium ipſius Spiritum Sanctum ſuum?* Hagg. 2:5, 6. *Ego vobiſcum ſum, ait Jehovah, cum Verbo quod promiſi vobis; & Spir. meus ſtat in medio veſtri.* Pſal. 51:12. *Spiritum firmum innova in medio mei.* Pſal. 143:10. *Spiritus tuus bonus ducet me in terram planam.* 2. Cor. 4:13. *Habentes igitur eundem Spiritum fidei.* coll. Pſal. 116:10.

XVI. Nec abludunt *Epiſcopii* commenta; qui omne ante Meſſiam *tempus, ignorantiæ* ac noctis fuiſſe differit, juxta Act. 17:30. & Rom. 13:11, 12. Populo autem Iſraëlitico, quantum in lege clarè deprehenditur, data fuiſſe promiſſa hujus vitæ tantum; cum remiſſione peccatorum non voluntariorum per ſacrificia; quæ tamen non niſi pœnarum à Moſis lege conſtitutarum relaxationes, & bonorum à lege promiſſorum, id eſt, temporariorum, communionem dicebant. Meſſiæ vero gratiam, olim præſtandam, interea quoque leviter adumbratam fuiſſe, tum in die expiationis magnæ, tum in veniæ promulgatione, ſine ullo peccatorum diſcrimine, per Prophetas nonnunquam facta. Quæ cuncta Socini virus habent. *Ad Socini errores accedunt Epiſcopii commenta.*

XVII. Sequuntur, ut ſolent, *Anabaptiſtæ*, legemque antea ſolam, nunc Euangelium obtinere contendunt; quorum vocabulorum vim & ſenſum nec ipſi ſatis intelligunt, & imperitè nimis divellunt, ac ſibi mutuo opponunt. Quod & patet, ubi de Vet. & N. T. deque Vet. & N. Fœdere loquuntur; quæ omnia cum lege & Euangelio confundunt; omniaque ejuſdem generis faciunt. Vide contra Act. 20:27. conf. 26:22, 23. *Quos ſequuntur Anabaptiſtæ.*

XVIII. Præter *fidem*, ſub hac œconomia norma *obedientiæ* fuit præcipue Decalogus reliquaque legis divinæ præcepta; quæ ſimul *cultum* exter-

externum præſcribebant. Quibus tribus capitibus theologia Patrum ſub Lege quoque abſolvebatur.

Ἀνακεφαλαίωσις.

XIX. Ut ergo omnia colligamus, & quid in mundo ac Eccleſia olim fuerit uno viſu perluſtremus: fuit in mundo, 1. ante peccatum lex naturæ, ſeu *fœdus operum*. 2. ingreſſum eſt *peccatum*, quod fœdus iſtud inutile reddidit. 3. mox audita eſt *Promiſſio* de ſalute, per ſemen mulieris. 4. Quæ voluntatem ac *Teſtamentum* Dei de hæredibus Filio dandis, eoſque ſalvandi per fidem, declarabat. 5. Ejus teſtamenti, ut hæres, ita *ſponſor*, fuit filius Dei. 6. Adjuta autem fides in hunc ſponſorem eſt diverſis *ſacrificiis* ac ſignis. 7. Acceſſit *Teſtam.* typicum, ſeu *Vetus*; quo Teſt. gratiæ figuratum, ampliuſque confirmatum fuit, datâ Cananæa in pignus cœli. 8. Propter apoſtaſiam populi impoſitum deinde eſt *cærimoniarum* jugum. 9. Advenit tandem *Chriſtus*, priſtinæ ſervitutis finitor, & peccato, omnique ejus accuſatione, per ſacrificium ſuum deletâ, Novo Teſtamento, ex quo juſtitia & libertas, initium dedit.

CAPUT XXVII.

De Antiquatione Veteris Teſt. ejuſque appropinquatione ad abolitionem.

Vet. Teſt. ANTIQUATIO. *quam oſtendit 1. ejus imperfectio.*

I. EX quibus jam patet, Veteris Teſt. œconomiam aliquando immutandam fuiſſe.

II. 1. Suadebat enim hoc Teſtamenti illius *imperfectio*, in quo deerant quoad perfectionem bona illa maxima, pleniſſima peccatorum expiatio, Eccleſiæ in hac vita conſummatio, ſanctificatio, conſcientiæ læta tranquillitas, libertas, aliaque Spir. S. dona, quæ aliquando præſtanda erant. Sicut Apoſtolus Vetus T. non fuiſſe *ἄμεμπτον abſque querela*, teſtatur Hebr. 8: 7. Unde nec fœderis hæredes in officio continere potuit. Hinc neglectius à Deo habiti, & partim in deſerto occiſi, partim gravi jugo onerati ſunt; aliudque tandem fœdus promiſſum fuit: non enim ſemper durare poterat priſca illa ſeveritas. *Vituperans enim eas, dicit: Ecce dies veniunt* &c. *quoniam ipſi non manſerunt in Teſtamento meo; & ego neglexi eos, dicit Dominus*. Hebr. 8: 8, 9.

III. 2.

III. 2. Nec interiora ſolum iſtius Teſtam. hanc imperfectionem habebant, ſed & ipſe cultus externus talis erat, ut ſatis oſtenderet ſe perpetuum eſſe non poſſe. Non enim ſemper Eccleſia in jejunis iſtis elementis obhærere poterat; quæ *ad emendationis tempus ſolum impoſita* erant, Hebr. 9: 10. & cedere aliquando debebant umbræ adventuræ luci. *2. cultusque ipſe externus.*

IV. 3. *Prædictum* quoque fuit Novum ac melius Teſtamentum. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & pangam cum domo Iſraël, & cum domo Judæ Fœdus Novum*, Jer. 31: 31. conf. Hebr. 8: 8, 9. *Et recordabor ego fœderis mei, tecum facti in diebus adoleſcentiæ tuæ, & erigam tibi fœdus ſæculi —— Et dabo illas tibi in filias, ſed non ex fœdere tuo.* Ezech. 16: 60, 61. *3. Novi melioriſque Teſt. prædictio.*

V. 4. Idemque *præfiguratum* fuit in Vet. T. inſtitutione per Moſem; cum de monte primùm deſcendens legis tabulas, non ſine omine ac futurorum præſagio, confregit. *Si id, quod aboletur, fuit glorioſum, multo magis id quod manet, glorioſum.* 2. Cor. 3: 11. *Moſes imponebat velamen faciei ſuæ, ne oculos defigerent* filii Iſraëlis εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου, *ad finem ejus, quod aboletur,* v. 13. *Quod & præfiguratum à Moſe.*

VI. 5. Ac tandem reipſa hæc abrogatio *peracta* fuit; duobus maximè gradibus: 1. *de jure*, oblato Chriſti ſacrificio; quo tempore Vetus Teſt. fuit ἐγγὺς ἀφανισμοῦ, *prope abolitionem*, Hebr. 8: 13. ad quam ſenſim quoque appropinquavit, diminuta paulatim illius gloria, ſæculis noviſſimis Chriſti adventum antegreſſis. 2. *de facto*, ubi advenit ejus ἀφανισμὸς; tum per Apoſtolorum prædicationem; ac præcipuè Cornelii per Petrum converſionem, qui primus ab Apoſtolo baptiſatus, Act. 10: 44, 48. ſalutem gentium dedicavit, ut inquit Hieron. Et ita *corruptum* fuit *jugum propter oleum*, Eſai. 10: 27. tum denique ac potiſſimum exciſa urbe ac templo, veloque iſto ab Eccleſiæ oculis remoto; quo Dei judicio Eccleſia plenè in libertatem aſſerta, ac Veteris Teſt. œconomia, una cum terræ iſtius hæreditate, *terra anathemate percuſſa*, Mal. 4: 6. planiſſimè ſublata eſt. *Antiquatio hæc peracta, de jure & de facto.*

LOCUS VIGESIMUS OCTAVUS

DE

Revelatione & Verbo ſub Oeconomia LEGALI.

CAPUT XXVIII.

De Moſe, omnique ejus ratione.

REVELATIO *& verbum hujus œconomiæ.* I. POſt legem ejuſque miniſterium, ſequitur alterum œconomiæ illius caput, Revelatio ac Verbum, quo Vetus Teſtamentum nixum ac propagatum fuit. Quæ conſideranda, tum in auctoribus ſuis, quibus divina revelatio facta fuit, ſive Moſe, ſive Pontifice, qui per Urim & Thummim oracula accipiebat, ſive denique Prophetis reliquis; tum in effecto revelationis, verbo ſc. ipſo, quod fuit Lex Dei ſcripta.

Conſideratio MOSIS. II. *Moſem* quod attinet, conſideranda ejus 1. perſona. 2. munus. 3. revelatio ipſi facta. 4. miracula. 5. denique perſonæ muneriſque ejus myſterium ac ſignificatio.

Illius nomen. III. Appellatus fuit vir hic, qui, excepto ſolo Chriſto, in Eccleſiâ Dei maximus fuit, *Moſes*, ab Ægyptiis, quod ex aquâ extractus & ſervatus foret, Exod. 2: 10. Quod & aliorum ducum ac imperatorum fatum fuit. Magnumque eum fore illo prodigiorum in nativitate ejus rudimento oſtenſum fuit. Quod Apoſtolus obſervat Hebr. 11: 23. *Fide Moſes natus occultatus eſt trimeſtre à parentibus ſuis, quia videbant elegantem eſſe infantem* &c.

Educatio. IV. *Educationem* habuit regiam, inque aulâ Ægyptiacâ omni ſapientia (quæ tunc ferè Ægyptiorum erat) eruditus, literiſque eorum inſtructus fuit, Act. 7: 22. Quod ipſi ad magnas deinceps res gerendas adjumentum & dignitatem addidit. A Pharaonis quoque filia in genus familiamque regis adſcitus, honorem iſtum repudiavit; *Magis eligens vexari cum populo Dei, quam temporariam habere peccati fruitionem; majores divitias æſtimans Ægypti theſauris improperium Chriſti. Aſpiciebat enim remunerationem.* Hebr. 11: 24, 25, 26.

V. Vi-

Digitized by Google

V. Vita ejus tribus periodis definitur: quadraginta annos in aulâ vi- *Vita.*
xit: totidem annos vitam privatam egit in Midianitide: totidemque annos Iſraëlitarum exulum agmini præfuit, populique Dei ducem egit.

VI. Extrema ejus ſingularia erant. Deo enim jam olim familiaris, *Extrema.*
peracto laborum curſu, ſanus valenſque ad eum in montem Nebo aſcendit, juxta os ac mandatum Dei ibi moriturus. Deut. 34: 5.

VII. Ignotum manſit ejus ſepulchrum, Deut. 34: 6. procul dubio peculiarem ob rationem. Quæ occaſio videtur fuiſſe certamins inter Michaëlem Archangelum & Diabolum, de corpore Moſis, de quo eſt Jud. v. 9. An corpus ejus rurſus excitatum, ac tandem in cœlum receptum ſit, licet veriſimile, attamen incertum eſt, nec ex Matth. 17. peremptoriè concludi poteſt.

VIII. 2. *Munus* ipſius, quod in Eccleſia geſſit, illuſtre imprimis, & *Triplex obivit munus Redemtoris.*
ſupra omnes, quotquot extiterunt unquam homines, eximium fuit, atque hiſce tribus abſolvebatur. 1. Quod populi Dei *Redemtorem* egerit; dum gregem in deſerto paſceret, ad munus illud, per Angelum ex ardentis rubi igne loquentem, vocatus. Exod. 3: 2, 4. Miſſus inde, cum expreſſa nominis Jehovæ nuncupatione, v. 14. cujus vim ac menſuram omnem Deus ſuo tempore impleturus promiſſaque olim Patribus facta repræſentaturus erat; Iſraëlitas, imbelle ac miſerabile agmen ante ora hoſtium minantium ac frementium, multis cum miraculis ac prodigiis, eduxit; Ægyptumque divinis juſſis repugnantem cœleſtibus plagis perdomuit; ac de ea idoliſque ejus tantum non triumphavit; non alio effuſo, quam agni Paſchalis ſanguine. *Hunc Moſem --- Deus miſit principem & λυτρωτήν, ductu Angeli, qui viſus fuerat ei in rubo.* Act. 7: 35.

IX. 2. Perductos deinde ad ſacrum montem Iſraëlitas Deo veluti *Mediatoris.*
præſentes ſtitit; ejuſque nomine legem populo dedit, Exod. 19. & fœdus cum univerſâ gente iniit, Exod. 24. ſtans ipſe inter Deum hominesque medius; ut fœderis illius *Mediator*, *ac Dei hominumque interpres & internuncius.* Deut. 5: 5 Gal. 3: 19. *Lege injunctâ per Angelos, in manu mediatoris.*

X. 3. Tandem & *Prophetam* ac Doctorem Eccleſiæ egit; quo in *Prophetæ.*
munere ita excelluit, ut nemo ipſi par aut ſecundus extiterit. Cum enim primarius in *domo Dei* foret *ſervus*, Hebr. 3: 5. veræ doctrinæ pleniſſimam formulam ac fœderis ſummam tradidit; cunctaque Eccleſiæ

fata deſcripſit, atque univerſum ejus ſtatum ordinavit. Speciatim autem & illuſtrem in modum de Chriſto vaticinatus eſt, Joh. 5: 46. atque alium Prophetam, alium Eccleſiæ ſtatum, alia denique ac meliora ejus fata promiſit. Deut. 18: 15, 18.

Revelatio illi facta. XI. Ad prophetiam Moſis pertinet 3. *Modus revelationis* ipſi factæ: qui ſingularis planè fuit, & ſupra reliquos Prophetas aliquid eximium habuit. Cum, Deo videlicet familiaris, adire eum ac conſulere quoties vellet; voceſque ejus ac reſponſa, non per ænigmata, aut nubem, ſed tanquam humanum ſermonem claro auditu percipere ac haurire poſſet. Num. 7: 89. Exod. 33: 9, 11. Inque iſto cum Deo commercio, non voces ſolum divinas audiret redderetque, ſed, cum in monte occultis ſacris operaretur, ipſam cœleſtium ſpeciem viderit, quod nemini præterea contigit. Exod. 33: 18. Num. 12: 8. Quod quomodo factum fuerit, & quæ iſta gloria ac ſimilitudo Dei fuerit, quam extremo viſu carpſit ac delibavit Moſes, quæq; ejus præ aliis prophetis præterea fuerit excellentia, lib. III. c. V. §. 15. paulò latius executi ſumus. Non exiguæ vero gloriæ fuit, quod, cum Moſes de monte rediret, facies ejus, divina luce perfuſa, radiaverit. Exod. 34: 29. *Adeo ut non poſſent filii Iſraël intentis oculis intueri in faciem Moſis, propter gloriam illam faciei ejus*, 2 Cor. 3: 7. conf. Luc. 2: 9. *Gloria Dei circumfulſit eos.* conf. Act. 7: 55. 1. Cor. 15: 41.

Miracula ab illo facta. XII. Ad munus ejus ſpectant 4. *Miracula*, quæ patravit ingentia prorſus & ſtupenda, inque omni fere naturæ parte, ac maximo numero; ut ea ſola, juxta Judæos, omnia reliquorum prophetarum miracula ſuperent: *Cum non ſurrexerit propheta in Iſraële par Moſi, quem agnoverit Jehova facie ad faciem, cum omnibus ſignis & prodigiis, ad quæ miſit eum Jehova* &c. Deut. 34: 10, 11, 12, 13.

XIII. Blaſphemè autem Athei ac Libertini miracula ejus negant, ac magicis artibus imputant. Cum contra magorum cum ipſo certamina legamus; quorum artes, atque omnem carminum & nefariorum rituum potentiam, operum ſuorum magnitudine oppreſſit ac ſuperavit. Sicut & magiæ hoſtem infenſiſſimum ipſum Moſem fuiſſe ex legibus ejus patet; Exod. 22: 18. *Præſtigiatricem ne ſinite vivere.* Ac revera tanta, & tam multiplicia, ac tam publica fuerunt ejus miracula, ut nulli ſpirituum miniſterio adſcribi queant: niſi Deum, relicto mundi regimine, omne ejus arbitrium nefandis illis geniis permiſiſſe credamus.

XIV.

Digitized by Google

XIV. 5. Tandem Moſen umbris ſuis evolvamus, ac detracto velo faciem ejus denudemus, & quæ hactenus de eo obſervavimus, cum Chriſto noſtro comparemus. Quod maximum hujus perſonæ eſt myſterium. Et *nativitas* quidem utriuſque infantum cæde nobilitata, atque uterque in Ægypto non ſine miraculo ſervatus fuit. *Educatio* Moſi regia, Chriſto propemodum plebeja fuit. Atque hoc ſuperior eo Chriſtus, quod tenuiter habitus, & ignobili miniſterio exercitus, eo paterna officina repente tamen ſapientiſſimus & eloquentiſſimus prodierit. Cum Moſes in aula ad tantum virum, qualis poſt extitit, formatus, μογιλάλος fuerit, & ore non ſatis rotundo: quod myſticè Legis impotentiam arguebat, Rom. 3: 19. *Mors* ejus extra Cananæam, miniſterii ejus rationem edocebat. Lex enim utcunque viam ſalutis de longinquo monſtret, & ad Cananææ limitem adducat, eo tamen neminem introducit; ſed peracto miniſterio ſuo, Joſuæ, h. e. Chriſto, homines beandos & ſalvandos tradit. *Sepulchrum* denique ejus ignoratum ceremoniarum ab ipſo traditarum fatum, legeſque ipſius olim ſepeliendas nec unquam refodiendas, oſtendebat. *Myſtica ejus ſignificatio.*

XV. Similiter *munera* ejus quod ſpectat: *Redemtio* ac liberatio populi veram Eccleſiæ redemtionem per Chriſtum docebat, qui *agnus* ille incontaminatus eſt, cujus ſanguine illa expiata & Deo in peculium acquiſita eſt, in λαὸν εἰς περιποίησιν, 1. Pet. 2: 9. Tit. 2: 14. *Mediatoris* ac Interpretis munus, quod in celebri illa legiſlatione geſſit, Chriſtum verum Mediatorem præfigurabat, qui non ſolum mediator, ſed & fœderis ſponſor fuit; nec beſtiarum cruorem, ſed proprium ſanguinem libavit: nec deleri ſolum è libro vitæ optavit, ut olim Moſes, Exod. 32. ſed revera *execratio factus eſt*, Gal. 3: 13. Utque Moſes tandem *Propheta* fuit, ſupra omnes extra controverſiam maximus, uti ſervus in tota domo Dei probatus & fideliſſimus; ita Chriſtus ipſo Moſe fuit major, & familiæ divinæ non ſervus, ſed filius, & dominus, & hæres fuit, Hebr. 3: 5, 6. Unde & ſupra Moſem *audiendus fuit*, Matth. 17: 5.

XVI. *Revelationis* peculiaris modus & gradus, utcunque Moſen inter mortales maximum, inter quos nullus tam propinquæ apud Deum admiſſionis fuit, Chriſto tamen interiorem oſtendebat, qui de ipſo ſinu Patris veram ſapientiam lucemque nobis attulit: *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui eſt in gremio Patris, illum ediſſeruit*, Joh. 1: 18. Et vidit ille quidem gloriam Dei, ſed veluti diſcedentis, ejuſque *poſteriora*, ac veluti fugientis lucis umbram levi adſpectu deli-

Digitized by Google

bavit. Qua tamen cœleſti luce perfuſus, cum de monte deſcenderet, non niſi obvelato oris habitus inter Iſraëlitas verſari potuit. Quæ partim legis fulgorem ac ſanctitatem, quam peccatores ferre nequeunt, partim opacas cerimoniarum tenebras & noctem, velumque veteris Eccleſiæ figurabant. Quod tandem velum Chriſtus Moſi de facie detraxit, ſibique illum teſtimonium perhibere juſſit, Joh. 5:46. *Si crederetis Moſi, crederetis mihi, de me enim ille ſcripſit.* tandemque & Judæis ipſis velum illud auferet, ut *retectâ facie gloriam ipſius videre queant.* 2. Cor. 3:16, 17.

XVII. Miracula quoque ejus, præſertim populi exitus, traductio per mare, mannæ aquarumque ſuppeditatio, tabularum legis delatio, & quadraginta annorum ductus, ac in deſertis locis conſervatio, totidem Chriſti miracula, ſeu ἀποτελέσματα divina adumbrabant. In quibus omnibus tamen Chriſtus Moſe multis nominibus major fuit, ut proximè vidimus. Ex qua comparatione, Chriſti præ Moſe prærogativa innoteſcit: utque ille omnibus Prophetis fuit ſuperior, ita hunc ipſo Moſe eſſe majorem. Quod non obſcurè Moſes ipſe prædixit, Deut. 18.

CAPUT XXIX.

De revelatione Pontifici facta per Urim & Thummim, reliquiſque prophetiis.

Oraculum URIM & THUMMIM

I. Sequitur ut agamus de oraculo *Urim & Thummim*, qui modus erat divina reſponſa accipiendi ſolis Pontificibus peculiaris. Legitur de eo Exod. 28:30. Lev. 8:8. Num. 27:19. Deut. 33:8.

quale fuerit?

II. Juſſerat autem Deus amiculo Sacerdotali, *Ephod* appellato, medio in pectore illigari pannum pretioſiſſimum, palmi magnitudine, quod pectorale ſeu חשן dicebatur; cui duodecim uniones ſtupendo opere inſerti erant, duodecim tribuum nomina præferentes. Qui quaterni gemmarum ordines (quadruplici enim ſerie diſpoſiti erant) vel ipſa Urim & Thummim erant; quæ voces luces & perfectiones dicunt; quod ex collatione locorum Exod. 39:8, 10. & Lev. 8:8. patere videtur; vel certe fuere illa ſecretius ac ſanctius aliquid, à Deo artifice Moſi traditum, & myſtico iſti panno inſcriptum, Scripturis vero tacitum, adeoque ignotum.

III.

Digitized by Google

III. Modus oraculum conſulendi talis erat;ut Pontifex,extra adytum, facie ad arcam obverſâ ſtaret, & qui reſponſum petebat, à tergo ejus ſe componeret. Quo habitu ille ad id quod animo conceperat, certiſſima reſponſa accipiebat, & conſulentibus reddebat. Quæ ex novo ac inſolito lapidum fulgore, vel literarum ex pectorali prominentium, ac ordine protuberantium ſerie ab ipſo deprehenſa, Judæi autumant. Quod tamen incertum eſt; cum in longis variiſque adeo oraculis locum illud habere non potuerit. vide Jud. 1: 1, 2. 2. Sam. 5: 19, 23, 24. 1. Sam. 23: 11, 12, 13. Unde cum Urim & Thummim certus prophetiæ gradus in Pontifice fuerit, veroſimilius eſt, vel externa voce ex adyto, vel ſaltem per internum inſtinctum in mente Pontificis, Deum reſpondiſſe.

Quomodo reſponſa reddiderit?

IV. Conſultum illud oraculum maximè ſub tabernaculo legimus; ſub templo autem, cum Deus per Prophetas crebrius reſponderet, paulatim deſiiſſe: ſicut & ſub ſecundo templo, una cum aliis rebus ſacris illud prorſus deſideratum fuit. Fruſtra autem Judæi ſub Meſſia illud reſtituendum putant, male intellecto loco Ezr. 2:63. & Neh. 7:65.

Quando deſierit?

V. Uſus ac cauſæ iſtius oraculi erant: 1. ut Deus ſeſe populo ſuo præſentem teſtaretur. Quæ ſingularis illius præ aliis mundi nationibus erat gloria. *Quæ gens maxima, cui Deus eſt propinquus, ſicut Jehova Deus noſter eſt, quotieſcunque invocamus eum?* Deut. 4:5. conf. Pſal. 147:19, 20. *Indicat verba ſua Jacobo --- non fecit ſic ulli genti* &c. 2. Atque illum à Gentium ſuperſtitione totque oraculorum ac ſortium ludibriis abſtraheret, cum domeſticum in templo oraculum haberet, Deumque ipſum familiariter accedere ac conſulere liceret. Unde tam ſevere ariolos omnes, ac divinos arteſque illas impias & nefandas ex republ. iſta proſcripſit. 3. Denique & Chriſti imagini figurandæ & adornandæ hi pectoralis lapides, & hæ luces ac perfectiones inſerviebant. *Erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum.* Joh. 1:9. *In eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.* Col. 2: 9, 10. Ille enim ſolus iſte ſacerdos eſt, qui in pectoris ſui adyto luces ac perfectiones inſculptas habet; quique Dei hominumque interpres unicus, per quem ſolum accedere poſſumus, certiſſima mortalibus reſponſa reddidit. Ut non alio oraculo nunc opus ſit, ne in Eccleſia quidẽ, ut male Pontificii præferunt. Cum lucis hujus fulgor & radii univerſum Dei templum colluſtraverint, omnemque ejus doctrinam perfectiſſime abſolverint: ut alias ſortes movere, mendacemve ſpiritum vel in ſpecu aliquo mugien-

Illius uſus ac ſignificatio.

Digitized by Google

gientem, vel in templo, vel ex capitolio denique proloquentem audire nefas ſit.

Revelationes propheticæ ſub œconomia legali.

VI. Atque hæc de divina revelatione Moſi & Pontifici facta ſufficiunt. Reliquos autem prophetas quod ſpectat, ſupra de iis egimus, lib. III. c. v. §. I. varioſque prophetiæ gradus vidimus. Neque in hac periodo ulla ejus mutatio facta eſt; niſi quod crebrius interdum prophetæ viſi fuerint, & clarius illuſtriuſque de Miſſia vaticinati ſint; ut ſpeciminis loco pauca hæc ſunt, quæ agunt de miſſione illius, qui diceret & faceret ea, quæ Filium Dei dicere & facere oportebat, Eſai. 61:1, 2, 3. Zach. 9:9. de matre ejus, Eſai. 7:14. nativitatis loco, Mich. 5:1. tempore, Dan. 9:24. Mal. 3:1. de ejus paſſione, Pſal. 22. & 69. Eſai. 50:6. 53:4-9. Mich. 4:14. Zach. 11:12, 13. 13:7. reſurrectione, Pſal. 16. Zoph. 3:8. gloria, Pſal. 68, 110, 118 effuſione Sp. S. Joël. 2:28. cum dono linguarum, Zoph. 3:9. Eſai. 28:11. miraculis Apoſtolorum, Eſai. 8:18. prædicatione Euangelii in gentibus, Eſai. 42:4. Templi, urbis populique everſione, Eſai. 66:6. Dan. 9:27. Judæorum diſperſione per totum mundum, Hoſ. 9:11. idololatriæ extinctione in maxima parte mundi, Zach. 13:2. Gentium traductione ad Chriſtianum nomen, Eſai. 44:5. Pſal. 22:30. 87:4, 5, 6. Regno Beſtiæ & defectione &c. Eſai. 57. Ezech. 38. & 39. Dan. 11. rurſus autem ſub ultima ejus tempora prophetæ paulatim deſierint; quando ſacer ille chorus, expleto miniſterio ſuo, Chriſto de viâ ceſſit, ipſumque tanto præconio celebratum & commendatum, unicum ac perpetuum Eccleſiæ ſuæ doctorem reliquit.

CAPUT XXX.

De LEGE SCRIPTA.

VERBUM *ſub hac œconomia*

I. ATque hiſce auctoribus ſive miniſtris per divinam revelationem verbum Dei ad homines pervenit. Qui revelationis hujus fuit effectus ac finis. Eſt autem hoc diſcrimen annotandum inter verbum Dei, quod ſub Promiſſione, quodque deinde ſub Legis œconomiâ obtinuit; quod ibi illud maximam partem ἄγραφον, hic ἔγγραφον & ſcripto comprehenſum fuerit;

ſcriptum.

ut in Decalogo, univerſâ Lege, Scripturiſque reliquis. Ita ut hic primum in ordine temporum Scripturæ mentio occurrat; hicque ejus tra-

Digitized by Google

tractandæ opportuniſſimus locus ſit. Cum autem initio operis illam ut doctrinæ revelatæ principium conſiderare neceſſe habuerimus, & pleraſque quæſtiones eo ſpectantes abſolverimus, nunc campum iſtum non ingredimur. Huic Legi ſcriptæ Judæi deinceps, ſi non oppoſuerunt, ſaltem conjunxerunt, patrias traditiones; ex quibus ſerioribus ſæculis lex eorum oralis nata eſt. de quibus ſuo loco.

II. Hic cum univerſus Legis revelationiſque ſub ea fuerit ambitus, pronum eſt ex dictis colligere, quænam Theologiæ ſeu doctrinæ Moſaicæ fuerint principia & fundamenta, quibus illa ſuperſtructa fuit. Illa autem ad hæc tria præcipuè recidunt. 1. Revelationem divinam unicam eſſe normam & regulam omnis cultus religioſi, qui Deo gratus & acceptus futurus ſit. Quod principium licet perpetuæ fuerit neceſſitatis, in lege tamen præcipuè repetitum & maximo rigore adſtrictum fuit, juxta illud Deut. 4: 2. *Ne addito ad verbum illud quod ego vobis præcipio, ne demito de eo.* conf. c. 12: 32. 2. Vitam & juſtitiam, Deo placituram, non niſi ex mera gratia per ſemen promiſſum ejusque ſanguinem eſſe expectandam. Quod ut prior œconomia omnis teſtabatur, ita ſub Lege palam & aperte fuit explicatum. Hoc enim clamabat omnis inſtitutio legalis, omniaque ſacrificia, præſertim ſollemne illud & anniverſarium ſacrum die expiationis quotannis offerendum, Lev. 16. Unde Apoſtolus Hebr. 9: 21. *Sanguine propemodum omnia mundantur ſecundum legem & ſine ſanguinis effuſione non fit ἄφεσις remiſſio.* Ex quo infert com. 23. *Neceſſe ergo, figuras quidem eorum quæ in cælis ſunt, hiſce mundari; ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis præ iſtis.* 3. Univerſos hoſce cultus religioſi typos & formulas, utcunque præcellentes & gloriæ plenas ad præſtitutum duntaxat tempus duraturas eſſe, donec nempe Meſſias veniret, cui omnes obedituri eſſent. Deut. 18: 17-19. Conf. Joh. 4: 25. In quæ fundamenta omnis Judæorum, quæ poſterioribus ſæculis inſecuta fuit apoſtaſia, incurrit.

Principia doctrinæ Moſaicæ quænam fuerint?

LOCUS VIGESIMUS NONUS

DE

Sacramentis & ſignis ſacramentalibus

SUB LEGE.

CAPUT XXXI.

De PASCHATE.

SACRAMENTA *ſub œconomia Legis.* I. SEquuntur nunc, quod tertium œconomiæ legalis caput eſt, Eccleſiæ illius ſacramenta, ſub hac periodo vel ab antiquo retenta, vel de novo inſtituta. Et licet in hunc cenſum ſacrificia quoque omneſque ceremoniæ legis referri poſſent; eminebant tamen illa quæ propriè appellamus ſacramenta, vel ſigna ſacramentalia. Quæ fuerunt tum illa, quæ vulgò ordinaria, tum quæ extraordinaria appellantur.

CIRCUMCISIO. II. Ordinaria erant: 1. *Circumciſio*, quæ olim Abrahamo data, ſub hac œconomia permanſit, niſi quod novus rigor acceſſit; quumque ſub Patribus aliquid Euangelici haberet, nunc in Legis miniſtram, & acerrimam Moſaicorum rituum exactricem converſa, univerſæ legis compendium, ac manifeſtata ſervitutis confeſſio ac teſſera facta fuit, juxta Gal. 5: 3. *Teſtor omni homini, qui circumciditur, eum eſſe debitorem totius legis ſervandæ.*

PASCHA; *in quo conſideranda* III. 2. *Paſcha*, per Moſen, licet in Ægypto & libertatis exordio, inſtitutum. In quo conſideranda occurrunt, 1. *Nomen*, 2. *Inſtitutio* & celebratio. 3. Uſus & *ſignificatio.*

1. nomen. IV. Nomen ejus Hebraicè eſt פסח *tranſitus* ſeu *tranſilitio*, à tranſitu Angeli. *Erit ſanguis ille vobis in ſignum ſuper illas domos ubi eritis, & videbo ſanguinem illum,* וּפָסַחְתִּי *& tranſibo præter vos.* Exod. 12:13. Helleniſtis dicitur Φασὴ; Joſepho Φάσκα; Philoni πάσχα: quod in N. T. uſitatum, *ſcitis poſt biduum Paſcha fore.* Matth. 26: 2

V. Notat hæc vox 1. propriè Angeli illius tranſitum. 2. Agnum Paſchalem. *Comedetis eam cum feſtinatione, Paſcha eſt Jehovæ.* Exod. 12: 11. *Accipite vobis parvam pecudem per familias veſtras, deinde jugulate ipſum*

ipſum Paſcha v. 21. *Jugulantibus autem illis Paſcha, ſacerdotes ſpargebant* ſanguinem &c. 2. Chron. 35: 11. *Tum coquebant Paſcha igne pro ritu* v. 13. *Venit dies azymorum quo oportebat mactari Paſcha.* Luc. 22: 7. 3. Feſtum Paſchatis. *Præcepit Rex toti po[p]u'o, dicendo: celebrate Paſcha Jehovæ Deo veſtro* &c. 2. Reg. 23: 21, 22. *Appropinquabat autem feſtum azymorum, quod dicitur Paſcha.* Luc. 22: 1. 4. Sacrificia, tum temporis offerri ſolita: *Tum mactabis Paſcha, pecudes & boves Jehovæ Deo, in loco quem elegerit Jehova ad collocandum nomen ſuum ibi.* Deut. 16: 2. *Illi non intrarunt in prætorium, ne pollucrentur, ſed, ut ederent Paſcha.* Joh. 18: 28. 5. Chriſtum, verum Paſcha, 1. Cor. 5: 7. *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt*, nempe *Chriſtus*. 6. Sacramentum, quod conſiſtebat in agni paſchalis mactatione & comeſtione. quo ſenſu id hic uſurpamus.

VI. Quæritur autem, an Paſcha Sacramentum ſit, an potius ſacrificium? Reſp. utrumque fuiſſe, ſed diverſo reſpectu. Quoad mactationem enim agni, effuſionem ſanguinis, ejuſque oblationem ad altare, &c. fuit ſacrificium. Quod & nomen זבח θυσία, (*Non poteris* לִזְבֹּחַ *mactare Paſcha, intra aliquam è portis tuis*, &c. Deut. 16: 4, 5, 6. זֶבַח־פֶּסַח *victima Paſchatis eſt Jehovæ.* Exod. 12: 27. conf. c. 23: 18. 34: 25. *Non pernoctabit uſque mane* זֶבַח חַג הַפָּסַח *ſacrificium feſti Paſchatis.* Num. 9: 13. *Vir ille qui eſt mundus, aut in itinere non eſt, ſi deſierit* לַעֲשׂוֹת הַפֶּסַח *celebrare, facere Paſcha, exſcindetur anima illa è populis ſuis.* Marc. 14: 12. *Primo autem die azymorum,* ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, *quando Paſcha mactabatur.* Luc. 22: 7. *Venit dies azymorum, quo oportebat* θύεσθαι *mactari Paſcha.*) & res ipſa oſtendit; quoad epulum vero & ſacrum convivium, fuit ſacramentum. *(an Paſcha ſacramentum ſit, an ſacrificium?)*

VII. *Inſtitutionem & celebrationem* ejus quod attinet, injuncta illa primitus fuit in Ægypto, peragenda ultimâ nocte, quâ populus Iſraëliticus inde exceſſurus erat, Exod. 12: 1. &c. certis cum cerimoniis ac ritibus. 1. enim ad iſtud ſacrum adhibendus erat *agnus*, aut hædus, *maſculus, anno non major*, Exod. 12: 5. 2. ille *decimo die menſis Niſan*, quià novilunio noſtri Martii incipit, ab ovili ſeparandus, domi aſſervandus, & die 14. mactandus erat, Exod. 12: 3, 6. 3. mactatio peragebatur *die 14. inter duas veſperas*, v. 6. id eſt, inter initium ſacrificii veſpertini, & occaſum Solis. 4. Sanguis allinendus erat poſtibus & ſuperliminari domus, faſciculo hyſſopi, v. 7, 22. Quo ſigno Angelus vaſtator admoneretur, ædeſque ipſorum præteriturus foret, v. 13, 23. Nemini vero licebat illa nocte domo egredi, uſque ad mane, v. 22. 5. Comedebatur *2. inſtitutio & celebratio ejus in Ægypto.*

Digitized by Google

agnus die 15. ſtatim ab occaſu Solis, à circumciſis duntaxat, Exod. 12:8, 44. & convivarum numero, qui non erat infra decem, nec ſupra viginti. Ille autem, non crudus, nec aquis excoctus, ſed aſſus, una cum capite, cruribus & viſceribus manducandus erat. 6. Cum panibus azymis, lactucis, & herbis amaris, v. 8. ut recens ſemper eſſet memoria afflictionis Ægyptiacæ; unde & *panis afflictionis* dicitur, Deut. 16: 3. Hinc Judæi nocte pervigilium feſti præcedente fermenti expurgationem peragebant, ſumma cura omnes domus, anguſtias ac rimas luſtrantes, collectaſque fermenti particulas, non ſine diris ac execratione, flammis abſumendas tradentes. 7. Comedebant agnum habitu feſtinantium, lumbis accinctis, calceis induti, baculis in manum ſumtis, v. 11. 8. Nullum os feſti hujus agni frangendum, v. 46. quodque ex epulo reliquum erat, mane igni concremandum erat, v. 10. nefas enim erat carnes ſacras corrumpi. 9. Denique univerſi iſtius ſacri religio eadem nocte liberis tradenda erat, illique de tota re edocendi, Exod. 13: 8. Quæ *Haggadah*, ſive annunciatio Paſchatis dicebatur; quo reſpicitur 1. Cor. 11: 26. *Quotieſcunque ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, uſque quo venerit.*

in deſerto. in terra Canaan. VIII. Ita celebratum fuit primum Paſcha *in Ægypto*. In *deſerto* unicum tantum legitur celebratum Paſcha, Num. 9:5. In terra *Canaan* mox iterum Paſcha celebrarunt, Joſ. 5.

Feſtum azymorum. IX. Cum Paſchate autem concurrebat ſemper feſtum *panum azymorum*, de quo ſupra.

X. Superſunt duo adhuc quærenda 1. quis Paſchatis mactandi fuerit locus? 2. qui miniſtri ejus?

Paſchatis mactandi locus, XI. Reſp. Ad 1. Locus in *Ægypto* erant privatorum ædes. *Accipientes ex ipſius ſanguine, imponent duobus poſtibus & ſuperliminari, in domibus illis in quibus eſuri ſunt ipſam.* Exod. 12: 7. *deinceps* vero tabernaculum, aut templum, ſive ejus atrium, ubi victimas mactare moris erat. *Non poteris mactare Paſcha in portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi, ſed in loco quem eliget collocandum ibi nomen ſuum, ibi ſacrificabis* vel *parabis Paſcha in veſpere*, Deut. 16: 5, 6. coll. Joſ. 5: 10. 2. Chron. 35: 3, 6. Luc. 2: 41, 42. *Ibant verò parentes ejus quotannis Hieroſolymam in feſto Paſcha, ſecundum morem illius feſti.* Manducabatur autem in privatis ædibus. Matth. 26: 17, 18. *Ubi vis paremus tibi ad edendum Paſcha? Ipſe vero dixit, abite in urbem ad quendam, & dicite ei, præceptor dicit; tempus meum prope eſt, apud te faciam Paſcha cum diſcipulis meis.*

XII. Ad

Digitized by Google

XII. Ad 2. miniſtri Paſchatis *in Ægypto* erant patresfamilias, aut filii primogeniti, Exod. 12:3. ſub *lege* autem ſimul patresfamilias cum Sacerdotibus & Levitis. Patres quidem familias agnum mactaſſe; hi autem ſanguinem ad altare detuliſſe & effudiſſe videntur. vid. 2. Par. 30: 15, 16, 17. & 35: 5, 6, 10, 11. Eſr. 6. 20. Matth. 26: 28. *& miniſtri.*

XIII. Præter ordinarium hoc Paſcha inſtituerat Deus Paſcha ſecundarium; quod celebrandum erat menſe ſecundo, die decimo quarto, ab iis, qui priori menſe ſive immundi, ſive abſentes fuerant. Cujus occaſio refertur Num. 9: 6, 10, 11. Idem autem per omnia illud erat cum paſchate ordinario, niſi quod hic non conſtringerentur ad omnis fermenti expurgationem è domibus ſuis; & quod unicus tantum dies feſtus & *ἄπρακτος* eſſet. Atque hoc tempore ordinarium Paſcha ſpeciali de cauſa celebravit olim Ezechias Rex, 2. Chron. 30: 2, 3, 15. *Paſcha ſecundarium.*

XIV. Sequitur tertiò Paſchatis uſus & *ſignificatio*; quæ vel Judæos ſolos, vel nos etiam ſpectabat. *3. Paſchatis uſus & ſignificatio;*

XV. Ratione Judæorum uſus ejus erat, in Ægypto Angeli deſtructoris tranſitum, ac Iſraëlitarum exitum obſignare, Exod. 12: 12, 13, 23. ac deinceps, annuam ejus beneficii memoriam colere, Deut. 16: 1. ac denique feſtivitate illa Judæorum gentem ab *alienigenis* incircumciſis diſterminare, Exod. 12: 43, 44, 45, 48. *tum reſpectu Iudæorum,*

XVI. Primaria autem ejus ſignificatio, quæque ad nos etiam pertinebat, fuit, annuo iſto ſacrificio, in ſollemni univerſi populi conventu, tanta cum pompa & frequentia peracto, præcipuum religionis myſterium, Chriſti, veri agni, mortem & expiationem perpetuo recolere ac commemorare: iſtaque fide, uſque ad adventum ejus, Eccleſiam paſcere ac ſolari. Cujus ſacrificium & beneficia, noſtrique cum iis communio, annuo iſto ſacro, omnibus ſuis partibus mirè adumbrata & expreſſa fuerunt. 1. enim *agnus* notabat *agnum Dei, qui tollit peccata mundi*, Joh. 1: 29. qui non alia pecude melius præfigurabatur; cum in ea imago ſit, tum noſtræ aberrationis & petulantiæ, Chriſto imputatæ: (*Omnes nos tanquam oves aberravimus: quiſque ad viam ſuam verſi fuimus: & Jehova in eum fecit incurrere pravitatem omnium noſtrum.* Eſai. 53: 6. *Et ſtatuet, oves quidem ad dextram ſuam, hædos autem ad ſiniſtram.* Matth. 25: 33.) tum Chriſti obedientiæ & patientiæ: *Exigebatur & ipſe ſubmittebat ſe, & non aperiebat os, ut agnus ad macellum ducebatur, & ut agna coram vulſoribus ſuis obmuteſcens.* Eſai. 53: 7. *Maſculus* autem ille erat, ad ſignificandum robur Chriſti. *Dignus eſt agnus, qui mactatus eſt, ut accipiat poten-* *tum noſtri quoque.*

Digitized by Google

tiam & vires & honorem & gloriam & benedictionem. Apoc.5:12.& *ſine labe*,ad puriſſimam Chriſti hoſtiam repræſentandam,*qui eſt Pontifex nos decens, pius, ſine vitio, impollutus, ſeparatus à peccatoribus.* Hebr. 7:26. *Nec anno major*, ut conſtaret, Chriſtum non diu inter homines verſaturum, ſed promtiſſimè mandatum patris impleturum. 2. *Segregatio agni* à reliquo grege, aliquot diebus ante facta, Chriſtum ſolum ad id munus electum, ſolumque dignum eſſe docebat, qui pro genere humano Paſcha fieret. 3. Ut ille *mactabatur*, *ſuſpendebatur*, & aſſandus *clavis configebatur, nec os in eo confringebatur*; ſic noſter in cruce eadem paſſus eſt, eodem loco, menſe, die, & præciſè eadem horâ. *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt*, nempe *Chriſtus*. 1. Cor. 5: 7. *Ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio Seniorum Agnus ſtans, ut mactatus.* Apoc.5:6. *Dignus accipere librum & aperire ſigilla ejus: quia mactatus es & emiſti nos Deo* &c. v.9, 12. *Facta ſunt hæc, ut Scriptura impleretur: os non conteretur ei.* Joh. 19: 36. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Marc. 15:25. 4. *Hyſſopi* frutex, Chriſtum, fructum, terræ vilem, nec decore ullo præditum; *ſanguis*, Chriſti obedientiam & meritum; *aſperſio* ac irroratio ejus, mortis Chriſti imputationem, tum à Deo. Pſal. 51: 9. tum à Chriſto, Eſai. 52: 15. tum à nobis ipſis per fidem, 1.Pet. 1: 2. Hebr. 12: 24. factam; *domus* & *limen ſuperius*, tum corda noſtra; tum externa bona omnia, quæ nobis per Chriſtum ſanctificata ſunt; tum denique Eccleſiam, veram Dei domum pingebant;ex qua *egredi* non licet;dumque judicia Dei toto orbe deſæviunt, in iſta domo quieſcendum, Eſai. 26: 20. & Paſcha comedendum eſt;& ſacrificii Chriſti confeſſione, veluti *impreſſo poſtibus ſigno*, Deus publice honorandus, & *deſtructor angelus*, omniſque mortis poteſtas averruncanda eſt, Chriſtus quippe *carnis & ſanguinis particeps factus eſt, ut per mortem aboleret eum qui mortis imperium habebat, hoc eſt, Diabolum.* Hebr. 2: 14. 5. *Manducatio* agni fidem in Chriſtum ſignabat. Et ſicut *multi de uno agno* comedebant;ſic unus multorum juſtitia & vita eſt: nam *per obedientiam hujus juſti conſtituuntur multi.* Joh. 6: 51. Rom. 5: 19. & multi in uno unum fiunt: *Quoniam unus eſt panis, unum corpus* nos *illi multi ſumus: nam omnes ex uno illo pane participamus.* 1. Cor. 10: 17. 6. Utque *aſſa* erat comedenda ſacrificii caro, non cruda, vel aquis excocta; eaque omnis abſumenda, *nec quicquam in craſtinum relinquendum*: ſic Chriſtus non leviter afflictus, ſed divinâ ira graviſſime oppreſſus, & charitatis ſuæ ardore tandem conſumtus eſt: totuſque, cum

cum omnibus beneficiis ſuis, integra fide, amplexandus & poſſidendus eſt; nec unquam procraſtinandum; poſt perceptam autem communionem in eo toto corde acquieſcendum eſt; cum iterari ſacrificium ejus non poſſit, nec iterato opus habeamus. 7. *Panes azymi* vitæ novitatem ſignificant: *fermentum* enim & acor à vetuſtate & corruptione eſt. Idque omne è regno Chriſti, quod regnum novæ lætitiæ eſt, ante *veſperam*, id eſt, initium ejus, & novi ſæculi exordium, tum quoad doctrinam, tum quoad vitæ ſcandala, *eliminandum* eſt. *Tunc intellexerunt eum non dixiſſe ut caverent à fermento panis, ſed à fermento doctrina Phariſæorum.* Matth. 16: 12. *An neſcitis paululo fermenti totam maſſam fermentari? Expurgate igitur vetus fermentum, ut ſitis nova maſſa.* 1. Cor. 5: 6, 7. *Herba amara* paſſionis ac crucis Chriſti communionem: (Nam *oportet per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* Act. 14: 22.) & mortificationis dolores, (*Hoc ſcientes, veterem noſtrum hominem una crucifixum eſſe, ut aboleatur corpus peccati.* Rom 6: 6.) & vitæ præſentis tædia ac labores, & patientiam denique docebant. *Gloriamur in afflictionibus, ſcientes, quod afflictio patientiam operetur. Patientia autem experientiam, experientia autem ſpem, ſpes vero non pudefacit.* Rom. 5: 3, 4, 5. *Peregrini* & *ad iter accincti* habitus mundi fugam, animi promtitudinem ac robur, interimque ſacri epuli, ceu viatici, fulturam, & ſæpe guſtatas, in hoc itinere, ac raptas veluti à feſtinantibus cœli delicias teſtabatur. *State igitur cinctos lumbos habentes in veritate, & induti thoracem juſtitiæ.* Eph. 6: 14. *Quapropter ſuccincti lumbis mentis veſtra, ſobrii, ad finem uſque ſperate in eam quæ vobis defertur gratiam.* 1. Pet. 1: 13. 8. Utque *circumciſi* ſolum ad convivium Paſchale admittebantur; peregrinis autem præputiatis, & inquilinis, ac mercenariis eo accedere nefas erat: ita nemo niſi fidelis communionem habet cum *agno Dei, qui portat peccata mundi*; nec ad ſigna hujus communionis admittendi, qui certis ſignis, qualis præcipuè eſt confeſſio juſtitiæ Dei, & redemtionis per Chriſtum, de vero Iſraële cenſeri non poſſunt. 9. *Septem dies* univerſum Nov. T. tempus, in ſeptem partes diſtributum, (*Sed*, vel *niſi*, *in diebus ſeptimi Angeli, quum buccinaturus eſt, & conſummabitur myſterium Dei, quemadmodum nunciavit ſervis ſuis Prophetis.* Apoc. 10: 7.) uſque ad magnum Eccleſiæ Sabbatum: & *primi ac ſeptimi diei* peculiaris *ſanctitas*, & quies, publico præconio indicta, beata Eccleſiæ tempora, in prima ac ultima ejus periodo, ſignificant; dum primâ tubâ, promulgato primum Euangelio, gen-

tes

Digitized by Google

tes pariter & Judæi ad feſtivitatem hanc vocati fuere; atque ſeptimâ, ſive ultimâ, Euangelium regni toto mundo prædicabitur, ac tunc erit finis & Sabbatum.

XVII. Tranſitus autem, qui in Paſchate fiebat, triplex notari poteſt. 1. Severitatis & mortis, quoad primogenitos Ægyptiorum, Exod. 12:11, 12. 2. gratiæ, quoad primogenitos Iſraëlis, v. 13, 23. 3. liberationis è ſervitute, in libertatem & hæreditatem terræ Canaan, v. 11. 17. Quæ omnia rurſus myſtice, tum in Chriſto, tum in nobis, adimplentur. 1. Chriſtus enim quidem, ut primogenitus Dei occiſus eſt. 2. Nos autem per ejus mortem ſervamur. 3. Tandemque plene è mundi ac peccatorum ſervitute liberabimur, & ovantes in terram promiſſionis deducemur. Quem tranſitum ac curſum partim in hac vitâ magnis paſſibus conficimus, tum in juſtificatione: *Qui ſermonem meum audit & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam & in judicium non venit, ſed tranſiit ex morte in vitam.* Joh. 5:24. tum in ſanctificatione noſtrâ: *Nos ſcimus quod tranſiverimus è morte ad vitam, quia fratres diligimus.* 1. Joh. 3:14 præcipue autem in morte ac reſurrectione noſtra pleniſſimè abſolvemus, Joh. 13:1. 2. Cor. 5:8. ubi verum erit Paſchatis noſtri implementum: *Dico vobis me non amplius eſurum ex eo*, Paſchate, *uſque quo compleatur in regno Dei.* Luc. 22:16.

Significatio Paſchatis ſecundarii. XVIII. Typicum etiam fuit Paſcha ſecundarium, ſeu ſecundi menſis; ac indicabat, nos gentiles, qui impuri eramus, imo mortui in peccatis, quique procul eramus, olim per Chriſti ſanguinem adductum iri. *Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui olim eratis procul, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti.* Eph. 2:13. & veluti in ſecundam ſpem venturos.

XIX. Ex qua multiplici picturâ ac analogia agnus ille non ſolum *ſignum* tranſitus, Exod. 12:13. ſed ipſum *Paſcha* ac tranſitus appellabatur, v. 21. pari modo, ut & Chriſtus, 1. Cor. 5:7. Quam figuram præſtare non poſſunt Sociniani, qui & agnum & Chriſtum ſacrificium, ſanguinemque eorum λύτρον fuiſſe nolunt: contra 1. Pet. 1:18, 19. Joh. 1:29, 36.

Judæorum in hoc myſterio explanando cæcitas. XX. Atque ex hoc myſterio, quod paululum evolvimus, quodque in Vet. Teſtam. præcipuum erat, atque omni ſua parte tam vividis coloribus Chriſtum cum beneficiis ſuis repræſentabat, profunda Judæorum cæcitas & ignorantia patet; qui in re ſanctiſſima ludentes, omnemque feſti ſui religionem profanantes, naturalem, aut ad ſummum moralem ſignificationem huic myſterio adaptarunt. CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXII.

De reliquis Sacramentis.

I. Signa extraordinaria præcipuè exhibita ſunt in longo iſto per deſerta errore, ſub ductu Moſis; quod tempus miraculis illuſtrius fuit: fueruntque præcipuè hæc quinque: 1. Miraculoſæ nubis ducatus. 2. Baptiſmus maris. 3. Mannæ pluvia. 4. Myſticæ rupis aquæ. 5. Serpentis imago, ex ære, in altum erecta.

II. *Nubes,* Dei ante caſtra Iſraëlitarum procedentis ſedes auguſtiſſima, de qua videre licet Exod. 13: 21. & 14: 24. Pſal. 105: 39. ſignificabat 1. Angeli vindicis præſentiam, qui iſta nube vehebatur, ac circum Iſraëlitarum caſtra metabatur. *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat quiſquam* ipſos, & *Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos, in dilectione ſua & clementia ſua, ipſe aſſerebat eos, & bajulabat omnibus diebus ſæculi.* Eſai. 63: 6. 2. Perpetuam Eccleſiæ protectionem ac illuminationem, quam tanquam caſtra ſua, per mundi hujus manſiones, præſenti curâ ambit & incingit. *Et creabit Jehova ſuper omnem ſtationem montis Zion, & ſuper convocationem ejus nubem de die, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis nocte* &c. Eſai. 4: 5. 3. Præcipuè Angeli fœderis incarnationem: qui ſicut nunc in nube habitabat, inque eo ſigno ab Eccleſia videbatur; ita olim in humano corpore hoſpitaturus foret, iſtaque veſte majeſtatem diſſimulans ſeſe eidem populo olim videndum & contrectandum præberet. *Verbum caro factum eſt*, & ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν (*& vidimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre) plenum gratiâ & veritate.* Joh. 1:14. NUBES.

III. *Tranſitus* per mare rubrum deſcribitur Exod. 14. coll. Pſal. 106: 9. quem fide peractum docet Paulus, Hebr. 11: 29. eumque tanquam populi luſtrationem ac baptiſmum conſiderat, 1. Cor. 10: 2. *Baptiſati ſunt in Moſen, in nube & mari* (licet quidam plane alio ſenſu hunc locum accipiant. conf. Exod. 19: 10.) cui ſimili imagine, tanquam ἀντιτύπῳ, reſpondet baptiſmus noſter. 1. Pet. 3: 21. *Tranſitus per* MARE RUBRUM.

IV. Myſterium ejus erat, 1. obſignare liberationem Eccleſiæ ex graviſſimis afflictionibus, Eſai. 51: 9-11. 2. Iſto veluti baptiſmo populum luſtrare; ſimili modo ut in Nov. T. Eccleſia aquam & bapti-

mum ſuum habet. *An ignoratis, nos, quotquot baptiſati ſumus in Chriſtum Jeſum, in mortem ejus baptiſatos eſſe? conſepulti ſumus ergo ipſi per baptiſmum & mortem &c.* Rom. 6: 3, 4. 3. Ac tandem mortis tranſitum figurare: ex quibus aquis, ac inferna veluti palude, ſubmerſis impiis, fideles incolumes ad cœlum enatant.

MANNA. V. De *Manna* agitur Exod. 16. Qui erat panis ille cœleſtis, in nubibus coctus ac præparatus, quem non ſine miraculo Deus quotidie in caſtra Iſraëlitarum depluebat.

Ejus cauſa & ratio. VI. Quanquam enim naturale quoque iſtis in locis manna detur, ſicut non omnes naturæ manus à cibi hujus paraturâ excludimus; tamen miraculoſa ſunt quæ de hoc manna narrantur. Nec pauculum illud, quod certis anni temporibus, vel autumni ſidere, vel verno flatu fœcundum æthera exudare facit, tot hominum millibus tot annis alendis ſuffeciſſet.

VII. Forma ejus deſcribitur, quod inſtar pruinæ rotundum & albicans, magnitudine autem ut ſemen coriandri foret, Exod. 16: 14, 31. Num. 11: 7. guſtu vero pingue ac ſuaviſſimum, qualis olei liquori, vel placentis mellitis ſapor adeſt; quorum alterum coctum, alterum crudum videtur habuiſſe.

VIII. Ut vero continuo miraculo populus paſceretur, atque ille de Dei ſui manu in diem veluti viveret; ubi quiſque demenſum accepiſſet, reliquam copiam Solis ardore conſumſit; ac quicquam præterea ejus cibi in craſtinum aſſervari ſeverè vetuit. Quod Exod. 16: 19, 20, 21. cum quidam tentarent corruptum id invenerunt. Excepto eo, quod die ſexto collectum erat; quando Deus ſervis ſuis annonam duplicavit, ut ſequenti die Sabbatum agerent, v. 22, 23, 24. quod ſimul cum mannæ miraculo initium cæpiſſe manifeſtum eſt, v. 29.

IX. In memoriam autem miraculi, ut populi in deſertis locis paſtus, & diurna cibi menſura, nunquam oblivioni traderentur, Homer mannæ aureâ in urnâ, coram arcâ depoſitum, & per aliquot ſæcula aſſervatum fuit. Hebr. 9: 4. quo alluditur Apoc. 2: 17. cum dicitur *manna occultum.*

Myſterium. X. Continuata fuit mannæ pluvia per quadraginta annos, excepto unico menſe. Initium enim ejus factum eſt die 16 menſis ſecundi poſt exitum, Exod. 16: 1. finis verò, cum Gilgalem intra Cananææ terminos perveniſſent, 16 die menſis primi, poſtridie Paſchatis. Joſ. 5: 11, 12.

XI. Myſticus fuit ille cibus, quod ipſis etiam Cabbaliſtis viſum fuit.

Pau-

Digitized by Google

Paulus vero noſter expreſſe 1. Cor. 10:3. *βρῶμα πνευματικὸν eſcam ſpiritualem* appellat. Myſterium ejus docet Servator, Joh. 6: 32, 33, 35, 45, 48, 50, 51, 58. & Filium Dei, qui vita Iſraëlis & mundi eſt, cœlo olim dimittendum, eo miraculo adumbratum dicit.

XII. Ac manifeſta figuratio eſt. Ut enim manna 1. cibus erat cœleſtis, 2. nulla hominum opera ac labore, 3. in æthere excoctus; 4. indeque in caſtra Iſraëlitarum, in locis deſertis ac incultis deſcendens. 5. A quibus vel aqua, vel igni ſubactum, in varios uſus præparabatur; 6. tandemque menſæ inferebatur & comedebatur, 7. donec in Cananæam perveniſſent. 8. Sabbato autem in agris non videbatur, 9. ſed poſtero mane, qui ſeptimanæ primus erat, rurſus apparebat. Ita hæc omnia totidem lineæ ſunt, ad Chriſti imaginem in cibo iſto exhibendam. *Caro enim ejus verè eſt cibus, & ſanguis verè eſt potus*, Joh. 6: 55. nulla hominum induſtria aut merito, ſed ſola Dei benignitate ac placito, cœlo, ex paterno ejus ſinu, dimiſſus, & in terram hanc, quæ deſerti inſtar habebat, inque nullam adhuc frugem exculta erat, deſcendens. Ubi, antequam fide comederetur, multa pati, ac mori tandem debuit. *Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur.* 1. Cor. 11: 24. Illo autem cibo fideles in hac mundi viâ ac exilio ſeſe roborant, commemorantes ac prædicantes mortem ac triumphos ejus, donec redeat; atque ipſi, Dei convivæ facti, cum eo cœleſtis Cananææ dapes deguſtent. Cum autem in terrâ ageret, ſimiliter Sabbato viſus non fuit, ſed in ſepulchro quievit; poſtero autem die, qui ſeptimanæ primus erat, iterum vivus apparuit; in novi temporis auſpicium.

XIII. Mannæ miraculum ſequitur *potus*, ſimili miraculo è petra productus. Quod bis factum fuit. 1. ad rupem Horeb, quam Moſes, adſtante in nube Deo, ac petram inumbrante, fatali virga percuſſit, atque aquarum ſcatebras exoriri, lateque exundare fecit. Exod. 17:6. Pſal. 78: 15. *Findebat petras in deſerto, & potavit tanquam abyſſus terram amplam.* Pſal. 114: 8. *Qui mutat petram in ſtagnum aquarum, ſilicem in rivum aquarum.* 2. rurſus quadrageſimo poſt exitum anno, cum iterum, exercitu aquarum penuriâ laborante, Moſes in deſerto Zin, in Kades, prope Idumæam, ſimili modo percuſſa rupe aquas elicuit, Num. 20: 1-14. Ad quam rupem non leviter peccavit ipſe Moſes; tum quod petram alloqui ſolum juſſus, eam commotior ſemel iterumque percuſſerit, tum quod præ impatientia ac dolore in hæc verba eruperit: *Audite nunc, ô rebelles* &c. Num. 20: 10. Quod graviter adeo accepit Deus, ut Ca-

POTUS E RUPE.

Cananææ ingreſſu ipſum arcuerit, & in deſerto, nondum peractis erroribus, moriturum prædixerit. *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me ante oculos filiorum Iſraëlis, idcirco non introducetis congregationem iſtam in terram, quam ego do ei.* Num. 20: 12.

Illius myſterium. XIV. Sacramentum hujus petræ tradit Apoſtolus, 1. Cor. 10: 4. *Et petra erat Chriſtus.* Nec abludunt ſingulæ myſterii partes. Nam & Chriſtus ob divinam vim & firmitatem non ſemel rupi in Scripturis comparatur. *Date magnitudinem Deo noſtro: petra, cujus integrum opus eſt.* Deut. 32: 3, 4. *Jeſchurim impinguatus pro ſcelerato tractavit rupem ſalutis ſuæ.* v. 15. *Rupem, quæ peperit te, negligis.* v. 18. *Et recordabantur, quod Deus rupes ipſorum eſſet.* Pſal. 78: 35. Utque 1. rupes hæc, in vaſtis locis extans, externa ſpecie nullas aquas promittebat; 2. quas tamen Moſis virga percuſſa ubertim dedit; 3. populoque præ ſiti languenti, totiſque campis projecto, cum non procul exitio foret, largas aquarum venas aperuit; 4. totoque deinde deſerto rivis undiſque *ſequacibus*, 1. Cor. 10: 4. puros hauſtus præbuit. Similiter è Chriſto, quanquam externa ſpecie impari, cum mortalium foret *abjectiſſimus*. Eſai. 53: 10. Legis maledictione percuſſo, & ad mortem adacto (*Nos reputavimus ipſum plagâ affectum, percuſſum Deorum, & ſubactum. Conterebatur ob pravitates noſtras.* Eſai. 53: 4, 5.) unica nobis ſalus fuit. *Nam non eſt in alio quoquam ſalus. Nec aliud nomen eſt ſub cælo* &c. Act. 4: 12. Quæ petra ſpiritualibus ſuis undis nos totâ vita comitatur, ſitimque noſtram identidem levat. *Certe bonum & gratia perſequentur me, omnes dies vitæ meæ: & verſabor in domo Domini in longitudinem dierum.* Pſal. 23: 6. Ac pariter, in ſecundæ petræ imagine, mutata figura, Moſes Paſtorem illum ſtultum repræſentat, de quo Zacharias c. 11: 15. qui Chriſtum in corpore ac Eccleſia ſua percuſſurus & perſecuturus erat: ſed ne tum quidem defecturis aquis, quas in medio afflictionum æſtu Deus benignè ſuppeditaturus erat.

SERPENS ÆNEUS. XV. Ultimum in deſerto ſignum fuit *Serpens æneus*; cujus hiſtoria deſcribitur. Num. 21: 4-10. Murmure enim populi coorto, ex longinqui itineris tædio, cum nec panis, nec aqua amplius ſupereſſet, ac cœleſtis mannæ faſtidium eos caperet, Num. 21: 5. immiſſis ſerpentibus, quorum in deſerto illo magna copia erat (*Qui duxit te per deſertum illud maximum & formidabile*, abundans *anguibus, præſteribus* & *ſcorpionibus* &c. Deut. 8: 15.) puniti ſunt: qui שרפים & præſteres, aut potius hydri, vel cherſydri fuiſſe videntur.

XVI. Mi-

XVI. Mirabilius autem pœnæ remedium fuit. Dum erecta æneâ Serpentis imagine; ſive ut illa longe in caſtris refulgeret, ſive ut Serpentum rutilantem in Sole pellem imitaretur; quicunque Serpentum morſu virus traxerant, ea aſpecta ſanati ſunt. Nimirum non externo aſpectu, ſed fide potius & animi viſu eum contingere neceſſe erat. Nec ſerpens ille, ſed Dei verbum, fide acceptum, ſaucios ſanabat,

XVII. Erat enim illa in re inſignis imago crucifixionis Chriſti; ut ipſe Servator explicat Joh. 3: 14. *Quemadmodum Moſes extulit Serpentem in deſerto, ita efferri oportet filium hominis.* Et c. 12: 32. *Et ego, cum elatus fuero ex terra, omnes traham poſt me.* conf. Eſai. 11: 10. *Et erit in die illo radix Iſäi, quæ ſtat in ſignum populorum, ad illam gentes conſulendi cauſa attendent.* In quo tamen diſquirendum, an Serpens ipſe figuram Chriſti geſſerit (quod plurimis placet;) an vero ille Serpentem antiquum potius ſignificaverit; qui, veneno omni exuto, in cruce Chriſti palam exponendus & oſtentui habendus foret. Col. 2: 15. ut præcipua figuratio in erectione ſerpentis fuerit; qui, à Moſe in oblongo ligno ſuſpenſus, Chriſti in cruce exaltationem vi itidem legis ac maledictionis Moſaicæ factam, adumbrabat; qua pariter ſanarentur illi, qui letaliter à veteri ſerpente icti fidei oculos ad Chriſtum intenderent, iſtoque in viſu inconnivo aſpectu hærerent. Atque hæc de ſacramentis & ſignis hujus periodi. Cultum illius externum ipſa legis dogmatum tractatio exhibuit. *Illius myſterium.*

LOCUS TRIGESIMUS

DE

ECCLESIA SUB LEGE.

CAPUT XXXIII.

De latitudine & ſtatu Eccleſiæ, ſub Lege, in GENERE.

I. REſtat ultimo loco Eccleſiæ, ſub Lege, latitudo & ſtatus. Quæ vel in genere, vel in ſpecie, pro variis iſtius temporis periodis, conſiderabimus. *ECCLESIÆ ſub Lege latitudo.*

II. Ac *in genere* quidem, quoad latitudinem, Eccleſia illa *intra Iu-*

Digitized by Google

duos coarctata. illa intra unam nationem continebatur, &, nondum toto orbe diffuſa, circa Hieroſolymam, tanquam matrem ſuam, luctabatur; donec poſtea lacertos movere cœpit, atque perexiguis de finibus orta tetendit in geminos axes, parvaque à ſede profecta, diſperſit cum Sole manus, cunctas mundi plagas luce ſua permenſa ac pervagata. Ut revera tum *nationalis* fuerit Eccleſia; cum Judæi ſoli Dei domeſtici, ac gens illa fœderis vernacula ac depoſitaria foret; cujus luce univerſus deinde mundus colluſtratus fuit.

quod probatur. III. Patet hoc, 1. ex perpetuâ illâ inter *Gentes* & *Judæos* oppoſitione; quæ tam ſæpe in Scripturis occurrit. vide Deut. 10: 14. *Tantum in majores tuos propenſus fuit amore Jehova -- præ omnibus populis.* Pſal. 147: 19, 20. *Indicat verba ſua Jacobo -- non ſic fecit ulli genti.* Deut. 32: 21. *Ego faciam ipſos zelare per non -- populum.* Matth. 15: 26. *Non eſt bonum, panem liberorum accipere, & objicere catellis.* Gal. 2: 15. *Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores.* Eph. 2: 12, 15, 16. Quæ in eo conſiſtebat; quod *Judæis*, utpote à Deo peculiariter amatis ac dilectis, verbum Dei, omneſque fœderis prærogativæ, conceſſæ ſint, Pſal. 147: 19, 20. *Gentibus* in tenebris ac nocte ſua relictis, & errare ac palpare juſſis, Act. 14: 16. Eſai. 9: 1. Act. 17: 30. tanquam impuris & profanis, & à fœdere Dei excommunicatis. Matth. 18: 17. 15: 26. Apoc. 22: 15. Matth. 10: 5.

IV. 2. Atque ipſe quoque eventus hoc probavit. Datum enim palam gentibus repudium eſt, ablatis ipſis ſacrificiis, & ſacerdotio illorum profano habito, ut nulla ipſis ſpes accedendi ad Deum foret. Nam *ſine effuſione ſanguinis non* erat *remiſſio.* Hebr. 9: 22. Quod factum præſertim elapſis quatuor illis ſæculis, quem Deus ipſis terminum præſtituerat, Gen. 15: 16. ac Judæorum Republicâ & Eccleſiâ formata; & *ſepe* illa *cerimoniarum* inter ipſos genteſque reliquas erecta. Eph. 2: 14, 15.

V. Ut quicunque deinceps ex gentibus ſalute potiri vellent, ad Eccleſiam Judaicam aggregari, ſeſe circumcidere, & ceremonias Judaicas, omneſque eorum religiones, accipere tenerentur. Quales erant pii iſti ex gentibus, quorum in Euangelio mentio; Centurio, Luc. 7. Syrophœniſſa, Marc. 7: 26. Cornelius, Act. 10. Æthiops Eunuchus, Dynaſtes Candaces reginæ Æthiopum, Act. 8. Qui omnes, ſi non proſelyti, ſaltem Catechumeni erant. Quod ante quatuor illa ſæcula, cum circumciſio nondum publicum Eccleſiæ ſacramentum eſſet, neceſſarium non erat.

VI. Ut

VI. Ut rejiciendus hic ſit error Pelagianizantium, *Vivis*, *Thomæ*, *Becani*, *Grotii*, *Anabaptiſtarum*, aliorumque; qui, ut Patres ſolâ lege naturæ ſervatos volunt; ita & eadem duce Gentes extra Judaiſmum ſalvatas; nec eaſdem obligatas fuiſſe ad obſervandam Legem Moſis, quia Iſraëlitis lata erat; quin & inter Gentes Judæoſque vix aliud quam externum ceremoniarum ac rituum, quibus uti liberum prorſus fuerit, diſcrimen fuiſſe ſtatuunt. Quod eſt fœdus Dei univerſum, & gratiam ejus, tollere; Judaicæ Eccleſiæ prærogativam extinguere, nihilque ipſis περισσὸν relinquere, Rom. 3: 1, 2. conf. Eph. 2: 12. ac denique Libertiniſmo latam portam aperire. *Cum rejectione contrariorum errorum.*

VII. Quem errorem diverſâ facie reducunt *Remonſtrantes*, cum univerſalem earum vocationem in Noacho liberiſque ejus factam docent: à qua non niſi voluntariâ ſeceſſione ſe ſubduxerint. Cum Deus ſpeciali judicio gentes excluſerit. *Deus præteritis ætatibus ſivit omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere.* Act. 14: 16. Nec felicius eſt *Franzii*, Lutherani, commentum. Qui verbum gratiæ cunctis ætatibus ad gentes quoque permanaſſe; quin ipſum Meſſiæ nomen iis auditum creditumque ſtatuit.

VIII. Atque hæc de latitudine iſtius Eccleſiæ in genere. Statum enim illius generalem quod attinet, illum totâ hac parte, ſub Lege ac miniſterio ejus, prolixè executi ſumus.

IX. Itaque ut ad ſpecialis hujus ætatis periodos veniamus: in *deſerto*, in quo hactenus hæſimus, populi ac Eccleſiæ hujus veluti infantia erat: ſub *Joſua ac Judicibus*, juventa; ſub *Davide ac Salomone* matura quædam virilitas ſpectabatur. Donec ſeneſcente regno, Eccleſiæ quoque fata retro ire cœperunt. Niſi quod extremis temporibus *poſt captivitatem Babylonicam* ea rurſus refloruit, novumque juventæ robur aliquantiſper conſecuta eſt: donec, omnibus in noviſſimam corruptionem prolapſis, extrema ejus fata accelerata ſunt. *Eccleſia ſub Lege ſtatus.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De Eccleſia ſub Joſua & Judicibus.

Triplex temporis intervallum à Moſe ad Meſſiam.

I. PRo triplici temporum differitate cui obnoxia fuit Eccleſia, poſtquam intraſſet in terram Canaan, per tria etiam hæc intervalla eam conſiderabimus; à Moſe ſcilicet ad captivitatem Babylonicam, rerum proſperitatẽ, licet variis & maximis quandoque calamitatibus temperata, gaudentem; in ipſa captivitate ad incitas redactam; poſtmodum ex ea reſtitutam & libertati redonatam. In quatriplici rerum ſerie, videndum ſeſe aperit triplex illud fatum, quod ab omni ævo Eccleſiæ incubuit. In primo intervallo, vel Joſuæ & Judicibus fuit ſubdita, quamdiu nempe ſe modulo ſuo continuit; vel poſtmodum, gentium contagione afflata, præ inani gloria, imperioſo regum nomini lubens paruit.

Status Eccleſiæ ſub JOSUA.

II. Joſua duce & rectore occupata & diſſecta, licet non omni ex parte, fuit terra Canaan. Occupatione illa tranſacti ſunt anni ſeptem, ſeu ſex toti. Joſ. 14:7, 10. totidem annis ſeptem diſtributio ejus abſoluta eſt. Quarto decimo autem anno tabernaculum Schilunte ſtatuerunt, quod ad hoc Gilgale fuerat. Joſ. 18:1. Iſraëlitarum nullus qui terram hanc occupabat, ſolis Joſua & Calebo eximiis, erat annorum 60. Vide Num. 14:29, 30

III. Tempus quo Joſua præfecturam geſſit, multorum calculo, fuit annorum 17. ætas ipſius annorum 110. Joſ. 24:29. Anni vero, quibus Iſraëlitæ terram Canaan tenuerunt & poſſederunt, à Joſua nempe uſque ad captivitatem Babylonicam, ſunt 840. inde ad mortem Chriſti, anni 560. atque iterum ad excidium templi, anni 40. Qui ſunt univerſi 1440. à templi autem excidione, ad Adrianum Imperatorem uſque, quando Judæi ex hac terra prorſus ſunt exacti, numerantur anni 60. ut ex omnibus hiſce numeris ſubductis, colligantur anni 1500. quibus has terras poſſederunt. Quod tempus variis portionibus diſſectum & partitum fuit.

Illius myſterium.

IV. Præſignificantia autem ſunt hic omnia. Ipſa terra pignus erat cœli & auctoramentum beatitudinis cœleſtis; quod ſuperius expeditum. Eamque ob rem Patriarchæ tantopere deſiderarunt in hac terra ſepeliri, ad teſtandam ſcilicet fidem ſuam. Preſſiorem ſimilitudinem inter

inter cœlum & hanc terram omittimus. Quies etiam in hac terra myſtica erat; quod docet nos Paulus Hebr.4. vide & lib. III. cap. VII. §. 7. Poſt hanc enim nova promiſſa eſt. Pſal. 95. à Meſſia, ejuſque temporibus præſtanda : *Itaque ſupereſt ſabbatiſmus populo Dei.* Hebr. 4: 9. quum nempe ipſe quievit in ſepulcro, defunctus labore pro peccatis noſtris ſuſcepto, & cum eo, populus ipſius fidelis. Quæ genuina eſt quies à peccato, terrore conſcientiæ & omni ſervitute. *Nam qui ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis Deus.* Hebr. 4: 10. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur à nunc. na, dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Apoc. 14: 13. Quæ per hanc priorem quietem adumbrata fuit. Præterea etiam myſticus fuit auctor hujus quietis & pararius Joſua; ille enim juvenem & novitium Iſraëlis populum introduxit in Canaan, quod præſtare nequiverat Moſes: ita ſpretis & à communione Dei repudiatis incredulis Judæis, ſubdito novo gentilium populo, in ſpiritualem Canaan nos tranſvexit Jeſus noſter; cui rei Lex non erat par. Rom. 8: 3. *Nihil enim conſummavit Lex: introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.* Hebr. 7: 19.

V. Regimen illud Joſuæ excepit Judicum dictatura, qui quaſi prætores populi præter ordinem erant, ſingulariter à Deo exciti difficillimis temporibus; ut ex graviſſimis calamitatibus populum extricarent, & forti manu aſſererent. Floruerunt illi per annos admodum trecentos. Anni enim 450 quorum mentio fit Act. 13: 20. non ſunt de annis Judicum intelligendi, verum à nativitate Iſaaci videntur inchoandi, (in quo, ut ſemine Abrahami, *elegerat Deus Patres*) & terminandi in κληρουχία ſeu ſortione terræ. vide verſ. 17, 18, 19. quo temporis intervallo lapſi ſunt anni 447. id eſt, quaſi 450. ut etiam textus ſonat; ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα. Sub JUDICIBUS.

VI. Tredecim numero fuerunt hi judices. Othniel è Juda. Ehud è Benjamine. Samgar filius Anathi. Debora Ephraimitis. Barac Naphtalites. Gideon è tribu Manaſſe. Thola ex Iſaſchare. Jair è Manaſſe. Jephta Gileaditis. Ebzan è tribu Juda. Elon Zebulonites. Abdon Ephraimita. Simſon Danita. Quibus acceſſerunt Heli & Samuel Levitæ, & tyrannus Abimelechus.

VII. In quorum geſtis obſervare licet 1. res maximas, levibus plerunque minimiſque inſtrumentis eſſe patratas. Ita Ehud ſcævus percuſſit Eglonem Moabitem. Samgar ſtimulo bovis pulſavit ſexcentos

Philiſthæos. Debora & Jaël deleverunt Siſeram,& hæc quidem clavo per tempora adacto. Gideon confractis urnis poſtravit exercitum 135000. hominum.Simſon aſini maxilla neci dedit mille Philiſthæos. 2. Advertendi ſunt eorum defectus & infirmitates; & quomodo Deus nihilominus, per ſiniſtrum Ehudem, puſillanimum Baracum, Gideonem ὀλιγόπιστον & in fide infirmum, ſpurium Jephtham, uxorium & ſcortatorem Simſonem, Abimelechum tyrannum, quæ voluit effecta dedit, & in optatum finem perduxit. 3. Obſervatione etiam non indigna eſt eorum ſucceſſio; quando ſtrenuum Ehudem deceſſorem excepit Debora mulier;Gideonem largum & munificum,crudelis Abimelech;nobilem Jaïrum, ſpurius Jephta; grandævum Heli, adoleſcens Samuel. Quibus omnibus, mira dexteritate populum ſuum, nulla hominum ratione habita, ſibi omnia deberi, & in ſuam voluntatem refundi, docebat Deus.

VIII. Nobilitata ſunt hæc tempora horribilibus peccatis populi, ſubitis hoſtium invaſionibus, & fortiſſimis Judicum liberationibus. Populi ſcelera,agmine quaſi facto,late exundabant ſtatim à morte Joſuæ & Seniorum; *Cum coluerat populus Jehovam, omnibus diebus Joſuæ & Seniorum* &c. Jud. 2:7. Conſiſtebant autem illa maxima in idololatria, quam exercebant cum *Baal* & *Aſtharoth*. *Et reliquerunt Jehovam -- & abierunt poſt Deos alienos -- & coluerunt Baalem & Aſtharoth*. Jud. 2: 12, 13. In fœdiſſimam hanc idololatriam prima delapſa narratur tribus Dan. Jud. 18: 30, 31. Eamque ob cauſam non abſurde viſa fuit effigiaſſe Anti-Chriſtum,ejuſque apoſtaſiam in Eccleſia:& myſticum eſt, quod Apoc. 7. ſola,inter omnes tribus Iſraëlis non compareat hæc tribus. Unde jam veteres arbitrabantur ex hac tribu oriturum Anti-Chriſtum. Fidei hanc apoſtaſiam in populo Dei conſecuti ſunt,ut fieri amat,mores perditiſſimi & flagitioſiſſima vita. Jud. 19. &c. Oppreſſiones hoſtium ſextuplices ferme fuerunt; à Syris, Moabitis,Canaanitis, Midianitis, Ammonitis & Philiſthæis. Quas omnes totidem liberationibus & vindiciis rependit Deus, ut reſipiſceret populus & ad meliorem mentem rediret.

Illorum ſignificatio.

IX. Singulariter hic obſervavit Auguſtinus, in hiſce judicibus, ut & ſubſequentibus regibus, variis modis repræſentatum fuiſſe ſtatum Chriſti & Eccleſiæ: ſicut verbi gratia, priores fuerunt judices, quos deinde exceperunt reges: ita primo judicium exequitur Chriſtus,denuo regnum ſuum fundaturus & conſummaturus.

CA-

CAPUT XXXV.

De Eccleſia ſub Regibus.

I. IN anteceſſum delibanda hic eſt quæſtio; an tribui Judæ datum fuerit regnum mox à vaticinio & promiſſione Jacobi. Gen. 49: 10. eaque hoc nomine eminuerit ſupra reliquas tribus? Quod ſane neque ex promiſſione illa evincitur, neque aliunde etiam patet. Addicit enim Jacobus Judæ hæreditatem benedictionis, cujus vi & prærogativa oriturus ex ipſo erat Meſſias; non vero dominationis externæ, niſi poſt multa duntaxat ſecula adeundæ. Tum quoque 1. ſingulæ tribus ſuos dederunt & habuerunt judices, nulli obnoxiæ. 2. Variis tribubus per alternas vices in judicibus, ſuis tribulibus, conceſſum fuit imperium. 3. In deſerto regimen ſummum non penes Judam fuit, ſed Moſen; quò multi referunt locum Deut. 33:4,5. *Qui præcepit legem, & qui factus eſt in Jeſchurun Rex, congregatis capitibus populi, una tribubus Iſraëlis.* 4. A Moſe derivatum eſt in Joſuam Ephraimitam, prætermiſſo Calebo, qui ex tribu Juda erat. 5. Inter Judices, ſolus Othniel ex Juda fuit, præter quem nullum judicem dedit iſta tribus. 6. Regum primus fuit Saul Benjaminita. 7. Quinimo Davide jam Rege, ægre ferebant reliquæ tribus, uſque eo, ut de ſeceſſione cogitarent, Judam primas ſibi ſumere in reducendo Davide. 2. Sam. 19: 40. & 20:1,2. Ut hac parte tenus nulla fuerit Judæ prærogativa. *An primatus datus fuerit tribui* JUDÆ?

II. Igitur tribus Judæ dignitas demum ſe exſeruit in Davide, in quo jus regni proprium ei fuit factum; 634. annis poſt vaticinium Jacobi Ex quo tempore regnum in domo Davidis hæſit non interruptum, ad Zedechiam uſque: poſt illum ſpirituali modo continuatum fuit ad Meſſiam uſque, ablato jam ſceptro, per annos 606. Cum Davide igitur cæpit regnum & majeſtas Judæ; eoque etiam tempore Meſſias ſimul promiſſus Rex futurus; quod adhuc tam diſerte dictum non fuerat. REGNUM *in illa.*

III. Davidis & Salomonis temporibus integrum manſit regnum Iſraëlis; quod diſciſſum deinceps fuit Roboamo Rege, opera & artibus Jeroboami, ſeceſſione decem tribuum, ſola Benjamine ad Judam adhærente, ut & Levitis, qui in Juda remanſerant. Proprietas totius regni & jus tum etiam ad domum Davidicam pertinebat, licet uſus ab *Illius ſchiſma.*

Digitized by Google

aliis interciperetur. Peccavit interim populus defector, ut & Jerobo-mus uſurpator; nam quamvis hæc ſtatuiſſet Deus, exſpectandum fuerat illi æquo animo, donec regnum promiſſum illi præſtaretur, non dolo malo invadendum. Atque inde regnum hoc breve fuit, nec lætum; ubi contra Judæ regnum firmius & ſtabilius fuit, qui fideles Regi ſuo manſerant.

Regni Iſraëlis corruptio. IV. Confirmatum fuit hoc ſchiſma & omnino inſanabile redditum introducto ſacrorum diſſidio, quod inſigni fraude invexerat Jeroboamus, extructis vitulis in Dane & Bethele, adjecta interdictione ne quis è populo Jeroſolymas aſcenderet. 1. Reg. 12. Sicut fraude prorſus eadem Papa ſubditium & falſum cultum obtruſit Eccleſiæ N.T. quo facilius in eam dominari, & juſto domino ſurreptum peculium in ſe transferre poſſet. Præterea in hac 10. tribuum apoſtaſia, typus quoque fuit Iſraëlitarum, Chriſtum ſpernentium. Sicut enim decem hæ tribus, ipſis triginta annis poſt excitatum templum Salomonis, illud rejiciunt & pro virili ſua deſtruunt; ita Chriſtus templi hujus antitypus, tricenarius, Luc. 3: 23. à Judæis contemnitur, & brevi poſt exſcinditur, quibus edixerat; *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joh. 2: 19.

V. Jeroboami idololatriæ mantiſſam adjecit & Baaliſmum ſuperaddidit Achabus. 1. Reg. 16. templo in honorem Beli extructo, ſtatutis aris, ſacerdotibuſque delectis, ut omnes idololatriæ numeros ex aſſe compleverit. Ex initiis hiſce male auſpicatis, & infeliciori proceſſu, regnum fuit hoc breve admodum, & multis mutationibus conſciſſum; cum enim non ſteterit ultra 257. annos, novendecim tamen regibus fuit regnatum. Quorum hæc ſunt nomina; Jeroboam, Nadab, Baëſa, Ela, Simri, Omri, Achabus, Achazias, Joramus, Jehu, Joachaſus, Joazus, Jeroboamus alter, Zacharias, Sallumus, Menahemus, Pekahia, Pekahus, Hoſeas. Omnes mali commatis. Ubi notari poteſt, æquali temporis intervallo duraſſe regni Iſraëlis idololatriam, adeoque ignominiam & opprobrium domus Joſephi; ac ante duraverat ejuſdem domus gloria à Ioſepho uſque ad Joſuam, ex domo Joſephi oriundum.

& excidium. VI. Exſpiravit ergo hoc regnum in tranſportatione decem tribuum, per Salmanaſſarem Aſſyrium, qui eas traduxit in *Halah*, id eſt, Calachenem in Aſſyria, & *Habor*, montem non longe inde diſtantem; & ad *fluvium Gozan*, qui Mediæ eſt; *& in urbibus Medorum*, ſeu Hara: Media enim Hara aliter dicitur: quæ loca enumerantur. 2. Reg. 17: 6. & 18:

11.

11. Hic obſederunt decem hæ tribus, uſque ad captivitatem Babylonicam tribus Judæ, qua ſoluta multi Iſraëlitarum cum Judæis reverſi ſunt; reliqui in diſperſione manentes partim communionem ſacrorum cum Judæis coluerunt, uti patet ex Act. 2: 5. Jac. 1: 1. & 1. Pet. 1: 1. partim in paganiſmum tranſierunt, gentibuſque intermixti fuerunt, quorum memoria penitus fuit obliterata: ex vi horrendi carminis Deut. 29: 20. *Non volet Jehova condonare -- & delebit Jehova nomen ejus, ne ſit ſub cœlo.*

VII. In deſolata hac & viduata incolis ſuis terra, ſucceſſerunt deinceps Samaritani, qui ut ipſi erant hybridæ, nati partim ex gentilibus eo tranſlatis à Rege Aſſyriæ, partim ex Judæorum reliquiis ibi reſtantibus, ambiguam etiam religionem cuderunt, religionem Judaicam cum idololatria Gentilium miſcentes: ut quæ hominum, eadem religionis mixtura foret. Deinceps paulo ante tempora Alexandri Magni, cultu idolorum repudiato, Pentateuchum receperunt, quamvis ipſi etiam inter ſe variis ſectis fuerint diſtincti. Ab his porro exſtructum poſtea fuit templum Garizitanum, de quo ſuperius. Ex qua ſacrorum & populorum vicinitate, capitale & diuturnum odium, inter Judæos & Samaritanos fuit concitatum. *Samaritanorum origo.*

VIII. Regnum Judæ quod attinet, florentius fuit & diuturnius; à Saule enim uſque ad captivitatem Babylonicam numerantur anni 480. à tribuum diſcidio, uſque ad templi excidium, 390 anni. Ezech. 4: 4, 5, 6. Reges recenſentur numero 22. Saul, David, Salomon, Roboam, Abia, Aſa, Joſaphatus, Joramus, Achazia, Joazus, Amazia, Ozia, Jothamus, Achazus, Ezechias, Menaſſe, Ammon, Joſia, Joachazus, Jojakimus, Jojachinus, Zedekias. Ex hiſce tres duntaxat incontaminata probitatis laude fulgent, David, Ezechias & Joſias. *Præter Davidem & Hiskiam ac Joſiam omnes delictum commiſerunt.* Syrach. 49: 5. Ab his ſecundi Joſaphatus, Aſa & Jothamus: reliqui omnes ferè idololatriæ, & plerique graviſſimorum etiam criminum rei fuerunt. Idololatriæ extirpatores & religionis reſtauratores fuerunt tres; Aſa, 1. Reg. 15. Ezechias, 2. Reg. 18. & Joſias, 2. Reg. 22. *Regni Judæ periodus.*

IX. In exitio hujus regni, notandi ſunt gradus, per quos paulatim in ruinam devolutum eſt, ſtatuſque populi Dei in deteriora vergens à Deo fuit ſucciſus & labefactatus: cum enim Regum, Prophetarum & Sacerdotum nominibus gauderent; 1. Reges in Zedekia aufert, ablato ita ſceptro à Juda, Jer. 22: 30. Ezech. 19: 14. 20: 30. Prophetas poſt

captivitatem Babylonicam tollit; poſt aliquot ſecula ipſum evertit ſacerdotium; 2. Cum regnum illud adumbraret ſpirituale regnum Meſſiæ, illo appetente loco cedere debuit. *Hic* enim *erit magnus -- dabitque ei Dominus Deus ſedem Davidis patris ipſius*. Luc. 1: 32. Recte in hanc rem Auguſtinus: *Regnum Iſraelis omneſque Reges populi Dei magnum fuiſſe Prophetam regni Chriſti*.

Eccleſia Iſraelitica per intervallum horum temporum à fundamentis doctrinæ Moſaicæ defectio.

X. Lubet autem in primo hoc à Moſe ad finem uſque regni Davidici intervallo, Eccleſiæ iſtius faciem animo objicere, illiuſque ruinam & defectionem conſiderare. Initium autem illa fecit in apoſtaſia à tribus illis fundamentis, quibus veritatem divinam ſuperſtructam, ſupra cap. XXX. §. 2. vidimus. Cui apoſtaſiæ, ut fieri aſſolet, acceſſit inſignis morum corruptio: ſpreta enim divina veritate, quæ omnis obedientiæ norma eſt, ſimul peſſumeunt hominum mores. Duplex autem fuit illa apoſtaſia, primitus partialis, per divinam clementiam inſtauratione ſarcienda & ſarcita quoque: deinceps autem finalis, quam ſcilicet exceptura erat ultima pœna in gentis πανωλεθρία. Apoſtaſiæ partialis nomine complectimur omnes errores, ſuperſtitiones, idololatrias aliaque ſcelera, quorum à prima inſtitutione & legiſlatione Moſaica uſque ad captivitatem Babylonicam, variis temporibus reum ſe fecit populus Iſraëliticus, tum decem tribuum, tum duarum reliquarum.

XI. A primo fundamento, quod revelationis divinæ perfectionem & ſacræ Scripturæ plenitudinem reverebatur, primitus quoque defecerunt; unde illud Dei improperium, quod in cultu religioſe obſervarent, *quæ ipſe non præceperat, neque in cor ejus aſcenderant*. Jer. 7: 31. Ex quo fonte manavit omnis ille ſuperſtitioſus & idololatricus cultus, cui ſe mox proſtituerunt; ex quo ad omnium Gentium idolorum cultum, cultuſque illius falſi media & inſtrumenta, populus ille in idololatriam profligatiſſimus, delapſus eſt. Quo fundamento ſubverſo, temporis decurſu invaluit quoq; error de juſtitia per opera legis & rituum ceremonialium obſervationem obtinenda perincioſiſſimus. Qua opinione inflati, ſpreta obedientia morali, atque in vitia profuſi, in unis ſacrificiis & ritibus externis ſpem omnem collocarunt; juſtificationem gratuitam & ſalutem æternam Meſſiæ meritis & mediatione obtinendam hoc pacto repudiantes. Unde in ceremonias inſanientes, earum æternitatem ſomniare ſenſim incipiebant; tertii etiam principii curam abjicientes.

XII. Fœda harum idololatriarum colluvie volutantem & inſanabilem

bilem redditam Eccleſiam decem tribuum Deus in captivitatem æternam, ſine ſpe aut promiſſione reditus, abduci procuravit. 2. Reg. 17: 6. & ſeqq. Eccleſiam autem Judaicam quod ſpectat, cum eo uſque iſtis malis corrupta eſſet, ut impoſſibilis eſſet illius per bonorum à malis ſeparationem reformatio; placuit Deo, urbe & templo, totius cultus ſollemnis ſede unica, ferro igneque vaſtatis & ſolo æquatis, populum reliquum in captivitatem Babylonicam abigere, & μετοικεσίαν catholicam inferre, 2. Chron. 36: 16. & ſeqq. ut totali obſervationum ſollemnium interciſione facta, populus redux ab ipſis quaſi fundamentis novam Eccleſiæ reformationem ad normam doctrinæ Moſaicæ moliri & denuo ordiri poſſet. *Hinc captivitatis Babylonicæ ad Reformationem Eccleſiæ neceſſitas.*

CAPUT XXXVI.

De Eccleſia in Babylone.

I. IMmani ergò diſcrimine verſæ ſunt rerum vices; florens in terra patria regnum, miſeræ captivitati in alieno ſolo fuit ſubjectum, & triumphatum Babylonico carceri fuit incluſum. Accurate hæc à Jeremia prædicta, primo jam Nabuchodnozoris anno, c. 25: 1, 9. & juxta cum illo vaticinatus eſt, ſex annis ante communem illam abductionem à Nabuchodnozore factam, in ipſa Chaldæa, Ezechiel. c. 1: 1, 2, 3 *Captivitas* BABYLONICA.

II. Captivitas hæc annorum fuit 70. cujus quidem numeri varias comminiſcuntur rationes Judæi, totidem videlicet annos effeciſſe annos dimiſſionum ſeptennales, & Jubilæorum quinquagenales, neglectos ab Iſraëlitis, intervallo annor. 610. quæ terræ Sabbata juſto ita judicio exegit & repetiit Deus: ſecundùm illud Lev. 26: 34, 35. ubi edicit Deus, ſe terram vaſtam facturum, & ipſos diſperſurum per terras hoſtium, ita *terram Sabbata acturam* &c. coll. 2. Chron. 36: 21. *Ad implendum verbum Jehovæ, dictum ore Jeremiæ, donec acquieviſſet terra Sabbatis ſuis: omnibus diebus deſolationis quievit, complendo 27. annos.* Plures tamen cauſæ recenſentur in laudato loco 2. Chron. 36. forte etiam addi poteſt, Deum voluiſſe, ut hoc modo omnes aut plerique in Babylone abducti extinguerentur, cum ætas hominis 70. annis ferme abſolvatur. Apparet iterum in hoc numero arcana temporum diſtributio: duodecima enim temporis, quo Judæi Terram poſſederant, pars data fuit captivitati; quemadmodum & ipſi captivitatis anni, reliquique quibus reduces terram tenuerunt, certa proportione digeſti ſunt. *Per annos* LXX.

III.

Digitized by Google

Illorum initium. III. Dubium eſt hujus captivitatis initium; cum duplex fuerit populi abductio. Altera Jojachini cum decem millibus hominum, juſſu Nabuchodnozoris. 2. Reg. 24: 15, 15. Altera poſt undecim annos, eodem Rege contra eos in bellum profecto contigit, quando Zedekias anno undecimo imperii, & quicquid è populo reliquum factum, vinculis traditur, & captivum in Babylonem abigitur. 2. Reg. 25. 2. Chron. 36. Commodiſſime in prima abductione (niſi rectius quidam eam inchoent ab alia priori abductione, quæ facta partim tertio, partim quarto Joakimi anno, 2. Reg. 24: 1. &c. Dan. 1: 1. &c.) ponitur initium captivitatis; ut anno ejus undecimo, altera abductio, templique deletio facta ſit: adeoque ex hoc calculo, inter prioris templi expugnationem & poſterioris excitationem, 59. tantum (quidam adhuc puciores computant) anni interceſſerint; ut utrumque facile ab iiſdem conſpici potuerit. Ezr. 3: 12.

Illius captivitatis ratio. IV. Ipſa captivitas levis fuit, & populus in ea leniter habitus. Sedes enim agrique ipſis aſſignati fuerunt, quos colerent novi coloni, atque inde vitam victumque exercerent. Jer. 29: 5. Ita qui contra fas & æquum propriam terram quieſcere non ſiverant, alienam ſubigere merito coguntur; interim ſingularis hic elucet Dei gratia, qui diſpergi eos non paſſus, ne fide moribuſque avitis prorſus exciderent. Nec omni etiam libertate exuti erant; ſuis enim moribus non ſolum vivere permittebantur, ſed & regimen quoddam iis concedebatur; habebant quippe *capita tribuum*. Ezr. 1: 5. & 8: 16. & 9: 1. ſeu *αἰχμαλωτάρχας*; præter ordinem quoque in commune bonum præfecturis fungebantur, & res populi apud Regem procurabant, Daniel ſociique ejus, Dan. 2: 48, 49. 3: 30. 5: 29. 6: 29. Neque Deus illos adeo negligebat, ut non aliud tempus Prophetis & viris eximiis fuerit feracius, excitatis inter eos Ezechiele, Daniele, Ezra, Nehemia; at quibus viris! & ab his in hac barbarie erudiebatur populus, animique eorum demiſſi variis promiſſionibus & ſolatiis erigebantur & confirmabantur: nec ignavo otio torpuerunt; ut non ignobili ſervitute tranſacta fuerit cuſtodia, in qua liberaliſſime ſervabantur; verum inſignibus etiam facinoribus fuerit illuſtris: ut præclarum typum Eccleſiæ militantis in hac terra referret.

V. Cum duabus hiſce tribubus ſimul etiam in hunc carcerem conjecti ſunt (ne de ipſis decem tribubus, in regiones haſce & conterminas, de quibus ſuperius, abductis dicam) multi Iſraëlitarum, qui ſe ante

te ad Judæos applicaverant. 2. Chron. 31: 1. & 34: 17, 18, qui & ſo-luta captivitate in terram ſanctam cum iis reverſi ſunt. 1. Chron. 9: 2, 3, 5, 10, 14. Neh 9: 1, 2, 3. Ezr. 8: 17. quibus etiam ſe adjunxerunt multi è decem tribubus in Media degentibus, Joſepho teſte.

VI. Captivitati huic quædam notatu non indigna acciderunt. In ea, aut proxime ab ea, exortum fuit Judæorum nomen, quod nunquam antehac duodecim tribubus, ſed Judæ duntaxat, & poſtea iis etiam Iſraëlitis, qui cum Juda agebant, tributum fuerat. Inſigne etiam commodum dedit hæc captivitas. Hac enim ratione quaſi per feneſtram tranſmiſſa eſt ad Gentiles lux veræ religionis, quæ Regibus gentibuſque infidelibus affulſit; ut ita ſenſim omnia fuerint comparata ad Meſſiæ adventum, & gentium converſionem. Ea enim diſſeminatio Judæorum inter gentes fuit quædam præparatio fermenti ad fermentandum totum mundum, Deut. 30: 1, 2. Jer. 29: 11-14. 2. Chron. 36: 23. Ezr. 1: 2. Dan. 3: 29. 6: 27. At vero incommodum aliquod etiam accidit, quod turbata fuerit per eam lingua Hebræa; teſtante Nehemia c. 13: 24. *Filios Judæorum ex parte locutos eſſe Aſdodice, neque ſciviſſe loqui Judaice; ſed ex lingua cujuſque populi ſui*; tranſieritque, præcipue in ore vulgi, in dialectum Chaldaicam & Syriacam. Quæ quidem labes & degenera corruptio contracta eſt ex linguarum affinitate. Fatalis ſane fuit omni tempore Babel linguæ Hebraicæ, quin & Legi. *Illius commoda & incommoda.*

VII. Ante omnia hic tenendum eſt, myſticam fuiſſe Babylonem, atque hanc captivitatem in ea. Sicut enim illa, in idololatria ſua, tyrannide, ſanguinis effuſione, humano nomine ſupra divinum eminente, aliaque per ſcelera & dedecora, imago erat ſpiritualis Babylonis: ita hæc typus fuit captivitatis ſpiritualis, cui per aliquot ſeculorum orbes obnoxia fuit Eccleſia, in communitate idololatrarum, duriſſima ſervitute graviſſimiſque perſecutionibus oppreſſa; cum tamen in hac Babylone & deſperatiſſimo rerum ſtatu, nunquam doctores defuerint, & nunquam omni ſolatio viduam ſe ſenſerit Eccleſia. Quid quod à plena idololatriæ contage ſervata & præmedicata fuerit, tandemque è ſpirituali captivitate, divina ope, emerſerit. De quibus adeunda Apocalypſis. *Myſterium.*

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

De Eccleſia poſt captivitatem Babylonicam, ſub Ducibus & Pontificibus.

Solutio captivitatis Babylonicæ per CYRUM.

I. AD finem labentibus 70. annis, Cyrus imperium adeptus, primo ſtatim anno, Judæos è captivitate Babylonica demiſit; ducibus præcipuis Zorobabele & Jeſu Pontifice. Qua in re adverte. 1. Singulari Dei conſilio, dudum ante, ad hanc rem deſignatum & diſtinctum fuiſſe Cyrum. Eſai. 44: 28. *Qui dico de Cyro: Paſtor meus; & omnem voluptatem meam implebit, idque ut dicat Hieroſolymæ; ædificator, & ô templum fundator.* & cap. 45: 1. *Sic dixit Jehova uncto ſuo Cyro: ô tu, quem apprehendi dextra ſua ad ſubigendum coram ipſo gentes* &c. com. 2, 3. *Nam vocavi te nomine tuo, vocavi te, & non noſti me. Ego Jehova, & non alius, præter me non eſt Deus; cingo te, & non noſti me.* com. 4, 5. *Ego excitavi illum, propter juſtitiam, & omnes vias ejus rectificabam; ille ædificabat urbem meam, & exules meos dimittebat, non pro pretio & non pro munere.* v. 13. Unde etiam 2. quidam autumant, Cyrum, quamvis paganum, hac in re Chriſti perſonam exhibuiſſe; qui tenui fortuna & imminenti periculo non ſine ſumma difficultate eluctatus, in ſummum rerum faſtigium evectus eſt, evaſitque liberator populi Dei; quod luculentius multo, longeque auguſtius in ipſo Salvatore noſtro expreſſum fuit: qui in trivio natus & quaſi ex infima hominum fæce, in ea dignitate poſitus eſt, ut ipſe confiteri coactus fuerit Satanas: *Scriptum eſt, Angelis ſuis præcipiet de te, ut cuſtodiant te.* Luc. 4: 10.

Illius ſignificatio.

II. Mirabilis autem & Deo glorioſa fuit hæc populi in terram ſuam reductio; cum ſine *ſtrenuitate* aut vi, ſolo verbo ac *Spiritu* Dei perfecta ſit; intercedente tamen everſione regni Babylonici. Zach. 4: 6. Quin & externa hæc ac corporalis Eccleſiæ è Babylone liberatio, pulchra fuit figura ſpiritalis liberationis Eccleſiæ per Chriſtum. *Qui liberavit nos è manu inimicorum noſtrorum, ut ſine metu ſerviremus ipſi, cum ſanctitate & juſtitia in ipſius conſpectu, omnibus diebus vitæ noſtræ.* Luc. 1: 74, 75. Particulatim vero, egreſſui huic è Babylone plane reſpondet exitus Eccleſiæ è Babylone myſtica. *Et audivi aliam vocem ex cælo, dicentem: Exite*

ex

Digitized by Google

ex illa, populi mi, ne communicetis cum peccatis ejus. Apoc. 18:4. &c. Porro ſicut exitus hic peractus eſt, poſtquam, exſiccato Euphrate, alveoque ejus per foſſas à Babylone ſeducto, urbem occupaſſet Cyrus. vide Jer. 51: 31. *Curſor obviam curſori curret, & judex obviam judici, ad indicandum Regi Babyloniæ captam eſſe civitatem ejus ab extremitate.* & Dan. 5: 30. *Ea ipſa nocte interfectus eſt Belſchatzar Rex Chaldæus*: ſimiliter expugnata eſt Babylon, multis populis ab ea, aquarum inſtar, alio derivatis. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam, in fluvium illum magnum Euphratem: & exaruit aqua ejus, ut præpararetur via regum ab ortu Solis.* Apoc. 16: 12.

III. Eccleſia in Judæam redux facta, varias tulit fortunæ ſtatuſque ſui mutationes; varios quoque paſſa eſt dominos: modo enim Perſis paruit, eorumque ſatrapis Æchmalotarchis, ut Nehemiæ aliiſque; inde, ſimul cum Monarchia Perſica in Græcorum poteſtatem devoluta eſt, modo ſub imperio Alexandri Magni, modo ſucceſſorum ejus, præcipue Lagidarum, Ægyptiorum & Seleucidarum Syrorum Regum; donec tandem diſcriminibus hiſce eluctata, excuſſo jugo famuliſque lupatis, αὐτονομίαν, quin & principatum regnumque in Aſmonæis ſibi recuperavit inſtauravitque; unde iterum deturbata à Romanis, Herodi ſubjecta fuit; cujus tempore verus enituit redemptor & Rex Meſſias. *Eccleſia poſt exitum è Babylone varius ſtatus.*

IV. Hinc ergo triplex emergit periodus, per quas poſt captivitatem Babylonicam continua ſerie Eccleſiam deducemus. 1. per regimen Ducum & Pontificum. 2. Aſmonæorum principum & regum. 3. Herodis & ejus filiorum. *Sub triplici periodo.*

V. Ducum regimen ſeu ducatus tantum non principatus dici poteſt. Zerubbabel enim פֶּחָה *dux Juda* appellatus, Hag. 1: 1, 14 2: 2, 21. Mal. 1: 8. Ezr. 6:7. præter familiæ ſuæ, Ezr. 2:2. aut tribus ſuæ principatum, nullum imperium, niſi Æchmalotarchæ, ſeu Ethnarchæ, geſſit; unde plures illi adjunguntur ſocii, ejuſdemque dignitatis collegæ. *Acceſſerunt ad Zerubbabel & ad primores paternarum familiarum* &c. Ezr. 4:2, 3. & 3: 2, 8. & 5: 1, 2. *Auſcultavit Zerubbabel filius Schealthielis & Jehoſua filius Jehotzadaki ſacerdos maximus & tota reliquia populi voci Jehova* &c. Hagg. 1: 12, 14. Tales etiam fuerunt ejus ſucceſſores; ſicut Davidicorum ducum ultimus, Janna Hyrcanus, ne quidem Hieroſolymis habitavit, ſed infeſtis ſibi fratribus & Symeone Pontifice, trans Jordanem conceſſit. Status ergo, ſub regimine ducum, ariſtocra- *Quarum prima fuit ſub* DUCIBUS.

craticus fuit quidem, ſed tamen ut non penes ſolos duces, verum Pontificem etiam, atque complures ſimul ſacerdotes, Pontificum nomine cenſeri ſolitos, robur & ſumma ejus fuerit. Duces hi numerantur ſequentes: Zorobabel, Mezullamus, Hannania, Barachias, Haſadias; poſt quem Aſmonæorum imperium cœpit, licet duces Davidici non defuerint uſque ad Jannam Hyrcanum. In hiſce autem & ſequentibus ducibus impletum eſt illud quod promiſſum erat Eſai. 1:26. *Reſtituam judices tuos, ut ab initio.*

Pontificum ſub iis auctoritas. VI. Summa erat hoc tempore quoque Pontificum auctoritas, ut planum eſt in Jaddo, qui tanquam princeps Reipublicæ Alexandrum Magnum excipiebat; ſicut & Lacedæmoniorum legati ad Oniam Pontificem ut principem virum miſſi ſunt. 1. Machab. 12: 20. Quæ Pontificum dignitas magna acceſſione aucta eſt per Aſmonæos, quando principatui fuit adjectus Pontificatus. *& ſucceſſio.* Pontificum nomina hæc fuiſſe traduntur. Joſua filius Joſedechi, Joachim, Eliaſib, Jojada, Johannes ſeu Jonathan aut Jannæus, Jaddus, Onias primus, Symeon primus, dictus juſtus, Eleazar, Manaſſes, Onias ſecundus, Symeon ſecundus, Onias tertius, Jaſon, Onias ſeu Menelaus (cui quidam ſubjungunt Lyſimachum, alii potius Alcimum ſeu Jacimum) quem excepit Judas Machabæus. Horum ambitione & impietate fœde conſcelerabatur Pontificatus; quando Jeſus, fratri Janni, ope Bagoſis ducis barbari, ſacerdotium erepturus, in templo à fratre obtruncatur. Janneo ſuccedebat Jaddus, cujus frater Manaſſes templum in Garizim condit. Onias quartus deinceps, tempore Antiochi Epiphanis ejurata lege, cerimoniis gentilium defunctus, eorum ſacra coluit; cui ſubditur ab Antiocho Eupatore Alcimus, quem poſt alia ſcelera, muros ſanctuarii diruere parantem mors antevertens opprimit.

Synagoga magna. VII. Excelluit inter antiſtites ſacros horum temporum poſt captivitatem, Ezras Scriba, cujus genealogia texitur. Ezr. 7. & 1. Chron. 6:4. &c. vigeſimus tertius ab Aarone, Eleazarides ſacerdos. Huic præcipue adſcribitur, tanquam capiti & præſidi, inſtitutio Synagogæ magnæ, conſiſtens ex 120 viris; inter quos erant Prophetæ; Haggæus, Zacharias, Malachias; Hagiographi, ex Judæorum cenſu, Daniel, Nehemias &c. Legum conſulti, Symeon Juſtus, qui Alexandro Magno obviam ivit, alio nomine Jaddus dictus. Multi etiam alii ſociantur, omnes appellati viri Synagogæ magnæ, quorum præſes Eſras hic Scriba. Illa vero conſeſſus ratio, cum de eo nihil in Scriptura occurrat, variiſque difficultatibus obnoxia ſit, dubia magis quam certa eſt. Sy-

VIII. Synagogæ tamen hujus magnæ, qualiſcunque conſeſſus fuerit, varia celebrantur opera. 1. Conſtitutus creditur ab illa canon librorum Vet. T. id eſt, libros illius in ordinem redegiſſe dicitur, ſpuriis & adulterinis rejectis; repertique ſunt numero viginti duo, aut alio computo, quatuor & viginti. 2. Partiti creduntur libros ſacros in tres claſſes; Legem, Prophetas & Hagiographa. Quam diviſionem tempore Chriſti etiam obtinuiſſe efficitur; quod Chriſtus dicat diſcipulis, *oportere omnia impleri, quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de ſe.* Luc. 24: 44. 3. Textum creduntur pleriſque diſſecuiſſe in commata ſeu verſus, eaque diſtinxiſſe per notas סוף פסוק 4. Attribuuntur etiam illis à multis notæ criticæ קרי, & כתיב vulgo dictæ, ſeu diverſæ lectiones, per quas ſæpe myſteria innuunt, ſæpe indicant corruptelas textus: at vero cum notæ & emendationes hæ, ipſo textu ſæpe ſint deteriores, & additæ etiam ſint libris ultimorum prophetarum, qui tum ſuperſtites fuerunt, potior eſt eorum ſententia, qui non à Synagoga magna has lectiones repetunt, ſed à Maſorethis poſterioribus, Tiberienſibus forte. Sunt etiam qui 5. illis adſcribunt numerationes ſingularum literarum, vocum & commatum cujuſque libri; qua de re סופרים ſive numeratores dicti ſunt: ſed dubium valde, an his, an Maſorethis potius Tiberienſibus, auctoritas hujus numerationis ſit imputanda. 6. Præterea teſtimonia rationeſque admodum probabiles non deſunt, quæ cum Hieronymo aliiſque ſuadent credere, characterem antiquum, quo exaratus erat ſacer codex, ab Ezra, cum eo qui nunc obtinet, fuiſſe commutatum: qui cum è Chaldæa cum ipſis in Cananæam deferretur, Chaldæus vel Aſſyriacus dictus eſt, ſicut alter ille ab antiquo uſitatus, nunc vero obſoletus, quia à Samaritanis retentus eſt, inde Samaritani cognomentum retulit. 7. Anquiritur etiam de punctis ſeu vocalibus, quas alii ab hac Synagoga, alii à Maſorethis Tiberienſibus, aut longè recentioribus ſaltem hac Synagoga auctoribus, literis adjectas exiſtimant. Prius ſtatuunt Hebræi ferme omnes; & multi Chriſtianorum: poſterius, nec præter veritatem, Aben Ezra, Elias Levita, Hieronymus aliique Chriſtianorum, cum veterum, tum recentiorum. 8. Exiſtimant inſuper Judæi, ab hac Synagoga conceptas eſſe precum formulas, ſeu תפילות / quibus & hodie in Synagogis utuntur; ſed ut ut illæ piæ ſint, novitatis tamen ſuſpicione graviſſima laborant. *Maſora.*

IX. Omnis hic labor ſacer Bibliis impenſus, *Maſora* vulgo, auctoreſque ejus *Maſorethæ* nuncupati ſunt. Quorum hiſtoriam ex iis quæ

Bbbbb 3 jam

jam dicta ſunt, cognoſcere datur. Non enim uni vel auctori vel ſeculo opus aut nomen hoc debetur. Primordia ejus, collocata in digerendo Canone, divinarumque pandectarum diſtributione, ad Eſram & hanc Synagogam forte referantur; cætera vero notarum criticarum & obſervationum humanarum farrago, ſequentium ſeculorum Maſorethis, & præcipue curatiſſimæ Tiberienſium diligentiæ commodius imputabitur.

Paraphraſis Chaldaica. X. Hoc tempore uſitata fuiſſe multis creditur paraphraſis Vet. Teſt. Chaldaica; ut liquere putant ex Neh. 8: 8. quod ſic vertunt: *Et legerunt in libro illo, in Lege Dei explanatè, & appoſuerunt ei intellectum, & intellectionem per Scripturam ipſam.* Ubi *liber* ſeu *lex Dei* Thalmudicis eſt textus Hebræus; *explanatio ejus*, Targum vel paraphraſis Chaldaica: *appoſitio intellectus* facta illis dicitur per pauſas diſtinguentes verſus & accentus; factum hoc propter ignorantiam populi, hebraicè non amplius ſcientis, ut paraphraſi Chaldaica uti neceſſe haberet. Verum illa paraphraſis, non recitata eſt de ſcripto, nedum ut fuerit Targum Chaldaicum quod hodie extat, quodque longe recentioris ævi eſt; ſed potius fuit extemporalis interpretatio Chaldaica, ore tenus pronunciata, nec ſcriptis mandata.

Lectio Legis Sabbatina. XI. Ex hac legis prælectione, hiſce temporibus originem traxit hebdomadalis illa Sabbatina Legis prælectio in Judæorum Synagogis frequentata. Quæ tempora inde *antiqua* appellantur, Act. 15: 21. *Moſes enim ab antiquis ætatibus oppidatim habet, qui ipſum prædicent, quum in Synagogis per ſingula Sabbata legatur.* Synagogas quippe non ante ſtructas fuiſſe, nec legem hebdomadatim prælectam, apparet ex Deut. 31: 10, 11, 12. coll. 2 Chron. 17: 7, 8, 9. & 2. Reg. 22: 8. quod ſupra cap. de Synagogis innuimus. Ut hic mos Eſræ & Nehemiæ tempore, ultra mille annos, poſt legem latam, demum inoleverit; qui poſtea confirmatus fuit exemplo Chriſti, qui *Sabbato ingreſſus in Synagogam, docebat.* Marc. 1: 21. conf. Luc. 4: 31, 33. & 6: 6. 13: 10. & Apoſtolorum, Act. 13: 14, 15, 42, 44. & 16: 13. & 17: 2, 3. Quæ lectio ita à Judæis ordinata eſt, ut quolibet anno univerſa lex abſolvatur die magno feſti Scenopegiæ; quando ſimul novam legis lectionem repetunt & ordiuntur; ſuperius traditum. Diviſi quoque deinceps ſunt eodem modo Prophetæ: quo reſpicitur Act. 13: 27. *Tum voces prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, eo damnato, impleverint.* Unde etiamnum in more eſt, ut utramque lectionem ſingulis Sabbatis peragant.

XII.

Digitized by Google

XII. Ad hanc temporis periodum, licet magis vergentem, referenda etiam eſt Bibliorum verſio Græca LXX. interpretum; quæ propter viam, ut dicitur, luſtranda. Tranſigamus igitur breviter quæſtiones quaſdam duntaxat de hac verſione. 1. quæſtio fertur de tempore & occaſione ex qua nata. Tribuunt ejus originem multi Ptolomæo Lagi filio; plures Ptolemæo Philadelpho, prioris filio, Ægyptiorum regi ſecundo; quæ communior eſt ſententia, trecentis præter propter annis, ante Chriſtum natum. Hoc autem modo Deus viam ſternere voluit ad converſionem gentilium; qui S. Scripturam, lingua hac toti orbi tum intellecta poſtmodum ſuo tempore lecturi erant. *Verſio ſeptuaginta viralis.*

XIII. 2. Rogatur de ipſis interpretibus; qui vulgo appellantur LXX. numero rotundo, pro LXXI. ſecundum eos, qui totum Judæorum Synedrium huic rei incubuiſſe ſtatuunt; aut pro LXXII. ſecundum eos, qui putant ex quaque tribu ſex, à Pontifice Eleazare, ad Ptolemæum petentem, fuiſſe tranſmiſſos; quod non adeo magnam fidem meretur. Placet ergo aliis, Thalmude teſte, quinque ſeniores duntaxat, ab Eleazare fuiſſe ablegatos; quod cum factum fuerit à Synedrio magno, conſtante LXX. aut LXXI. viris, inde verſionem hanc ipſis illis LXX. fuiſſe deputatam, numerumque illum ſeptuagenarium inde ortum.

XIV. Inquiritur 3. in rationem, quo pacto, & locum, ubi hæc tranſlatio facta ſit. Pervagatiſſima eſt fabula, de duabus & ſeptuaginta cellulis in inſula Pharo, prope Alexandriam, totidemque interpretibus, omnibus à ſe invicem ſemotis, eodem tamen ſenſu, quin & iiſdem verbis verſionem hanc redditam eſſe; &, ne quid forte in hoc numero deſideraretur, duorum etiam & ſeptuaginta dierum ſpatio: quæ ſane non interpretatio, ſed diſertiſſima fuiſſet vaticinatio. Adde quod incredibilis etiam ſit illa temporis brevitas.

XV. Diſputatur 4. de exemplari, quo uſi fuerunt: quod Hebraicum fuiſſe videtur, licet quidem Samaritanum arbitrentur, cum hodiernæ verſioni LXX. cum Hebraico minus convenire videatur. At hujus concordiæ aliæ redduntur cauſæ: veroſimile certe non eſt, interpretes hoſce Judæos textum Samaritanum ut authenticum habuiſſe, eoque uſos fuiſſe.

XVI. 5. Controvertitur quot & quinam libri fuerint verſi. Quibuſdam cum Philone, Joſepho & Talmudicis placet, ſolum Pentateuchum ab his interpretibus fuiſſe tranſlatum; reliquos libros à Judæis Alexandrinis deinceps adjectos, unde tempus illud LXX. dierum probabi-

babilius faciunt. Alii vero cum Patrum antiquiſſimis & pleriſque contendunt, omnes libros Canonicos, Apocryphis exceptis, fuiſſe ab iis verſos. At cum hiſtoria hæc intricata ſit, nec liqueat ſatis, vix certo quicquam ea de re affirmari poteſt.

XVII. 6. Qua exiſtimatione & ſucceſſu gaviſa fuerit, diſceptatur. Maximi illa ſemper facta fuit à Judæis Græcis, tam in Ægypto (ubi annuum illi feſtum celebratum) quam alibi, ita ut in eorum Synagogis publicè fuerit recitata. Judæi vero Hebræi, præcipuè recentioribus ſæculis, immane quantum illi verſioni infenſi fuerint, variis conviciis eam proſcindentes.

XVIII. 7. Digniſſima inſtituitur diſquiſitio; quo loco habita ſit in Novo Teſt. & à Chriſtianis, ſequentibus ſeculis. Scriptores N. Teſt. quod attinet; ſæpe quidem illi, at non ſemper, ut Pontificiis placet, hac verſione utuntur. Nam 1. interdum laudant ipſum textum Hebræum, etiam quibus in locis differt ab hac verſione; ut Matth. 2: 15. cum Hoſ. 11: 1. Joh. 19:37. cum Zach. 12:10. Matth. 2:18. cum Jer. 31: 15. Matth. 9: 13. cum Hoſ. 6: 6. Matth. 4: 16. cum Eſai. 9: 1. 8; 17. cum Eſai. 53: 4. 2. viciſſim aliquando utuntur hac verſione, etiam ubi abit à textu Hebræo: ut Luc. 3: 36. cum Gen. 11: 12. Act. 13: 41. cum Hab. 1: 5. multiſque aliis locis. 3. Quandoque allegant dicta quædam Veteris Teſt. quæ hoc tempore, nec in hac verſione, nec in Hebræo textu reperiuntur, ut Matth. 2: 6. cum Mich. 5: 2. Rom. 11: 8. cum Eſai. 29: 10. Quæ omnia explicatiora dare nunc non licet. Quod vero ad Chriſtianos ſpectat; Græci multis ſeculis ea fuerunt uſi: Latini etiam longo tempore verſionibus Latinis utebantur ex hac expreſſis, inter quas Auguſtino maxime laudatur Italica, *Vulgata* dicta; donec poſt quatuor ſecula à Chriſto nato, Hieronymus novam Latinam verſionem ex Hebræo textu dederit.

XIX. Denique 8. anquiritur; quid ſtatuendum ſit de verſione illa, quæ noſtro tempore ſub nomine LXX. interpretum circumfertur. Communis autem Theologorum Reformatorum ſententia eſt, illam, cum multum diverſa ſit & aliena à textu Hebræo, multis in locis eſſe corruptam; ſive, quod ipſi auctores, (quod tamen vix probabile) exemplaribus non ſatis accuratis fuerint uſi; ſive quod non nimium periti fuerint linguæ Hebrææ, ſive, quod præcipuum eſt, à librariis deſcribendo & ab interpretibus cum aliis verſionibus commiſcendo ſenſim corruptior ſit reddita: quibus aliiſque de cauſis, verſio hæc anti-

ti-

Digitized by Google

tiquiſſima tot ſæculorum lapſu corruptionem aliquam paſſa eſt. Ut fruſtra Pontificii veterum fabulis recoctis, verſionem hanc authenticam faciant, lapſuque ſeculorum fœdatam, à Papa Sixto V. è Bibliotheca Vaticana, reſtitutam & emaculatam eſſe glorientur. Omni cæteroquin modo committendum, ne verſio iſta, qualis nitidiſſima extat, ſtudioſæ juventutis manibus excutiatur; utpote quæ non ſolum antiquitate & dexteritate ſua venerabilis eſt, verum etiam cum eadem conſtet phraſeologia, qua Nov. Teſt. ſcriptores uſi ſunt, utrique inſtrumento illuſtrando inſigniter conducit.

XX. In hiſce omnibus videre eſt typum abſolutiſſimæ, & omnibus ſæculis memorandæ, quin imo imitandæ, Eccleſiæ illius temporis ad normam legis & doctrinæ Moſaicæ Reformationis; quam tantopere quoque ſpirant libri Eſræ & Nehemiæ hiſtorici, Haggæi, Zachariæ & Malachiæ Prophetici. *Inſignis Eccleſiæ hujus temporis* REFORMATIO.

XXI. Cujus Reformationis, quæ à primario illius auctore, Eſraitica dici poteſt, præcipua fuerunt hæc ſeptem capita. 1. Inſtauratio templi altariſque, ſtatim à reditu cœpta. 2. Synagogæ magnæ circa Scripturam ſacram labor & exactiſſima cura. 3. Verbi divini frequentior & accuratior, quam hactenus obtinuerat, prædicatio, ut Neh. 8: 1. & ſeqq. videre eſt. 4. Cultus divini, quantum ad feſtum tabernaculorum, reſtitutio, ejuſcemodique illius feſti celebratio, qualis à tempore Joſuæ non obtinuerat. Neh. 8: 15-18. 5. Rejectio impurorum hypocritarumque Cuthæorum, ſeu Samaritanorum, falſo prætextu religionem præ ſe ferentium & ſtructuræ templi ſe ingerere conantium; quos ab illa ſocietate rejiciebant & à ſe ſegregabant. Eſr. 4: 2, 3. 6. Cui rejectioni acceſſit ſeparatio ab ἀθεμίτῳ μίξει cum gentilibus & populis profanis: quæ prolixè narratur Eſr. 9 & 10. Neh ult. 7. Quin & altius aſcenderunt. Conſuetudini enim antiquiſſimæ, à Deo nunquam approbatæ, longa tamen ſæculorum ſerie inveteratæ, plures uxores ducendi, eaſque leviculas ob cauſas legitimè junctas dimittendi, ſe oppoſuerunt viri prophetico ſpiritu inſtructi, Mal. 2: 14, 16. Et hæc fuit διαβόητος illa Eccleſiæ poſt Babylonicam captivitatem Reformatio, alterius poſt eductionem illius è ſpirituali Babylone præludium, qua doctrina Moſaica in priſtinum honorem reſtituta fuit, & corrupti mores ad antiquam integritatem revocati, adeoque in pejus ruituræ Eccleſiæ res per aliquot ſæcula ſuſtentatæ ſunt.

CAPUT XXXVIII.

De Eccleſia ſub Principatu & Regno Aſmonaeorum.

Altera periodus ſub Ducibus.

I. VIdemus plerunque, ubi in cumulum accreverunt populi peccata, præcipue ſi ſummis ſe ſceleribus etiam adſtrinxerint Magnates & Reipulicæ primi; continuo, ſi non tota peſſumdetur Reſpublica, tanto malo non inveniri remedium, niſi mutata regiminis forma. Uſum hujus rei teſtata ſunt omnia retro ſæcula; tum maximè, in quibus nunc verſamur, populus & temporis periodus, luculentiſſimum ejus ſpecimen præbent; quando Ducibus & Pontificibus ad ſumma crimina delapſis, verſa eſt Reipubl. facies, & prioribus deletis, exſtincto Ducum nomine; ſucceſſerunt Machabæi, in quibus Pontificatus, primo cum principatu, deinde etiam cum regno ſociatus fuit. Vita enim functo Alcimo, populi ſuffragiis traditus eſt Pontificatus Judæ Machabæo, filio Matathiæ Sacerdotis, è ſtatione ſeu claſſe ſacerdotali Joaribi. 1. Chron. 24: 7. 1. Mach. 2: 1.

MACHABÆIS, *ſeu* HASMONÆIS.

II. Machabæi D. Junio appellantur à quatuor literis initialibus verborum Exod. 15: 11. מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *Quis ſicut tu, Deus?* מ.כ.ב.י. depictis in labaris & vexillis ſuis militaribus. Aliis aliunde potius petitur vocis hujus originatio. Cæteroquin Aſſamonæi vel Haſmonæi dicebantur, ſive ſimpliciter *Præfectos* dicas; ſive quod vox illa Arabice idem ſonat ac *Venerandi Antiſtites*, quales illi patriæ religioniſque erant. Rerum ab iis geſtarum occaſio nata fuit, ex oppreſſione Judæorum ab Ægypti Syriæque Regibus, inter quos ſiti erant medii; præcipuè verò a Rege Syriæ Antiocho Epiphane: de quo illuſtria ſunt vaticinia Dan. 8: 9, 23. *Et ex uno de illis egreſſum eſt cornu unum minus quam parvum; & crevit amplius* &c. *Et in extremo regni ipſorum, cum conſummabunt defectores, ſurget Rex pertinax, intelligens ænigmata.* & 11: 21. *Et ſtabit in loco ejus, ſpretus, cuique non tribuerant Majeſtatem Regiam; & veniet in tranquillitate, & occupabit regnum per blanditias.* Qui criminibus flagitioſiſſimis in ſe admiſſis, Jeroſolymam occupat, per ſummum ſcelus in templo ſtatuam Jovis Olympii collocat; Baccho feſtum indicit;

Mo-

Digitized by Google

Moſis & Prophetarum libros comburit; ſacrificium juge in triennium & ſemeſtre tollit; denique fideles per atrociſſima ſuppliciorum cruciamenta conficit & enecat. vide 1. Mach. 1:23. 2. Mach. 5:6,7. capp. In hujus igitur crudelitatem inſurgit Judas Machabæus; Apollonium ducem ejus cædit, nono Antiochi anno, templum recuperat, illudque fœdiſſime violatum procurat & expurgat, anno admodum ante Chriſti Epiphaniam 168.

III. Libertate hoc modo afferta, Alcimoque mortuo, ſeu etiam vivente, ut alii volunt, populus ſui juris factus, Judæ Pontificatum tradit; quo cum per quadriennium functus eſſet, fortiter vindicans jura patria, infelici in prælio cecidit. 1. Mach. 9: 18. Pontifex idem & Princeps. Judæ ſuccedit Jonathas frater ejus; poſt illum Simon itidem frater, quem excepit filius ejus Johannes Hyrcanus, itidem, ut deceſſores ſui, Pontifex ſimul ac Ethnarcha; imo ſecundùm Judæos, etiam Propheta; cujus filius Ariſtobulus, miſſo principis nomine, regium uſurpavit, atque Ethnarchiam vertit in regnum. Hyrcanus hic, principum ideo Aſmonæorum ultimus, Idumæos ſubegit, illoſque ut circumciſionem ſuſciperent, ritibuſque Judaicis defungerentur, coëgit, qua de cauſa poſt hæc tempora in unum cum Judæis populum coaluerunt, & Judæorum nomine cenſiti fuerunt. *Qui Principes & Pontifices.*

IV. Hi Aſmonæi fuerunt principes, & ſimul Pontifices: quod poſterius illorum munus legitimum plane fuit, neque per eos interrupta fuit Pontificum ſucceſſio: nullo jure vero illi muneri adjunxerunt imperium, quod Levitis ſeu Pontificibus male conveniebat. Rempublicam tamen geſſerunt ſuo ductu ac imperio, non præcariâ à Perſis, Græcis aut Romanis poteſtate, ut quibuſdam placet, cum excuſſo Græcorum jugo, regno reapſe ſint potiti. Romanorum non clientes fiduciarii, ſed ſocii ac fœderati facti, ſicut ex fœdere, quod cum Romanis iniit Judas, abunde conſtat. 1. Mach. 8. *in quantum legitimi?*

V. Diligentiori conſideratione dignæ ſunt horum temporum res geſtæ. Nam 1. Oppreſſionem Antiochi quod attinet, in ea obſervare eſt: quo pacto Deus inſtante inſigni Eccleſiæ mutatione, graviſſimas calamitates in eam concitare ſoleat. Appetente enim paulatim Meſſiæ adventu, per diriſſimam hanc Antiochi perſecutionem urgebatur Eccleſia, ut tanto majori cum deſiderio Meſſiam, redemptorem ſuum, ejuſque regnum anhelaret, à qua ſpe & exſpectatione inſigniuntur illorum temporum fideles. Luc. 2:25. *Simeon, qui homo juſtus &* *Rerum hoc tempore geſtarum ratio & ſignificatio. 1. Eccleſia per Antiochum oppreſſa,*

religioſus, exſpectabat conſolationem Iſraelis. Satis enim recens erat memoria hujus perſecutionis tempore Chriſti. 2. Latuit in hiſce, tanquam in imagine, ſtatus Eccleſiæ N. Teſt. Proinde enim ac primum Chriſti adventum anteceſſerunt atroces hæ perſecutiones, Legis ergo; eundem ad modum non minora mala, ante alterum ejus adventum, fidelibus incumbent, Euangelicæ doctrinæ gratia. Adde, ſicuti perſecutor hic Antiochus templum ſceleſtiſſimè violavit & invaſit; idem omnino manſurum erat Eccleſiam ab Anti-Chriſto, cujus typum Antiochus retulit: quare etiam ſub illius ſpecie de Anti-Chriſto Daniel locutus creditur, c. 11: 36, 37, 38. *Et faciet pro voluntate ſua Rex, & efferet ſe, & magnificabit ſe ſupra omnem Deum, & contra Deum Deorum loquetur mirabilia, & proſpere aget, donec conſummatus fuerit rigor. Nam deciſum factum eſt. Et non habebit rationem Deorum patrum ſuorum; & non habebit rationem deſiderii mulierum, & non habebit rationem illius Dei, quia ſupra omnia magnificabit ſe: & Deum arcium in locamento ſuo honorabit, & Deum quendam, quem non agnoverunt patres ipſius, honorabit auro & argento, & lapide pretioſo & deſiderabilibus.* Quibus tam exacte & vivis adeo coloribus deformatur Anti-Chriſtus, ut de eo ſolo proxime hic agi quidam ſtatuant.

tum ejuſdem per Machabæos liberatæ.

VI. 2. Notanda in primis etiam eſt Eccleſiæ per Judam liberatio. 1. Uti enim ab Antiocho occupatum fuit templum, per ſolidum triennium, & quod excurrit ſemeſtre; ſic item ante vaſtationem templi per Romanos, tantundem effluxit; omniumque generum ærumnis & extrema belli miſeria prælusum eſt. 2. itidem ac Antiochus, ejuſque crudeliſſima tyrannis, repræſentabat Antichriſtianam Eccleſiæ inſectationem; viciſſim mirabilis ejus per Judam fratreſque vindicatio & templi purificatio, auſpiciis tam exiguis, & inſtrumentis levibus peracta, effigiavit expurgationem Eccleſiæ N.T. ultimis ſeculis, qua ex tenuiſſimis initiis, via plane ſingulari, templum Dei fuit reſtitutum, & à ſordibus fœdaque Anti-Chriſti illuvie, atque tyrannide aſſertum & elutum.

tum Idumæorum debellationis & cum Iudæis unionis.

VII. 3. Illuſtris etiam eſt cum debellatis Idumæis pactio & cum populo Dei, unio: qua 1. impletum fuit Bileami vaticinium de rebus hiſce paulo ante Meſſiæ adventum eventuris. Num. 24: 18, 19. *Et erit Edom hæreditas* (Idumæi jungentur fœderi, & pars populi fient) *& erit hæreditas Seir, inimici ejus, & Iſrael faciet ſtrenue. & dominabitur ex Jacobo, qui perdet ſuperſtitem ab urbe; & naves à latere Chittæorum* (ab occaſu),

Digitized by Google

caſu) *venient & domabunt Aſſyrium* (Græci Perſas ſubjugabunt) *& domabunt Heberum* (Romani Judæos). Vide & Amos. 9: 12. *Ut hæreditent reliquias Edomi, & omnium gentium, ſuper quibus nuncupatum fuerit nomen meum, ait Jehova faciens hoc.* 2. Claret hinc cur Eſai. 34: 6. & 63: 1, 2. & Mal. 1: 3, 4, 5. Iſraël qui Chriſtum cruci ſuffixit, *Edom* appelletur; quia nempe, inter alia, eo tempore quo hæc facta ſunt, Iſraël & Edom unus erant populus, uni Regi, & quidem Herodi Idumæo ſubjecti.

VIII. Atque hactenus de Machabæis Principibus; quos excepe- *Machabæi Reges.* runt iſtius familiæ Reges; ut ſupra indicatum. Fuerunt illi quinque; quorum primus fuit Ariſtobulus, Hyrcani filius, qui imperio crudeliter geſto, poſt annum decedit, relinquens ſucceſſorem ſibi fratrem Alexandrum Jannæum. Huic duo filii ex Alexandra uxore, Hyrcanus & Ariſtobulus. Poſt patris mortem Alexandra vidua regnum per novennium adminiſtrat, Phariſæis addicta, in quorum gratiam Hyrcanum Pontificem creat: qui deinceps etiam mortua matre regnum capeſſit; qua utraque dignitate, poſt tres menſes, exuit eum Ariſtobulus frater.

IX. Huic fratrum diſſidio, aptâ occaſione, intervenerunt Romani, *eorum diſſidia & everſio.* captaque urbe & templo, vinctum Ariſtobulum Romam deportavit Pompejus, Pontificatum & Ethnarchiam, non vero regnum, Hyrcano reddens. Mortuo dein Ariſtobulo, filius ejus Antigonus, Parthorum auxilio, Hyrcanum capit, regnumque occupat; ab Antonio autem Antiochiæ, inuſitato exemplo, Rex ſecuri percutitur.

X. Evehitur interea Antipater Aſcalonita, & propter magnitudinem meritorum ejus erga Jul. Cæſarem, Judææ Procurator conſtituitur; cujus filius Herodes à Romano Senatu Rex declaratur: atque ille quidem reliquam Aſmonæorum proſapiam excidit; Ariſtobulum Pontificem adoleſcentem inter natandum fraude ſceleſta ſuffocat; ipſumque Hyrcanum grandævum, optime de ſe meritum, tollit: poſtquam Pontificatus & Principatus in Aſmonæorum domo hæſiſſet per 130. circiter annos, quorum res florentiſſimæ, mutuis odiis & truculentis ſceleribus utrinque admiſſis, penitus interciderunt: ut ita regno funditus ſubverſo, verus populi Dei Rex enixius eo & vehementius deſideraretur. Unde etiam de corona Aſſamonæorum prædictum fuerat, *quod illa non ſit*, hoc eſt, quod ea non ſit illa, quæ promiſſa eſt. Ezech. 21: 27.

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

De Sectis Judaeorum.

Sectarum inter Iudaeos.

I. CUm multum turbaretur Reſpublica, Aſmonæis rerum potientibus; tum non minimum variis & in omnia alia abeuntibus opinionibus conſciſſa fuit Eccleſia Judaica: unde ſubjicientibus ſe perpetuo, tanquam ex Hydræ capite, litibus, in diverſas ſectas, quæ *αἱρέσεις* in Nov. T. dicuntur. Act. 5:17. 15:5. fuit diviſa; quibus divortiis duplex potiſſimum cauſa originem dedit.

Origo & cauſa.

II. Deerant 1. Vates ſeu Prophetæ, qui ore Dei conſulto, populo reſponſa referrent, & litigantibus intercedentes, omnem diſceptationum materiam divino oraculo præciderent. 2. Lex, quæ olim aſſa & abſque gloſſis Magiſtrorum lecta, jam iis adjectis legebatur atque explicabatur; unde infinitæ ſuboriebantur concertationes, ex quibus, acri contentione & pertinaci ambitione vexatis, excluſæ tandem ſunt ſectæ; populuſque Judaicus adhuc integer & indiviſus, variè ſectis & conſpiratis factionum partibus ſciſſus eſt: quarum præcipuæ fuerunt *Sadducaeorum*, *Phariſaeorum* & *Eſſaeorum*. Phariſæis autem cum celebratiſſimum ſit nomen, primum dabimus locum.

HASIDÆI.

III. Origo illorum refertur ad viceſimum vel quadrageſimum ſupra centeſimum, ante Chriſti natales, annum. Joſephus jam tempore Jonathæ, fratris Judæ Machabæi, eorum meminit. Orti vero ſunt ex antiquis Haſidæis, quorum mentio fit 1. Mach. 2:42. *Tunc congregati ſunt ad eos, congregatione ſua Aſidai, valentes robore ex Iſraëlitis, quicunque voluntariè adhærebant legi.* &c. & 7:13. *Hi Aſidai primi fuerant in filiis Iſraëlis.* & 2. Mach. 14:6. *Qui ex Judais dicuntur* Ἀσιδαῖοι, *quorum dux eſt Juda Machabæus* &c. Qui חסידים/ id eſt, benefici appellantur; eratque natio quædam hominum, poſt captivitatem Babylonicam, ſtudioſiſſima pietatis ac beneficentiæ, liberalitatiſque erga egenos, temploque figendis anathematis ac donariis effundendis; ut iſtis temporibus Judæorum pientiſſimi audirent & revera eſſent, ſingularique opera ſanctitatem affectarent. Unde Symbolum illorum erat; quicquid meum eſt, tuum eſt; quicquid autem tuum eſt, tui ſolius eſt. Ad quod diſcrimen חסידים ſeu beneficorum, ut & juſtorum, & impiorum, illis

Digitized by Google

lis oppoſitorum reſpicere videtur Apoſtolus Rom. 5: 6, 7. *Chriſtus, quum adhuc impotentes eſſemus, ſuo tempore pro impiis mortuus eſt: vix enim pro juſto quis moriatur, nam pro bono forſitan quis etiam ſuſtineat mori.* Egregium & laudabile hactenus erat illorum inſtitutum, nec ſectæ quicquam habebat illud vitæ genus; deinceps ἐκουσιασμὸς ille, ſeu voluntarium ſanctitatis ſtudium, intra præceptorum fines & ſyſtema quoddam cogi cœpit, & affricata eſt ſuperſtitio; unde nati fuerunt δογματίσται, qui hunc ἐκουσιασμὸν mutarunt in neceſſitatem, operibuſque rigidioribus & ſupererogatoriis præſtandis incubuerunt, ſeparantes ſe à vulgo; quod dogma non ſtatim in illud culmen excrevit; ſed lapſu temporum perfectum eſt; tandemque hinc prodierunt *Phariſæi.*

IV. Nomen *Phariſæorum* quibuſdam deducitur à פרש *exponere*, quaſi פרושים *expoſitores legis*; originatione minus probabili, cum & fœminæ eſſent Phariſææ, pariter ac viri, quæ tamen legem non exponebant: potius ergo derivatur à פרש *ſeparare*; ac ſi ſeparatiſtas voces. Separabant ergo ſeſe 1. Sanctitate & puritate externa. 2. Dignitate. 3. Veſtibus & moribus. Huc à multis trahitur illud Zephaniæ 1: 8. *Et erit in die ſacrificii Jehovæ, viſitabo in principes, & filios regis, & in omnes, qui amiciuntur veſtimento peregrino.* *Ex quibus* PHARISÆI.

V. Singulariter autem à reliquis Judæis dignoſcebantur, cum *dogmatis* ſuis, tum *vivendi ritu.* Dogma eorum principale erat de traditionibus, quas urgebant maxime, legique ſcriptæ præferebant. Hinc quoque varias legi obduxerant corruptelas; præcepta ejus gloſſis ſuis undequaque incruſtantes; quod docet Chriſtus Matth. 5, 15. & 23. capp. Sigillatim 1. omnia aſſignabant Deo & fato, ſcilicet mathematico ex aſtris eorumque motu dependenti. Licet quidam rem aliter putent. 2. aſſerebant homini liberum ſuum arbitrium, cujus propriis conatibus in bono à Deo tantum ſuccurri ſtatuebant; non aliter ac poſteris ſæculis Semipelagiani. 3. ponebant, piorum animas per μετεμψύχωσιν migrare è corpore in corpus: malorum animas interminabili ſupplicio cruciari. Quò quidam reſpici putant Matth. 14: 2. *Dixit Herodes ſervis ſuis, iſte eſt Johannes Baptiſta: ipſe ſuſcitatus eſt ex mortuis, & propterea virtutes agunt in eo.* & cap. 16: 13, 14. *Interrogavit diſcipulos ſuos Jeſus, dicens: quemnam eſſe me dicunt homines, filium hominis? illi vero dixerunt, alii quidem Johannem Baptiſtam, alii vero Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Joh. 9: 2. *Et rogarunt eum diſcipuli ejus, dicentes: Rabbi, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* 4. Re- *Illorum dogmata.*

Reſurrectionem corporum, tam bonorum, quam malorum, profitebantur; illumque coram Deo juſtum eſſe qui pleraque mandata legis obſervaſſet. Ex hac priori ſententia apologiam ſibi meditatur, Judæorumque irruentium in ſe impetus ſiſtit, Paulus, dicens: *Ego Phariſæus ſum, filius Phariſæi: de ſpe & reſurrectione mortuorum ego in judicium vocor.* Act. 23: 6. & com. 8. *Sadducæi quidem dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Phariſæi autem utrumque profitentur.* conf. cap. 24. 15. *Spem habeo in Deo, fore, quam & ii ipſi exſpectant, reſurrectionem mortuorum, tum juſtorum, tum injuſtorum.*

& vivendi ritus. VI. Vitam illorum quod attinet, uno verbo abſolveris eos, ſi operarios voces; qui totam legem mutabant & recudebant quaſi in Philoſophiam & externam diſciplinam, per quam, adjunctis ſacrificiis, circumciſione cæteriſque cerimoniis, certiſſimam peccatorum remiſſionem & juſtitiam ſibi pollicebantur. Ut omnis eorum vita nihil aliud eſſet niſi larvatæ pietatis proſcenium, totaque occuparetur in σκληραγωγίᾳ affectata, crebris jejuniis, lotionibus, purificationibus, longis precibus, quas in locis celebribus & platearum triviis ſtantes recitabant; decimandis rebus leviſſimis, phylacteriorum & fimbriarum dilatatione, aliique externæ diſciplinæ actionibus, quæ paſſim in Euangelio recenſentur. vide Matth. 9: 14. *Cur nos & Phariſæi jejunamus multum, & diſcipuli tui non jejunant?* Luc. 18: 12. *Jejuno bis hebdomade, decimo quæcunque poſſideo.* Matth. 6: 5. *Quum precaberis, ne eſto ut hypocritæ, amant enim in conventibus & in angulis platearum ſtantes precari, ut appareant hominibus.* & cap. 23: 14. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, quoniam exeditis domos viduarum, idque in ſpeciem utentes longis precibus* &c. Adde v. 23. Marc. 7: 3, 4. Luc. 7: 39. Matth. 9: 11. Ex quibus omnibus plurimum ſibi arrogabant, gloriabanturque ἀκριβεστάτην eſſe ſuam ſectam. Act. 26: 3. magnamque ſibi conciliabant auctoritatem. Qualis vero quantique ea habenda, ediſſerit Servator Matth. 23.

VII. Ut autem ferax eſt ſuperſtitio & fatale ſeparatiſtis ſemper ulterius ſcindi, ſecta hæc deinceps in alias quoque diſcerpta & friata eſt ſectas; quæ ſeptem enumerantur in Thalmude. 1. Phariſæus Sichemita. 2. Phariſæus percuſſus, ſeu illidens. 3. Sanguinem eliciens. 4. Phariſæus mortarius. 5. Phariſæus qui dicit, quid faciam? ut ille juvenis Matth. 19: 16. 6. Phariſæus timoris. 7. amoris.

VIII. Evanuit hæc quidem ſecta, nec hodie ſuperat inter Judæos; palmarium tamen eorum dogma, de traditionibus & earum appendicibus

cibus hæret, gliſcitque inter pleroſque Judæos in Europa; atque eo nomine plerique Judæorum, Rabbiniſtæ ſeu Phariſæi, diverſi ſunt à Karæis ſeu ſcripturariis, quorum rara eſt copia. Quinam vero inter Chriſtianos eorum ſint imitatores, & quodnam hominum genus noſtra ætate huic tam exacte reſpondeat, ut ovum ovo non ſit ſimilius, nimis quam toti Europæ patet.

IX. Nomen ſuum Saducæi debent Sadoko cuidam, Antigoni Sochæi, Synogogæ magnæ poſt defunctum Symeonem juſtum, ſucceſſoris, diſcipulo; qui non intellecta mente magiſtri ſui Antigoni, cum æquali & commilitone ſuo Baitho, innocua & pia ejus verba; non eſſe Domino ſerviendum, inſtar ſervorum præmii ergo, pervertit; & inde extudit, nullum poſt hanc vitam manere præmium aut pœnam; atque ita novam Saducæorum & Baithuſæorum, reſurrectionem mortuorum & mercedem juſtorum in futuro ſæculo abnegantium, ſectam cudit. Aliter etiam à Judæis appellantur, Minæi, Epicuræi, Doſitheani, Samaritani, & Karæi, quia nempe traditiones cum Karæis rejiciebant. Ætas eorum incidit in annum quaſi ſextum & vigeſimum ſupra ducenteſimum ante Chriſti natales; ut Saducæi ex Judæorum ſectis ſint antiquiſſimi. SADUCÆORUM *origo.*

X. Inter eorum dogmata primarium erat; animam corpori non eſſe ſuperſtitem, ac præter craſin ac temperamentum, corporiſque habitum nil quicquem eſſe; quare corporum in cineres abeuntium & animarum reſurrectionem inficiabantur; præmia pœnaſque omnes poſt hanc vitam, & quod ex iis conſectarium erat, Angelos & Spiritus univerſos tollebant. Vide Matth. 22:23. *Illo die adierunt eum Saducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, & interrogarunt eum.* & Act. 23:8. *Saducæi quidem dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum,* Ab his proximum erat, quod fatum & Dei providentiam mundo exterminarent, hominis arbitrio omnia relinquentes; unde & Epicuræi dicti. Sigillatim etiam à Phariſæis diſtinguebantur, quod traditiones rejicerent. Adjiciunt quidam, eos legem ſolam ſeu Pentateuchum duntaxat recepiſſe, ſpretis reliquis V. T. libris, quo facere exiſtimant, quod Salvator ex lege ſola eos redarguit & confutat. Matt. 22. Fit tamen probabilius, univerſam Scripturam ab iis receptam, id eſt, legem ſolam; non Prophetis, ſed traditionibus ſeu verbo ἀγράφῳ rejectis. *Dogmata;*

XI. Mores eorum depingit Joſephus, & confirmant dogmata, ut *& mores;*

feros & ἀγρίους, tanquam hominum profanorum; unde licet ferme potentiſſimi eſſent, quamvis & pauci, nihilominus exoſi erant vulgo, cui contra gratioſi erant Phariſæi, qui vulpinari noverant & in ſinus hominum influere. Hinc immane diſcrimen inter utroſque obſervatur; illi ſcilicet juſtitiarii; hi profani: illi multa ſuperaddentes legi; hi de eadem detrahentes non pauca: utrique à Deo devoti. Deut. 4. & 12. Hinc internecivum & æternum odium iis cum Phariſæis intercedebat; quod ſæpius teſtantur ſacræ litteræ, ut Act. 23: 7. & alibi.

XII. Secta hæc non omnis periit, ſed aliqua parte inter Judæos etiamnum ſupereſt; cum multi eorum animæ immortalitatem negent, quorum numerus frequens in Oriente & Turcia, ubi etiam multi Karæi: Europæi enim Judæi fere Rabbiniſtæ ſunt. Paria cum Saducæis faciunt, inter alias ſectas Muhammedani: inter eos qui Chriſtianum nomen profiteri volunt, Sociniani.

ESSENORUM *origo.* XIII. Dubiam habet Eſſæorum nomen Etymologiam; præ cæteris probabilis eſt originatio à verbo חשה *ſilere*; vel רסה *latitare*, ſeorſim à ſtrepitu agere; vel אסא, quod *ſanare* notat Syris & Rabbinis; quaſi *ſanatores* dicas: utrumque enim cum eorum vivendi ratione optime convenit. Oſſeni etiam alio nomine appellabantur. Ut nominis ita ipſorum hominum incerta valde eſt origo; quibuſdam exiſtimantibus, eos ex quodam Saducæorum cum Phariſæis temperamento eſſe natos, vitæ quippe ſanctitate præſtantes, & ab utriuſque ſectæ vitiis abhorrentes. Aliis vero cenſentibus, eos extitiſſe Machabæorum ævo, temporibus duriſſimis, ingruente perſecutionum acerrima tempeſtate, quam ſubterfugientes multi, cum in loca ſola & deſerta ſe ſubduxiſſent, ſerenatis poſtea temporibus, licet jam periculo omni defuncti eſſent, in priſtino tamen vitæ inſtituto & genere durarunt, & ab omnibus ſemoti ſolitariam deinceps vitam egerunt. Quæ res etiam Anachoretarum & Monachorum, inter Chriſtianos, inſtitutioni cauſam dedit.

Dogmata. XIV. Opiniones eorum quod attinet, ad hæc ferme capita rediguntur. 1. Omnia fato ſubjiciebant, rebus nullis eximiis. 2. Angelos auguſte ſummoque ſtudio venerabantur; præcipue eos, qui ſectæ eorum noti & familiares habebantur. 3. Solem orientem adoraſſe dicuntur; contra præceptum Dei, Deut. 4: 19. *Ne ſublatis oculis tuis verſus cælum, quum aſpexeris Solem, aut Lunam, aut ſtellas, ullam rem exercitus cæleſtis, tum impellaris, & incurvans te eis, colas ea* &c. Job. 31: 26, 27 28. *Si vidi lucem, quod ſplenderet, & Lunam pulcrè incedentem; & ſeductum eſt in ſecreto*

areto cor meum, & oſculum tulit manus mea ori meo. Et hæc pravitas judicialis eſt, nam abnegaſſem Deum, qui ſupra eſt. Vide & Ezech. 8: 16. quam tamen culpam ab iis rectius amoliuntur alii. 4. Nulla offerebant ſacrificia, ſanctioribus ritibus ſe aſtrictos opinantes; dona tamen ſua templo vota ſolvebant, ideoque ſectæ ſuæ capita quaſi & principes Jeroſolymis habebant, ipſi remotioribus in locis ſecreti degentes. 5. Pari religione juramento ac perjurio ſe abſtinebant. 6. Sabbatum ſuperſtitioſiſſime obſervabant, non ſolum ab omni opere vacui, ſed ipſi naturæ debitam excretionem denegantes. 7. Pentecoſten ſepties per annum celebrabant. 8. Animarum immortalitatem ajebant; de loco vero earum poſt mortem inepte philoſophabantur. 9. Sectæ ſuæ initiandos, vel ipſos Judæos, non aliter ac paganos baptizabant.

XV. Singularibus hiſce opinionibus reſpondebat vita non minus à communi vivendi ratione diverſa. 1. Secreti ab hominibus in hortis ſuis, maxime circa Jerichuntem, agris colendis ſe totos mancipantes, vitam agreſtem tolerabant; medicinam quoque feciſſe, ægriſque ſanandis operam dediſſe volunt alii. 2. Bonorum communionem ante omnia uſurpabant; diſtribuentibus ea præfectis, ut nulla emtio aut venditio, nullum divitiarum ſtudium inter illos obtineret. 3. Iter facientibus ab eorum ſocietate hoſpitium præbebatur. 4. Servis carebant, tum ob eorum infidelitatem, tum maxime quod alieni eſſent ab illa hominum diſparitate, ut naturæ communi injuria. 5. Uxores à ſe repudiabant, ut vitæ tranquillitatem conſervarent: ne tamen ſecta periret prorſus, alienæ prolis adoptatione cavebant; quin & aliqui ex illis eam ob rem matrimonio liberiſque operam dabant, adhibitis etiam variis cautionibus. 6. Integerrimis erant moribus, inculpata juſtitiæ laude, quam mirum in modum captabant; inculti plane habitu & veſtibus, voluptatum deliciarumque hoſtes acerrimi. 7. Silentium ante omnia obſervabant, & laboris penſo abſoluto, commune prandium ſumebant, non aliter ac olim Monachi ſacris exercitiis convivia intermiſcentes; tenuis etiam victus & cibi pauciſſimi erant, in jejuniis frequentiſſimi. 8. Hemerobaptiſtarum more quotidie frigidâ ſe abluebant. 9. Senum apud illos maxima erat reverentia. 10. In communionem & conſortium ſectæ nemo admittebatur, niſi toto quadriennio diligentiſſime ſpectatus, quando horrendo ſacramento in ſectæ illius religionem adigebatur. 11. Diſciplinæ violatores à centumviris ex communitate proſcribebantur; inedia herbiſque noxiis tollebantur, *& vivendi mos.*

quas inſtar pecudum depaſcebant, niſi interdum in mortis confinio vitæ gratia ipſis fieret. Juvenes difficulter & faſtidioſe recipiebant, at viros ſeneſque. Plura de iis narrant *Joſephus Antiquit.* lib. 18. cap. 2. & *de bello Judaico*, lib. 2. cap. 7.

XVI. Affines hiſce erant ex Philoſophis Gentilium Pythagoræi; ex hæreticis Meſſaliani, eorum ſimiæ; ex Chriſtianis, in pluribus, Anabaptiſtæ; gemini vero illis ſunt, & genuini imitatores Pontificiorum Monachi: quod in errorem etiam deduxit Euſebium, qui lib. 11. cap. 6. de Monachis Chriſtianis dicta eſſe exiſtimavit, quæ Philo Judæus in libro de vita contemplativa, de Eſſæis, ut plerumque creditur, refert; quod Pontificii avide arripiunt, qui Monachatus antiquitatem inde adſtruere ſatagunt; cum tamen Eſſæi fuerint, non Chriſtiani, ſed inſenſiſſimi Chriſtianorum hoſtes, ſectaque omnium ſuperſtitioſiſſima.

Status Eccleſiæ Judaicæ inter haſce ſectas.

XVII. Atque hoc fuit famigeratum illud Judæorum *Tribæreſium*: cui quaſi quartam ſectam addidit Judas Galilæus; quintam verò acephali Herodiani. Miſerum itaque ejuſmodi in modum conſciſſa fuit Eccleſia Judaica per haſce ſectas; quibus dum ſinguli ſtudent, Scripturæ & Prophetiarum ſtudium eviluit, & indago earum neglecta eſt. Reſervavit tamen ſibi Deus Eccleſiæ reliquias in paucis fidelibus, ut Symeone & aliis, Meſſiæ adventum anxie deſiderantibus. Interea loci in hac deformi Eccleſiæ Judaicæ facie, agnoſcere licet delineatum ſtatum Eccleſiæ N. Teſt. ante ſecundum Chriſti adventum, quando lacerata religio & in hæreſes ſectaſque varias diſſecta; ſuperante nihilominus aliqua verorum fidelium parte, inter quos lex obſignetur. Vide Eſai. 8: 16. *Liga teſtificationem, obſigna legem in diſcipulis meis.*

CAPUT XL.

De Eccleſia ſub Herode, ejuſque ſtatu ſub adventum Chriſti.

Ultima Eccleſiæ horum temporum periodus

I. DEturbatis regno Aſmonæis ſucceſſit Herodes, qui illud aliquandiu cum filiis inſedit. Herodis pater Antipater de Julio Cæſare bene meritus, Judææ procurator ab ipſo conſtituitur, cum Hyrcani ſtupor imperio ineptus eſſet. An-

ſub HERODE.

Antipatri filius minor Herodes, ab eodem Jul. Cæſare Galilææ præficiebatur, adoleſcens annorum quindecim. Ex hiſce initiis major tandem illis conciliata fuit poteſtas, quando pulſum ab Antigono, Ariſtobuli filio, Herodem regem Judææ creat Senatus Romanus, illumque in regnum introducit Soſius; Antigonumque ſecuri percutit Antonius. Contigit hoc ferme anno ante natum Chriſtum nono & trigeſimo, quo Rex creatus Herodes, idemque ſexto & trigeſimo in regnum immiſſus eſt; quare ad annum ejus 37 à quibuſdam Chriſti nativitas refertur. De quo alias curatius.

Illius res geſtæ.

II. Atque ita pater Aſcalonita, gente domoque Idumæus erat Herodes, ex qua, licet jam ante ſæculum, ut vidimus, Judæis Idumæi intermixti eſſent, regem deſignari poſſe negant Judæi. Quare, cum nullo jure regnum Iſraelis ad eum, ut alienigenam, pertinuiſſe ſtatuerent Magiſtri, ex cautione legis Deut. 17:15. *Tantum ſtatuito ſuper te Regem, quem elegerit Jehova Deus tuus: è medio fratrum tuorum ſtatuito ſuper te Regem, non poteris tibi præficere virum extraneum, qui non frater tuus ſit*; ab eo LXX. Seniores fuiſſe ſublatos narrant: quod tamen non ſine multo ſale capiendum eſt. Solus itaque, ſummotis quos volebat adverſariis, regnum obtinens Herodes, pro libidine ſua, avita & patria inſtituta mutavit, nova tulit, in leges peccavit; Romanorum ſuperſtitionem, ludos, Amphitheatra & alia ejus generis faciendo, tacite introduxit; ipſe Pontificatus ludibrio illi habebatur, Pontificibus, ut collubitum erat, admotis remotiſque. Operum ejus caput & unicum laude dignum fuit, inſtauratio & amplificatio templi; quod ideo ex ejus nomine dictum fuit: de quo ſuperius. Reliquam vitæ rerumque geſtarum partem, non uſitatis ſceleribus & inaudita ſævitia inquinatiſſimam habuit; donec tandem ſibi, aliiſque inviſus, horrendo mortis genere ſe ad inferos penetraverit: exceptus ille eſt à filiis, licet impari dignitate, partim Regibus, partim Tetrarchis, ad excidionem uſque templi.

Regni Judaici in illo interitus.

III. Herodes igitur cum filiis, ultimi ſceptrum Judaicum tenuerunt; Regeſque in Juda verius, quam de Juda fuerunt; regni Davidici uſurpatores, in quod nullum illis jus competebat; ita ut jam nutaret Judæorum corona, quæ olim in Regibus Davidicis concuſſa; in Aſmonæis graviter labefactata; denique in Herodis familia magis etiam quatienda, ruinam minitabatur; triplici illa comminatione, ut quidem multis viſum, quaſi penitus ſubruta; Ezech. 21:26, 27. *Auferendo auferam cidarim, & tollendo tollam coronam. Hæc ea non eſt. Quæ hu-*

miliata eſt, exaltando exaltabo, & altum humiliando humiliabo. Corruptum, corruptum, corruptum ponam illam (etiam hæc nihil extitit) donec veniat, cujus eſt judicium & dem illud.

Et poſtmodum ſacerdotii.

IV. Vergebat ſimul ad interitum Pontificatus, corrupta nimium ſucceſſione. Hyrcanum autem ſecuti ſunt Pontifices; Ananelus; Jeſus Phabetis filius; Simon Boëthi filius, Herodis ſocer; Matthias Theophili filius; Joazarus, Simonis Boëthi filius, Herodis uxoris frater; Eleazarus, Joazari frater; Jeſus filius Sie; Joazarus iterum Pontifex; Ananus, filius Seth, Annas in Euangeliis dictus; Iſmaëlus Phabi filius; Eleazarus Anani filius; Simon Camithi filius; Joſephus, dictus etiam Cajaphas, Anani ſeu Annæ gener; de quo utroque Lucas in Euang. cap. 3:2. *Sub Pontificibus maximis Anna & Cajepha factum eſt verbum Domini ad Johannem Zacharia filium in deſerto.* Sub hujus Cajaphæ Pontificatu paſſus eſt Chriſtus.

Judæa ſub adventum Meſſia conſpectus.

V. Atque ita ſummatim fuerunt periodi Eccleſiæ poſt captivitatem Babylonicam uſque ad Chriſtum. Reſtat nunc ut faciem illius in hoc temporis articulo, appetente Meſſia, diligentius contemplemur, ut quam invenerit Eccleſiam, & in quæ tempora inciderit Meſſias, cognoſcamus; quæ omnia tum quoad Judæorum politiam, tum quoad Eccleſiæ ſtatum, quam breviſſime fieri poterit, petractabimus.

quoad politiam.

VI. Politiam igitur quod attinet; elucebat undique divina benedictio, qua Deus populum hunc in captivitate Babylonica adeo conciſum & diminutum, infinite adauxerat, ut multo numeroſior eſſet ſub templo ſecundo, quam unquam ſub primo fuiſſet; quum Judæam non ſolum, integram magis ac ante tenerent; verum & colonias per univerſam Aſiam Africamque, nec non magnam Europæ partem diſperſiſſent; quibus accedebat ingens proſelytarum numerus. Act. 2: 5, 9, 10, 11. Quod beneficium hoc ferme tempore præſtandum, jam à multis ſeculis prædictum erat à Moſe, Deut. 30: 5. *Et adducet te Jehova Deus tuus ad terram, quam hæreditaverant patres tui, & hæreditabitis illam, & bene tibi faciet, & multiplicabit te* (vel *majorem te faciet*) *præ patribus tuis.* Hoſea, cap. 1: 10. *Et fiet numerus filiorum Iſraël ut arenæ maris, quæ non menſuratur; nedum ut numeretur; & fiet, loco ejus, quod dicebatur ipſis, non populus meus eſtis vos, dicetur illis; filii Dei vivi.* & Zachariæ cap. 2: 4. *Pagis habitabitur Hieroſolyma, præ multitudine hominum & animalium in medio ejus.*

VII. Præter innumeræ multitudinis, maxima etiam potentiæ acceſ-

ceſſio facta erat. Nam 1. Synedrium nunc majori pollebat auctoritate, ac unquam Regum tempore; & Judæi omnes uni nunc ſuberant ſenatui, ſive intra, ſive extra eam habitarent. Deut. 30:3. Ezech. 37:16, 17, 21, 22. 2. Potentiam hanc non parum augebat, quod per omnium populorum diſperſiones Synagogas ſuas haberent, quæ, ut & univerſæ illæ Judæorum coloniæ, à templo & ſenatu Jeroſolymitano, tanquam à ſede religionis & imperii dependebant. Ita Saulus *petiit à Pontifice maximo epiſtolas perferendas Damaſcum ad Synagogas: ut ſi quos inveniſſet hujus ſectæ tum viros, tum mulieres, vinctos abduceret Hieroſolymam.* Act. 9:2. conf. c. 28:21. 3 Vicinarum gentium plurimas armis ſubegerant, ut Palæſtinam univerſam Phœniciamque poſſiderent, & Syriæ partem: ex vaticinio Michæ c. 4:13. *Surge & tritura, filia Sion. Nam cornu tuum faciam ferreum, & ungulas tuas faciam æneas & comminues populos multos, & devovebo Jehovæ quæſtum ipſorum, & opulentiam illorum Domino totius terræ.* & Zachariæ c. 12:6. *Illo die ponam duces Judæ ut foculum ignis in lignis, & ut flammam ignis in manipulo, & comedent ad dextram & ad ſiniſtram omnes gentes circumquaque: & habitabit porro Hieroſolyma in loco ſuo in Hieroſolyma.* & c. 9:7. *Et ſuperſtitabit etiam ille Deo noſtro, & erit ut dux familiæ in Juda, & Accaron, ut Jebuſæus.* Non ſolum ſub poteſtatem, verum etiam in religionem adactis ſpeciatim Idumæis. Quod ſuperius vidimus. 4. Inſuper innexi erant fœderibus & amicitiæ florentiſſimorum populorum & Principum; à quibus etiam donaria, anathematis in templo ſuſpendendis & ſacrificiis faciendis, mittebantur. De quibus fœderibus, ſingulariter Romanorum, prædictum fuerat Dan. 9:27. *Et faciet prævalere fœdus propter multos ſeptimana una.* & Zach. 11:10. *Et accepi virgam meam, clementiam, & incidi illam, ad irritum faciendum fœdus meum, quod pepigeram cum omnibus populis.* 5. Accedebat, quod pleraque gentium imperia eſſent peſſum data, totumque orbem *complanaſſet* populus Romanus, Eſai. 40:4 Quæ erant ſigna illa temporum oſtendentia tempus ſalutis adventare. Vid. Dan. 2:44. Zach. 6:7.

VIII. Felicitatem hanc interturbabat miſerrime regnantium, præcipue poſteriorum, aperta ſatis ad mores ritusque Græcanicos defectio, eorumque diſcordia, per quam intus labefactata Reſpublica, exterorum præda fiebat, & tandem alienæ dominationis mancipium; quo modo ita ex Hyrcani & Ariſtobuli rixis Pompejo acceſſus datus, qui Jeroſolymam, totamque Judæam Romanis primus vectigalem red-

reddidit; uſque dum poſt mortem Herodis, pulſoque Archelao, in provinciæ formam redacta eſt & Syriæ attributa; ſecundùm vaticinium Eſai. 7: 8.

& Eccleſiam. IX. Ex hoc diverſo Reipublicæ ſtatu facile dignoſcenda eſt Eccleſiæ facies; quæ bonis non paucis gaviſa; malis etiam plurimis infeſtabatur. Laudabile quidem erat. 1. Quod poſt Babylonicam captivitatem ſe ipſos religioſe ab omni idololatria abſtinuiſſent; edocti majorum exemplis, qui hujus peccati tam acerbas luerant pœnas. 2. Plena fruebantur *αὐτονομίᾳ*, præcipuè Eccleſiaſtica, in quibus Synedrii ſumma erat libertas; ut dictum eſt. 3. Splendorem non exiguum iis conciliabant Judæi quaquaverſum diſperſi, qui ſacrorum communionem, ſolemniter in feſtis Hieroſolymam proficiſcendo obſervabant & teſtabantur; quemadmodum & Hieroſolymæ omnium gentium proſelytos in Synagogis erudiebant, qui mox ipſi populares ſuos erudituri erant. 4. Accedebat hiſce tandem S. Scripturæ in linguam Græcam tranſlatio, paſſim Judæis Græcis, præcipuè Ægyptiis, uſitata; ex quibus ſummus Eccleſiæ Judaicæ ſplendor hoc tempore inſigniter eluceſcit.

X. Nitorem hunc obfuſcabant cum tenebræ, tum inſuper maculæ, ex paribus, ſi non majoribus vitiis, illitæ: quando 1. miracula ceſſabant; quæ in liberatione Danielis è fovea leonum, Dan. 6. expirarunt. 2. Poſt exoleta miracula, donum prophetiæ quoque jam defecerat in Eccleſia: ut poſt Malachiam, Prophetarum ultimum, omni oraculo & revelatione caruerint; ſi eximas vocem illam cœleſtem בת קול *filia vocis* ipſis dictam; de qua tamen ambiguum valde habetur, an non ex Diaboli artibus & Magiſtrorum fraudibus Magicis fuerit profecta. Adempta igitur cum miraculis erant prophetiæ dona, ut defectis hiſce Eccleſiæ fulcris, eo acrius & vehementius expeteretur & flagitaretur Meſſias; qui ſub quarta Romanorum Monarchia utrumque inſtauraturus erat: cui etiam eventus reſpondit. Ex quo tempore, poſt obſignatum N. Teſt. Eccleſia Judaica miraculis omnibus & Prophetiæ donis plane caruit. Quod quidem eorum miſeriam & exilium, præ omnibus V. T. calamitatibus immani pondere aggravat.

XI. 3. Ipſum ſacerdotii munus, unicum poſt ablatum regni privilegium, miracula & prophetiam, reliquum factum, miris modis intervertebatur, & contaminabatur ab hominibus perditiſſimis, ut avaritiæ aucupium & ſceleribus ſpolium quaſi opimum eſſet; donec tandem plane

Digitized by Google

plane abolitum fuerit. 4. Nec aliter comparatum erat, cum illorum temporum doctoribus; quos inter licet egregie multi excelluerint, acerrimis tamen contentionibus & rixis turbabant omnia: celebres ita fuerunt Hillelis & Schammaï lites ſeveriſſime vexatæ, nec unquam componendæ. Præterea cum illis temporibus eriſtica philoſophia inanibus ſtipata vitilitigationibus à Græcis in lucem produceretur, eamque florentia Macedonum arma longe lateque per orientem diſpergerent, illam etiam imbiberunt Iudæorum Doctores: quæ ſenſim in Eccleſiam introducta, non ſolum in magnas lites & contentiones, ſed & in purioris doctrinæ perniciem ceſſit. Cui acceſſit, quod Doctores hi in vero legis & prophetarum ſenſu eruendo, talpis magis cæcutiebant, corrumpentes & fœdantes omnia gloſſis ſuis & traditionibus humanis; ut proſcripta Patrum κατηχήσει de Meſſia & Regno cœlorum, in ejus locum ſucceſſerit lutulenta Scribarum κατήχησις: prout prædictum erat Jer. 8: 8, 10. *Quomodo dicitis? ſapientes nos & Lex Jehovæ nobiſcum; Ecce legem in mendacium convertit ſtilus falſarius Scribarum -- à minimo ad maximum omnes lucripetæ ſunt, à Propheta ad Sacerdotem uſque, omnes faciunt mendacium.* & Mal. 2: 1-8. *Nunc igitur ad vos eſt præceptum hoc, ô Sacerdotes* &c. -- *Sed vos diſceſſiſtis à via & multos feciſtis impingere in lege. Corrupiſtis fœdus Levi, dixit Jehova, Deus exercituum.* &c. 3: 2, 3. *Et purificabit filios Levi, & fundet illos ut aurum & ut argentum.* Vide & Matth. 5. & 15: 3. *Quare vos Scribæ & Phariſæi tranſgredimini mandatum Dei per traditionem veſtram?* & Luc. 11: 52. *Væ vobis Phariſæis, qui decimatis mentham & rutam, & quodvis olus, ſed præteritis judicium & charitatem Dei.*

XII. 5. Deploratiſſima & miſerrima ex his omnibus plebis erat conditio. Illa enim cum gentibus mixta non ſolum linguæ ſanctæ magna ex parte oblita eſt, illiuſque uſu excidit: unde in ſummam Legis divinæ ignorantiam adducta eſt; ſed & præterea adempta *fuit illi clavis ſcientiæ à Scribis.* Luc. 11: 52. id eſt, catechiſmus Patrum de Meſſia ejuſque regno: ut tenebris pluſquam cimmeriis & craſſiſſimæ ignorantiæ omnia eſſent involuta, ipſis Phariſæis teſtibus: *Sed turba hæc, qui non norunt legem, maledicti ſunt.* Joh. 7: 49. quam comitabantur mores flagitioſiſſimi & ſumma ſcelerum licentia, ut peccatorum quaſi diluvio inundaretur terra. Atque ejuſmodi rerum ſtatum, quoad Doctorum perverſitatem & malitiam; plebis vero ignorantiam & impietatem, futurum, adventante Meſſia, ipſi Judæi tradiderunt; quin & in Thalmu-

Digitized by Google

de, ſpeciatim in tractatu Sanhedrim, vivis coloribus delinearunt.

Univerſalis & finalis Eccleſiæ Judaicæ apoſtaſia. XIII. Ex hiſce omnibus non mirum eſt, natum eſſe univerſalem à doctrina veritateque Moſaica defectum & apoſtaſiam. Cum enim primarium illius caput in Scripturæ ſacræ *αὐταρχείᾳ* eſſet, quod principium omnium aliorum baſis erat & fundamentum; illud primo loco irritum factum eſt per ſeniorum traditiones; ex quibus primo lites ſectæque, & deinceps lex oralis, natæ; inde innumera figmenta in cultum & religionem illata ſunt, ipſum denique verbum Dei emaſculatum eſt, veruſque illius ſenſus & interpretatio adulterata & conſtuprata. Inde ad ſecundi fundamenti, quod conſtabat gratuita peccatoris coram Deo, Meſſiæ promiſſi meritis ac fide, juſtificatione, concuſſionem itum eſt. Propria enim fiducia inflati, externorumque privilegiorum opinione & ceremoniarum inani pompa infatuati, externis operibus & obſervationibus ſui coram Deo juſtificationem, peccatorum autem expiationem partim legalibus ſacrificiis, partim propriis meritis & perpeſſionibus, adde & confeſſionibus, palam aſſignarunt: ſpiritualem Meſſiæ redemtionem neq; curantes, neque exſpectantes. Et ita ceremonias depereuntes, tantum abeſt ut tertium Theologiæ Moſaicæ caput agnoſcerent, ut literæ jam ſervi facti, nulli veritati ſe magis infenſos præbuerint: ut non aliam magis ob cauſam, quam quod finem antiquis illis ritibus impoſiturum ſuſpicarentur, ipſum Meſſiam morte crudeliſſima ſuſtulerint. Haſce vero eorum defectiones comitata eſt morum extrema corruptio. Rejecta enim veritatis cœleſtis, quæ ſola ſanctificare potis eſt, efficacia, totus populus in ſcelus omne projectiſſimus & flagitiis perditiſſimus, ultimam ſibi acceleravit ruinam. Ita ergo Eccleſia Judaica à captivitate Babylonica tam inſigniter inſtaurata, & durante miniſterio prophetico in puritate ſua mediocriter conſervata, illo ſublato, in horrendam & finalem illam apoſtaſiam lapſa eſt; qua tota illius moles in ruinam ceſſit.

Quæ extrema voce Meſſiam requirebat. XIV. Tam triſtis, tam deſperata erat politiæ & Eccleſiæ Judaicæ facies, tantaque neceſſitas; quæ extrema omnia, ſecundùm prophetarum vaticinia, tantum non conviciis clamabant, & una voce Meſſiam requirebant. Collapſo enim regno; ablata prophetia; deficientibus miraculis; profanato ſacerdotio; corrupta lege, doctoribus & populo in varias ſectas factioneſque ſciſſis; regnante ignorantia; graſſante impietate & malitia, verum juſtumque erat tempus; ſummaque vis & neceſſitas, ut appareret ille, de quo dicendum erat; *Jehova eſt Rex noſter,*

Je-

Digitized by Google

Jehova eſt Legiſlator noſter, Jehova eſt Rex noſter, ipſe ſervabit nos. Eſai. 33: 22. A quo Tabernaculum Davidis excitandum iterum inſtaurandumque erat. *Illo die erigam tugurium Davidis jacens, & ſepiam rupturas illorum* (regnorum) *& deſtructa ipſius* (Davidis) *ſuſcitabo, & ædificabo illud* (tugurium) *ut diebus ſeculi: ut hæreditent reliquias Edomi, & omnium gentium, ſuper quibus nuncupatum fuerit nomen meum; ait Jehovah, faciens hoc.* Amoſ. 9: 11, 12. coll. Act. 15: 16, 17. Unde etiam, cum Malachias propheticum agmen clauſiſſet & adventum Angeli Fœderis proximè inſtare declaraſſet, Moſique interim populum attendere, & pauca ſigna reliqua adventum ejus præceſſura obſervare, imprimis vero Meſſiæ prodromum, quem *Eliam* & *Angelum Jehovæ* vocat, c. 3. & 4. audire juſſiſſet; populus in ſpe propinqui adventus Chriſti conſtitutus eſt: qui licet tum videretur *tergiverſari*, Hab. 2: 3. attamen præ foribus erat; unde debebant *eum præſtolari, quia veniendo veniet, & non poſt tempus veniet.*

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ
qui vel explicati, vel illuſtrati, vel vindicati Priori Synopſeos Tomo.

GENES.

CAP.	VERS.	PAG.
I.	1.	363
	2.	185.231.292.293
	4.	293
	11.	298
	16.	303
	18.	316
	20.	304
	26.	183.306.382.389
	27.	316
	30.	389
II.	2.3.	413.568 570
	7.	313
	8.	405
	10.14.	406.&c.
	17.	400
	18.	316
	21.	ibid.
III.	1.5.	417.& ſeq.
	15.	507
	19.	387
	20.	511
	22.23.24.	436.& ſeq.
IV.	1.	511
	25.26.	ibid.
V.	24.29.	5.12
VI.	5.	446
VIII.	21.	ibid.
IX.	4.	687

CAP.	VERS.	PAG.
	25.26.27.	576
XI.	7.	183
XII.	1.2.3.	514.516.518
XIV.	18.	629
XV.	1.	515
	6.	519.521
	8. & ſeq.	514
XVI.	7.10.13.	184
XVII.	7.	515
	12.	559
	14.	560
	25.26.	559
XVIII.	2.	513
	19.	245
XXII.	18.	516
XXXII.	35.	542
XXXVII.	10.	526.529.
XLIX.	10.	526.

EXODUS.

CAP.	VERS.	PAG.
III.	14.	101
XX.	1.	593
	3.	102
	7.	140
XXIII.	21.	185
XXIV.	7.	42
XXXI.	18.	597
XXXIII.	14.	185

Digitized by Google

CAP.	VERS.	PAG.
XXXIV.	6.	132
	7.	140
	10.	391
NUMERI.		
VI.	23.	101
XII.	6.	6.27
	7.	81
	8.	21
XVI.	46.	130
XX.	12.	22
XXIII.	19.	133
	23.	125
LEVITICUS.		
I.	3.	47
	7.	637
XI.	45.	137
XIX.	18.	598
	30.	663
DEUTERON.		
IV.	1.2.	47
	12.	106
	35.39.	209
VI.	4.	220
	6.9.	685
XVII.	18.19.	67
XXVII.	26	460
XXIX.	19.	705
1. SAMUEL.		
XV.	11.	133
XX.	20.	71
XXIII.	11.12.	120
XXVIII.	14 & ſeq.	381

CAP.	VERS.	PAG.
1. REG.		
XX.	19.21.	376
NEHEMIA.		
VIII.	8.	750
JOB.		
I.	6.	376
II.	1.	ibid.
IV.	18.	364
XXVIII.	27.	240
XXXI.	1.	392
XXXIII.	23.24.	487
PSALM.		
VIII.	6.	102
X.	4.	95
XIV.	1.2.	ibid.
XIX.	5.	45
	8.	47.63
XXII.	17	44.
XXXXV.	7.8.	189
LI.	7.	447
	9.	695
LXXXII.	6.	102
XC.	4.	155
CVI.	38.	450
CXV.	3.	122
CXIX.	18.	65
CXXX.	1.2.7.3.	102
CXXXIX.	2.	113
CXLV.	9.	128
CXLVII.	5.	114

Digitized by Google

CAP.	VERS.	PAG.
PROVER.		
I.	21.	667
VIII.	22.	235
	30.	167
JESAI.		
V.	2.	131
IX.	6.	44
XI.	5.	616
XIII.	18.	155
XV.	1.	240
XXXIV.	11.	291
XLII.	8.	99
LIV.	13.	57
LV.	8.	292
LXIII.	9.	185
JEREM.		
II.	10.	120
III.	33.	52
XVII.	5.	199
XXIII.	6.	44.189
XXXI.	33.34.	52.57
XXXIII.	16.	189
EZECH.		
III.	6.	120
XXI.	3.	347
XL.	2. & ſeq.	665
DAN.		
VII.	9.	155
JOEL.		
II.	28.	174
JON.		
IV.	11.	450
HAGG.		
II.	5.	232
MALACH.		
III.	1.5.	185
MATTH.		
II.	3.	48
III.	4.	626.67
V.	22.	461.667
VII.	3.4.5	461
XI.	13.	38
	22.23.	120
	27.	126
XII.	31.32.	458
XV.	6.8.9.	56
XX.	23.	208
XXI.	9.	675
XXII.	37.38.	598
XXIII.	5.	685
	19.	637
XXVIII.	19.	174
MARC.		
III.	29.	458
LUC.		
I.	35.	171
III.	36.	43
XI.	52.	769
XIII.	6.10.	131

I N D E X.

CAP.	VERS.	PAG.
XV.	18.	456
XVI.	22.23.	543
XVII.	20.	52
XIX.	40.	120
XX.	36.	360
XXII.	44.	170
XXIII.	43.	407
	JOH.	
I.	12.	269
	14.	170
II.	20.	664
III.	13.	193
V.	22.24.26.27.	173.207
VI.	45.	52.& ſeq.
VIII.	56.	521
X.	35.36.	171
XI.	9.	152.& ſeq.
XII.	44.	208
XIV.	28.	ibid.
XV.	26.	178.& ſeq.
XVII.	3.	216.22
XX.	28.	190
	ACTOR.	
II.	17.18.	53
III.	16.	202
IV.	28.	243
VII.	53.	594
XIII.	20.	737
XIV.	14.15.	112
XV.	10.	611
	20.29.	689
	21.	666
XVI.	13.	ibid.
	31.	497

CAP.	VERS.	PAG.
XIX.	3.	186
XX.	35.	43
	ROM.	
I.	4.	503
III.	25.26.	537
V.	12.15.19.	445.& ſeq.
VII.	2.3.4.	473.& ſeq.
VIII.	16.	53
	29.	251
	32.	168
IX.	5.	190
	7.8.9.	522.& ſeq.
	11.12.13.14.	534.& ſeq.
X.	4.	38
	1. CORINTH.	
II.	7.	243
	10.	174.213
	14.	66.451
III.	12.	461
V.	9.	43
VII.	14.	450
VIII.	5.	102.& 211
	6.	197.221
X.	2.	186
XI.	2.23.34.	59
XII.	4.	229
	11.	174
XV.	24.	195
	29.	695
	44.& ſeqq.	387
	2. CORINTH.	
III.	6.	53
IV.	4.	103

CAP.

Digitized by Google

I N D E X.

CAP.	VERS.	PAG.
XIII.	13.	214
	GAL.	
I.	1.	197
	8.9.	48
III.	10.	460
	17.	514.518
	19.20.	482.487
	23.	611
IV.	10.11.	672
	EPHES.	
I.	4.	197
	10.	500
II.	12.	94
IV.	6.	221
	8.9.	542
	30.	233
V.	14.	468
	PHILIP.	
II.	6.	190.&ſeq.
	7.8.	491
	9.10.	203.&ſeq.
	COLOSS.	
I.	15.	173
	16.	196.&ſeq.
	19.20.	500
II.	9.	191
	11.	564
	18.	372.487
IV.	16.	43
	1. THESSAL.	
II.	1.9.	52

CAP.	VERS.	PAG.
	2. THESSAL.	
II.	15.	59
	1. TIMOTH.	
I.	11.	160
	17.	120
II.	5.	221.485
VI.	15.	160
	2. TIMOTH.	
III.	8.	41
	16.	48
	HEBR.	
I.	1.	19
	3.	162.196
II.	2.	594
	10.	197
	16.	500
III.	1.	185
IV.	3.4.	569
V.	1.	487
	8.	173
VI.	17.	243
VII.	22.	496
VIII.	5.	651
	8.12	52
	13.	38
IX.	11.12.	652
XI.	3.	274
	17.	520
	JACOB.	
I.	15.	461
II.	10.	460

Digitized by Google

INDEX.

CAP.	VERS.	PAG.
1. PETRI.		
I.	21.	208
III.	19.20.	542
2. PETRI.		
I.	19.20.	63.76.84
II.	4.	377
III.	8.	155
	16.	66
1. JOHANN.		
I.	3.	216
III.	7.20.	ibid.
V.	6.	153
	7.	163
	26.	461
JUD.		
	6.	377
APOCAL.		
I.	4.5.	214.&ſeq.
II.	7.	407
III.	12.	667
XIII.	8.	356
XXI.	2.10.	667
XXII.	18.19	48

N.

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM

Tomo I. Contentarum.

A.

Aronis munus ſacerdotale. 613. *Baculus ejus.* 657
Abelis Sacrificium. 511
Abelis Mors. 575
Aben Eſra opinio de peccato originali. 447
Abrahami Fœdus cum Deo. 514. *Abrahamo facta Apparitiones.* 513. *Abrahami Vocatio qua? ibid. illiuſque ſemen quotuplex?* 517. *& Fides qua?* 519
Abrahamus circumciſus. 557
Actiones Dei circa peccatum. 338
Adamus ex quo ſit conditus? 366. *& à quo.* 307. *quâque ætate ac ſtatura.* 308. *quo loco & tempore.* 314. *Adamo infuſa anima vivens.* 308. *In Paradiſo eſt collocatus.* 407. *Ejus lapſus.* 415. *Adami an Evæ peccatum gravius!* 420. *Adami ad peccatum diſpoſitio qua?* 422. *Deus ei gratiam primus datam non ſubtraxit.* 425. *Liberè defecit. ibid. & voluntariè.* 426. *non tamen ſine Providentiâ Dei.* 425 *à lapſu illi incubuit Maledictio.* 433 *& Mors. ib. & amiſſio Imaginis divina.* 434. *ac Dominii rerum.* 436. *& exilium extra Parad.* 439
Adamus an cum Eva damnatus ſit? 441
Adamus Generis humani Caput. 445
Adonai nomen Dei. 103
Adoratio quomodo differat ab Invocatione? 201
Adorationis fundamentum quodnam? 203
Adoratio Chriſti ejus divinitatem evincit. 198. *Uti & adoratio Sp. Sancti.* 214
Æternitas Dei quomodo ſit concipienda? 154. *Soli Deo propria.* 155. *Quomodo Deo dies & annos adſcribat S. Sc.?* *ibid.*
Affectus quomodo Deo tribuantur? 126 *Affectus Dei quinam?* 127. *& ſeqq.*
Alcorani conſarcinatio. 60
Albertus Magnus Epiſcopus Ratisbonenſis. 12
Alberti Phigii opinio de peccato originali. 446
Altaris aurei deſcriptio. 653. *quid repræſentaverit?* *ibid.*
Altaris Holocauſtorum deſcriptio. 662
Albertiſta. 11
Amama judicium de decimis. 647
Ambroſius Patriarcha. 218
Ambroſius Catharinis quid ſtatuat de peccato originali. 445

Amor

Amor Dei Benevolentiæ & Amicitiæ erga homines in quo conſiſtat? 128. & 599
Amoris proximi exemplar unde petendum? ibid.
Anabaptiſtarum error circa Deitatem Chriſti. 219. *circa Prædeſtinationem.* 264. *circa animarum ſomnum.* 542
Anaſtaſii diviſio librorum ſac. Scrip. 35
Angeli ſunt creati. 362. *maximo. numero.* 363. *omnes boni.* 364. *quando & quo die?* 388. & 363. *Eorum nomina.* 350. *Exiſtentia.* 351. *Cur eorum non meminerit in hiſtoriâ Creationis Moſes.* 352. *Angeli quid ſint.* 353. *Eorum Cognitio perfectior noſtrâ.* ibid. *Cognitionis eorum objectum quidnam?* 354. *Angeli quomodo colloquantur inter ſeſe.* 354. & *cum homine.* 355. *Eorum Voluntas.* 356. *Potentia.* ib. & 357. *Quando.* 358. *Ubi.* ibid. *Motus.* ibid. *Apparitiones.* 359. *Unde corpora, quibus quandoque apparuêre, aſſumſerint?* 360. *quomodo illa aſſumſerint?* ibid. *ubi ea deinceps manſerint?* ib. *Cur nunc non amplius appareant?* 361
Angeli paſſionum expertes. 356. *Cæleſtibus orbibus non præſunt.* 353. *Eorum Ordo qualis?* 367. & 368
Angelorum Bonorum Conſtantia. 364. *Confirmatio in Bono.* 365. *Officium.* 369
Angeli Mediatorem non habent. 365. *neque ſunt Mediatores.* 486
Angelum Cuſtodem an ſinguli fideles, ac Rectorem ſingulæ nationes habeant? 370. & 371
Angelis Cultus religioſus non competit. 372. & 373
Angeli Mali. 374. *Eorum peccatum quodnam?* ib. *quando defecerint.* 375. *an unus inter illos fuerit rebellionis dux?* ib. *Eorum defectorum pœna.* 376. & 377. *Officium.* ibid. *Poteſtas limitata.* ib. & ſeqq.
Angeli Miniſtri legiſlationis. 373. & 594
Anima natura quæ? 308. & 309. *Non eſt ex traduce.* 310. *ſed immediatè à Deo creatur.* ib. *Ejus immortalitas.* 311. & *cum corpore unio.* 313
Anima mundi communis an detur. 282
Animalium immundorum uſus vetitus. 687
Annus quotuplex apud Judæos. 670
Annus Sabbaticus. 679. *Ejus obſervatio.* ib. *ratio & myſterium.* 680
Annus Jubilæus. ib. *Ejus denominatio & tempus.* ib. *uſus.* 681. *Myſterium.* ibid.
Annihilatio quomodo concipienda? 321
Antropomorphitarum Pater Audæus 105. *Error de natura Dei.* 382
Antinomorum furores. 606
Antiquationis Fœderis Operum gradus quinam? 471
Ἄφεσις *quid?* 536
Apocryphorum Librorum Origo. 39. *Quare non ſint ad Canonem referendi?* ibid.
Apollinaris animarum originem ſtatuit ex traduce. 311

Aqua

Aquæ ſuperiores ſeparatæ ab aquis inferioribus ſecundi diei opus. 293. *& ſeq.*
Aquatilia quinti diei opus. 303. *unde producta?* ibid.
Arbitrii liberi vera definitio. 464. *an ad utramque mentis facultatem pertineat? ibid. Libertati Arbitrii quid repugnet?* 465. *quid non. ibid. Varia ejus conſideratio.* 466
Arbores tertio die conditæ. 298
Arbor vitæ. 408. *non fuit unica in ſuâ ſpecie. ibid. quare ſic dicta? ibid. & qualem obſignaverit vitam?* 409. *fuit Sacramentum.* 555
Arbor Scientiæ. 410. *cur ſic dicta? ib. non debuit guſtari.* 411. *& quare? ibid.*
Arca Fœderis. 656. *quomodo fuerit confecta. ib. Ejus Myſterium.* 658 *fuit Sacramentum.* 555
Arca defuit in Templo II. 657
Arcas Montanus. 47
Ariſtotelis judicium de futuris contingentibus. 116. *Mundum ſtatuit æternum.* 278
Arius Chriſti Divinitatem diminuit. 217
Arius anathemate percuſſus à Concilio Nicæno. 218
Aſtrorum uſus quadruplex. 299. *eſt* 302. *non ſunt animata.* 303
Aſtrologia repugnat. S. Sacræ. 300. *Rationi. ibid. Experientiæ.* 301. *Sibi ipſi.* ibid.
Athei an dentur? 95. *Atheiſmi abominatio.* 96. *Ejus cauſæ.* ibid.
Attributa Dei quid ſint, & quomodo ei inſint? 108. *& ſeqq.*
Attributorum Dei diſtributio. 111. *quomodo differant ab eſſentia Dei.* 110
Audiani qui. 60
Averſio in Deo quid. 130
Aves quo die creatæ? 304
Auguſtinus quid de autoritate Sac. Script. ſentiat. 34. *Quid de Electione.* 250. *De anima hominis.* 311. *De perfectione Adami.* 424
Authentica lingua V. & N. T. quæ?
Azymorum Feſtum. 674

B.

Babylonicæ Turris exſtructio. 576
Babylonica Captivitas. 743. *Illius ad reformationem Eccleſiæ neceſſitas.* 742. *Ejus initium.* 743. *Duratio. ibid. Commoda & incommoda.* 745. *Solutio.* 748. *Significatio.* ibid.
Bannes Papiſta. 600
Baſiliſci figmentum. 305
Beatitudo Dei. 159. *noſtra.* ibid.
Beda. 68
Bellarmini error circa amorem Dei. 600
Benedictio Gentium in Abrahamo, & ſemine ejus. 516. *& ſeqq.*
בְּרִית *quid notet?* 478
Boëtii deſcriptio æternitatis. 155
Bonis cur malè? 345
Bruta ſexti diei opus. 304. *carent ſermonis uſu.* 305

C.

Caballiſtarum de attributis Dei opinio. 109

109. *Adamum vigeſimo anno lapſum ſcribunt.* 427
Cajetani de ſerpente opinio. 415
Caini Apoſtaſia. 573
Calvinus exagitatus. 208
Canaan cœli pignus. 584
Canaanis ingens amor unde ortus apud veteres. 583
Candelabri aurei ſignificatio. 655
Canonis quomodo facta conſtitutio. 36
Canonica unde S. Sacra dicatur. 34. *Canon & V. & N. T. eſt indubius.* 37. *alius divinus, alius Eccleſiaſticus.* 40. *perfectus.* 43
Canoniſtarum blaſphemia. 591
Carpocratiani Trinitatis impugnatores. 217
Caſu quomodo res fiant? 330
Cerdoniani duos ponunt Deos. 344
Cerinthus. 50.
Ceremoniarum ſtatus quadruplex. 697 *non ſunt in Eccleſiam citra neceſſitatem inducenda.* 699
Chami defectio. 676
Chaos primitus non fuit. 291
Cherubini cuſtodes Paradiſi. 440. *Illorum deſcriptio.* 657. *quid repræſentaverint?* 658
Chriſti Deitatis fundamentum. 205
Chriſtiana Religio ſola vera eſt. 7
Chriſti Deitas demonſtrata ex Divinis ejus nominibus. 188. *& ſeqq. Ex divinis ejus attributis.* 192. *& ſeqq. Ex divinis ejus operibus.* 195. *& ſeq. ex cultu & honore divino, qui ipſi tribuitur.* 198. *& ſeqq.*
Chriſtus αὐτόθεος *quomodo ſit.* 208. *& ſeq. Ejus meritum non eſt cauſa noſtra Electionis.* 252
Chriſtus ab omni peccato immunis. 453 *ſolus Mediator.* 486. *Legi ſe ſubjecit.* 490. *& ſeqq. quo modo, & quatenus.* 492
Chriſtus cur circumciſus ſit. 563
Chriſtus an legiſlator Fœderis Gratiæ dici queat? 498
Chryſippi & Ciceronis de futuris ſententia. 116
Ciborum diſcrimen primitus obſervatum. 686. *Ejus ſub N. T. abrogatio.* 688
Circumciſio eſt Sacramentum. 557. *&* 722. *fuitque primò domeſticum Abramidarum.* ib.
Circumciſionis Miniſter. ib. Subjectum. ibid. Tempus. 559. *Difficultas.* 560. *Uſus & ſignificatio.* 561. *&* 562. *Dignitas.* 563. *Abrogatio.* 565
Circumciſioni erat annexa comminatio. 599. *&* 560. *eamque comitabatur nominis impoſitio.* ib.
Clemens VIII. 69
Clemens Alexandrinus. 60
Cœleſtii error. 262
Cœli & terra in S. S. denominatio qua? 289
Cœlum Sacra Sc. in tres partes dividit. ibid.
Cœlum tertium creatum. 290. *cujus natura nos latet. ib. Nobiſque eſt indefinitum.* 291
Cœlum ſidereum & aëreum primi diei opus. ibid.
Cognitio Dei naturalis non ad Theologiam, ſed Philoſophiam pertinet. 14

Co-

Digitized by Google

Cometa nec bonum nec malum praſagiunt. 302
Concilium Carthaginenſe fuit Provinciale. 40. *Laodicenum canonem fecit librorum Eccleſiaſticorum. ibid. Tridentinum negat peccatum originale.* 450. *Mariam à peccato non liberam ſcribit.* 452. 362
Concurſus diviſio apud Scholaſticos. 322. *Ejus vocabulum non ſatis accuratum.* 323. *Concurſus Dei quid ſit? ib. non differt à Creatione & Conſervatione. realiter. ib. ſitque ad actiones materiales & liberas.* 324
Concluſionum Theologicarum certitudo quænam? 15. *male has Pontificii diſtinguunt in Theologicas & Fidei.* 16
Conſequentiarum ex S. S. deductarum uſus licitus. 16 & 83
Conſilii Divini proprietates quænam? 238. *& ſeqq. Objectum.* 239
Conſervatio Dei quid ſit? 320. *quomodo differat à Creatione. ib. Illius modus. ib. efficacia.* 321
Contingentiæ genus quadruplex. 328. *Contingentia quomodo divinæ Providentiæ ſubſint. ib. & ſeqq. Contingentiæ rerum radix.* 145. *& ſeqq.*
Cornelius Janſenius edit Auguſtinum. 250
Corruptio naturæ humanæ. 447. *& ſeqq. in quo illa conſiſtat?* 451. *Illius ſubjectum quodnam? ib. & ſeqq.*
Creatio quid ſit? 273. *duplex ejus conſideratio. ib. Illius cauſa.* 274. *&* 276 *Finis. ib. Tempus. ib. Modus.* 286 *Ordo.* 287
Creationem Mundi ratio docet. 271. *tutius tamen fides.* 272
Creationi quare Deus ſex dies impenderit? 284. *& an ſingulorum dierum opera unico momento creata ac perfecta ſint?* 285.
Creatura nulla à Deo conceſſa creandi facultas. 275
Creatura rationalis ad Deum contendit. 3
Creaturæ non eodem modo productæ. 285
Creatura inſons an à Deo affligi, & æternis cruciatibus ſubjici poſſit? 404
Cyrilli de ſerpente judicium. 415
Cultus nec Angelis nec Sanctis competit. 372

D.

Damaſcenus. 68. *Diſtinguit inter voluntatem Dei primam & ſecundam.* 125
David Levitarum genus in tres ordines diſtinguit. 623
David Georgius Libertinus. 50
Davidis Kimchi opinio de ſceptro ablato. 528
Davidis Georgii error circa Angelos. 352. *& ſeq.*
Decalogus quomodo datus? 595. *inſcriptus duabus tabulis.* 597. *ab ipſo Deo. ib. Quot præcepta inſcripta fuerint ſingulis tabulis, non conſtat. ib. Tabulæ priores & poſteriores. ibid. Myſtica earum ſignificatio.* 600

Decalogus an in ſe contineat Fœdus gratiæ? 601. *& ſeq. Præceptorum Decalogi materia eadem, quæ fœderis operum.* 603
Decima quarum rerum fuerint? 646
Earum myſtica ſignificatio. 648
Decretum Dei. 235. *In quo tria ſunt conſideranda.* 236. *& ſeqq.*
Decretorum ordo qualis? 240. *& ſeq.*
Deus eſt à ſe ipſo. 96. *primus omnium.* 97. *unicus. ib.*
Dei nomina quæ? 99. 104. *& quomodo ipſi conveniant?* 99
Dei natura. 104. *Definitio. ib. Quomodo membra ipſi tribuantur?* 105.
Eſt inviſibilis. 106. *quomodo tamen dicatur viſus?* *ibid.*
Dei infinitas. 107. *perfectio. ibid. Vita.* 112. *Scientia.* 113. *& ſeqq. Voluntas.* 121. *& ſeq. Bonitas.* 128. *Gratia. ib. Juſtitia.* 135. *&* 138 *Sanctitas.* 137. *Veritas. ib. Manſuetudo & Longanimitas.* 142. *Omnipotentia.* 143. *& ſeqq. Æternitas.* 153. *& ſeq Simplicitas.* 156. *& ſeq. Immutabilitas.* 158
Deiſtæ in Gallia. 51
Democriti falſa originis primorum hominum opinio. 314. *conſentit Auguſtino in prædeſtinatione.* 256
Deus non eſt deceptor. 137. *& ſeq. nec injuſtus.* 259. *nec crudelis.* 260. *nec Perſonarum acceptor. ibid. neque auctor peccati. ibid. &* 342. *neque hypocrita.* 260
Deus quomodo circa primum peccatum ſe habuerit? 426. *quomodo peccatum permittat?* 339. *& ſeqq.*
Deus quomodo peccata dirigat. 342. *& peccata peccatis puniat?* 343
Deus explorat hominem in paradiſo. 412. *Sapientia Dei in exploratione hominis.* *ibid.*
Diaboli nomina. 370. *Ei non omnia peccata adſcribenda.* 379
Diabolus homini ſpectris illudit. 380. *primi hominis felicitatem non tulit.* 415. *Sed ſerpente in eo decipiendo uſus eſt.* 416. *& quare? ibid. ac quo modo.* 417. *& ſeqq.*
Διαθήκη *quid notet?* 478
Dies quid & quotuplex apud Judæos? 669
Dies Dominica in locum Sabbati non ſucceſſit. 672
Dies Expiationis magna. 676. *Illius celebratio. ib. & Myſterium.* 678. *&* 679
Diluvium fuit Sacramentum. 555
Dionyſii Areopagitæ diviſio Angelorum. 367
Donum Prophetiæ V. T. 546. *N. Teſtamenti.* 554
Dubitatio de Deo an ſit licita? 96
Duratio operum divinorum quæ? 286
Duratio, qualis in creaturam cadit, Deo non competit. 154
Duliani male ſcribunt mundum à Chriſto factum. 275
Durandi circa Concurſum div. error. 321
Durandus de St. Portiano. 12. *Negat concurſum Dei.* 321

E.

Ebion Chriſtum dicit nudum hominem. 107

170. *negant trinitatem.* 217
Eccleſiæ officium circa Verbum Dei. 30.
Eccleſia judicium fallibile. 31
Eccleſia ante Chriſtum eadem cum noſtrâ. 543
Eccleſia collapſa in Abrahamo reſtaurata. 578. & *ſeq.*
Eccleſia ſub Promiſſione Verbum. 543 *cultus externus.* 566. & *ſeqq. Status & latitudo.* 571. & *ſeqq.*
Eccleſia ſub lege latitudo. 733. & *ſtatus ſub Joſuâ.* 736. *ſub Judicibus.* 737. *ſub Captivitate Babylonicâ.* 743. & *poſt eam, ſub Ducibus & Pontificibus.* 747. & *ſeqq. ſub Aſmonæis.* 754. & *ſeqq. ſub Herode.* 764. & *ſeqq.*
Electio quo ſenſu in S. S. veniat? 246. *Ejus definitio.* 247. *Objectum.* 248. *Cauſa efficiens.* 249. *cauſa impulſiva.* 250, *Finis.* 251. *Attributa. ibid.* & *ſeqq.*
Enochus. 511. & 573.
Enthuſiaſtæ quinam? 50. *eorum circa S. S. perfectionem error.* 51. & *ſeq.*
Epicurus Providentiæ Dei oppugnator. 318
Epiſtolæ Petri, Jacobi, Judæ, Johannis, Pauli ad Hebræos aliquandiu dubiæ fuerunt. 35
Epiſcopii error circa eſſentiam Dei. 106. *Circa Omnipræſentiam.* 152. *De Filii Divinitate ſentit cum Ario.* 217
Error. 7. *Ejus diviſio.* 8
Errores quando maximè exorti? 9
Eſavus exemplum Reprobationis. 524
Eſprits forts. 51
Eſſenorum origo. 662. *dogmata. ibid.* *vivendi mos.* 763
Ethnicorum infidelitas. 8. *Habent Polytheiſmum.* 96. *Quando rejecti.* 580
Ethnicorum Virtutes ſplendida peccata. 470
Eva quando, ex qua materia creata. 316. *Prima lapſa.* 416. *ejus tentatio.* *ibid.*
Eva pœna. 437
Eugubini de ſerpente judicium. 415
Exiſtentia vox quid notet? 161
Exorciſmus Pontificiorum quid ſit? 380
Expanſum ſecundo die factum quid ſit? 294

F.

Fatum quotuplex? 332
Fati Chriſtiani à Stoico diſcrimen. ibid.
Feſta Judæorum varia. 670
Feſta Judæorum anniverſaria quænam? 673
Feſtorum ſub N. T. abrogatio. 683
Fidei in Abrahamo præmium. 521
Ficinus. 98
Fidelium officium circa Sp. Sanctum. 233. *quem nonnunquam contriſtant. ibid.*
Fidelium afflictiones & mors unde proveniant? 401
Filicius, Papicola. 600
Filii Dei proprietas quænam? 167
Filii nomen Chriſto in maximâ emphaſi convenit. *ibid.*
Filius Dei an & quomodo ante incarnationem Mediatoris munus geſſerit? 488
Firmamentum. 294

Flacci Illyrici de peccato ſententia. 429
Florinus. 344
Fœdus Dei cum homine unde fluat? 325
Fœdus unde derivetur? 390
Fœdus Dei quid? 391. *partes ejus quatuor.* 392. *Duplex eſt.* ibid.
Fœdus operum quâ ratione etiam legis ac Naturæ dicatur? 393
Fœdus operum cum Adamo ejuſque poſteris pactum. 394
Fœderis operum. Lex. 394. *& ſeq. Promiſſio.* 397. *& ſeqq. Comminatio.* 399. *Abrogatio.* 471. *& ſeqq.*
Fœderis operum uſus ſub V. & N. T. 473
Fœderi operum abrogato ſucceſſit Fœdus Gratiæ. 475
Fœdus hoc cur dicatur novum? 476. *cur gratiæ?* 477
Fœderis gratiæ natura. 479. *Teſtator. ibid. Bona. ib. &* 480. *Sanctio.* 481. *Sponſio.* 488. *& ſeqq. Promulgatio.* 497. *& ſeqq. Subjectum.* 499. *& ſeq.*
Fortuna. 330. *gentilium circa eam ſuperſtitio.* ibid.
Franciſcanorum de prædeſtinatione judicium. 246
Frans David Chriſtum non adorandum cenſet. 201

G.

Gabriel Biel. 12
Gaudium in Deo. 151
Gentium rejectio quando potiſſimum ſit facta? 580
Georgius Blandrata negat Divinitatem in Chriſto. 201
Georgius Magnus. 68
Gnoſticorum circa bonum & malum error. 344
Gratia Dei ejuſque efficacia. 129
Græca lingua N. T. Authentica. 87
Græcorum & Latinorum diſſenſus de Sp. Sanct. 177. *eorum confeſſio.* 218
Græcorum de proceſſione Sp. Sancti ſententia. 177. *& ſeq.*
Grotii de gladio flammante opinio. 440
Gubernatio Dei quotuplex ſit? 324. *&c.*

H.

Hæreſis quid ſit? 8
Hagienſe Colloquium. 467
Halitus hominis quid, & quomodo inflatus. 310
Haſidæorum origo. 758
Hebdomas apud Judæos quotuplex. 669
Helleniſmus. 577
Henricus Craſius Libertinus. 50
Hermogenes negat perſonarum in Deo differentias. 217
Herbarum germinatio tertii diei opus. 298
Hieroſolyma. 667. *Ejus deſcriptio. ib. Sanctitas. ib. Myſterium.* ibid.
Hinkmarus Godſchalci adverſarius. 263
Holocauſta. 632
Homo non eſt creatus ad damnationem. 278. *quo die creatus.* 305. *liberè peccavit.* 423. *mutabilis fuit. ib. Vires habet ad obediendum.* 424. *culpa lapſus in homine ſolo hæret.* 427
Homo in peccatis unde dicatur mortuus? 467
Homo ex ſe nihil boni præſtare poteſt. 469
Hora apud Judæos. 669

Ja-

Digitized by Google

I.

Jacobo promiſſio facta. 523
Jah nomen Deo competit. 102
Idea Dei, quæ in homine eſt, docet eſſe Deum tum à priori. 90. *tum à poſteriori.* 91. & *ſeqq.*
Idea illius Auctor eſt Deus. 92
Idolothyta vetita. 689
Idololatria ſub Promiſſione quomodo proceſſerit? 577. & *ſeq.*
Jehova nomen malè pro ineffabili habetur. 100. *quid notet?* 101. *ſoli Deo eſt proprium.* *ibid.*
Jeſuitarum error circa liberum arbitrium. 464. *circa concurſum Dei in malo.* 339
Jeſuitarum diſtinctio in gratiam ſufficientem & efficacem. 129. *Impugnant Auguſtinum propter electionem.* 250. *Errant circa liberum arbitrium.* 337
Jeſuitæ Scientiæ mediæ Auctores. 118
Ignis ſacer qualis fuerit? 637
Imago Dei in quo conſiſtat? 383. *quæ homini primo adhuc integro fuit naturalis.* 384
Imaginis Dei comes eſt immortalitas. 385. & *ſeq. ac dominium in res creatas.* 388
Imago Dei per lapſum multifariam eſt corrupta. 434 & *ſeq. ita ut ejus tantùm quædam adhuc ſuperſint rudera.* 436
Impietas quid ſit? 7
Impœnitentia finalis quomodo irremiſſibilis? 459
Immunditíes legalis unde fuerit contracta? 690. & *ſeq. illius cauſa & ſignificatio.* 693
Infantes an ſalventur? 256
Infidelitas quid ſit? 8
Initium Theologiæ. 15
Initium primi peccati. 421
Invocatores è cœtu Socinianorum. 200
Johannes Damaſcenus. 12
Iris Sacramentum. 556
Irriſio Dei. 132
Iſaac ſucceſſit Abrahamo in hæreditate promiſſionis. 522. *Accipit promiſſa.* 523
Iſmael exprobationis exemplum. 522
Iſraël populus fuit electus. 501
Iſraëlis regni corruptio. 740. & *excidium. ib. ac à doctrinâ Moſaicâ defectio.* 743
Judæi primi Traditionarii. 55
Judæa ſub adventum Meſſiæ facies quæ? 766. & *ſeqq.*
Judæorum ſectæ quænam? 758. & *ſeq. earumque origo.* *ibid.*
Judæorum veſtitus qualis? 684
Judæorum nugæ de homine bicorpore. 316. *ac aliæ fabulæ.* 317
Judæorum error circa uſum Legis Ceremonialis. 609. *ac eorum circa eam ipſam legem cæcitas.* 611
Judaica Eccleſia univerſalis & finalis apoſtaſia. 769. & *ſeq.*
Judæ tribui an primatus fuerit datus? 739. *Regnum in illâ: ibid. illiuſque ſchiſma. ibid. & periodus.* 741
Judæ facta promiſſio de Meſſiâ. 526. & *ſeqq.*

Ju-

Judicum ſub V. T. regimen. 737. *quot fuerint numero? ibid. eorumque ſignificatio.* 738
Judicium controverſiarum ſummum neque Papa, neque Magiſtratui competit. 75
Juliani error. 262
Juſtitia divina diſcrimen ab humanâ. 139
Juſtitia Dei punitiva an ex naturâ Dei fluat, an verò ex ejus voluntate? 140
Jus Dei quid conſtituat? 136
Jus hominis in quo conſiſtat? ibid.

L.

Latini impugnant Epiſtolam Pauli ad Hebræos. 37. *eorum diſſenſus à Græcis de virtute. Sp. S.* 177
Lectio Sac. Script. præcepta. 67
Lepra. 691. *Ejus judicium ſoli Sacerdotio olim competebat. ibid. illius ſigna. ibid. purificatio & ſignificatio.* 692
Levitæ quinam dicti? 623. *Eorum miniſterium. ib. Familia. ib. ætas ad miniſterium requiſita.* 624. *& ſeq. myſtica ſignificatio.* 625. *Urbes.* 648
Legum omnium principia in creatione fundata. 287
Legis etymologia. 588. *Lex triplex:* 589
Lex moralis eadem, quæ naturalis. 590. *immutabilis, & indiſpenſabilis. ibid. & ſeq. Pleniſſima omnium officiorum norma.* 592
Legis Ceremonialis à morali diſcrimen. 607. *inſtitutio.* 608. *Internuncius. ibid. Miniſterium. ib. Cauſa.* 609. *& ſeq. vide Decalogus.*
Lex quomodo poſt peccatum abrogata ſit? 605. *& ſeq.*
Lex cibaria fuit ante lapſum. 686. *ut & poſt lapſum.* ibid.
Lex de ſanguine & ſuffocato. 689
Legis forenſis natura. 699. *officium.* 700: *uſus. ib. abrogatio.* 771. *quomodo nos obliget?* ibid.
Legis lectio Sabbatina. 750
Libertas per lapſum perdita. 466
Libertas noſtra non tollitur per dependentiam à Deo. 335. *neque Dei circa voluntatem operatione.* ib.
Libertini unde ſic dicti? eorum circa S. S. perfectionem error. 51
Lingua Chaldaica quidem libri S. Script. conſcripti. 87. *Hebraica V. T. authentica.* 87
Lingua copiam unde Adamus habuerit? 313. *& ſeq.*
Lombardus Epiſcopus Pariſienſis primus Profeſſor. 12
Longanimitas Dei. 142
Luna terræ noſtræ perſimilis obſervata. 281. *Eſt luminare magnum.* 302. *Ejus ortus quinam?* 299
Lutherani ſiniſtrè exponunt Sac. Script. 8. *Errant circa potentiam Chriſti humana natura.* 145
Lutheranorum circa Prædeſtinationem errores varii. 264. *& ſeqq.*
Lux primigenia qualis fuerit? 293. *& quando creata?* ibid.

M.

Maccabæi Principes & Pontifices quinam

nam? 755. *Reges qui?* 757. *eorum diſſidia & everſio.* ibid.
Macedonius negat Deitatem Spir. Sancti. 218
Macedonianorum circa Sp. S. error. 176
Macula peccati quid ſit? 431
Mahummedis circa Trinitatem error. 218
Magia dæmonum operatio. 379
Malus cur hic ſit benè. 345
Malluvium. 654. *ejus ſignificatio.* ib.
Manichæorum duos ſtatuentium Deos error. 344
Manna quid fuerit? 730. *cauſa & ratio.* ib. *ac myſterium.* ib. & ſeq.
Marcion duos fingit Deos. 344
Mare unde ortum. 296
Maria peccato fuit obnoxia. 452
Maria non eſt Mediatrix. 486
Maſſilienſium circa Prædeſtin. error. 262
Maſora ortus. 749
Maximilla Propheti ſſa. 50
Mediator qualis ſit? 482. *Ejus neceſſitas.* ib. & *requiſita.* 483. & ſeqq.
Meimonidis circa idololatriam opinio. 574
Mellis uſus in ſacrificiis interdictus. 631
Membra quomodo Deo tribuantur. 105
Menſa aurea cum panibus propoſitionis. 655. *illius myſterium.* 656
Menſes quales fuerint apud Judæos. 670
Meritum ex pacto. 396. *ex condigno.* ib. *ex congruo quid ſit?* ibid.
Methodiſtæ male negant conſequentias Theologicas. 16
Methrodorus mundi pluralitatem adſtruit. 280
Michael Servetus hæreticus. 219
Michaël quem notet? 351
Miſericordia Dei in lapſu Adami. 427
Mœchatio vetita. 689
Modus propriè Deo non competit? 164
Montanus ex libertinis. 50
Montes ac mineræ tertio die creatæ. 298
Miſeria vitæ noſtræ è peccato. 401
Moliniſtarum circa liberum arbitrium error. 337
Mors corporis in quo conſiſtat? 400. *non eſt natura conſequens.* ib. & ſeq.
Mors animæ in quo conſiſtat? 400
Mors ſpiritualis quid ſit? 402. *nec non mors æterna?* ibid.
Moſes unde ſic dictus? 714. *Illius educatio.* ib. *vita.* 715. *Munus triplex.* ibid. *Revelatio illi facta.* 716. *Miracula ab eo patrata.* ib. *myſtica illius ſignificatio.* 717. & ſeqq.
Moſaicæ doctrinæ principia quænam fuerint? 721
Moſis in Prophetia gradu excellentia quænam fuerit? 547
Mulier unde creata? 315. & *quem in finem.* ib. *quo loco?* 315. & *tempore.* ibid.
Mundus ex nihilo conditus. 274. *Non potuit eſſe ab æterno.* 278. *an non potuerit citius creari?* 279. *quâ anni tempeſtate conditus ſit?* ibid. *Unicus eſt.* 280. & ſeq. *habet tamen partes.* ib.
Mundus eſt indefinitus. 282. *Mutabilis.* 283. *Bonus.* ibid.
Mundus an non potuerit à Deo perfectior condi? ibid.

Digitized by Google

Mundi generalis ordo tribus vicibus immutatus. 287
Mundi materia ante hexaëmeron non eſt creata. 288

N.

Naſianzenus. 98
Naturalis religio non ſufficit ad ſalutem. 5
Naziraus quid notet? 625
Nazirai erant vel nativi, vel votivi. 626. *Eorum Leges. ib. veſtes. ib. An Joſephus Patriarcha, Samuel, Paulus & Chriſtus tales fuerint? ib. & ſeq.*
Neomeniarum inſtitutio ac obſervatio. 673. *celebratio. ib. myſterium. ib.*
Nethinai qui fuerint? 625
Nicolaïta impugnant Trinitatem. 217
Nicolaus Storchius è libertinis. 50
Nimrodus quis? 576
Noachidarum ſeptem pracepta Noacho falſò adſcripta. 543. *& ſeq.*
Noachus typus Chriſti. 575
Nomina de Deo varia. 104
Nominales. 12
Notitia Dei naturalis duplex. 89. *& ſeqq.*
Notitia Dei acquiſita. 92
Novatiani damnatum ſcribunt Adamum. 441
Nubis ante caſtra Iſraëlitarum myſterium. 729

O.

Obedientia Chriſti activa nobis quoque imputatur. 492
Obſeſſi à Diabolo. 378
Occamiſta. 12
Obedientia Chriſti habuit rationem meriti ex condigno. 493
Odium in Deo quid. 129
Oleum ſacerdotale quid ſignificet. 616
Omnipotentia Dei quomodo ſit concipienda? 149. *& ſeq.*
Omnipraſentia non eſt creatura communicabilis. 153
Omnipraſentia Dei non concipienda per ſpatia imaginaria. 148
Omniſcientia Dei. 113
ὁμοουσίου *vocis origo.* 179
Originiſtarum error de anima. 262. *aſtra faciunt animata.* 303. *anima non eſt extra corpus.* 310
Oſiandri error circa officium Chriſti mediatorium. 485
Oſtorodus negat notitiam Dei naturalem. 74

P.

Pagninus. 47
Papa non habet ſupremum judicium controverſiarum. 75
Paradiſi vocis origo. 405. *fuit plantatus à Deo. ibid. illius ſitus.* 406. *fluvii. ibid.*
Paraphraſis Chaldaica. 750
πάρεσις *diſtincta ab* ἀφέσει. 536.
Patris proprietas perſonalis quanam? 167 & 230
Pater quomodo Filium genuerit? 169
Paſchatis vocis origo. 722. *quid notet? ib. & ſeq.*
Paſcha an ſacramentum ſit, an ſacrificium? ib. Ejus inſtitutio & celebratio in Ægypto. ib. in deſerto, ac terrâ Canaan. 724

Pa-

Digitized by Google

Paſchatis mactandi locus. ib. miniſtri. 725. *Uſus & ſignificatio. ibid. & ſeq.*
Paſcha ſecundarium. 725. *Illius ſignificatio.* 728
Patriarcharum doctrina. 11. *notitiam habuerunt Trinitatis.* 182
Patrum ſub Promiſſione fides. 531. *& ſeqq. Redemptio.* 535. *& ſeq. peccatorum remiſſio.* 536. *& ſeq. Spes vitæ æternæ.* 538. *& ſeq.*
Patrum ſub V.T. fides ac ſpes. 709. *& ſeqq.*
Patripaſſianorum circa Trinitatem error. 217
Paulus Samoſatenus Trinitatem negat. 217
Peccatum quid ſit? 337. *&* 429. *ejus poſſibilitas unde oriatur? ib. & ſeq.*
Peccati primi initium quodnam fuerit? 421. *& cujus peccatum illud fuerit generis? ibid. & quam grave?* 422
Peccati nomina varia. 428. *definitio.* 429. *cauſa.* 430. *effectus.* 431. *& ſeq.*
Peccati originalis vocis origo. 444. *quæ duo in ſe complectitur. ibid.*
Peccati originalis imputatio in quo conſiſtat? ibid. & ſeqq.
Peccati actualis definitio. 455. *diviſio multiplex.* 456. *& ſeqq.*
Peccatum in Sp. S. quale ſit? 458. *& ſeq.*
Peccatum omne ex ſuâ naturâ morte dignum. 460
Pelagiani tollunt religionem naturalem. 4. *Errant circa perſpicuitatem S. Script.* 21
Pelagianorum errores circa Prædeſtinationem. 262. *circa univerſalitatem gratiæ.* 502
Pentecoſte unde dicta? 674. *ejus celebratio. ib. myſterium. ibid.*
Peratarum Tritheiſmus. 165
Pererii opinio de arbore vitæ. 310
Perſonæ vocis origo. 162
Phariſæi unde ſic dicti? 759. *illorum dogmata. ibid. vivendi ritus.* 760. *ſecta. ibid.*
Philo Judæus, ejus interpretatio Sac. Script. 71
Philoponus Tritheiſta. 165
Philoſophorum varii de mundo errores. 272
Photini error de Chriſto filio Dei. 170. *Trinitatem oppugnat.* 217
Plinius mundum habet pro ipſo Deo. 272
Plutarchus. 7
Pneumatomachorum circa perſonam Spir. S. error. 176. *&* 218
Pœna quâ ratione infligatur à Deo? 138
Pœnitentia in Deo quid. 133
Polytheiſmi cauſa. 98. *occaſiones. ib. miſeria. ibid.*
Pontifex Maximus. 613. *illius conſtitutio. ib. conſecratio tribus rebus conſtans. ibid. & ſeqq. Succeſſio.* 615. *Myſtica horum omnium ſignificatio. ibid. & ſeqq.*
Pontificis Maximi ſanctitas in quo fuerit ſita? 617. *& ſeq. illius miniſterium.* 619. *Vicarius. ib. & ſeq. præparatio ad diem magnæ expiationis.* 676
Pontificis Summi magna fuit ſub Ducibus auctoritas. 748
Pontificiorum errores circa divinitatem

Digitized by Google

univerſæ Scripturæ. 25. illiuſque Auctoritatem. 29. 32. & ſeqq. perfectionem. 51. 53. & ſeqq. perſpicuitatem. 61. 63. & ſeqq. interpretationem. 73. & 80 circa juſtitiam primi hominis. 384. cultum Angelorum. 372. peccati naturam. 430. peccata venialia. 460. Mediatorem fœderis gratiæ. 486. & ſeq animarum Patrum V. T. ante Chriſti adventum ſtatum. 541. liberum arbitrium. 469. feſta. 683
Potus è rupe. 631. quid ſignificaverit? 632
Praxias hæreticus. 217
Præadamitarum falſa origo. 314. & ſeq.
Præcepta primæ tabulæ præceptis ſecundæ digniora. 598
Prædeſtinationis vocis acceptio varia. 243. & ſeq. an ad reprobationem quoque pertineat? ibid.
Prædeſtinatio quid ſit? 245. Ejus ex S.S. & ratione demonſtratio ibid. & ſeq. eſtque ea Angelorum & hominum. 246
Prædeſtinatiani hæretici an unquam fuerint? 263
Primitiæ olim qualium rerum fuerint? 645. & ſeqq.
Priſca Prophetiſſa. 50
Προηλπικότες quinam dicti. 2
Prometheus. 308
Promiſſio prima in Paradiſo facta. 507. & ſeqq & per Protoplaſtos ac Patres propagata. 511. & ſeq.
Promiſſio facta Iſaaco. 522. & Jacobo. 523. & ſeq Judæ. 526. & ſeqq. Davidi, ejusque poſteris. 530
Promiſſionis cum lege mixtura ſub V. T. 708. & ſeqq.
Prophetia in quo conſiſtat? 546
Propheticæ revelationis modi quinam fuerint? ib. & ſeqq.
Prophetarum nomina quæ? 545. quibuſque fuerint attributa. ib. & ſeq. Eorum Collegia. 553. ac diſcipuli. 554
Prophetandi donum & munus diſtincta. 552
Prophetæ quomodo de revelationum ſuarum divinitate fuerint certi? 549. an res revelatas ipſi ſemper intellexerint? ib. & ſeq. & an verus Propheta non potuerit à veritate deflectere? 551. & ſeq.
Prophetæ veri notæ. 550. & ſeq.
Prophetæ falſi quomodo ſibi vel aliis potuerint perſuadere, ſe vera prædicere? 552
Prophetiæ quodnam fuerit objectum? 553 ſubjectum? ibid. Tempus. ibid.
Prophetiæ donum ſub N. T. 554
Propitiatorium unde ſic dictum? 657. ejus myſtica ſignificatio. 659
Providentiæ definitio. 319. Actus triplex. ib. 321. & 324. Objectum. 326. & ſeq.
Pythagoræ μετεμψύχωσις. 272
Providentia Dei circa actus bonos. 336. circa mala. 337
Ptolomæus. 60
Purificatio polluti è morticinio quomodo ſit facta? 694. illiuſque ſignificatio. 695

Ratio

R.

Ratio quomodo ad res revelatas ſe habeat? 77. *& ſeq. non eſt S. Sc. interpres.* 79. *neque religionis norma.* 80
Reales. 12
Reatus peccati quotuplex ſit? 432
Rechabitæ quinam? 627
Reformati non faciunt Deum autorem peccati. 345
Regeniti an plus boni præſtare poſſint, quàm actu præſtant? 470
Reinoldi præfatio in libros Apocryphos. 39
Religionis origo. 3. *deſcriptio.* 4. *Actus. ib. ejus ex populorum & S. S. demonſtratio. ibid. notæ vera.* 7
Religio naturalis ad ſalutem non ſufficit. 5
Religio Chriſtiana ſola eſt vera. 7. *ejus à falſis diſcrepantia. ibid. & ſeqq.*
Remiſſiones peccatorum ſub V. T. differentia ab eâ, quæ eſt ſub N. 536 *& ſeqq.*
Remonſtrantium errores circa attributa Dei. 129. *& ſeq. Filium Dei.* 172. *& ſeq. Adorationem Chriſti.* 204. *& Sp. S.* 215. *Decretum Dei.* 242. *Electionem.* 252. *Prædeſtinationem.* 266. *& ſeqq. contingentiam rerum.* 330. *ſtatum hominis ante lapſum.* 385. *comminationem mortis Adamo factam.* 403. *Imputationem peccati.* 446. *peccatum originale.* 450. *liberum arbitrium.* 446. *Sponſionis Chriſti firmitatem.* 494. *Univerſalitatem gratiæ.* 503. *& ſeq.*
Reprobationis definitio. 254. *actus. ib. & ſeq. Objectum.* 255. *cauſa.* 257. *finis.* 258. *attributum. ib. ſigna.* 259
Reprobatio conſolationi & pietati non eſt inimica. 261
Rerum Deo votarum quodnam olim fuerit jus? 647
Ruperti de arbore vitæ judicium. 310

S.

Sabaiſmus. 577
Sabellii error de perſonis divinis. 217
Sabbatum quid notet? 670. *Illius origo.* 412. *& ſeq.* 569. *& ſeq.* 671. *Sanctificatio. ibid. ejus inſtituti cauſa. ib. myſterium. ib. abrogatio.* 672
Sacerdotes ſub promiſſ. qui fuerint? 567
Sacerdotum ſub V. T. inauguratio, 615. *ſucceſſio. ib. diſtributio in claſſes.* 620. *officia cum Pontifice & Levitis communia.* 619. *&* 610. *officia ſpecialia. ibid.*
Sacerdotii Judaici ſub Herode interitus. 766
Sacrificia in ſtatu integritatis nulla fuêre. 413
Sacrificiorum nomina. 628. *natura. ib. origo.* 629. *diſcrimen.* 630. *& ſeq. adminiſtratio.* 634. *& ſeqq. uſus & ſignificatio.* 638. *& ſeqq. Abrogatio.* 642. *& ſeqq.*
Sacrificium Melchiſedecis. 629
Sadducæorum origo. 761. *dogmata. ib. mores. ibid.*
Salomonis Jarchi opinio de peccato originali. 447
Sanguinis uſus quando vel licitus vel vetitus ſit? 686. *& ſeq.*

Sancti non ſunt Mediatores. 486. *& ſeq.*
Sanctuarii conſtitutio. 662
Scaligeri ſententia de decimis. 647
Schiſma quid ſit? 7
Schola quid fuerint apud Judæos. 667
שבט *quid ſignificet?* 526. *&* 528
Schwenkfeldiani ex libertinis ſunt. 321
Scotiſta. 12
Scriptura V. T. in excidio primi templi non periit. 41
Scriptura Sacra neceſſitas. 18. *& ſeq. Divinitas.* 20. *& ſeqq. Auctoritas.* 28. *& ſeqq. an occaſionaliter ſit ſcripta?* 26. *illius integritas.* 41. *& ſeqq. perfectio.* 45. *& ſeqq. perſpicuitas.* 61. *& ſeqq. quibus ea ſit obſcura & quomodo?* 64. *illius utilitas.* 67. *ejus lectio omnibus in V. & N. T. præſcripta.* 67. *& ſeq.*
Scripturæ interpretatio. 70. *Ejus ſenſus quotuplex?* 70. *& ſeq. eam interpretandi, ac de eâ judicandi poteſtas quotuplex ſit?* 72. *& ſeqq. ac penes quem?* 75. *& ſeq. Illius interpretationis vera via.* 81. *Verba ejus ſignificant, quod ſignificare poſſunt.* 82. *Eam interpretandi verus modus quinam?* 86
Seculum duplex. 2
Seldenus. 98
Seniorum quænam ſub V. T. fuerit poteſtas? 700
Serpentis ænei hiſtoria. 732. *illiuſque myſterium.* 733
Serveti circa Deitatem Chriſti error. 219
Severitas in Deo. 143
Sigbertus Gemblacenſis. 262
Sixtus V. 69
Smalcii de Dæmonibus opinio. 196
Socinianorum errores circa divinitatem S. Sc. 28. *interpretationis S. Sc. normam.* 81. *attributa Dei.* 109. *Dei omnipræſentiam.* 152. *Chriſti Filiationis rationem.* 170. *& ſeq. Spir. Sanctum.* 176. *Adorationem Chriſti.* 200. *ac Divinitatem ejus.* 209. *Decreta Dei.* 241. *Prædeſtinationem.* 263. *creationem cæli tertii.* 290. *rerum contingentiam.* 329. *ſtatum primi hominis ante lapſum.* 385. *fœdus naturæ.* 309. *mortem æternam.* 402. *naturam peccati.* 430. *peccatum originale.* 450. *peccandi habitum.* 462. *liberum arbitrium.* 464. *& ſeq. fœderis operum abrogationem.* 474. *Mediatorem fœderis gratiæ.* 482. *ſponſionem Chriſti.* 496. *primam promiſſionem.* 510. *Patrum ſub promiſſione fidem.* 534. *eorundemque redemptionem.* 538. *ac ſpem vitæ æternæ.* 540. *Circumciſionem.* 563. *legem moralem.* 591
Sol planetarum centrum. 297
Spiritus vox variè accipitur. 174
Spatia imaginaria ſunt Chimeræ. 149
Spectris Diabolus illudit hominibus. 381
Spiritus S. eſt perſona. 174. *& ſeq. procedit à Patre & Filio.* 177. *& ſeqq. eſtque verus Deus.* 212. *& ſeq.*
Spiritus S. illiuſque adorationis cur parcius in S. Sc. fiat mentio? 215. *& ſeq.*
Spiritus S. in œconomiâ operum divinorum tribuitur conſummatio. 231
Spir. S. in N. T. miſſus eſt Spiritus Adoptio-

ptionis. 232
Spiritus in creatione mundi incubans aquis quis fuerit? 292
Sponſor fœderis gratiæ cur homo eſſe debuerit? 490. cur Deus? ibid.
Sponſionis Chriſti firmitas. 494. & effectus. 495
Stellæ quando creatæ? 299
Stipulatio fœderis. 515
Sublapſariorum & Supralapſariorum circa Electionis objectum ſententiæ. 248. & ſeq.
Subſtantia quid ſit? 161
Subſiſtentia quid? ib. & ſeq. ſubſiſtendi modorum munus quotuplex? 163
Superbia protoplaſtarum in primo peccato. 439
Superſtitionis deſcriptio. 7
Synagogarum origo. 666. conſtitutio. ib. numerus. ibid.
Synodus Dordracena. 40
Syrmondus Auguſtinum impugnat. 263

T.

Tabernaculum unde ſic dictum? 649. ejus architectus. ib. ſtructura. 650. materia. ib. forma. ibid. ambitus. ib. partes. ib. vela. ib. & ſeq. myſterium. 651. & ſeq.
Talmudiſtæ Adamum faciunt gigantem. 308. cum ſex horas in Paradiſo perſtitiſſe ferunt. 417. commenta ſeptem Noachi præceptorum. 544
Templi Salomonici ſtructura. 660. ſitus. 661. partes. ib. Atria. ib. & ſeq. Veſtibulum. 662. Sanctuarium. ibid. reverentia. 663. miracula. ib. ſanctitas. ib. Myſterium. ib. ætas. 664
Templum ſecundum Zorobabelis quomodo minoris gloriæ, quàm primum 664. & ſimul majoris? ib. Myſterium ejus. ib. ac ætas. 665
Templum tertium fruſtra exſpectant Judæi. ibid.
Tempus Adami lapſus incertum. 417
Tempus rebus eſt concreatum. 278
Tenebræ ſuper abyſſum. 292
Terra primi diei opus. 291. cujus fundatio ſecundo die facta. 295
Terra an ſita in medio univerſi? 296
Terra Iſraëlitica ſanctitas. 668. ac myſterium. ibid.
Tertullianus. 36. primus introduxit terminum Perſonæ. 162. Animas dicebat ex traduce. 308
Teſtamentum Vetus quid ſit? 583. cur dicatur Teſtamentum? ib. cur vetus? ib. non eſt confundendum cum fœdere Veteri. ibid. & ſeq. natura illius typica. 584
Teſtamenti V. ſervitus. 585. origo. 586 œconomia. 587. Lex triplex. 589. Oeconomiæ Teſt. V. diſtinctio à Novo multiplex. 703. & ſeqq.
Teſtamenti V. antiquatio. 712. & ſeq.
Theologia deſcriptio. 9. nomen. ib. partitio in ſpuriam. 10. & veram. ib. & ſeq.
Theologiæ ſcholaſticæ origo. 12. Laus. ib. & vituperium. ibid.
Theologia an ad aliquem habituum Ariſtotelicorum referri debeat? 13
Theologia tota eſt practica. 14. Illius objectum quodnam. ib. & finis quis? 17. illiuſque partitio quæ? ib.
Theophilacti opinio de exitu Sp. S. 177
Theophilus Alexandriæ Epiſcopus ab An-

Antropomorphitis perſecutus. 106
Thomas Munſer Libertinus. 50
Thomas Aquinas conſentit Auguſtino in puncto prædeſtinationis. 250
Thomiſtæ. 12
Theologia ſymbolica an ſit argumentativa? 72
Traditiones quo modo ſint admittendæ? 54. & *ſeq. earum quâ ratione Patres mentionem fecerint?* 59
Tranſitus per mare rubrum myſterium. 729
Trinitatis perſonæ quomodo diſtinguantur ab eſſentiâ. 163. & *ſeq. quomodo à ſe ac inter ſe?* 164. & *ſeqq.*
Trinitatis cognitio ad ſalutem neceſſaria. 180. *ac ejus probatio non ex ratione, ſed ex ſolâ revelatione petenda.* 180. & *ſeqq.*
Trinitas rationi veræ non repugnat. 225
Trinitatis myſterium ad praxin facit. 234
Triſtitia Deo non competit. 131. *Triſtitiæ ſigna Pontificibus interdicta.* 618
Turris Babylonica exſtructa. 576

V.

Valentinus Gentilis tritheiſmum defendit. 165. *negat Deitatem in Chriſto.* 219
Vaſovii opinio de peccato. 429
Ubiquitariorum circa tertium cœlum error. 290
Veroniſtæ. 85
Verſio S. Sc. eſt neceſſaria. 87
Verſionis LXX. origo. 750. & *ſeq. Interpretes qui? ib. locus, ubi facta. ib. quot & quinam libri ſic ſint verſi? ib. quo loco ea habita ſit in N. T.* 752. & *quid ſtatui debeat de illa hodiernâ LXX. interpp. verſione.* ibid.
Victima Chriſti typus. 239
Virtutes in Deo quid. 135. *Virtutes Ethnicorum ſplendida vitia.* 470
Vita noſtra, quomodo differat à vitâ Dei? 112
Vitæ terminus Providentiæ Dei ſubjacet. 327
Voluntatem in Deo Chryſoſtomus dicit primam & ſecundam. 125
Voluntatis complacentia quomodo in Deo concipienda? 237
Voluntas humana non cæca eſt, nec ab intellectu determinatur. 463
Vorſtii errores circa Dei infinitatem. 107. *Omniſcientiam.* 117. *Voluntatem Dei.* 123. *Eternitatem.* 155. *mundum dicit æternum.* 277
Unctionis Pontificalis & regiæ quodnam olim fuerit diſcrimen? 614
Unctionis myſterium. 616. & *ſeq.*
Vorſtii errores circa Dei omnipotentiam. 145. *Omnipræſentiam.* 152. *ſimplicitatem.* 158
Urim & Thummim oraculum quale fuerit? 718. *quomodo reſponſa reddiderit?* 719. *quando deſierit? ib. illius uſus & ſignificatio.* ibid.

W.

Walenburgenſium error circa Sac. Script. 84
Weigeliani. 50

Z.

Zebaoth nomen Dei. 103
Zelus Dei quid ſit, & unde exardeſcat? 130. & 140

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

/- /- /